ANNALES MINORUM

ANNALES
MINORUM
SEU
TRIUM ORDINUM
A S. FRANCISCO INSTITUTORUM
AB ANNO MDCXII. USQUE AD ANNUM MDCXXII.
CONTINUATI
A
P. F. STANISLAO MELCHIORRI DE CERRETO
PICENAE PROVINCIAE FILIO
MINORUM OBSERVANTIUM S. THEOLOGIAE LECTORE IUBILATO
EX-DEFINITORE GENERALI
ET A
P. F. EUSEBIO FERMENDŽIN
OBSERV. PROVINCIAE CAPISTRANAE FILIO
DEFINITORE GENERALI
IUSSU
R.^{mi} P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO
MINISTRI GENERALIS
AUCTI ET EDITI
TOMUS XXV.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
MDCCCLXXXVI.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

VIRO

IOANNI S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

SIMEONI

SACRI CONCILII A PROPAGANDA CHRISTIANA FIDE

PRAEFECTO

ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA

PROTECTORI STUDIOSISSIMO

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

EIUSDEM ORDINIS MINISTER GENERALIS

HOC VOLUMEN

GRATI ET DEVOTI ANIMI ERGO

D. D. D.

FACULTAS ORDINIS

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI
IAM S. THEOLOGIAE LECTOR, VENETAE PROVINCIAE EX-MINISTER
EX-PROCURATOR REFORMATORUM
S. R. C. CONSULTOR
TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

DECRETUM

Cum Adm. R. P. Eusebius Fermendžin a Winga, Nostrae Obs. Provinciae S. Ioannis a Capistrano in Hungaria filius, Definitor Generalis, et Ordinis Annalista, examinaverit, multiplicibus documentis locupletaverit, atque approbaverit quae scripto reliquit Adm. R. P. Stanislaus a Cerreto, Annalium Ordinis Minorum Continuator, praesentium virtute et cum salutaris obedientiae merito facultatem facimus praefato Adm. R. P. Eusebio, ut memorata scripta ad historiam Ordinis pertinentia, in unum tomum, ordine XXV, collecta, typis mandare possit.

Dat. Romae, ad Aracoeli, die 24. Decembris 1885.

FR. BERNARDINUS
Minister Generalis.

L. ✠ S.

De mandato Pat. Suae Rmae
FR. PETRUS A MONSANO
Secret. Genlis Ordinis.

BREVIARIUM VITAE

P. STANISLAI MELCHIORRI A CERRETO

OBSERV. PROVINCIAE MARCHIAE

SACERDOTIS ET ANNALIUM ORDINIS SCRIPTORIS.

Pater Stanislaus Melchiorri die XXX. Maii anni MDCCXCI Cerreti, loco non ignobili prope Fabrianum Marchiae Anconitanae, parentibus ingenuis natus est [1].

Puerulus a natura miti atque docili ingenio instructus, parentum suorum prisca sollicitudine in timore Domini rite educatus, sinceram pietatem, futurae vitae sanctioris certum praesagium, usque impense colebat.

Post prima literarum rudimenta, in natali loco paululum delibata, adolescentulus Fabrianum deducitur, ut ibidem grammatices latinae elementis et, quae more illius temporis cum illa coniungebantur, disciplinis vacaret; ubi in comparandis sibi necessariis scientiis quamquam diligentissime incumbebat, tamen et studium pietatis gnaviter percurrere non neglexit: unde et factum, ut inter mundanas scholarium conversationes innocentiae, quae merito virtutum radix suspicitur, cultor exstiterit semper vigilantissimus, et suis consodalibus morum exemplar bonorum.

Decursu temporis in literis et pietatis exercitio continuo proficiens, res mundanas omnino despicere et animo versare coepit, ut quamprimum ex adiunctis licuerit, unico servitio Domini Dei se consecraret; adhibito dein piorum consilio, et re severius examinata, ad Ordinem s. Francisci seraphici in Observante provincia Marchiae recipi humiliter petiit, et obtinuit anno MDCCCVIII, aetatis suae decimoseptimo.

Itaque Fabriani in ecclesia beatae Mariae virginis, ab angelo salutatae, sacro divi Francisci habitu est indutus, ubi ceu novitius

---

[1] P. Fortunatus a Camerino, eiusdem provinciae sacerdos, socius et collaborator p. Stanislai, brevem eius biographiam conscripsit, qua in elucubrando hoc breviario usi sumus, quapropter maximas eidem gratias habemus. Eius vitam descriptam edidit etiam eruditissimus p. Aloysius Tasso, olim lector theologiae huius conventus Aracaelitani, egregius scriptor de martyribus Iaponensibus Ord. s. Francisci, sub titulo «*Il P. Stanislao Melchiorri, Necrologia, Roma* 1870» in 4.º, quam recenset *Civiltà Cattolica* serie VIII. vol. 2. pag. 72.

annum probationis exegit; et quamvis deficientibus documentis certo nesciamus, quo magistro quoque effectu principia regularis vitae imbiberit, tamen auditis, quae a senioribus de eius indole et vita posteriore narrantur, iure affirmare possumus, eum ab optimo magistro religiosis moribus egregie informatum fuisse. Neque mirum: provincia enim Marchiae, Ordinis seraphici pars nobilis, sanctioris vitae exercitium cum scientiarum cultu semper apte coniungere noverat [1]; documento nobis sunt praeter innumeros viros, eruditione excellentes, decem et octo utriusque sexus personae, eiusdem provinciae totidem venerandae plantulae, quarum cultus publicus sanctae romanae Ecclesiae sententia probatus est.

Postea accedente, ad quos pertinebat, consensu, in eadem ecclesia vota perpetua Domino Deo ritu solenni nuncupavit anno MDCCCIX. Exin novo seraphici amoris igne accensus et gratia divina adiutus, nihil antiquius habere coepit, quam ut omni virium conatu, exemplo s. fundatoris sui, Deo se per caritatem vivam coniungeret [2] et hanc unionem inter proximos quoque pro viribus promoveret; quare peccatum, quod hominem a Deo seiungit, odio persequebatur implacabili, virtutes autem, vera sanctae unionis fomenta, summo studio colere et aliis impense commendare nitebatur.

Quum anno MDCCCX. die X. Maii decreto Napoleonis omnes Ordines religiosi Italiae suppressi declararentur, et ipse sacrum quidem habitum, non tamen religiosae pietatis et observantiae franciscanae spiritum deposuit, sed potius divinae providentiae totus resignatus, Domino suo ex animo ultro famulari contendebat; qui enim reconditae cum Deo conversationis dulcedinem semel praegustavit, is aerumnis huius mundi et persecutione ab eo non facile avellitur.

Igitur presbyterorum saecularium veste indutus, in seminario episcopali Matelicae philosophiae et divinis doctrinis diligentissimam operam navabat [3], summis animi desideriis in illud prospiciens tempus, quo Israelem redimi contingeret.

Interea temporis, quum superiorum permissu iam ad sacros ordines esset promovendus, ut tantam dignitatem angelicis humeris formidandam attentius consideraret, ad sacros recessus devertit, ubi animo constituit, ut deinceps nova virtute sublimioris vitae fundamenta iaceret.

---

[1] La provincia della Marca d'Ancona fu anticamente a modo delle stelle adornata di santi uomini et santi frati, le quali a modo di luminari del cielo hanno illuminato ed adornato l'ordine di s. Francesco ed il mondo con esempli e con dottrina. Fioretti di s. Francesco cap XLI. pag. 126. Edit. Bassano.

[2] P. Fortunatus l. c.: Fu suo studio di santificar se medesimo e giovare ad altrui in tutto che appartiene alla carità sulle orme del Serafino di Assisi, il quale non conobbe al mondo che fratelli...

[3] P. Fortunatus l. c.

Sacri presbyteratus charactere insignitus, et sic arctiori dignitatis sacerdotalis vinculo Domino suo unitus, pleniorem spiritus dulcedinem exin capiebat; sacrosanctum enim missae sacrificium tanto devotionis fervore semper peragebat, ut dulces animi eius sensus grate ad extra quoque promicantes vel invitus observares. Iuvenis sacerdos, quamvis extra claustrum medio in mundo constitutus, tamen omnem mundanam labem, Domino iuvante, tanta cura declinare satagebat, ut nihil omnino de mundo contraxisse videretur, sicut nec piscis de sale marino.

Dum anno MDCCCXIV. sincera libertate oppressis iterum refulgente, sub zelosissimo patre Gaudentio a Corriano, primum procuratore, dein Ministro generali Ordinis seraphici, provinciae Ordinis resuscitari inciperent, noster quoque Stanislaus inter primos fuit, qui sanctum habitum patriarchae s. Francisci iterum reciperet; et quum scientiis profanis aeque ac sacris exquisite eruditus esset, licet admodum iuvenis, circa annum MDCCCXV. ad docendam philosophiam in seminario episcopali Matelicae deputatus, dein post aliquot annos, facto Camerini ex theologia tentaminis periculo (concursum alias dicimus), circa annum MDCCCXVIII. lector sacrae theologiae renuntiatus est.

Susceptum hoc officium duodennio laudabiliter et cum evidenti spirituali suorum discipulorum emolumento executus est; nam, sicut in decursu vitae suae rectus et simplex esse in deliciis habuit adeo, ut columbina simplicitate in primis emineret[1], quam divus Chrysostomus *culmen philosophiae*[2], et seraphicus s. Franciscus *sapientiae germanam*[3] appellant: ita et lector theologiae dogmata sacrae religionis catholicae simplici atque clara semper elocutione enarrabat. Et quum probe sciret, ingenium docentis mysteriorum abscondita tunc tantum clare introspicere et in abdita eorum recte penetrare, quum ab omni labe purum atque altiori unctione sit roboratum, sanctae orationi et meditationi sedulus incumbebat; hincque evenit, ut non modo in cathedra doctus, sed et in vitae exercitio piissimus extiterit seraphicae iuventutis informator. Divulgata doctrinae suae et infucatae pietatis fama permotus, senatus universitatis Maceratensis ei cathedram dogmatices capessendam obtulit, ast vir humilis id honoris et muneris acceptare demisse recusavit; precibus vero Alexandri e comitibus Bernetti, episcopi Recinetensis, cui carissimus fuit, tandem

---

[1] P. Fortunat. l. c. dicit: In virtù che faceva propriamente il carattere particolare del padre Melchiorri è la cara e tanto rara virtù della columbina semplicità. In tutto il corso della sua lunga vita si dette sempre a vedere semplice pari a fanciullo; ma di quella semplicità che viene dalla bontà d'animo accompagnata dalla prudenza.

[2] Homilia LXII. in Matthaeum.

[3] Beatus Thomas de Celano in *Vita secunda*, edit. Rom. 1880 p. 120.

cedens dogmatices doctrinas in seminario episcopali clero iuniori explicandas suscepit.

Provincia Marchiae doctrinam et merita tanti sui filii iuste aestimans, eum definitorem elegit et anno MDCCCXXXVII. chronologum dixit; serius autem academiae eruditorum Velitris Volscorum et Quiritum Romana suum membrum nominarunt.

Quum p. Iosephus ab Alexandria, minister generalis ordinis, vir magni consilii, post studia humanitatis et literarum etiam sacrarum partim revocata partim vero in expeditiorem docendi rationem redacta, de restituenda quoque historia Ordinis seraphici serio cogitaret[1]; occurrit ei noster pater Stanislaus — animo in laboribus invictus[2] — quem et datis XXX. Iannarii anni MDCCCXXXVIII. literis Annalium Ordinis scriptorem nominavit. Qui relictis, quibus lucdum vacabat, publici professoris curis, Romam petiit perscrutaturus ibi manuscriptum XXI. volumen doctissimi p. Caietani Michelesi, novissimi Annalium scriptoris[3]; ast incassum, nam illud, iam Gallicae invasionis tempore una cum caeteris olim ditissimi archivi Aracaelitani et s. Isidori manuscriptis deperditum fuit[4]. Neque tamen animo despondit, sed perlustratis insignioribus urbis bibliothecis, et pervestigatis tabulariis, Vaticano secreto, Brevium in palatio Quirinali, XII Apostolorum, s. Francisci transtyberim, s. Laurentii Panis et Pernae, ss. Cosmae et Damiani de Urbe, item s. Francisci ad Altum Anconae, Montis s. Petri Angelorum, s. Mariae Angelorum Assisii et coenobii s. Thomae Taurinensis, ex quibus sibi necessaria notabat, excerptisque ultra quadraginta diversarum Ordinis provinciarum chronicis, quorum hodie maior pars desideratur, ad conventum suae provinciae Anconitanum se recepit; ubi collecta notata grato iuvamine p. Fortunati a Camerino usus digessit, et post trium annorum improbi laboris spatium anno MDCCCXLIV. volumen XXI. Annalium Anconae edidit, quod dein et sequentes tomi, videlicet XXII. XXIII. XXIV et nunc XXV, secuti sunt, quibus res Franciscani Ordinis praeclare gestae ab 1575 usque ad 1622 enarrantur[5].

---

[1] Necrologia di Mons. Fra Giuseppe Maria Maniscalco Vescovo di Caltagirone pag. 7. La Scienza e la Fede vol. XXIX. fasc. 173. Maggio 1855.

[2] Vid. epistol. dedicat. in tomo Annalium XXI.

[3] Vid. praefationem ad tomum XXI.

[4] È più che vero che giunti in Roma i novi ospiti (Francesi) s'impadronirono per primo del convento d'Araceli con assegnare poche ore a quegl' individui di sloggiare; onde non si può raccogliere i danni della libreria manoscritta e memorie perdute a danno della Religione. Passarono gl' infermi negli ospedali pubblici e i frati nei conventi fuor di Roma, essendo stato levato ancora l'altro di s. Bartolomeo all' Isola, s. Pietro in Montorio dei Riformati, ridotti tutti in quartieri di soldati, senza contare altri conventi... P. Bonagrazia di Cardoso epistola I. Ianuar. 1799 data ad p. Iosephum Pavisevic ord. s. Franc. prov. Capistranae, quae asservatur Budae in bibliotheca fratrum. Vide et praefationem ad tomum XXI.

[5] Volumen XXII. prodiit Neapoli 1857, XXIII. Anconae 1859, XXIV. Anconae 1860.

In omnibus his voluminibus elucet diligens et sedulum criticeс studium, dum vera a falsis rite discernit, indubia confirmat, et suppositititia religiosa modestia refellit; item et constans veritatis amor, in Ordinem suum religiosa observantia, in sanctam matrem Ecclesiam et eius supremum pastorem pietas intemerata, atque in Deum fides inconcussa [1].

Scripsit vero et multa alia opera erudita, quae hic enumeramus.

1. Memorie istorico-critiche delle gloriose geste di s. Flaviano martire, arcivescovo di Constantinopoli. Fermo 1836.

2. Vita di s. Pacifico di s. Severino. Roma 1839.

3. Leggenda del b. Gabrielle de' Ferretti di Ancona de' Francescani osservanti. Ancona 1844.

4. Memorie storiche del culto e venerazione dell' immagine di Maria santissima venerata in Tivoli nella chiesa di s. Maria Maggiore dei Francescani osservanti. Roma 1864.

5. Biografia di Fra Crescenzo de' Conti Grizi di Iesi, dall' anno 1244 al 1247 sesto generale dei Francescani. Roma 1868.

In manuscriptis reliquit opuscula: *Fioretti di virtù carpiti dalle lettere di s. Girolamo*, et *Narrazione istorica della prodigiosa immagine di Gesù Bambino che si venera nella chiesa d'Araceli*, item *Vita del b. Arcangelo di Calatafiore*, et *Vita della b. Battista Varani*, quae duo ultima desiderantur. Haec omnia scripta suo tempore in diurnis commentariis multum laudabantur [2].

Ordo seraphicus perpendens merita, quae sibi docendo et scribendo comparaverat, gratus eum ad definitoris generalis dignitatem evexit, qui deinceps aliquandiu in ipsa alma Urbe morabatur; exacto muneris sui tempore ad conventum fratrum Tiburensium se recepit, ubi terrestrem hanc vitam ultro in spem vitae aeternae religiosissime agebat; humilitatem colebat adeo, ut quo magis ab aliis aestimabatur, tanto indigniorem semet reputaret; paupertatis fuit amantissimus, nihil enim nisi summe necessaria et haec nonnisi superiorum permissu habere voluit; pecuniam adeo aversabatur, ut eius determinatum valorem nunquam cognoverit; sacrum silentium, medium ad spiritualia penitius consideranda aptissimum reputans, cautissime observabat; claustro seu cella raro admodum et nonnisi levaminis vel obedientiae causa exibat. In excipiendis confessionibus, habendis sacris sermonibus et sacris exercitiis in spirituale bonum cleri iunioris plane fatigari nesciebat. Rogatu venerabilium antistitum Recine-

---

[1] Vide et Civiltà Cattol. Serie IV. vol. 7, pag. 348.

[2] Vid. *L' Osservatore Dorico,* Giornale di costumi con appendice di letteratura, arti etc. Ancona 1842 al n.° 34, Sabbato 2 Luglio.

tensium sacris virginibus de Monte-Cassiano, Recineto, Treio, Castelfidario, consilio et praescriptis sanctioris vitae normis, non sine magno earum spirituali fructu, assistebat. Bono fratrum suorum nonnisi prodesse studens omnia iniuncta sibi munera alacriter et summa cum animi demissione diligentissime exsequebatur, unice Domino Deo placere adnitens. Die III.ª Ianuarii anni MDCCCLXXI, postquam duos et viginti dies morbum terminandae vitae praenuntium patientissime toleravit, inter circumstantium fratrum preces pie in Domino obiit, anno aetatis suae LXXX.

P. E. F.

LECTORI BENEVOLO

En, lector religiose, volumen XXV. Annalium Ordinis seraphici, quod p. Stanislaus Melchiorri, cuius vitae breviarium supra adposuimus, circiter ante annos triginta conscripserat, nunc demum auctoritate et favore reverendissimi in Christo patris Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministri generalis, typis Collegii seraphici s. Bonaventurae ad Claras Aquas impressum prodit, nostris quidem humilibus at diligentibus curis emendatum et auctum. In eo res, a sancti Francisci filiis per decennium, id est ab anno MDCXII. usque ad annum MDCXXII., praeclare gestae enarrantur eadem ratione, quam olim doctissimus p. Lucas Waddingus, Annalium franciscalium pater, ex ingenio sui saeculi inierat.

Ut vero, lector religiose et benevole, mox in principio voluminis conspectum operis habeas, summam rerum, quae in eo enarrantur, breviter exponemus.

a) Referuntur in eo egregii labores, a franciscanis missionariis illo decennio suscepti, qui pro sincera catholica doctrina apud christianos populos Germaniae, Galliae, Helvetiae, Hollandiae, Frisiae, Scotiae, Hyberniae et Turcarum Imperii integre conservanda, atque contra haereticos et Mohamedanos intrepide defendenda, strenue decertarunt.

b) Item describuntur illustria gesta eorum, qui apostolico omnino ausu in dissitas regiones Asiae, Africae et Americae inter populos rudes et feroces pergentes, sanctam fidem catholicam et cum ea omnem humanitatem sedulo propagabant; quique nulla alia ratione quam Dei et proximi amore ducti, neque alio quam vitae aeternae praemio moti, ad quaeque dura et aspera, famem, sitim, calores et frigus, carceres et mille poenarum genera subeunda, ad ipsamque mortem crudelissimam, uti eventus docuere, oppetendam semper paratissimi erant.

c) Porro praeter caeteros commemorantur CCCLXIX viri, s. patriarchae Francisci filii, et CXX eiusdem patris filiae, qui hoc decennio in famo sanctitatis vita defuncti sunt: hi omnes, dum viverent, miris poenitentiae operibus et exacto virtutum, quas sola catholica religio persuadet, exercitio, viam evangelicam a Christi fidelibus ineundam clare monstrabant, et ad illam calcandam animos incitabant.

d) Ultro explicantur pia sollicitudo et salutares labores fratrum de Terra Sancta, in primis eorum praesidis fr. Thomae Novariensis, viri doctrina et virtutibus insignis, circa Chaldaeos ad unionem cum sancta matre Ecclesia romana reducendos

e) Patefit quoque ex enarrandis hoc volumine, quanto studio et amore circa declarandum mysterium immaculatae Conceptionis beatae Mariae virginis hoc decennio egerint s. Francisci filii, reginae caelorum devotissimi; quos inter eminuere: Gabriel a Treio, cardinalis s. rom. Ecclesiae et tertii ordinis sodalis, Antonius a Treio, ex-minister generalis, episcopus Carthaginensis et Philippi III. regis Hispaniarum apud s. sedem legatus, nec non et celeberrimus p. Lucas Waddingus, eiusdem

legationis secretarius, quorum medio serenissimi quoque principes aularum Matritensis et Viennensis Austriae suam in beatam Mariam immaculate conceptam pietatem testari voluerunt.

f) Dein memorantur et CCCLXXVII viri scientia clari, qui editis hoc decennio libris veritatem fidei catholicae iam exponebant, iam vero contra haereticos defendebant, vel alias etiam scientias in emolumentum s. fidei et humanitatis christianae profectum egregie explicabant; qui omnes, utpote qui nobis spiritum et vitam ministraverint, posterorum gratitudinem emeruere.

g) Item et ex decretis atque statutis maiorum nostrorum hoc volumine comprehensis liquet, quam circumspecte et prudenter res Ordinis hoc tempore administrabant ii, quos Dominus seraphico sodalitio praeesse voluit, ut exin et divinae misericordiae erga illud dignationem et Patronae immaculate conceptae protectionem agnoscere et venerari debeas.

h) Reges vero, principes, magnates et populi quo devotionis affectu in divum patriarcham Franciscum atque pauperes filios filiasque eius ferebantur, ex CCCCXLII conventibus cum totidem ecclesiis, pro iis hoc decennio extructis, merito coniicies.

Haec, lector religiose, paucis adumbrare libuit, ut et habeas, a quibus, si lubet, disciplinam apprehenderes, et quorum vestigia sectando catholicam virtutem adipiscereris, utique Illo per gratiam suam opitulante, cui bona cuncta placent.

Quod vero nos attinet, opus hoc revidendum et augendum suscepimus quidem, non tamen propria virium aestimatione confisi, sed potius obedientia reverendissimi patris Ministri generalis impulsi; multa adnotavimus, et plus quam LX instrumenta ex tabulariis Vaticano et s. Congregationis de propaganda fide, item ex reliquiis regestorum Ordinis, hibliothecis Vaticana, Chisiana etc. huic volumini addidimus.

De caetero fateamur oportet, quamvis omne adhibuerimus conamen, tamen multa studium nostrum superasse et plurima etiam diligentiam subterfugisse, eo magis, quod subsidia domestica (Archivum enim Aracaelitanum circa finem saeculi praecedentis direptum, hibliotheca vero nostris diebus ablata est), nobis defecerint, exteriora vero, quanta difficultate parentur, notum est. Si ergo non omnia fors quae debuimus, tamen quae potuimus praestitimus; ideoque veniam et indulgentiam doctorum virorum postulamus. Vale.

F. EUSEBIUS FERMENDŽIN

Definitor Generalis Ordinis, et Annalium Continuator.

ANNALIUM
ORDINIS MINORUM
CONTINUATIO

Anno Christi	Pauli V.	Mathiae I.	Relig. Minorum
1612.	Anno 7. et 8.	Anno 1.	Anno 405.

ARGUMENTUM

Mathias Bohemiae et Hungariae rex caesar augustus inauguratur. Minores de observantia habent generale capitulum. Novae provinciae instituuntur, et pro fratribus ac sororibus domicilia parantur. Occumbunt virgines et aliquot viri Dei, inter quos s. Iosephus a Leonissa capucinus. Viri docti decedunt et florent. Creantur episcopi, et summi pontificis mandata ac indulta notantur.

Pragae in Bohemia mortalitatis sarcinam IV. idus Ianuarii deposuit Rudolphus II. caesar, annos numerans quinquaginta novem mensesque quatuor. Annis triginta sex imperii clavum tenuit. Exitu vario bellum decem et septem annis contra Turcas sustinuit, et anno MDCVI. cum hostibus vicenarias inducias pepigit. Cum absque liberis decessisset, eius germanus Mathias, Hungariae et Bohemiae rex, in moderando imperio eidem successit, Francofurti electus eodem anno die XIII. Iunii. Ob grassantes haereticorum tumultus Praga Viennam Austriae sedem imperii transtulit. Spondanus ad hunc an. n. 1.

II. Apud s. Mariam de Aracoeli de Urbe indicto generali fratrum minorum de observantia comitio, praeside Pompeio Arigonio s. r. e. cardinali ordinisque patrono, die IX. Iunii loco Archangeli a Messana munus ministri generalis obtinuit Ioannes de Hierro, aliis de Ferro, iam tertio, licet invitus, Angelorum provinciae moderator. Commissarius generalis cismontanae familiae delectus est Paulus a Sulmone s. Bernardini provinciae; pro utraque familia definitor Archangelus a Messana generalis praeteritus; procurator ordinis in curia romana Salvator a Roma; commissarius in romana curia Rodericus a Portillo e provincia s. Iacobi. In definitores ultramontanae familiae instituti sunt: Ioannes a Montemaiori provinciae Baeticae minister, Ambrosius Chronologia seraph. tom. I, p. 537.

de Iesu provinciae Portugalliae minister, Aegidius Xere provinciae Turoniae minister, Ioannes a Salvagerio provinciae Aquitaniae Antiquioris custos, Ioannes Neyen commissarius generalis Flandriae et Mauguardus Leo Argentinae provinciae custos. Pro cismontana familia fuerunt: Dionysius de Turre a sacris confessionibus summi pontificis, Franciscus a Ficaria provinciae Siciliae minister, Placidus de Aquila provinciae s. Bernardini custos, Angelus Metellus provinciae Marchiae custos, Vincentius Rufinus provinciae Genuae minister, et Ioannes Bandera provinciae Albaniae custos; guardianus et commissarius Terrae Sanctae Angelus a Messana; guardianus s. Clarae Neapolis Iosephus a Novara; praeses poenitentiariae s. Ioannis Lateranensis Michaël a Roma.

III. Patrum voto sequentia edita fuerunt. 1. Vitetur curiosus cellarum ornatus in scripturis, imaginibus pretiosis et bibliothecis ostentationi magis quam utilitati inservientibus.

2. Non permittantur cellae amplae cum pluribus cameris et aditis intro contentis, nisi in aliqua privata cella, magna de causa, ubi tamen una camera sit pro mansione, alia pro cubiculo.

3. Qui camisias manicatas aut truncatas vel tunicellas detulerit, si fuerit religiosus gravis, sit inhabilis ad officia ordinis; secus prima vice faciat disciplinam et ieiunet in pane et aqua; secunda carcere includatur, et deinceps poena augeatur.

4. Nemo uti possit pecunia, etiamsi necessitas urgeat, inscio ministro provinciali, aut, eo absente, guardiano loci.

5. Guardianus, qui concesserit fieri quaestus pecuniarios in ecclesia vel extra per saeculares aut tertiarios, privetur officio. Qui vero pecuniam procuraverint, carcere includantur per unum mensem, et deinde expellantur.

6. Eandem subeat poenam guardianus, qui iusserit aut consenserit pretium solvi in plateis pro herbis et fructibus ex eleemosynis emendicatis a praetereuntibus. Qui pretium solverint in carcerem coniiciantur per mensem.

7. Nec minister nec visitator provinciae possit dispensare super sententiis latis a definitorio absque consensu maioris partis definitorii, aut licentia in scriptis superioris generalis, sub poena privationis officiorum.

8. Expleto triennio guardianus non possit continuare officium, neque in eodem conventu, neque in alio, etiam sub titulo praesidentis. Minister, qui secus egerit, sit officio privatus.

9. Si frater conventus vacantis fuerit praesidens, non possit eligi in guardianum eiusdem conventus pro illa vice duntaxat, sub poena nullitatis electionis. Minister, qui contrafecerit, sit privatus officio.

10. In erectione novae provinciae electio ministri et definitorum spectat ad ministrum generalem.

11. Nullus guardianus possit inchoatam a praedecessore fabricam destruere vel mutare sine licentia ministri provincialis, sub poena privationis et carcerum per mensem.

12. Ministri provinciales reducant numerum lectorum ad duos tantum in studiis theologiae, nisi praelatis generalibus aliter videatur.

13. In conclusionibus publice propugnandis vitentur icones exquisitae et sumptus superflui, etiamsi expensae fiant ab amico spirituali.

14. Ter in hebdomada in singulis conventibus, vel plerisque saltem, habeatur lectio casuum conscientiae.

15. Sub poena excommunicationis latae sententiae nec guardiani nec ministri provinciales vendant libros fratrum defunctorum, aut eos distribuant aliter quam sequenti modo. Primo applicentur bibliothecis communibus illius conventus, in quo decesserunt. Secundo, si libri similes in eo existant, applicentur arbitrio ministri et definitorum bibliothecae conventus indigentioris hoc ordine, ut prius instruantur libris conventus, ubi vigent studia litterarum, deinde lectorum et praedicatorum cellae, confecto librorum inventario.

16. Apostatae, expulsi et damnati ad triremes, non amplius ad ordinem admittantur.

17. Absque dispensatione nullus tertiarius aut conversus ad habitum admittatur.

18. Moniales professae, ante quatuor annos a professione, careant voto in electione abbatissae.

19. Omnes assistant in choro horis matutinis, praeter lectores et eos praedicatores, qui actualiter inserviunt. Ceteri dispensari nequeunt, nisi a ministro provinciali, qui det licentiam in scriptis.

20. Nullum novum introducatur officium divinum, sed fiat uniformiter in omnibus provinciis et conventibus iuxta rubricas breviarii et missalis.

21. Officium conceptionis in sabbato non fiat deinceps in adventu et quadragesima.

IV. Pro familia ultramontana. 1. Nemo gaudeat privilegio iubilationis, nisi tribus annis legerit logicam et philosophiam, duodecim vero theologiam, septem mensibus per singulos annos, et in fine cuiuslibet sufficienti probatione exhibita praescripti temporis.

2. Si quis eosdem annos non continuaverit sine intervallo, amittat ius ad iubilationem.

3. Pro quolibet studio theologiae sint in unaquaque provincia duo lectores iubilati numerarii, quibus ordinate subrogentur alii secundum antiquitatem iuris acquisiti, vel temporis in lectura completi.

4. Non computentur inter iubilatos numerarios illi, qui alio titulo suffragium perpetuum habent in conciliis provincialibus.

5. Custos custodum non possit eligi in definitorem in capitulo, ubi suo munere functus fuerit.

6. Habeat custos custodum privilegia omnia definitorum quoad suffragium, praecedentiam et subrogationem vacante definitione.

7. In provinciis, in quibus recollecti habuerint saltem tres conventus, sit unus definitor ex ipsis.

8. Procuratore ordinis, vel commissario curiae, utantur etiam provinciae Indiarum orientis et occidentis.

V. Pro Belgis. 1. Eligantur discreti locales mittendi ad capitula provincialia, fratresque recollecti subsint ministris.

2. Monasteria monialium pertineant ad provincias, in quarum territorio sunt erecta.

VI. Pro Indis. 1. Supprimatur officium vicecommissarii Hispalensis, cuius officium exerceat aut commissarius Indiarum, aut, eo absente, guardianus s. Francisci Hispalensis.

2. Causae in prima instantia cognoscantur a ministris, non a commissariis generalibus, nisi constiterit, ministros duci affectibus.

3. Soli guardiani cum syndicis recipiant et expendant eleemosynas, quas singulis annis rex catholicus largitur pro reparatione vel sustentatione conventuum.

4. Ministri seorsim a commissariis generalibus possint convocare definitores, quando id expedit, non tamen ad habenda capitula intermedia.

5. In provinciis admittantur patres, qui fruantur privilegiis et exemptionibus, ut in Hispania et aliis partibus.

6. In domibus doctrinalibus nemo habitet sine socio. Si eae fuerint prope conventum, habitent fratres in conventu, nisi necessitas aegrotantium aliud postulaverit.

VII. Pro cismontanis. 1. Nemo alterius religionis, quamvis arctioris, admittatur in nostram.

2. Tertiarii non recipiantur ante annos XX aetatis. Eorum habitus a terra superemineat palmo et dimidio, nulloque modo in habitu aut mantello deferant caputium.

3. Puniatur tanquam inobediens, qui pertinaciter recusaverit munus instruendi novitios exemplo et doctrina.

4. In quolibet conventu deputetur aliquis a guardiano, qui laicos doceat christianam doctrinam et praecepta ac consilia regulae.

5. Novitius, semel expulsus a religione, non recipiatur in ulla provincia.

6. Nemo habeat mantellum duplex. At duplicem tunicam habere aliquis possit ex licentia in scriptis ministri provincialis.

7. Capucia non sint ex simplici panno, sed ex duplicato instar diploidis, sub poena privationis vocis activae et passivae.

8. Habitus et tunicae superfluae serventur in communitate, inscripto nomine eorum, qui iis utuntur.

9. Sit officio privatus guardianus, qui fratri pro tunica denarios dederit.

10. Guardianus omnium primus hebdomadam inchoet in choro, et post eum omnes nemine excepto, nisi infirmus et valde senex.

11. Qui non ieiunaverit a festo omnium SS. usque ad nativitatem sine evidenti necessitate, probata a medico, et licentia in scriptis guardiani, aut manducaverit ova seu lacticinia, is, si sit guardianus, privetur officio; alii habeantur inepti ad munia ordinis.

12. Soli lectores et officiales curiae romanae possint praevenire

horam prandii vel coenae, sine poena privationis vocis activae et passivae, in quam alii incurrant, ne exceptis quidem lectorum sociis.

13. Qui solus incesserit per civitatem, expellatur inde, et per hebdomadam carcere includatur. Guardianus id permittens puniatur a ministro etiam officii privatione.

14. Puniatur guardianus, qui miserit rem alicuius ponderis conventus sui ad conventum alium, vel dona ad singularem aliquem patrem. Si minister eum non puniverit, puniatur ipse a generali.

15. Nullae fiant expensae pecuniariae per guardianum, vicarium, infirmarium, aromatarium, aut fratres alios officiales; sed instituantur saltem duo discreti, de quorum scientia et consensu guardianus exponat oeconomo necessitates loci.

16. Infirmi non expellantur ab infirmaria nostri ordinis, nec mittantur ad xenodochia, ac officio priventur guardiani, qui eorum curam abiecerint.

17. Guardiani, infirmarii vel aromatarii, qui cum medicis consenserint vel convenerint, ne applicentur infirmis pharmaca nisi definitivi valoris, plectantur exilio cum inhabilitate perpetua ad officia ordinis.

18. Ministri deputent in infirmariis sacerdotem, qui praesto sit ad sacramenta ministranda.

19. Nullus infirmarius, vel alius frater, praebeat se medicum saecularibus, aut eis applicet remedia sub poena carceris. Puniatur minister in hoc negligens.

20. In omnibus conventibus vel saltem in multis, quos capitulum destinaverit, habeatur lectio regulae ex Corduba.

21. Nec confessarii monialium, nec eorum socii, continuent officium post biennium.

22. Nullus clericus etsi peritus instituatur lector aut concionator; et nemo instituatur praedicator, nisi per integrum saltem triennium studuerit theologiae.

23. Praedicatores non admittant quaestus pecuniarios in ecclesiis, sive nostris, sive alienis, sub poena proprietarii.

24. Non accipiant eleemosynas a sponte dantibus, verum eas integras assignent procuratori conventus, sub eadem poena, et praeterea suspensionis ab officio.

25. Minister provincialis consulat necessitatibus praedicatorum examinandis a toto definitorio, nec quidquam acceptis eleemosynis expendat, nisi per procuratorem cum consilio et consensu totius definitorii, sub poena privationis officii.

26. De expensis minister rationem reddat eidem definitorio in congregatione, et commissario generali in capitulis.

27. Nemini permissum sit res in concione comparatas aut oblatas vendere sub poena proprietarii.

28. In singulis conventibus maioribus habeatur studium linguarum ac praesertim Romae.

29. Qui Neapoli vel Romae student vestiantur a suis provinciis, transmisso panno, non pecunia; eaedemque provinciae per apostolicum procuratorem eis ministrent oleum et chartam.

VIII. Eorumdem maiorum voluntate nonnullae ordinis provinciae erectae fuerunt. Per Galliarum regiones extiterunt pro recollectis binae provinciae et una custodia. Ac primo quidem illa s. Dionysii titulo, cui donatum fuit sigillum imaginis eiusdem sancti, primumque ministrum accepit Iacobum Garnier. Coenobiorum album notamus.

Provinciae s. Dionysii recollectorum conventus:

1. Ss. Petri et Pauli Metensis.
2. Omnium SS. Nivernensis.
3. S... Bellofortensis.
4. S. Michaëlis Charitatensis.
5. S. Martini Parisiensis.
6. S. Mariae Magdalenae Balmetae.
7. Conceptionis Melodunensis.
8. S. Iosephi Gisortiensis.
9. B. Mariae v. Salauriensis.
10. S... Dnadensis.
11. S... Vetriucensis.
12. S. Sebastiani Flexiae.

IX. Altera eorumdem recollectorum erecta fuit in eodem regno, titulo s. Bernardini cum sigillo eiusdem sancti, provinciae primo ad ministro Ioanne Andrea.

Provinciae s. Bernardini recollectorum conventus:

1. S. Crucis Avenionis.
2. S. Mariae Consolationis Arelatensis.
3. S. Ludovici Digniae.
4. S. Mariae Angelorum Bonilii.
5. S. Crucis Bolenae.
6. S. Francisci Biterrarum.
7. S. Pontii Thomeriarum.
8. S. Stephani Clarimontis.
9. S. Francisci Nemausensis.
10. Ss. Trium Regum Mazani.
11. S. Clarae Biterrensis.

X. In Delphinatu extitit etiam pro eis custodia sub invocatione s. Antonii, cuius imaginem prae se fert, hisce coenobiis instructa:

Custodiae s. Antonii in Delphinatu recollectorum conventus:

1. S... Viennae.
2. S. Mariae de Gratiis Costae s. Andreae.
3. S... Montis Calvariae.
4. S... Romanensis.
5. S... Petri Carreirarum.

De Gubernatis tom. II. pag. 411. — Regestr. ultr. famil. vol. II. fol. 129.

XI. Licet haec inter observantes et recollectos una cum Fabritio cardinali Verallo ordinis vice-patrono in Urbe communi calculo firmata, multi tamen ex illis querimonias moventes, designatos sibi provinciae novae praesides excipere detrectarunt. Ut autem huic malo occurreret generalis minister, has literas ad eos misit, aliorum

etiam patrum testimonio usus, quibus initam inter eos concordiam aperiens, iubet a cunctis exequutioni mandari.

Frater Ioannes de Hierro totius ordinis fratrum minorum generalis minister et servus.

Omnibus has nostras praesentes visuris, lecturis et audituris notum sit, quod ad sedandas discordias et dissensiones huc usque subortas inter patres de observantia et recollectos provinciarum Galliae, pacemque introducendam cuncta constituta fuere, quae per haec inserta decreta patent, videlicet: anno MDCXII. in capitulo generali Romae celebrato die X. Iunij in nostro conventu s. Mariae de Aracaeli sub ill.^{mo} et rev.^{mo} d. d. cardinali Arigonio, nostri sacri ordinis protectore, auctoritate apostolica in eodem capitulo praesidente, ad stabiliendam perpetuam pacem inter patres observantes et recollectos provinciarum Franciae, constitutum est de communi consensu ministrorum, custodum, commissarii omnium patrum reformatorum Galliae et custodum ipsorum fratrum reformatorum, quod ex multis custodiis, separatis ab antiquis provinciis, duae provinciae et una custodia erigantur, hoc est: provincia s. Dionysii in Francia, provincia s. Bernardini in Gallia, et custodia s. Antonii in Delphinatu, quae duae provinciae et custodia in omnibus subdita erunt generali ministro, sicut aliae provinciae ordinis; sed si generalis minister per se ipsum non potuerit visitare praedictas provincias et custodiam et earum provincialibus capitulis interesse, commissarium ex reformatis ad hoc munus deputabit ipse generalis minister.

2. Item patres recollecti in posterum nullum exposcant nec accipiant conventum aliarum provinciarum sub quolibet praetextu aut colore quaesito, nisi de ordine ss. d. n., vel ill.^{mi} protectoris, aut rev.^{mi} patris generalis; sed ipsi fratres reformati contenti sint illis conventibus, quos huc usque habent, et illis, qui eisdem modo assignantur; hoc est in provincia s. Bonaventurae conventus Viennae, Montis Calvariae et Costae s. Andreae.

3. In provincia Turonia Pictaviensis conventus de Mirabello; in provincia S. Ludovici conventus de Nîmes, qui est locus destructus et ab haereticis habitatus.

4. Item si deinceps aliquis pius et devotus vir et mulier voluerit conventum seu conventus aliquos aedificare pro praedictis patribus recollectis, hoc optime fieri poterit in omnibus regni locis et ubi sunt conventus observantium, dummodo servetur ius commune et constitutiones summorum pontificum, ne unus impediatur ab aliis, tam circa eleemosynam quam circa alia.

5. Item si aliquis pater voluerit transire ab antiquis provinciis ad novas praedictas ratione reformae, licentia ad hoc a suo provinciali petita, licet non obtenta, possit nihilominus omni tempore ad dictam transire reformam; et quantum attinet ad hoc, ut possit

redire ad antiquas provincias, hoc sit ipsis expresse prohibitum, nec ullo modo fieri poterit absque licentia expressa superioris dictarum provinciarum antiquarum. Actum in palatio ill.^{mi} et rev.^{mi} d. d. Pompei tit. s. Balbinae cardinalis Arigonii, protectoris et correctoris s. seraphici ordinis, III. nonas Iulii MDCXII.

Fr. Ioannes de Hierro minister generalis approbo ut supra.

Fr. Cheeri definitor generalis et provinciae Turoniae minister.

Fr. Porrei minister Franciae approbo ut supra.

Fr. Ioannes Andreas commissarius fratrum reformat. Galliae.

Fr. Iacobus Garnier custos reformat. provinciae Turoniae Pictaviensis.

Fr. Nicolaus Sicareau pro provincia Franciae reformatorum.

Fr. Anselmus Piquet approbat.

Ego fr. Paulus Sulmonensis commissarius generalis fui praesens.

Ego fr. Rodericus de Portillo procurator generalis fui praesens.

Ego fr. Angelus Metellus definitor generalis fui praesens.

Ego fr. Petrus de Spoleto pater ordinis fui praesens.

Ego fr. Octavianus Genuensis lector theologiae fui praesens.

6. Quia vero in praedicto capitulo generali a patribus de observantia et recollectis multae congregationes et conventiones pro praedicta reconciliatione, concordia et quiete factae fuerunt, ne dubium aliquod apud quamcumque partium in posterum maneat, ne ve amplius quovis tempore detur locus altercationi ac dissentioni, declarantes dicimus: nihil aliud, quam quod in praedicto decreto continetur, praesenti scripto appositum de verbo ad verbum, stabilitum, firmatum ac determinatum fuisse, sicut expresse apparet in suo originali obsignato a patribus nominatis de observantia et recollectis aliisque praedictis patribus, praesentibus ad hoc vocatis theologis; propterea illud tantummodo observandum in omnibus et per omnia. In quorum omnium fidem has propria manu subscripsimus, et sigillo maiori nostri muneris signari mandavimus. *Datum Romae die X. mensis Iulii anno Domini MDCXII.*

Locus † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro min. gen.

XI. « Hoc anno, scribit pater Abrah. Bzovius, Franci ... in orbem novum navigantes, quatuor patres capucinos secum avexerunt, qui in Maragnaro insula, haud procul a Brasilensibus sita, crucis signum erexerunt et multos incolas, quos Topinambosios vocant, Christi doctrina imbuerunt... » ; ibi dein pia industria p. Petri Yves conventus s. Antonii aedificatus fuit, in cuius una parte nunc adest seminarium episcopale.

XII. In provinciarum albo adscripta fuit custodia titulo s. Helenae in Florida in nova Hispania, antea, ut custodia, provinciae s. Evangelii subdita. Ad eam moderandam omnium primus assumptus est Ioannes de Capilla.

Annal. ecclesiasticor. tom. XXIV. Cod. manuscr. bibl. princip. Ghigi F. VII. 182. p. 298.
P. Marcell. de Civezza Bibliograf. sanfrancese. p 643.
Annal. min. ad ann. 1609. n. 28.
Torquemada tom. III. p. 350.

Provinciae s. Helenae in Florida minorum observantium conventus:

1. Conceptionis in civitate s. Augustini.
2. Conceptionis in civitate de Cuba.
3. S. Petri in oppido de Atuluteca.
4. S. Antonii in oppido de Enecape.
5. S. Dominici in oppido de Thalassi.
6. S. Luciae in oppido de Quera.
7. S. Crucis in oppido de Trarichica.
8. S. Ildephonsi in oppido de Camilo.
9. S. Ludovici in oppido de Himahica.
10. Conceptionis in civitate de la Habana.
11. S. Mariae Angelorum in oppido de Baiamo.
12. S. Catharinae in oppido de Guale.
13. S. Francisci in oppido de Potano.
14. S. Bonaventurae in oppido de Guadalquivin.
15. S. Martini in oppido de Ayacuto.
16. S. Petri in oppido de Potoiriba.
17. S. Laurentii in oppido de Hiticachuco.
18. S. Annae in oppido de Puerto de el Principe.

Monasterium s. Clarae in civitate de la Habana.

XIII. Custodiae de Paraguaia et Tucuman in Peruviano regno minorum de observantia, item patrum iussu in unam eamdem provinciam eriguntur, Assumptionis Deiparae titulo, cuius imaginem habet pro sigillo.

Provinciae Assumptionis de Paraguaia minorum de observantia conventus:

1. S. Georgii in civitate Cordubae.
2. S. Michaëlis in civitate Tucuman.
3. Assumptionis in civitate Paraguaia.
4. Undecim mille Virginum in oppido del Puerto.
5. S. Francisci in oppido de Salta.
6. S. Francisci in oppido de Cucui.
7. S. Iacobi in oppido del Estero.
8. S. Martini in oppido de Esteco.
9. S. Annae in oppido de s. Fide.
10. S. Francisci in oppido de Rioia.
11. S. Francisci in oppido de las Corrientes.

Domus doctrinales sive parochiales:

1. Domus de el Ytabi.
2. S. Francisci de Calapae.
3. S. Francisci de Yutig.
4. S. Francisci de los Ocloies.

XIV. Postremo ad provinciae dignitatem devenit custodia eorumdem fratrum sub invocatione s. Thomae apostoli in India orientali, quam probavit pontifex: *Ex iniuncto* die I. Septembris. Haec licet anno MDLXXXIII. a Francisco Gonzaga generali administro inter ordinis provincias adnumerata, paulo post tamen iterum ad custodiam reducta fuit. Haec provincia prae se fert sigillum imaginis eiusdem apostoli.

Provinciae s. Thomae minorum de observantia in India orientali conventus:

Dioecesis Goae.

1. S. Spiritus Goae.
2. S. Barbarae in urbe Chaul.
3. S. Antonii in urbe de Bassaim.
4. S... in urbe de Cananor.
5. S... in urbe de Cambolim.
6. S... in urbe de Barceller.
7. Collegium S. Bonaventurae Goae.
8. Coll. S... in urbe de Pambarupa.
9. Coll.ᵃ duo in parte de el Horte.
10. Coll. S... in urbe Agassaim.
11. Coll. in urbe Manapacer.
12. S... in urbe de Cochin.

Dioecesis Cochinen.

13. S... in urbe de Ceylan.
14. S... in urbe de Manur.
15. S... in urbe de Fitieurim.
16. S... in urbe Iapanupatum.
17. S... in urbe Negapatam.
18. S... in urbe de Columbo.
19. S... in urbe Negumbo.
20. S... in urbe de Mumar.
21. Coll. S... in urbe de Manar.
22. Coll. S... in urbe de Grancanar.
23. Coll. S... in urbe Columbo.
24. Coll. S... in urbe Iapanapatam.
25. Conv. S... in urbe episcopali de Miliapar.

XV. Domus doctrinales in territorio de Bardes:

1. Regum magorum in urbe de Bardes.
2. Pena de Franeia.
3. Servila.
4. Panbaropas.
5. Aldona.
6. Del Locorro.
7. Moura.
8. Apusa.
9. Livi.
10. Revera.
11. Usel.
12. Siolim.
13. Parra.
14. Caluale.
15. Augema.
16. Nagoa.
17. Calaugute.
18. Candolim.
19. Eliu.
20. Piterne.
21. Sangolda.
22. Valverde.
23. San Lorenço.

XVI. **Domus doctrinales de el Horte:**

1. Pale.	12. A. Salvacion.
2. Sançti Spiritus.	13. Caransa.
3. Monte Calvario.	14. S. Bernardino.
4. Agussaim.	15. Bainel.
5. Gorai.	16. Casimiri.
6. Salcete.	17. Marsacau.
7. Bombaum.	18. Camba.
8. Ambolim.	19. Agela.
9. Pare.	20. Omorro.
10. Furumba.	21. Beata virgo Amare.
11. Moim.	22. Arangal.

XVII. Domus doctrinales in territorio de Cochin septem numerantur; in regione de Saphana XXIII, et XLIII in Insula Ceylan.

XVIII. Immediate regimini ministri generalis subiecerunt patres laudati comitii custodiam fratrum discalceatorum Matris Dei Malaccae in India orientali, quae hoc tempore sequentia numerabat coenobia.

Custodiae discalceatorum Matris Dei de Malacca in India orientali conventus:

1. Matris Dei.	Goae.
2. S... del Pilar.	
3. Deiparae del Cabo.	
4. S... in civitate de Caul.	Dioecesis Goae.
5. S... in civitate de Fana.	
6. S... in civitate de Damao.	
7. S... in civitate de Dios.	
8. S... in civitate de Cochin.	Dioecesis Cochinen.
9. S... in civitate de Columbo.	
10. S... in civitate de Amacao.	Dioecesis Chinen.
Monast. s. Clarae in eadem civitate.	

XIX. Expleto comitio, quod summus pontifex insequenti anno: *Ex iniuncto* XXVII. die Iunii confirmavit, vota fratrum tertii ordinis congregationis Gallicanae idem minister generalis excepit, ut quae consulto pro bono ordinis regimine ab ipsis ordinata, et a suo praedecessore probata fuerant, etiam ab ipso confirmarentur. Hinc sequentem ad eos litteram misit. De Gubernatis, tom. II. p. 860.

Nos frater Ioannes de Hierro totius ordinis fratrum minorum, nec non fratrum poenitentium tertii ordinis s. Francisci minister generalis et servus.

Cum a divina providentia in aedificationem et in augmentum religiosae perfectionis ad hunc generalatus gradum evecti fuerimus, ut scilicet quae pro illius incremento ac stabilitate ordinanda sunt, ordinemus, et iam ordinata, quantum in nobis est, stabiliamus; hinc est quod statuta et constitutiones fratrum poenitentium tertii ordinis s. Francisci reformatorum totius regni Galliae, quae constitutiones et statuta a rev.mo patre Archangelo a Messana praedecessore nostro visa et diligenter considerata, necnon approbata fuerunt, denuo et ex certa scientia confirmamus et approbamus. In cuius rei testimonium praesentes litteras manus nostrae subscriptione ac maiori officii nostri sigillo munita volumus.

Datum Romae in conventu nostro s. Mariae de Aracaeli VIII calendas Iulii anno Domini MDCXII.

Loco ✝ Sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro min. gen.

XX. Quo fratres provinciae s. Bernardini Austriae evangelium adversus haereticos fructuosius promoverent, commissario Germaniae p. Gabrieli Bonaventurae Daum ampla datur facultas:

Regestr. ultram. famil. vol. II. fol. 130. Paulus Sfondratus episcopus Albanensis sanctae Caeciliae, Petrus tituli sanctorum Ioannis et Pauli Aldobrandinus, Pompeius tituli sanctae Balbinae Arigonius, Robertus tituli sanctae Mariae in Via Bellarminus, Antonius tituli sanctae Crucis in Hierusalem Zapata, Ferdinandus Taberna tituli s. Eusebii, Ioannes Garcia tituli sanctor. Quatuor Coronatorum Millinus, Franciscus tituli sancti Calixti Dela Rochefoucauld, Fabritius tituli sancti Augustini Verallus, frater Augustinus Galaminius tituli sanctae Mariae Aracaeli et fr. Felix Centinus tituli sancti Hieronymi Illyricorum de Asculo, nuncupati presbyteri miseratione divina sanctae romanae ecclesiae cardinales, in universa republica christiana adversus haereticam pravitatem generales inquisitores a sancta sede apostolica specialiter deputati. Dilecto nobis in Christo fratri Gabrieli Bonaventurae Daumio, presbytero professo ordinis minorum de observantia. provinciae Austriae commissario generali, salutem in domino sempiternam. Cum in generali congregatione sanctae romanae et universalis inquisitionis habita in palatio apostolico montis Quirinalis coram ss. d. n. d. Paulo divina providentia Papa quinto ac nobis, die infrascripta nomine tuo supplicatum fuerit, ut ad salutem animarum et haeresum et errorum confutationem, haereticos quoscumque redeuntes et poenitentes absolvendi, et libros prohibitos legendi, tibi ac aliis dictae provinciae

tui ordinis religiosis licentiam et facultatem concedere dignaremur; nos, quibus in primis cordi est, ut omnis haeretica pravitas e mentibus hominum tollatur, et oves aberrantes ad caulam dominici gregis sedulo reducantur, cunctorumque Christi fidelium saluti provide consulatur, ac summopere cupientes, ut sancta catholica et orthodoxa fides ubique floreat et augeatur, auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa, tibi et tuo in officio commissarii successori ac aliis religiosis tui ordinis dictae provinciae, precipue concionatoribus tibi subiectis et piis, quibus tu, vel successor praedictus expedire cognoveritis, ut omnes et quoscumque haereticorum, seu alias prohibitos libros etiam in indice romano librorum prohibitorum damnatos, ad effectum, ut praefertur haereses et errores redarguendi et confutandi, secreto, et per vos ipsos tantum, et sine aliorum scandalo aut periculo absque censurarum et poenarum incursu, legere et retinere libere et licite in Germania tantum, et non alibi, possitis et valeatis, et quilibet vestrum possit et valeat; iniuncto tamen eis, quibus licentiam huiusmodi communicabis, ut librorum prohibitorum praedictorum, quos huiusmodi nostrae facultatis vigore legent aut retinebunt, notam quam primum exhibeant, ut, si interim forte eorum aliquem ex hac vita migrare contigerit, provideas diligenter, ne ad aliorum manus deveniant, sed tempore huius facultatis elapso, una cum libris prohibitis quos tu ipse legeris aut retinueris, igni tradantur comburendi; ac praeterea tibi et successori praedicto pro tempore, ut omnes et quoscumque, ex partibus in quibus haereses impune grassantur, ad te in aliquo conventu eiusdem provinciae tibi subiecto constitutum, seu residentem, et ad sanctum sacramentum ministrandum ab ordinario loci approbatum, sponte venientes utriusque sexus, tam laicos quam clericos saeculares, et cuiusvis ordinis regulares, haereticos, schismaticos et a sancta fide catholica quomodolibet aberrantes, illorumque credentes, non tamen in haereses, schisma et errores relapsos, aut de eis in iudicio delatos vel condemnatos, nec eos qui sunt ex partibus in quibus viget sanctum inquisitionis officium, de quibus nihilominus ss. d. n. Papa, aut hoc sanctae inquisitionis tribunal consulatur, poenitentes quidem ab excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quas propter haereses et excessus huiusmodi quomodolibet incurrerint, dummodo corde sincero et fide non ficta haereses, schisma et errores suos ac alias quoscumque in sacramentali confessione verbo detestati fuerint, et abiuraverint, ac in gremium sanctae matris ecclesiae recipi et admitti humiliter postulaverint, atque praestito per eos iureiurando promiserint de cetero ab huiusmodi haeresibus, schismate et erroribus, ac aliis similibus excessibus penitus abstinere, in forma ecclesiae consueta, iniuncta inde eis et eorum cuilibet pro modo culpae poenitentia salutari, et (iniunctis) aliis iniungendis, prout eorum saluti expedire cognoveris, in foro conscientiae tantum, ac citra ullam habilitationem aut dispensationem absolvere,

et in gremium sanctae matris ecclesiae recipere et reconciliare (possis et valeas). Et insuper ut universos et singulos de partibus praedictis, qui libros haereticorum, seu alias prohibitos, etiam in indice romano librorum prohibitorum damnatos, scienter legerint vel retinuerint, haereticorum quoque et schismaticorum receptatores, fautores et defensores, qui illorum haeresibus non adhaeserunt, et in futurum ab huiusmodi perniciosa lectione vel retentione, et excessibus praedictis abstinere firmiter proposuerint, similiter ab excommunicationis et aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quibus propterea fuerint innodati, in eadem forma ecclesiae consueta, iniuncta pariter eis pro modo culpae poenitentia, salutari et (iniunctis) aliis iniungendis, in eodem foro conscientiae et absolvere et liberare. Praeterea, ut in minoribus diotae provinciae tui ordinis conventibus tibi subiectis unum, in maioribus vero duos sacerdotes idoneos, et ad sanctum sacramentum poenitentiae ministrandum ab ordinario expositos, qui in dictis conventibus constituti seu residentes, haereticos et delinquentes praedictos in foro conscientiae tantummodo et forma, ac cum conditionibus et limitationibus supra expressis, absolvere possint, eligere et deputare possis et valeas, licentiam, facultatem et auctoritatem ad quinquennium proxime futurum, a data praesentium numerandum, dumtaxat duraturam tenore earumdem damus, concedimus et impartimur, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem et testimonium, praesentes litteras gratis expeditas per infrascriptum nostrum et dictae sanctae romanae et universalis inquisitionis notarium fieri, et manibus nostris subscriptas sigilli eiusdem sanctae inquisitionis, quo in talibus utimur, iussimus appensione muniri. Dat. Romae in generali congregatione sanctae universalis inquisitionis praedictae septimo die Iunii anno a nativitate domini 1612 pontificatus praedicti ss. dom. nostri Papae anno octavo. Approbo Andreas notarius P. Cardinalis sanctae Caeciliae episcopus Albanensis. P. cardinalis Aldobrandinus. P. cardinalis Arigonius. R. cardinalis Bellarminus. Ferdinandus cardinalis s. Eusebii. Io. Garsia cardinalis Millinus. Franciscus cardinalis Dela Roche. Fr. cardinalis Varallus. Fr. Augustinus cardinalis Aracaeli. Fr. Felix cardinalis de Asculo.

Archiv. vatic. secret. Pauli V. Litterae ad Princip. vir. XVI fol. 233.

XXI. Fratres Austriae et Hungariae, quorum zelus restituendae ibidem fidei non mediocrem spem facit, imperatori Mathiae impense commendantur sequentibus ex curia pontificia ad eum datis:

Sacra caes. reg. maiestas! Fratrem Bonaventuram commissarium generalem in istis partibus reformatorum ordinis s. Francisci, et fr. Victorem a Verona custodem ss. Salvatoris provinciae Hungariae, eorumque monasteriorum negotia in comitiis generalibus Romae superiori mense celebratis valde commendatos habui. Quod sicuti propter iussionem v. caes. maiestatis diligentissime praestare curavi, ita modo ab eademmet v. caes. maiestatis pietate ducor, ut dictos fratres eorumque reformationem de meliori nota eidem commendem, praeser-

tim cum illorum zelus et religiosi instituti observantia spem non mediocrem faciat fidei in istis partibus restituendae, favente patrocinio et summa vestrae caes. maiest. auctoritate, cui omnia beneficia illi accepta referunt, et ego in me quoque proficisci fatebor. Quod reliquum est felicissimos rerum omnium eventus a Deo caes. maiestati vestrae omnibus votis exoro et mea humillima obsequia devoveo. Romae 18. Iulii 1612. — S. caes. reg. maiestatis vestrae humillimus obsequentissimus servus.

XXII. Franciscus Arias de Bustamante minister provinciae observantium s. Iosephi de Iucatan inter coenobiorum album adscriptis domum doctrinalem s. Stephani de Calotmul, ibidemque fratrum praesidem constituit. Initium accepit conventus s. Francisci observantium in oppido de Mertola, dioecesis Eborensis in provincia Algarbiorum, impensis erectus d. Didaci Huanes Figueira, canonici illius cathedralis ecclesiae, in aede propria eisdem fratribus concessa. Incolitur a XII fratribus.

Convent. de Calotmul. Lopez p. 474.

Conv. de Mertola. Monum. prov.

Idem fratres provinciae Valentiae bina coenobia hoc anno admisere. Alterum erectum fuit in Villa de Chiva, dioecesis Valentinae, sub invocatione s. Ludovici episcopi Tolosani, oppidanorum facultatibus, atque ex venia d. marchionis de Aytona loci domino. Incolitur a XX fratribus. Exordium habuit et hoc anno incolarum eleemosynis coenobium immaculatae Conceptionis, in iugulo montis villae de Benifa iuxta mare positum, dioecesis item Valentinae. Ibidem praesunt XVIII fratres. In ecclesia coenobii anno MDCLVI. tumulum nactus est frater Ioseph Galart, insignis verbi Dei praeco et vitae sanctitate dives.

Conv. de Chiva. Monum. prov.

Conv. de Benifa Monum. prov.

XXIII. Ioannes Namirez, Granatensis provinciae minister, aedem pro suis accepit sub invocatione Dominae nostrae de Galharilla, MCCCCC. P. a Villa de Porcuna, eidem concessam ab equitibus s. Ioannis de Calatrava. Eam tamen non multo post ob aëris inclementiam dimisit, et alteram obtinuit intra eandem Villam s. Iacobi titulo.

Conv. de Porcuna. De Torres. p. 164.

XXIV. E coenobio Dominae nostrae de Aquis sanctis in provincia Angelorum abierunt iidem fratres de observantia ob aërem morbidum, ut alterum incolerent in villa de Cantillana, facultate eis concessa a Ioanne Vicentelo oppidi marchione. Translationem hanc probaverat Ioannes de Hierro olim provinciae vicarius. Leopoliense s. Andreae apostoli coenobium ab hostibus fidei iam vastatum, hoc anno de novo aedificatum fuit christi fidelium impensis. Hic s. Ioannes de Dukla primarius regni Poloniae patronus, observantium habitum induit, sancte occubuit miraculisque hodiedum inclaret. In provincia ss. Redemptoris Dalmatiae inchoatus fuit conventus s. Crucis Živogostae, ad litus maris, positus. In eo sedem posuerunt fratres pulsi ab aliis coenobiis turcarum furore.

Conv. de Cantillana. Annal. min. ad an. 1596. De Guadalupe p. 183.

Conv. Leopolis. Monum. prov.

Conv. Zivogostae Mon. prov.

XXV. Favente Ludovico de Salignao, episcopo Burdigalensi, fratres recollecti occuparunt domum observantium urbis Sarlatensis; ve-

Conv. Sarlati Gallia christ. tom. II. p. 1529. rum ad senatum Burdigalensem provocantes iidem observantes, anno MDCXIV. senatus consulto in conventus possessionem iterum devenerunt. Cives vero recollectis faventes, ipsis domum emere, penes quam idem episcopus primum lapidem posuit anno MDCXVIII. pro nova ecclesia aedificanda.

Conv. Antroduci. Ratam habet summus pontifex: *Exponi nobis* die XXVIII Septembris possessionem peractam a fratribus de observantia coenobii s. Annae prope oppidum Antroduci dioecesis Reatinae in provincia s. Bernardini.

Conv. Gualtieri Flaminius a Parma tom. I. pag. 576. XXVI. Hoc tempore marchio Marsilius Bentivogli dominus, oppidi Gualtieri ad unum milliare a Guastalla dioecesis Parmensis, promovit constructionem conventus pro fratribus de observantia, intra moenia eiusdem oppidi penes ecclesiam s. Andreae apostoli, cui deserviebat sacerdos saecularis animarum curam gerens: *In supremo* XIII. calendas Iulii. Anno MDCXVI. eo fratres immisit Raphaël a Bononia provinciae administer.

Conv. de Mandas. Monum. prov. XXVII. In provincia insulae Sardiniae circa hoc tempus perfectiorem formam accepit fabrica coenobii s. Francisci titulo penes parochialem ecclesiam s. Georgii martyris oppidi de Mandas dioecesis Calaritanae. Multa ad operis molitionem contulit illius oppidi dominus. Conv. de Villasor. Monum. prov. Extitit etiam in eadem dioecesi coenobium in oppido de Villasor eis oblatum a quodam canonico illius loci, erectumque in veteri ecclesia s. Michaëlis archangeli. Postremum etiam absolutus fuit conventus Conv. de Ionvi. Monum. prov. non longe de *Ionvi* dioecesis Arborensis in praedio fratribus concesso a d. Ioanne Stephano Melis, qui ss. Trinitatis titulum obtinuit.

Conv. Montiscarotti. Monum. prov. XXVIII. Initium accepit hoc anno incolarum sumptibus coenobium s. Francisci penes oppidum Montiscarotti Aesinae dioecesis in provincia Marchiae. Coenobii structura aucta fuit studio Valentini Pacifici ab Aesio ministri provinciae, qui etiam bibliothecam ditavit variis operibus ac manuscriptis.

Conv. Vesceliae. Monum. prov. XXIX. Fratres discalceati provinciae s. Iosephi posuerunt primum lapidem pro erectione coenobii intra oppidum Vesceliae sive de Uzeda dioecesis Toletanae, s. Francisci titulo, provinciae ministro Petro a Ripa.

XXX. Indulget pontifex: *Pastoralis officii* die XXIII. Augusti, ut fratres reformati provinciae Umbriae recipiant conventum s. Francisci Calvi dioecesis Narniae minorum conventualium. Pontificis votum suo caruit effectu; fratres enim conventuales loci possessionem nunquam dimiserunt.

Conv. Trebii. Monum. prov. XXXI. Iidem fratres reformati immissi sunt in conventum s. Martini prope oppidum Trebii, dioecesis Spoletanae, inhabitatum a minoritis de observantia. Adest de hac re mandatum ministri generalis ita expressum:

Frater Ioannes de Hierro totius ordinis fratrum minorum generalis minister. Cum in definitorio huius praesentis capituli a patribus unanimi consensu decretum sit, ut pro aliquibus iustis de causis con-

ventus noster s. Martini Trebii patribus nostrae provinciae Seraphicae reformatis assignetur, harum serie, qui praefati decreti erunt in fidem, praecipimus patri praesidenti memorati conventus s. Martini ceterisque fratribus in eo commorantibus per sanctam obedientiam, ac sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, quatenus his acceptis, conventum ipsum r. p. guardiano Petro de Assisio noviter electo consignare debeant, ac possessionem sine aliqua molestia vel perturbatione eum accipere permittant, relictis etiam omnibus mobilibus eidem, praesentibus sub eisdem poenis aliisque arbitrio nostro contrafacienti infligendis; fratres autem, qui hucusque de familia permanserunt, ad praesentiam patris admodum rev. ministri provincialis advenient.

Datum Assisii XXV. Septembris MDCXII.
Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro min. gen.

XXXII. In provincia s. Angeli recipiunt reformati aedem pro hospitio LXX pass. ab oppido s. Nicandri ad radices Gargani montis, s. Mariae de Misericordia titulo, opibus incolarum constructum. Aedificiis auctum fratres admisit anno MDCXXXIV. Nomen prae se fert s. Mariae de Gratia. — Per haec tempora intrarunt minoritae reformati provinciae s. Bernardini in Aprutio in conventum ad Pescum Constantium, nullius dioecesis cassinensis, sub invocatione Iesu Mariae de Constantinopoli, opibus universitatis aedificatum pro XII sodalibus. Eis cesserant observantes conventum s. Clarae Bucclanicum, dioecesis Theatinae, quem antea incolebant sorores clarissae. Pro eis etiam erectus fuit conventus Assumptionis Deiparae in urbe Fülekiensi, Strigoniensis archidioecesis, in provincia ss. Salvatoris Hungariae.

(Conv. Nicandri. Archangelus de Montesarchio p. 309.)

(Conv. Pescum Constant. Mon. prov.)

(Conv. Bucclanici. Mon. prov. Annal. min. ad an. 1591. n. 86.)

(Conv. Fulekiensis. Mon. prov.)

XXXIII. Fratres minores conventuales recipiunt conventum s. Rochi Carinis, dioecesis Mazariensis, in custodia Panormitana, ex dono Iacobi Iacobelli loci incolae. Antea aliam aedem inhabitabant. Incolitur a VI fratribus.

(Conv. Carinis. Pirrus tom. II. p. 894.)

Ioannes Piccolomini ex bonis sibi relictis a parente suo Alphonso, Coelani comite, coenobium et ecclesiam sub invocatione s. Mariae ad Nives, s. Andreae apostoli ac s. Francisci instruxit pro fratribus tertii ordinis in oppido Scafatae, dioecesis Nolanae. Temporis decursu inter suppressos connumeratus est.

(Conv. Scafatae. Bordonius in prov. Neapolit. p. 398.)

XXXIV. Capucini fratres obtinuerunt ab anno MDCV eis concessum in provincia Romana conventum Setiae; in provincia Bononiae conventum Ferrariae; in provincia Brixiae conventum Gargani, dioecesis Brixiensis; in provincia Pedemontana conventum Lancei dioecesis Taurinensis; in provincia Corsicae conventum Caliculae dioecesis Sagraensis; in provincia Lucaniae conventum s. Caroli; in provincia Barensi conventum Iuvenaci et conventum Rutiliani dioecesis

(Ex albo Michaelis a Tugio.)

Cupersanae; in provincia Bohemiae conventum Nicolspurgi dioecesis Olomucensis; in provincia Turoniae conventum Vierzioni dioecesis Bituricensis; in provincia Normanniae conventum Vernomi dioecesis Eboracensis; in provincia Lugdunensi conventum Burgi Sebusianorum dioecesis Lugdunensis; in provincia Sabaudiae conventum Munsterii; in provincia Burgundiae conventum Leodonii Salnerii dioecesis Bisuntinensis; in provincia s. Ludovici conventum Aptae Iuliae et conventum Tarasci dioecesis Avenionensis; in provincia Campaniae conventum s. Desiderii dioecesis Catalaunensis; in provincia Aragoniae conventum Alcanniti dioecesis Caesaraugustanae; in provincia Castellae conventum Pardi dioecesis Toletanae; in provincia Tyrolensi conventum Neoburgi ad Rhenum, quod antea spectabat ad conventuales. (Greiderer tom. II. p. 148.)

XXXV. Mandat summus pontifex episcopo Angrensi insulae Terzeirae. *Expositum nobis* die ultima Februarii, ut immittat sorores clarissas in novum monasterium s. Mariae Magdalenae eiusdem urbis nuper erectum opibus Emmanuelis Carvelo Betayda, incolae loci, qui sibi patronatum reservavit. (Monast. Angrense.)

XXXVI. In urbe Artigis, dioecesis Granatensis, quaedam virgines, quae ab anno MDLVI. Domino deserviebant in aede pro eis erecta a Didaco de s. Michaële, beneficiato illius ecclesiae, hoc anno ad institutum clarissarum transierunt. Ex summi pontificis voluntate Ioannes Ramirez, provinciae Granatensis minister, duas moniales ibidem e monasterio s. Agnetis Cordubae adduxit, nimirum Mariam de s. Aloysio uti abbatissam, et Antoniam de Aguyo uti vicariam ac novitiarum magistram. (Monast. Artigis. De Torres p. 480.)

XXXVII. Opibus Michaëlis Perez de Mendiola et eius uxoris Magdalenae de Huguaque erectum fuit pro eisdem sororibus monasterium s. Clarae titulo intra moenia oppidi de Tolosa in provincia Cantabriae. Idipsum paret ministro provinciae. (Monast. de Tolosa Monum. prov.)

XXXVIII. Moniales clarissae hoc anno redierunt in monasterium Boug in provincia s. Bonaventurae, militum furore pulsae. Opera et studio confessarii illius monasterii restitutae fuerunt aedes pene labefactatae. (Monast. Boug. Fodere p. 187.)

XXXIX. Ex monasterio Bruxellensi missae sunt hoc anno Ruremundam in provincia Germaniae aliquot sacrae virgines de tertio ordine, ut exemplo virtutum devios et haereticos revocarent. Primo manserunt in aedibus sibi privatis; anno autem MDCXXI. in novum monasterium sub invocatione s. Ioannis evangelistae et s. Annae adductae fuerunt, ut sponso Christo deservirent. (Monast. Ruremundae. Monum. prov.)

XL. Intrarunt moniales clarissae in monasterium Perusiae in provincia Umbriae, quod vulgo dicitur *delle Bartorelle*, erectum a nobili viro illius civitatis nomine Antonius. Monasterii praeses delecta fuit quaedam Hieronyma professa in altero monasterio Montislucis prope eamdem urbem posito. Primum monialium confessarium accepit Ubaldum de Lugnano minoritam de observantia. Subest regimini ministri provinciae Umbriae. (Monast. Perusiae. Monum. prov.)

XLI. In urbe Badensi provinciae Helveticae erectum fuit pro sororibus capucinis monasterium sub invocatione beatae Mariae Coronatae. Curam de eo habet nuntius apostolicus Lucernensis, moderantibus conscientiam sororum fratribus capucinis. Monast. Badense. Greiderer t. II, p. 656.

XLII. Summus pontifex optat, ut archiepiscopus Gesnensis, pro conventu monialium tertii ordinis s. Francisci in civitate Callisiensi ante biennium iam exstructo, nunc vero ampliando, suam auctoritatem interponat. Adponimus litteras:

Illustrissime ac reverendissime domine!

Monialibus tertiae regulae s. Francisci in suburbio civitatis Callisiensis, in coëmendis duabus propinquis domibus, difficultas fit non exigua a patribus xenodochii s. Spiritus Callisiensis, qui triplo maius pretium, quam domus ipsae valeant, dicuntur exposcere. Sua sanctitas optaret, ut illme domin. vestra suam hic interponeret auctoritatem, ac illos patres ad postulationem aequi pretii redigeret. Et cum ex ea venditione non levis ad utramque partem commoditas derivetur, id tamen urgeat ill.^ma^ domin. vestra, ut claustri servandi ratio monialibus facilior in posterum fiat quam quae biennio fuit a monasterii fundatione iam praeterlapso. Deus ill.^mam^ domin. vestram diutissime servet incolumem. Monast. Callisiense amplatur. Archiv. vatic. secret. Pauli V. Litt. ad Princip. vir XVI. fol. 240.

Romae, 21 Iulii 1612.

Ill.^mae^ domin. vestrae addictiss.

XLIII. Quaedam virgines cum sanctitatis fama decesserunt. In monasterio s. Clarae Portuensis, in provincia Portugalliae, pie decessit die XXVI. Martii Maria de Mello. Pauperrimam vitam semper duxit; cellam numquam habuit habitumque semper gestavit obsoletum atque consarcinatum. Eximia in contemptu sui, deliciabatur iniuriis affici contumeliisque exagitari. — Anno aetatis suae XL., caritate Dei vulnerata caelestia petivit die II. Iunii in monasterio Matris Dei Ulysipone Birgitta de Iesu, quae una cum germana Constantia e monasterio Annuntiationis Deiparae ordinis praedicatorum huc adveniens, et clarissarum regulam professa, miris virtutibus illuxit. Summo fragrabat amore erga ss. eucharistiae sacramentum. Ita horrebat Dei offensam, ut votum emiserit quaeque vitandi peccata. — Die IV. Martii quievit in monasterio s. Elisabeth de Ungaria Ulysipone Isabella a Iesu ex tertio ordine, huius monasterii fundatrix. Emicuit humilitatis virtute et amore in Iesum Christum, quem invocabat assidue summo pietatis affectu. Maria de Mello. Agiologium Lusitan. ad diem 26 Martii. Birgitta de Iesu. Ibidem ad diem 2. Iunii. Isabella a Iesu. Ibid. ad diem 4. Martii.

XLIV. In monasterio s. Elisabeth Granatae rapta est Ioanna Baptista ea in urbe nata. Corporis venustatem diris flagellis assiduisque ieiuniis foedabat. Quadragesimali tempore paucis dumtaxat oleribus se reficiebat. Impense colebat s. Didacum Complutensem. Ante Ioanna Baptista soror. De Torres p. 497.

sui occasum exoravit quamque sororem, ut penes se sequentia proferret: *beatus Didacus dum tempus suae resolutionis instaret* etc. Iis vix expletis, imaginem beati manibus tenens vultu laeto placidissime occubuit. Post sui mortem Leonorae de Corduba professae in eodem monasterio apparens, dixit, se recreatam fuisse, antequam Deo animam redderet, s. Didaci visione ac colloquio. — Augustina de Cruce pie obiit in monasterio Assumptionis Aquilarii eiusdem provinciae Granatensis. Dono lacrymarum enituit in fundendis precibus. Magni habita fuit a sororibus et a civibus, qui eam saepe in rebus agendis consulebant.

Augustina de Cruce. Idem p. 759.

XLV. Annos numerans XXI obdormivit in Domino in monasterio de Alanis, provinciae Angelorum, Maria de Evangelista, vix ab ipsa expleto s. Athanasii: *quicumque vult salvus esse* etc. symbolo. Floruit innocentia vitae et exquisitis poenalitatibus. Carnis enim concupiscentiam ita flagris cohibuit, ut toto in corpore vulnera apparerent.

Maria de Evangelista. De Guadalupe p. 574.

XLVI. In ecclesia coenobii s. Iacobi Almansae in provincia s. Ioannis Baptistae mortalitatis exuvias deposuit Hieronyma de Appaicio, eo in oppido nobilibus parentibus nata. Defuncto coniuge, cui parentum voluntate nupsit, inter sorores tertii ordinis adscripta, viam asperitatis plenam arripuit. Nudis semper pedibus incedebat, loricam ferream ad nudam carnem gestabat flagellisque corpus domabat. Somnum super nudam tabulam capiebat, et de nocte surgens convolabat ad fratrum discalceatorum ecclesiam, quae longe erat ab oppido, ut praesto esset matutinis precibus. Saepe devotione summa sacro Christi corpore se reficiebat et miras ecstases patiebatur. Defunctae corpus solemni pompa super sacerdotum humeros illatum fuit in ecclesiam laudati coenobii.

Hieronyma de Appaicio. Panes part. I. lib. 3. cap. 14.

XLVII. Octogenaria pie decessit in monasterio s. Clarae Burgis Mencia de la Torre nobili genere nata. Quater abbatissae munus ibidem explevit, facta ceteris sororibus exemplar virtutum. Amicta erat asperrimo cilicio, assiduis tum de nocte cum de die precibus vacabat, in quibus saepe elevabatur. Aqua pro potu crudisque herbis utebatur pro obsonio. — In Vasti s. Clarae monasterio, provinciae s. Angeli, die XXI. Octobris quievit Feliciana Barone, eiusdem collegii fundatrix, eo missa a Paulo V. pontifice una cum sororibus Archangela Antonelli et Aderia Valverde, ut collectas virgines in bonis moribus erudiret. Aliquot sorores mira in eo sanctitate floruerunt. Etiam in civitate Aquilana suo studio erexit et alterum monasterium sub invocatione s. Catharinae. In utraque aede floruit humilitate, mansuetudine, patientia aliisque caelestibus donis, praesertim abbatissae munus gerens. Prae suae sanctitatis famu tumulum accepit in principe altari s. Clarae Vasti.

Mencia de la Torre. Mon. prov.

Feliciana Barone. Mon. prov

XLVIII. Calendis Februarii anno aetatis LXXXII, post varia tormentorum genera dissectus in quatuor partes, Dublini crudele lethum invicta patientia sustinuit Cornelius Duvin, alias Duvenius, episcopus Dunensis, Hybernus, nobili ortus genere in Ultonia. Commen-

Cornelius Duvin m. Brondinus de martyr. Hibernis p. 197.

dabatur prae sui doctrina, prudentia, pietate vitaeque sanctimonia. Eiusdem passionis socius fuit Patritius O Lochoran, sacerdos saecularis ac episcopi sacellanus. Eius annus emortualis, post *Analecta Hyberniae* edita Coloniae 1619, quae in hoc puncto vacillant, ab auctoribus varius ponitur; nos ex synchrono Bzovio in *Annal. ecclesiasticor.* tom. 24, et recentiori opere *The episcopal succession in England a Mazziere Brady,* Romae 1876 edito, in hunc, videlicet 1612, reponendum censemus.

Patritius O Lochoran m.

XLIX. Mexici in conventu s. Francisci obiit Dominicus de Arciçaga Hispanus, qui ab anno MDLIV in socium se addixerat Francisco de Toral commissario generali Indiarum. Pluries et guardiani et ministri provinciae s. Evangelii inculpate munus obivit. Sedulus verbi Dei praeco multos devios ad rectam vivendi normam adduxit. Prae suae sanctitatis et doctrinae fama magni apud omnes habebatur. Tanti viri iacturam luxerunt cives, qui eius funus solemni pompa honestarunt. Nam indicta supplicatione, e coenobio in ecclesiam eius corpus illatum fuit, comitantibus audientia Mexicana, Francisco Sanctes, episcopo Guadalaxarae, et Andrea de Ubilia, episcopo Chiappiensi, qui sacrum solemniter celebravit. — In eadem provincia cursum vitae complevit die IV. Septembris cum ingenti sanctitatis opinione Stephanus de Ursa, positis ad eius feretrum tribus mitris; episcopatum enim ecclesiarum Cubae, Incatan et Mechiocan sibi oblatum ex humilitate resignaverat.

Dominicus de Arciçaga. Torquemada tom. III. p. 553.

Stephanus de Ursa. Torrubia p. V.

L. Caelestia petivit in conventu s. Catharinae de Monte Murciae, in provincia Carthaginensi, Franciscus de Rozas, paupertate, oratione, caritate aliisque virtutibus plenus. Licet humanioribus literis instructus, maluit tamen Deo deservire in humili laicorum statu. Breve somnum de nocte carpebat parietibus suae cellulae adhaerens. — Die XIX. Martii occubuit in conventu beatae Mariae de Gratia Caravacae, eiusdem provinciae, Petrus Cubero item laicus. Corpus macerabat assiduis in modico pane et aqua ieiuniis, flagellis ac asperrimo cilicio. Paupereulam cellam semper adamavit, et in ea clausus superna meditabatur, saepe extra se factus. Vivus ac mortuus inclaruit miraculorum gloria.

Franciscus de Rozas Mon. prov.

Petrus Cubero. Mon. prov.

LI. Iustorum praemium obtinuit die XVI. Februarii in conventu s. Crucis Oeniponti, in provincia Tyrolensi, Amandus Abmayr, Annae Catharinae, Ferdinandi archiducis Tyrolensis viduae ac monasterii monialium ordinis s. Benedicti confessarius; multis exornatus erat virtutibus. — Die XV. Maii e vita migravit in coenobio s. Mariae Vallisasperae, in provincia s. Angeli, Paulus de Caramanica, locus positus in dioecesi Seatensi. Licet laicus, munus tamen guardiani eiusdem coenobii obivit, subditos sibi concreditos pascens virtutis exemplo. Nonnisi obedientiae merito vinum potavit carnesque comedit. In fundendis precibus saepe elevabatur. Multa patienter tulit a daemonibus, quos fugabat invocato Iesu et Mariae nomine. Suae orationis praesidio a Deo obtinuit extemplo cibaria pro fratribus inopia laborantibus.

Amandus Abmayr. Greiderer tom. II. p. 210.

Paulus de Caramanica. Archangelus de Montesarchio p. 48.

LII. Compluti in conventu s. Angeli Custodis, fratrum discalceatorum, provinciae s. Iosephi, die XXIV. Ianuarii occubuit Ildephonsus a s. Paulo, sacerdos vitae innocentia valde commendatus. Diu munus concionatoris prosequutus, multorum obstinatorum corda ad poenitentiam flexit. — Apud oppidum s. Martini, in valetudinario eorumdem fratrum conventus Cadafalsi, raptus est Ioannes a Birruega item sacerdos, vir magnae austeritatis. Ante sui mortem meruit recreari beatae Virginis praesentia et colloquio. Eius corpus solemni pompa illatum et sepositum fuit in ecclesia monialium eiusdem oppidi. — Quievit die XXV. Aprilis in conventu s. Francisci de Uzeda laudatae provinciae Franciscus a Siguenza, huius coenobii primus praeses. Vir pietate, humilitate, oratione ac comitate exornatus. Tumulum nactus est in ecclesia parochiali eiusdem oppidi, cum fratres destituti essent loculo ob novae ecclesiae structuram. Scripsit hispanice *expositionem brevem in regulam s. Francisci* editam anno MDCXIII. Matriti, prelo Ludovici Sanchez. Etiam scripsit *declarationem* eiusdem regulae a summis pontificibus factam, et *instructionem novitiorum.* — In conventu s. Iosephi Elchii in provincia s. Ioannis Baptistae mortales exuvias deposuit Franciscus Ordonez sacerdos. Antea militaverat sub vexillo catholici regis; at visione poenarum infernalium deterritus, ad fratres discalceatos convolavit, ubi omnimodis poenalitatibus corpus afflixit. Catenis namque ferreis lumbos stringebat, bisque flagris se caedebat per diem ad sanguinis usque effusionem.

Ildephonsus a s. Paulo. Mon. prov.

Ioannes a Birruega. Mon. prov.

Franciscus a Siguenza. Mon. prov.

Wadd. et Sbaral. lit. F.

Franciscus Ordonez. Panes p. 1. lib. 3. cap. 12.

LIII. Ulysipone in coenobio Dominae nostrae de Iesu fratrum tertii ordinis decessit die VIII. Ianuarii Petrus de Trinitate. Praestans erat vitae austeritate et ferventissima oratione. — Die IX. Septembris animam Deo reddidit apud urbem s. Philippi in Sicilia Didacus, natus in oppido de Sinagra Messanensis dioecesis. A puero divinis benedictionibus praeventus Christi Domini cruciatus alta mente recolebat. A quibusdam improbis hominibus per vim abductus ac subinde ad triremes licet innocens damnatus, tandem post sesqui alterum annum pristinae libertati restituitur. Post varios vitae suae casus postremo in antrum a se effossum prope Sinagram se recepit, ubi precibus, vigiliis, flagellis atque inedia corpus macerabat. Sacra Laureti, Assisii, Urbis et Calabriae loca devotione summa perlustravit. Habitum subinde fratrum tertii ordinis impetravit; at cum coenobiorum munia ob sui infirmitatem haud explere valeret, eodem habitu detrito tamen et consarcinato indutus, eremiticam vitam in summa egestate ducebat. Prophetiae et miraculorum gloria floruit.

Petrus de Trinitate. Agiolog. Lusit. ad diem. 8. Ianuarii.

Didacus de Sinagra. Mazara t. IX. p. 125.

LIV. Parisiensi in conventu sanctimonia clarus decessit Ioannes a Fano Romuli, capucinus, sacerdos mira erga Deum caritate exardescens. Cum verba diceret vel audiret de Deo ac de eius caelesti beatitudine, animi deliquium patiebatur saepe. — Octogenario maior obiit in conventu Moticae, in provincia Siciliae, Andreas ab Enna, concionator et sui instituti novitiorum magister. Eximio caritatis aestu sacrum sacrificium peragebat ita, ut aliquando ingens e caelo lucis

Ioannes a Fano Romuli De Aremberg tom. II. p. 435.

Andreas ab Enna. Idem ibid. p. 376.

fulgor in eum descendere visus fuerit. — In provincia Romana e vita migravit Clemens Veliternensis, commendatus prae suae vitae integritate, orationis studiu regularique observantia. — In conventu Savonae pie occubuit Cherubinus a Quiliano, Saccarellorum familia natus. Tum guardiani, tum definitoris, tum provinciae Genuensis vicarii officium explevit. In meditanda Iesu Christi passione assiduus erat, et absque lacrymarum profluvio sacrum haud agebat. Crucis signo varios infirmos sanavit.

Clemens a Velitris. Idem ibid. p. 304. Cherubinus a Quiliano. Idem ibid.

LV. Iis adiunctus est in caelo et hoc anno s. Iosephus a Leonissa, cuius acta prosequimur, a quo finem imposuimus. «Interea tempus illud advenerat a Iosepho multo antea praescitum ac praenuntiatum, quo reposita corona iustitiae quam repromisit Deus diligentibus se, in triumphanti eum patria dominus coronaret, quem bonum certamen certantem tantis charismatum donis iam coronaverat hic in terris. Plurimis igitur acerbissimisque cum coepisset affligari doloribus, ut intelligeret horam novissimam appropinquare, satis explicari non potest, quam totus in id incumberet, ut animo praeparato venienti Domino laetus occurreret. Quantum per vires licuit, licet infirmus, immaculatam Deo hostiam offerre non praetermisit; quod postmodum cum peragere acerbioris morbi vi prohiberetur, illud saltem solatii capere nitebatur, ut ante horas matutinas e lectulo suo consurgens ad ecclesiam descenderet, ibique de superioris manu sanctissima eucharistia reficeretur. Ubi vero morbo invalescente e cella egredi minime potuit, illud obtinuit, ut expiata per exomologesim conscientia, immaculato Christi corpore, tanquam salutari vitae immortalis pignore, diebus singulis in sui domicilii vestibulo flexis genibus cibaretur. In meditanda interea passionis dominicae historia, in precibus recitandis, in persolvendo divino officio reliquas diei partes devotissime transigebat, donec instante novissimo mortis agone, ecclesiae sacramentis summo pietatis ac religionis fervore susceptis, Christi Domini amantissime osculatus effigiem, dum corpus oculosque tanquam in caelum properaturus attollit, placida serenaque fronte cursum feliciter consummavit in Amatricis oppido die IV. Februarii anno MDCXII, aetatis suae quinquagesimo sexto».

Ex Benedicto XIV. de canoniz. quinque ss. t. 7. p. 246. Annal. min. ad ann. 1611 n. 17 et seq.

LVI. «Mirum quanta speciei venustate florere subito coeperit beati cadaveris facies, quae antea cum esset vivens, morborum diuturnitate vitaeque austeritate squallebat! Mirum quanta odoris suavitate ipsa etiam intima dissecti corporis viscera redolerent! Mirum quam vivida, quam flexibilia, quam mollia membra conservarentur! Quia etiam ipsa corporis intestina excrementicis faecibus divinitas, ut creditum fuit, depurgata fragrantissimo inventa sunt humore lacteo redundare. Quae dum miratur chirurgus Deunuque in sancto suo mirabilem praedicat, Iosephi sanctitatem sibi ipsi beneficam expertus est; cum enim inter secandum novacula sibi digitum gravi vulnere sauciasset, opportunissimam in Iosephi sanguine medelam invenit, qua illico sanaretur.

LVII. Evulgata autem felici Iosephi morte, ad visendum venerandumque sanctum illius corpus tanta multitudo, sanctitatis eius fama ac religione succensa, in oppidum Amatricis confluxit, ut finitimae regiones omnes suis propemodum convulsae sedibus viderentur; quibus Iosephus apostolica illa caritate adhuc incensus, qua semper exarserat hic in terris, innumera obtinuit ab omnipotenti Domino beneficia. Quot enim diuturnis affectos morbis in pristinam valetudinem incolumitatemque restituit? Quot ab obsessis corporibus spiritus immundos eiecit? Quot intimum cordis dolorem ingessit, quo peccatorum veniam a domino consequerentur »? Anno MDCXXXIX eius exuviae illatae fuerunt in ecclesiam suo nomini erectam intra oppidum Leonissae, diversam ab ea, in qua extra moenia sacra peragunt iidem capucini.

LVIII. Quae vero post Iosephi mortem peracta fuerunt pro eius consequenda canonizatione, novimus ex mox danda Benedicti XIV. constitutione, qui eum in sanctorum album adnumeravit.

Benedictus XIV. servus servorum Dei etc.
Ad perpetuam rei memoriam.

Humani generis Redemptor Dei Filius, sapientia Patris, ita mentes hominum, disiecta veteri, qua operiebantur caligine, novo caele-
Ibidem p. 246. stis doctrinae splendore illustravit, ut simul ad eius lumen ductumque sequendum maximis et pretiosis promissis languentia corda erexerit et excitaverit. Ita porro dum nos edocuit, abiecta de perituris divitiis sollicitudine, thesaurum non deficientem in caelis nobis parare, in eoque cogitationes et corda nostra defigere; simul etiam certissimam huiusmodi thesauri adipiscendi spem nobis ostendit in Dei et Patris nostri benignitate fundatam, cui placuit humilitati nostrae regnum aeternum disponere et destinare. Quod si terreni regni quantumvis caduci, fastigium vilioribus mercibus aut parvo agello luteisve vasibus nemo non anteferret; si momentaneam delectationem, oblectationis voluptatem nemo prae imperii gloria amplissimaque dominatione non aspernaretur, quis erit profecto, qui mundanas quantivis pretii, opes, potentiam, honores comparare audeat cum ineffabili caelestis regni beatitudine, quam Christus dominus pusillo electorum suorum gregi promisit? Cuius gloria non in opinione hominum, sed in divinae gloriae communione sita est, in qua bonum, quod possidetur, desideriorum mensuram excedit; ubi denique in visione ac fruitione Dei atque in beata sanctorum societate plena est felicitas, perpetua iucunditas et secura tranquillitas.

Ad hanc caelestis regni promissionem adnavigans, hunc verae felicitatis fontem sitiens beatus Iosephus a Leonissa religiosum institutum fratrum minorum s. Francisci, quos capucinos appellant, plena voluntate et constanti devotione professus, desertam a vitiis, inviam adversariis potestatibus et aridam a deliciis saecularibus terram in-

colere statuit, ut tandem in sancto apparere Deo mereretur atque ad illius beatitudinis et gloriae consortium feliciter pervenire. Quam sane praclaram mercedem ipsius sanctae conversationis, diuturnae poenitentiae strenuorumque laborum, quos pro Dei honore et proximorum salute ad mortem usque toleravit, eidem beato viro in caelesti patria a Deo retributam fuisse, cumque propterea inter sanctos confessores cum Christo regnantes ab ecclesia universa colendum et venerandum esse, inspectis heroicis ipsius virtutibus, necnon miraculis eius intercessione a Deo editis, apud nos et apostolicam sedem rite probatis, cum consilio et assensu venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium et patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in romana curia congregatorum, deque attributae nobis potestatis plenitudine, nuper definiendo pronuntiavimus, ac praesentium litterarum tenore edicimus, statuimus atque decernimus.

Leonissae Aprutii oppido ex Ioanne de Desideriis et Francisca de Paulinis in Spoletana dioecesi anno MDLVI natus est Ioseph, in baptismate Euphranius dictus, et primo quidem apud parentes pie ac liberaliter educatus fuit; postea vero iis defunctis, Viterbii, ubi patruus publice docebat, adolescentiae aetatem caste integreque transegit. Cum autem soli Deo perseveranter adhaerere statuisset, oblatas sibi a patruo honestissimas nuptias, perpetuo virginitatis proposito se obstringens, constanti animo recusavit; seque tandem ab omnibus mundi periculis, insidiis, fallaciis, terroribus in perfectam filiorum Dei libertatem vindicaturus, ad religiosa capucinorum claustra apud Assisium confugit, ubi frustra obnitentibus consanguineis et minas etiam adhibentibus, quo eum a sancto proposito avocarent, arctiorem sancti Francisci regulam professus est.

Quo autem mentis ardore suave Christi iugum Ioseph amplexus esset, facile apparuit ex incredibili studio, quo et statim ad capessendum virtutum omnium culmen totus incubuit et nunquam deinceps a suscepto perfectionis cursu deflexit. Religiosae paupertatis et spiritu et reipsa eximius cultor, in summa rerum inopia, in qua huiusmodi instituti sectatores vitam degunt, complura invenit, quae suis usibus voluntarie detraheret.

Mitis animo et humilis corde, se totum suasque actiones et voluntates arbitrio superiorum, quorum mandata aperto capite et flexis genibus excipere solebat, penitus permisit; ut, quum sine eorum iussu cuicumque rei ineptum se esse duceret, eorum accedente nutu, difficilia quaeque aggredi non dubitaret. Quum vero nihil de se suisque viribus praesumeret, et ne suas quidem preces apud Deum quidquam valere putaret, aliorum orationibus assidue se commendabat. Denique in vilissimis quibusque exercendis ministeriis, in ferendis contemptibus et ludibriis laetus et alacer, tunc solum tristari videbatur, quum aut munus honorificum suscipere cogeretur, aut meritae ipsius virtuti laudes tribuerentur.

At vero seipsum pro abiecta quam de se fovebat opinione, ac sic

aspere duriterque tractabat, ut difficile sit alium reperire, qui novissimis hisce saeculis poenitentiae ac mortificationi magis addictus fuerit. Quum etenim perpetuum fere ieiunium sibi indixisset, non alio plerumque pane quam duro ac mucido, non alio obsonio quam putridis ac semiustis leguminibus, aut crudis oleribus, non alio potu, quam corruptis aquis aut vino cineribus confecto vitam sustentabat; et nihilominus crucifigendae carnis suae cupidior in dies, inusitatis flagellorum generibus suas in seipsum manus armabat, quibus corpus suum acerrime dilaniaret; et quia non semper id ipsi licitum erat, horrida cilicia, ferreas catenas, ferreos cingulos, ferreamque loricam ad continuum sui cruciatum adhibebat; ea tamen hilari fronte ac laeto vultu apostolicae praedicationis ministerium adimplens tanto spiritus fervore afflicta membra regebat, ut nec aestus, nec frigora, nec soles, nec imbres, nec famem, nec sitim, neque labores sentire videretur, dummodo aliquod faceret animarum lucrum, ac Dei cultum et gloriam propagaret.

Iustitiam enim esuriens et sitiens, nec de propria solum perfectione sollicitus, sed ad aliorum quoque salutem procurandam ardentissimo studio intentus, quum praedicandi et evangelizandi munus ex obedientia gereret, incredibili labore ac zelo, nec minori animarum fructu, toto vitae suae cursu illud obivit. Frequens erat illi uno eodemque die pluries diversis populis, diversis argumentis, diversis in locis sacras conciones habere; nec tamen ideo restricta est ardoris sui flamma; gaudebat privatis exhortationibus homines a vitiis avocare, ad virtutem inflammare, pueros et rudes fidei elementis christianaque doctrina imbuere. Quin etiam ad infidelium terras ad ipsam mahumetanae impietatis arcem quum accessisset, non modo fidelibus in Babylonis captivitate degentibus opportuna attulit conservandae religioni praesidia, sed plures infideles ad christianae veritatis lumen quum adduxisset, exterminandae impietatis cupidissimus non dubitavit ipsum imperii tyrannum in palatii sui penetralibus intrepida caritate adoriri, ut ei evangelium Christi annuntiaret. Quod sane magnanimum facinus quum inscrutabili Dei iudicio in irritum cessisset, repressus Iosephus in Italiam, reliquum vitae spatium in dominicae vineae cultura per Aprutii potissimum et Umbriae provincias impendit.

In eas porro geminum doctrinae et misericordiae suae thesaurum effudit, et sicuti, impositum sibi apostolicum ministerium adimplens, pro aeterna animarum salute utilissime semper adlaboravit, ita ad sublevandos omnes in huius vitae angustiis et afflictionibus constitutos admirabilis caritatis opera indesinenter exercuit. Quos enim ad caelestis beatitudinis sedes veluti manuducere conabatur, eos in mundi huius calamitatibus oppressos iacere, quantum in ipso erat, minime patiebatur. Itaque parum est, quod pauperes omnes ad se confugientes, immo vero studiosissime a se conquisitos, omni ratione iuvabat, quod iis non solum mensae reliquias, sed ipsum paratum sibi cibum,

atque etiam labores manuum suarum largiebatur; quod aegrotos quoslibet invisere eosque piis hortationibus assiduisque officiis ac ministeriis reficere nunquam praetermittebat; quod carceribus inclusos solari, pascere atque iis vel iudicum clementiam vel creditorum benignitatem conciliare curabat; sed extant ad hunc usque diem eximiae ipsius caritatis perennia monumenta in publicis hospitiis pro infirmorum aut peregrinorum perfugio, in montibus pietatis pro pauperum subsidio per earum regionum civitates et oppida, ipso potissimum hortante, promovente ac curante, erectis, dotatis, instructis.

Cum autem in assiduis huiusmodi praedicationis et beneficentiae operibus immensi essent ipsius labores, aequum profecto erat, ut congruam vicissim corpori animoque suo quietem et relaxationem non incideret. Hanc Ioseph in religiosa divinarum precum recitatione, ac potissimum in solitaria oratione atque in rerum caelestium meditatione capiebat; quarum amore integras saepe noctes ante crucifixi Domini sui effigiem insomnes ducebat, atque in eius bonitatis sinu acquiescens, in immensae illius caritatis profundum se immergens, ipsi suam, ipsi ecclesiae causam, ipsi laborum suorum fructum impense amanterque commendabat. Ad quem porro divinae amicitiae gradum Ioseph evectus fuerit, tuto conficere licet ex singularibus donis, quibus glorificavit eum Deus in conspectu hominum: ut nimirum secreta cordium introspiceret, absentia tanquam videns enuntiaret, futura praediceret, naturae atque elementis mirabiliter imperaret. Quis autem valeat enarrare beatas illas communicationes ac spirituales delicias, quibus omnipotens Deus fidelem servum suum cumulare solebat? Satis haec manifesta apparebant ex frequentibus adspirationibus affectibusque ardentissimis, quibus in mediis etiam ministerii occupationibus, praegustatae suavitatis memor, totus in Deum ferebatur; satis intimam illius animae unionem cum Deo testabatur imperturbabilis illa pax, quam secum et cum proximo in omni rerum vicissitudine constanter servabat.

Hanc pacem, quam salvator noster sua morte nobis acquisitam, exemplis praeceptisque suis commendatam, veluti paternam haereditatem discipulis suis reliquit, hanc Ioseph in omnium fidelium cordibus sedulo plantare curavit, in eaque potissimum evangelizanda prosperos atque mirabiles successus obtinuit. Ardebant eo saeculo inter finitimas praedictarum regionum civitates inimicitiae, inter familias discordiae, simultates et inimicitiae inter plerosque cives dissensiones et odia, indeque tumultus et rixae frequentesque caedes et homicidia cum populorum excidio Deique offensa in dies oriebantur. Hanc ergo veluti furentium leonum silvam ingressus Iosephus, succinctus pectora baltheo caritatis et calceatus pedes in praeparatione evangelii pacis, fidei scutum galeamque salutis assumens, et gladio spiritus, quod est verbum Dei, instructus, tumentes undique iras compressit, odia restrinxit, atque efferata dudum corda christianae pacis suavitate demulsit, ut nova prorsus regionis facies, novi populorum

mores brevi tempore apparuerint; ipsi vero tanquam restitutori pacis et fundatori publicae quietis maxima apud homines parta gloria, maius autem praemium pacificis a Deo promissum in caelis assertum fuerit.

Verum quo maiorem adipiscendi caelorum regni securitatem servo suo faceret Deus, permisit eum in tentationes varias incidere gravissimasque persequutiones pro iustitia perpeti, ut ipsius virtus per tribulationum ignem probata inveniretur in laudem et gloriam in die domini nostri Iesu Christi. Nam praeter immane supplicium eidem Constantinopoli ab infidelibus irrogatum, cum intra palatii septa deprehensum, quo ad annuntiandum Christi fidem penetraverat, sublimi e trabe ferreis uncis suspenderunt, atque igne fumoque supposito pene suffocarunt, innumeras etiam ab improbis christianis iniurias atque molestias saepe sustinuit, dum pro suscepto sanctae praedicationis officio, hominum vitia viriliter oppugnans, atque ita pervicacium offensionem incurrens, verberibus saepe et colaphis et contumeliis impetitus, aliquando etiam in vitae discrimen adductus fuit. Quae tamen omnia quum nec ipsius mansuetudinem neque constantiam loco dimovere valuerint, totidem Iosepho gradus facta sunt ad caelestem triumphum, quem ipsi tandem a iusto iudice tributum fuisse non est dubitandum.

Id enim evincit ipsius pretiosa mors, quam apud oppidum Amatricis, Reatinae dioecesis, post diuturnam infirmitatem in pietatis et patientiae exercitationibus transactam, anno aetatis suae quinquagesimo septimo, ab incarnatione Domini MDCXII placide obiit in osculo Domini, et manifeste ostendunt illustria signa atque miracula, quae ab omnipotenti Deo, tum saepe Iosepho vivente, tum etiam in ipsa eius morte et post illam edita fuerunt; inter quae id sane mirabile fuit, quod defuncti corpus assidua maceratione ac morbi vi antea squalidum, inusitata coloris et speciei venustate repente florere et suavissimum odorem exhalare coepit; intima vero ipsius viscera, medico cultro dissecta, nulla imbuta faece, sed lacteo quodam humore tota redundare reperta sunt. Innumeras vero gratias ad Iosephi invocationem a Deo se obtinuisse testati sunt fideles, qui ad ipsius funus undique frequentes convenerunt propter conceptam de ipsius sanctitate opinionem, qua etiam impellente, Iosephi cives post aliquot annos pium illud facinus audacter perpetrarunt, ut nocte quadam, occasione data, ad Amatricis oppidum accedentes venerandum ipsius corpus asportarent et Leonissam deferrent; firma spe ducti, magnum sibi adversus ingruentes calamitates in illius possessione ac servi Dei patrocinio praesidium fore.

Cumque ad legitimum instruendum iudicium de ipsius beatificatione et canonizatione nihil deesset eorum, quae per sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum decreta requiruntur, nonnulli primum processus a locorum ordinariis constructi, mox etiam alii apostolica auctoritate confecti fuerunt, ex quibus desumptae sunt

tum virtutum theologicarum et cardinalium iisque annexarum, quae in Iosepho emicuerunt, tum etiam miraculorum eius intercessione a Deo editorum plenissimae probationes; quibus per dilectos filios consultores congregationis sacrorum rituum deinde per ven. fratres nostros s. r. e. cardinales eidem congregationi praepositos mature et ex ordine discussis, sanct. mem. praedecessor noster Clemens Papa XII, auditis eorum consiliis, die XV. Iulii anni MDCCXXXIV definivit: *constare de Iosephi virtutibus in gradu heroico;* ac similiter triennio post die nempe VIII. Iunii anni MDCCXXXVII de duobus miraculis constare decrevit; nimirum de puero, qui a nativitate palpebras inter se adeo iunctas habebat, ut lucis usura ipsi perpetuo interclusa iudicaretur; implorata vero super eum Iosephi ope, oculos statim aperuit, perfectumque visionis sensum deinceps obtinuit; deque Iosepho Novello, qui quum gravissimo vulnere in genu sauciatus fuisset, invocato servi Dei nomine, momento temporis sanatus fuit. Et consequenter de ipsius pariter congregationis consilio idem praedecessor ad publicum cultum Iosepho indulgendum progressus est; qua de re expeditis apostolicis litteris die XIX. eiusdem mensis et anni, eius beatificationis solemnia in basilica Lateranensi celebrata fuerunt, aliaque religiosi cultus obsequia ad formam indultorum in eisdem litteris contentorum, ipsius beati viri memoriae summo fidelium studio fuerunt exhibita.

Altero autem biennio vix elapso, quum eidem Clementi praedecessori pro parte ministri generalis ordinis minorum s. Francisci capucinorum totius religionis suae nomine expositum fuisset, ipsius beati viri sanctitatem novis atque frequentibus miraculis a Deo illustrari, communibusque populorum votis atque etiam postulantibus cl. mem. Caroli VI. Hispaniarum catholici et Romanorum regis in imperatorem electi, nec non carissimorum in Christo filiorum nostrorum magnae Britanniae, Poloniae atque Sardiniae regum, aliorumque supremorum principum et magnatum, complurium praeterea s. r. e. cardinalium, antistitum, ecclesiarum atque universitatum expeti, ut de solemni eiusdem beati canonizatione iuxta ritum et praxim s. r. ecclesiae tandem ageretur; placuit eidem praedecessori, praefata congregatione approbante, pro huiusmodi causae reassumptione commissionem signare, et compilationem novorum processuum super indicatis miraculis post indultam Iosepho venerationem sequutis, auctoritate apostolica, nonnullis episcopis de more delegare.

Quorum processuum validitate approbata, nobis iam Dei voluntate in Petri cathedra sedentibus, sex potissima miracula in praefata s. r. congregatione iteratis vicibus rite discussa fuerunt; de quibus, postquam nos ipsi suffragia consultorum perlegimus et cardinalium praedictorum consilia audivimus, in congregatione generali coram nobis habita die XXII. Septembris anno MDCCXLIV nihil nos quidem tunc pronuntiavimus, sed invocato saepius divini luminis adiutorio, novisque diligentiis iussu nostro peractis, ut quaedam tollerentur difficultates

in animo nostro subortae, dum interim privatis studiis rem totam ad summum iudicii rigorem exigeremus, demum die I. Maii anni MDCCXLV. in festo ss. apostolorum Iacobi et Philippi, celebrata missa in basilica Lateranensi, publico decreto edito, infrascripta duo miracula tertii generis omni ex parte probata esse declaravimus.

Primum est consolidatio crurium et femorum pueri Iosephi Dionysii, qui inferiora huiusmodi membra adeo debilia et flaccida ab utero matris attulerat, ut iis nullo modo corpus sustentare posset; quinimmo quum eorum membrorum carnes, linteoli ritu quaquaversum complicarentur, ossibus ea carere omnino putabantur: hunc mater biennii iam aetate nihil proficientem ad aram adduxit, sub qua beati Iosephi corpus requiescit; cumque omnipotentem Deum pro deplorata filii sanitate per ipsius beati merita cum lacrymis exorasset, exaudita est oratio eius, ita ut puerum inde pedibus suis incedentem domum reduxerit.

Alterum est sanatio Antoniae Morelliae, cui congesta tabes in sinistra thoracis regione interiora viscera adeo infecerat, ut licet chirurgi manu externus humori hiatus apertus fuerit, attamen non ex eo solum, sed saepe etiam ex aegrotantis ore sanies mixta sanguine alternatim fluere perrexerit; assiduusque dolor cum tussi et febri, hecticam mulierem biennio toto afflictam detenuerit; vulnus autem, contracto callo, in fistulam degeneravit, ex qua spiritus per respirationem pectore exceptus adeo libere permeabat, ut aliquando candelae flammam extingueret. In hoc desperato valetudinis statu, quum oleo ex lampade ante corpus b. Iosephi ardente fistulae labia inuncta fuissent, unius noctis spatio fistula evanuit, abscessit febris et dolor, tussis cessavit, color viresque redierunt, atque integra et perseverans valetudo mulieri est restituta.

His igitur probatis, quum in praefata s. r. congregatione coram nobis coacta die III. Augusti eiusdem anni MDCCXLV. proposita fuerit quaestio, an tuto procedi posset ad solemnem b. Iosephi canonizationem, nemini dubium fuit, quia iuxta praxim apostolicae sedis et praedecessorum nostrorum decreta, omnia iam ad huiusmodi effectum abunde suppeterent; nosque ipsi demum die XVII. eiusdem mensis et anni in anniversario assumptionis nostrae solemne decretum edidimus de eadem canonizatione, servatis servandis, quandocumque peragenda.

Pro cuius decreti executione, quum praedictorum supremorum principum et antistitum ac populorum vota, demissaeque ordinis praedicti fratrum minorum capucinorum preces nos urgere non desisterent, tandem communicato consilio cum universo collegio ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium in consistorio secreto die XVIII. elapsi mensis Aprilis coram nobis congregatorum, eorumque assensu accepto, complures ven. fratres archiepiscopos et episcopos ex tota fere Italia ad gravissimum consilium advocavimus, eorumque iudicio totam huius causae seriem, atque omnia quae de virtutibus et miraculis b. Iosephi probata fuerant, tum oretenus in consistorio pu-

blico coram nobis habito, in quo dilectus filius Philippus Maria Pirellius aulae nostrae consistorialis advocatus ipsius b. causam peroravit, tum etiam in scriptis exponi mandavimus, tradita nempe singulis distincta praemissorum omnium relatione, ex authenticis monumentis praefatae congr. sacr. rituum religiose desumpta. Quibus praemissis, aliud consistorium die XIII. labentis mensis Iunii coëgimus, in quo praeter ven. fratres nostros s. r. e. cardinales praedictos quoque patriarchas, archiepiscopos et episcopos in romana curia praesentes sedere iussimus, atque adstantibus apostolicae sedis notariis, et duobus antiquioribus causarum palatii nostri auditoribus, super expetita b. Iosephi praedicti canonizatione sententias dicere. Cumque omnes ad unum pro suprema ipsius beati glorificatione non assensum modo suum solidis rationibus confirmatum, sed enixa etiam studia et vota sua declarassent ; nos quidem ea de re a praedictis apostolicae sedis notariis publica instrumenta confici, ac praeterea prolatorum suffragiorum exempla, a singulis subscripta, colligi et in tabularium ecclesiae romanae inferri mandavimus; veruntamen antequam ad ferendam huiusmodi definitivam sententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium ieiuniorum diebus designatisque ad supplicationes ecclesiis cum indulgentia ab iis consequenda, qui suas cum nostris obsecrationibus inngerent, publicas ecclesiae preces apud Deum Patrem luminum interponere curavimus, ut ad dirigendos sensus nostros iuxta viam suam gratiae suae auxilium nobis non denegaret.

Tandem hac die beatorum apostolorum Petri et Pauli triumphis decorata, in basilica Vaticana ad quam solemni ritu nos praecesserunt omnes cleri saecularis et regularis ordines, omnia magistratuum et officialium romanae curiae collegia cum praedictis ven. fratribus nostris s. r. e. cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ecclesiasticum conventum celebrantes antequam sacra mysteria conficeremus, exhibitis nobis iterum iterumque a dilecto filio nostro Ioachimo, tituli ss. Quatuor Coronatorum presbytero s. r. e. cardinali Portocarero nuncupato, per organum dilecti filii Virgilii Montecatini, consistorialis aulae nostrae advocati, praedictorum christianorum principum, ecclesiarum et populorum postulationibus ac votis pro ipsius b. Iosephi a Leonissa, quemadmodum etiam pro beatorum Fidelis a Sigmaringa, Camilli de Lellis, Petri Regalati et Catharinae de Riccis solemni canonizatione, implorata prius caelestium spirituum et ss. omnium intercessione, atque invocato paraclyto Spiritu ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, ac de concessa humilitati nostrae apostolicae auctoritatis plenitudine, ipsum b. Iosephum ordinis minorum capucinorum sacerdotem, omnium christianarum virtutum laude plurimorumque miraculorum gloria, maturo nostro et adstantium fratrum nostrorum iudicio cumulatissimum, una cum praefatis Fideli, Camillo, Petro et Catharina sanctum esse decrevimus et definivimus, ac sanctorum catalogo adscripsimus, eiusque me-

moriam quam in subsequuta missae celebratione nos ipsi solemniter venerati sumus, ab universa ecclesia quotannis die IV. Februarii religiose coli mandavimus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Omnibus quoque Christi fidelibus ad tantae solemnitatis celebritatem congregatis, plenariam, his vero qui singulis annis praedicta die ad eiusdem sancti corpus venerandum accessissent, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam, in forma ecclesiae consueta misericorditer in Domino largiti fuimus.

Gaudeant igitur in Domino universae familiae gentium, et in vocibus exultationis iubilent Deo, qui ecclesiam suam perpetua miseratione custodiens, praeclaris eam sanctorum exemplis quotidie instruere, meritis atque praesidiis roborare non desinit; ut quibus per Filium suum sanctissima vitae documenta tradidit, amplissimamque caelestis regni haereditatem promisit, iisdem per sanctos suos nova ad currendam salutis viam incitamenta, novam semper attingendae metae fiduciam praebeat, ipso adiuvante et donante, qui est iustitia et sanctificatio et redemptio nostra, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

Ut autem praemissa omnia ad universae per orbem ecclesiae notitiam perducantur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus ad Dei gloriam et fidelium eruditionem indeficiens perseveret, nos ea praesentibus apostolicis litteris complecti et roborare voluimus, mandantes ut harum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici suscriptis etc. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae MDCCXLVI. III. kalendas Iulii pontificatus nostri anno VI.

Ego Benedictus catholicae ecclesiae episcopus.

Ego T. episcopus Ostien. et Veliternen. card. Rufus decanus et s. r. e. vice-cancellarius.

Ego A. episcopus Portuensis card. s. Clementis s. r. e. camerarius.

Ego V. episcopus Praenestinus card. Petra maior poenitentiarius.

Ego P. A. episcopus Albanen. card. Carafa.

Ego I. episcopus Tusculanus card. Accorambonus.

Ego V. episcopus Sabinen. card. Bichius.

*

*

*

*

*

*

Ego Nicolaus Maria tit. s. Petri ad vincula presbyter cardinalis Lercari.

*

*

*

Ego F. tituli s. Mariae Transtyberim presbyter card. Burghesius.
Ego A. tit. s. Stephani in Monte Coelio presbyter card. Gentili.
Ego Fr. I. A. tituli ss. Silvestri et Martini presbyter card. Guadagni.
Ego D. tit. basilicae ss. XII Apostolorum pres. card. Rivera.
Ego I. B. titul. s. Mariae angelorum presbyter card. Spinula.
*
*
*
*
Ego R. tit. s. Sabinae presbyter card. de Ileio.
*
*
Ego D. tit. s. Bernardi ad Thermas presbyter card. Passioneus.
Ego S. tit. s. Priscae presbyter card. Valenti.
*
Ego I. I. tit. ss. Quatuor Coronatorum presbyter card. Portocarrero.
*
Ego C. A. tit. s. Mariae de Pace presbyter card. Cavalchinus.
*
*
*
Ego F. tit. s. Pancratii presbyter card. Lantes.
*
*
*
Ego F. tit. s. Mariae de Populo presbyter card. de Riccis.
Ego A. tit. s. Silvestri in Capite presbyter card. Rufus.
*
Ego P. tit. s. Agnetis extra muros presbyter card. de Montibus.
Ego F. tit. s. Matthaei in Merulana presbyter card. Tamburini.
Ego I. tituli s. Crucis in Hierusalem presbyter card. Besotius.
*
*
*
*
*
*
*
Ego Alexander s. Mariae ad Martyres diaconus card. Albanus.
Ego Nerius s. Eustachii diaconus card. Corsinus.
Ego Agapitus s. Agathae diaconus card. Mosca.
*
*
Ego C. s. Mariae in Porticu diaconus card. Sacripantes.

Ego M. ss. Cosmae et Damiani diaconus card. Bolognettus.
Ego H. S. s. Angeli in Foro piscium diaconus card. Columna.
Ego P. s. Georgii in Velabro diaconus card. Columna.
Ego A. s. Mariae in Aquiro diaconus card. Ianari.
Ego H. s. Adriani diaconus card. Bardi.
Ego D. ss. Viti et Modesti diaconus card. Ursinus.
*

D. Cardin. Passioneus.

I. Datarius.

LIX. S. Iosephi scripta sunt *praeparationes ad bene vivendum* Romae anno MDCII. et opusculum *de protestationibus frequenter praestandis ab iis, qui piae morti obeundae se praeparant*, anno MDCX. Brixiae. Obiit inter eos Tridenti eximia vitae sanctitate et doctrina praestans Franciscus ex comitum Longronii stirpe in Hispania ortus, antea inter equites s. Iacobi cooptatus. In Italiam adveniens adscriptus fuit provinciae Brixiensi; reliquit a se ms. *manuale plurimarum orationum de passione Domini et de beata virgine Maria.* — Innocentia morum decoratus Venetiis et occubuit Michaël Angelus, Venetus item capucinus, variorum operum auctor. Cultor eximius beatae Virginis *regulam* edidit *pro confratribus sodalitatis de puritate beatae Virginis a se institutae*, teste Petro de Alva, qui dicit eam fuisse *regulam pro sodalitate immaculatae conceptionis s. Laurentii in Damaso.* Eius est *fasciculus mirrhae quadraginta meditationum de passione Domini*, Venetiis editus anno MDCVIII apud Marcum Gueriscum, et *fasciculus rosarum variorum exercitiorum spiritualium*, iisdem typis anno MDCX. impressus. Post sui obitum variis miraculis inclaruit de quibus Boverius.

Sbaralea in suppl. ad script. ord. lit. F.

Idem ibid. lit. M.

Boverius t. II. p.

LX. Die ultima Decembris ex hac vita migravit Franciscus de Sanctis Segobiensis, qui primo adscriptus inter fratres Trinitarios, maioris perfectionis gratia postea habitum induit discalceatorum in provincia s. Pauli. Ieiuniis et assiduis precibus vacabat. Zelo animarum salvandarum actus, concionatoris munus suscepit. Romam nudis pedibus migravit, et Neapolim adveniens, eloquio suo praestanti urbem illam frequentissimam ita commovit, ut multorum salutis causa extiterit. In suam provinciam reversus, saepe guardiani et definitoris officia explevit, ac tandem commissarius delectus, in Legionensi s. Froylami conventu sancte occubuit. Eius funus pie celebrarunt et Legionensis episcopus et ceteri regularium praelati. Scripsit, at non edidit *commentaria* in *evangelium s. Ioannis*, quae mscr. adservantur Matriti in s. Bernardini coenobio.

Wadd. et Sbaral. lit. F.

LXI. Obiit die XVI. Novembris Iannes Franciscus Bonus Regiensis provinciae Bononiensis minorita conventualis, humanioribus litteris et poesi latina et italica clarus. Scripsit *in laudem expositionis V. psalmi poenitentialis Friderici Beregrini Bononiensis carmina versusque* italice, qui habentur in exordio dictae expositionis, vulgatae anno MDLXXXVII. Bononiae typis Ioannis Rubei et Sixto V. pontifici

Ibidem lit. I.

dicatae, ex quorum initio deducitur eum scripsisse etiam versus in laudem eiusdem Sixti; in eo enim canit

Fregiar tentai, benchè per sè sì fregi,
Il gran Pastor del mondo e i suoi gran pregi.

Suum est etiam epigramma in laudem operis Ludovici Chartharii, philosophi Bononiensis, *de primis principiis logicam constituentibus* editum anno MDLXXXVII. Bononiae. Alia eius epigrammata leguntur in fronte opusculi Iulii Gemelli *de XII mirabilibus gyris* etc. editi ibidem anno MDXCII. Alia etiam scripsit, nimirum *in obitu Gabrielis Bosii Regiensis elegiacas lamentationes et alia,* impressa anno emortuali eius Bosii. Alterum epigramma legitur in fronte *conformitatum s. Francisci* anno MDXC. Bononiae editarum. Est eius opus *tiresias in promotione fr. Felicis Centini conventualis min. ad cardinalatum.* Parmae anno MDCXI. praelo H. H. Viotti edidit *carmen heroicum.* Scripsit etiam *carmen elegiacum in ortum principis Hetruriae,* seu *natalitia principis Hetruriae,* et alterum opus *de laudibus Villae Arientinae* in agro Ferrariensi.

LXII. Stephanus Verdelete ex oppido de Denia hispanus, diu incola provinciae observantium Guatemalae in America occidentali, Beristain lit. V. in Hispaniam reversus obtulit Philippo III. regi opus, cuius titulus *noticias de la provincia de Teguzigalpa o Teguzalpa* eo fine, ut evangelii praecones in hanc regionem Guatemalae conterminam mitteret. Ex regis mandato cuncta eidem suppeditata fuere. Verum ut illuc advenit, a furentibus Indis aggressus una cum sociis sub eorum manibus Ianuario mense vitam cum morte commutavit. — Die IV. Iulii obiit et inter eos Angelus Santini Florentinus, qui scripsit vernacula Sbaral. lit. A. lingua *tumbam fratrum sui ordinis defunctorum maiorem, et tumbam eorumdem fratrum minorem.* In iis notantur nomina et acta ipsorum fratrum ab anno MCDLXXX. ad annum MDCXII. Scribit Terrinca in theatro hetrusco part. 3. tit. 1. serm. 4. opus asservari in coenobio omnium Sanctorum Florentiae, ubi auctor decessit. Opus continuavit usque ad annum MDCLXIX. Seraphinus a Prato eiusdem instituti. Occubuit postremo Bartholomaeus Georgi sive a s. Georgio in provincia Marchiae, ab anno MDCV. episcopus Pisaurensis et in sua cathedrali ecclesia sepultus. Extat in bibliotheca Vaticana Urbinatensi eius opus sic inscriptum: *fr. Bortholomaei episcopi Pisaurensis sermones XX. italica lingua in hymnum ab ecclesia in defunctorum missa recitari solitum,* qui incipit: *Dies irae dies illa* etc.

LXIII. In conventu s. Antonii Granatae Hieronymus de Gama hispanus tertii ordinis moderator provinciae Andalusiae, misit ad supremum ordinis ministrum *epistolam excusatoriam et defensoriam anno MDCXII. calendis Februarii,* in qua rationes aperit, ob quas iidem Bordonius cap. 10. n. 27. fratres in Hispaniarum regno degentes inducti fuerunt ad quaerendam cum Italis eiusdem instituti unionem sub unico generali admi-

nistro. — Lupus Felix de Vega ex tertio saecularium ordine Salman-
Sbaral. lit. L. ticae apud Antonium Ramirez edidit *soliloquia IV. peccatoris conversi.*

LXIV. In capucinorum familia litteris praestans, bonis moribus et concionandi virtute clarior erat Franciscus Regiensis ex gente Man-
Sbaral. lit. F. freda, qui sequentia hoc anno Bononiae vulgavit, nimirum *carmina varia et elegias in ortu magni principis Hetruriae* Ferdinandi, et *poema elegans et pulcherrimum de laudibus Villae Arietinae ad serenissimum ducem Parmensem.* Haec duo opuscula, ut diximus, tribuuntur etiam Ioanni Francisco Bono Regiensi minoritae conventuali.

Eumdem ordinem illustrabat hoc tempore Hyacinthus a Casale, Montisferrati ex nobili familia de Natta ortus. Postquam studiis vacasset Ticini, Salamanticae et Bononiae lauream que in utroque iure
Idem ibid. lit. H. obtinuisset, anno aetatis suae XXV. Venetiis capucinorum instituto adscriptus, doctissimi et eruditissimi theologi famam sibi comparavit.

Sane vir sui temporis maxime insignis, quem non modo acre ingenium et prompta eloquentia, sed quod plurimum societati humanae prodesse solet, spectata fides et vitae integritas imprimis commendabant; quamobrem Gregorius XV. eum in maximis rerum perturbationibus nuncium s. sedis ad principes catholicos saepius destinabat. Quo in munere tanta prudentia atque vigilantia negotia catholica curabat, ut s. sedis apostolicae adprobationem meruerit. Principes saepe eo induxerat, ut postpositis privatis rationibus, publicae tranquillitati et sanctae religioni inservierint. Ex multis epistolis curiae pontificiae, quae de illo loquuntur, unas Gregorii XV. archiepiscopis, principibus Germaniae electoribus, inscriptas hic exhibemus.

Venerabilibus fratribus Ioanni Svicando Moguntino, Ferdinando Coloniensi et Lothario Trevirensi archiepiscopis, romani imperii principibus electoribus.

Gregorius PP. XV.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem. Catholicae religioni inter haereticorum factiones periclitanti, satis firmum fuisse in vestra pietate atque auctoritate praesidium, Germania nuper in ipso rerum discrimine satis feliciter experta est. Quare etsi nos in iis excubiis, quas in illustri ista statione ab exercituum Deo con-
Archiv. vatic. secret. Gregorii XV. Epistolae ad princip. viros fol. 2. stituti vigilanter agitis, possemus securi conquiescere, tamen culpa omnino vacare nos non arbitraremur, nisi paternae nostrae in Germaniam voluntatis testem atque obsidem pastoralem nostram sollicitudinem exhiberemus; simul et divina beneficia non sinunt gratos animos cessatione torpere, sed cum imperator mortalium Deus in victoriis Bohemiae atque Ungariae signum aliquod ad bene sperandum substulisse videatur, omni ope atque consilio providendum est, ne germanicis principibus ad religionis et imperii dignitatem asserendam non vires, quibus haereticos perduelles pene profligastis, sed

consensus atque constantia defuisse videatur: nos ideo de vestra tranquillitate solliciti frequentibus precibus sacrificiisque non desistimus vobis miserantis Dei benevolentiam conciliare. Porro autem apostolicis litteris Germaniae proceres cohortati sumus et quantum per pontificii aerarii angustias licet, pecuniae copiarumque subsidiis publicae causae inservimus. Nunc vero dilectum filium fratrem Hyacinthum Casalensem, capucinum, virum rerum germanicarum peritum, vitae sanctimonia atque eloquentiae gloria insignem isthuc allegamus, ut catholici principes Dei iubentis auctoritatem et pontificis admonentis cohortationes, religioso viro referente, libentius audiatis. Ei, quam nobis loquentibus, fidem haberi postulamus a fraternitatibus vestris, quo optimi viri consiliis opitulantes et Germaniae causam agetis et vosmet ipsos immortali gloria decorabitis, quos dignitatis suae statores iuriumque propugnatores catholica respublica nuncupabit. Nos vero plurimi virtutem vestram facientes vobis iterum apostolica auctoritate benedicimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris die XXV. Iunii MDCXXI. pontificatus nostri anno primo.

Eius in dicendo miram efficaciam extollit etiam Alexander Tassonius in opere *pensieri diversi* lib. 10. cap. 15. dicens conciones habuisse Caesenae, Brixiae, Placentiae, Mediolani alibique. De eo sic habet prae caeteris Ardinghellus libro *congeminatae vocis turturis* ostens. 4. de vinea s. Francisci: *p. fr. Hyacinthus Casalensis a Gregorio XV. ad omnes christiani orbis principes nuncius destinatus*, illud assecutus est *a Caesare, ne ullo modo* (pax) *cum Palatinatu concluderetur; inde tot praeclarae reportatae victoriae; inde calvinismi ex imperio expulsio.* Praeter conciones *quadragesimales* est eius *oratio in laudem s. Caroli Borromaei*, Mediolani habita in principe ecclesia die IV. Novembris decurrentis anni. Idem ibid. lit. H. — Marianus ab Alcamo, item capucinus, vulgavit Panormi typis Augustini Orlandi et Dec. Grilli *labyrinthum beatae virginis Mariae et poemata varia et devotissima in laudem b. virginis Mariae.* Wadd. et Sbar. lit. M. — Edidit italice Romae apud Iacobum Mascardum Mactius Cavensis ex provincia Neapolitana librum *de significatis sacrificii missae.* — Postremus ex eodem ordine fuit Valerius, qui vernacule scripsit et Venetiis vulgavit prelo Floravantis Prati *pratum floridum variorum exemplorum in duas partes et libros undecim divisum.* Idem lit. V.

LXV. Qui sequuntur inclarebant apud minoritas de observantia. Venetiis edidit sermone italico Bernardus Iordani, forte ea in civitate natus, *opusculum de chordigeris s. Francisci.* Sbaral. lit. B. — Ioannes Picardus iunior Aurelianensis Coloniae vulgavit *divi Anselmi archiepiscopi Cantuariensis opera notis illustrata et aliquot notis opusculis aucta.* Idem lit. I. — Prelo Gasparis Grispoldi lucem aspexit Venetiis *arbor magna* ac tabula, concinnata a Ioanne Placentino theologo ac historiographo hoc titulo: *Sacrosancta Iesu Cristi redemptoris nostri Deiparaeque virginis Mariae genealogia, gentiumque regnorum et monarchiarum origo ab Adam ad Christum usque.* Idem lit. I. Eam auctor nuncupavit Marino Georgio episcopo Brixiano. In epi-

stola ad lectorem *arbori* memoratae praemissa sequentia opera confecisse ac in lucem daturum se promisisse fatetur, nimirum, *concordantiam trium statuum mundi, in qua divina sacrae scripturae arcana et numerorum ac generationum mysteria* etc. *enucleantur, et libellum declaratorium, in quo multae historiarum observationes, ordo supputandi sex aetates mundi* etc. *continentur.* — Ludovicus de Miranda Vallisoletanus, provinciae s. Iacobi minister, a secretis ordinis et procurator generalis, Romae vulgavit in IV tomos *manuale* seu *directorium praelatorum regularium.* In opere agitur de origine, progressu ac dilatatione omnium religionum et via aperitur ad instituendos novitios et professos, ut ad dignitates ordinis deducantur, et interim quae ad praelatos pertinent, recensentur. — Caesaraugustae apud Ioannem de Lanaia Ludovicus de Quiros, ex eadem provincia s. Iacobi et Canariae minister, edidit librum *de origine et miraculis imaginis seu simulacri Christi crucifixi coenobii Lavinae ordinis minorum Insulae Tanarifae.* Operi adiecit *catalogum eorum, qui primitus fidem catholicam seminarunt in Insulis Canariensibus.* — Nicolaus Gazzaeus Atrebatensis Antverpiae prelo commisit librum, cuius titulus *incendium animae devotae.* — Cracoviae Vincentius Morawski Polonus publici iuris fecit *vitam b. Ladislai Gielnovi Poloni eiusdem instituti,* tribus libris distinctam.

Wadd. et Sbaral. lit. L.

Idem lit. L.

Sbaral. lit. N.

Idem lit. V.

LXVI. Ex eodem instituto fuit Franciscus Pareza ex oppido Aunon Toletanae dioecesis in Hispania, provinciae s. Helenae in Florida minister, Mexici edidit *confessionarium* sive *methodum confitendi.* — Franciscus Tirado ex provincia Aragoniae vulgavit idiomate hispano *artem bene moriendi.* — Parisiis Guilielmus Gallus provinciae Aquitaniae gallice prelo commisit egregium opus *de signis electorum.* — Linus Moronus, provinciae Florentinae minister, Florentiae typis mandavit *descriptionem Montis Alverniae in Hetruria celeberrimi cum iconibus docta manu aere incisis.* — Tolosae apud viduam Iacobi Coloniers Nicolaus Albaspina gallico idiomate a se scripta edidit *commentaria in regulam et vitam s. Francisci.* Vir erat latina et graeca lingua peritus, in dicendo promptus, in scribendo facilis; at aliquantulum inconstans in suis agendis; modo enim ad laxiorem, modo vero ad strictiorem observantiae normam deflexit. — Amator a s. Anna Lusitanus, provinciae s. Thomae in India orientali alumnus, pro usu Brachmanensium in eorum idioma transtulit opus inscriptum *flos sanctorum* ibidemque vulgavit. — Hispali Emmanuel Alconchel, discalceatus provinciae s. Gabrielis, edidit *tractatum de oratione mentali, et regimen vitae spiritualis.* Sunt duo opuscula diversa.

Idem lit. F.

Wadd. lit. F.

Idem lit. G. Wadd. et

Sbaral. lit. L.

Wadd. lit. N.

Idem lit. A.

Wadd. et Sbaral. lit. E.

LXVII. Ad metropolitanam ecclesiam Montisrealis in Sicilia promotus est die XVIII. Iulii Archangelus a Messana, iam minister generalis ordinis; die IX. Ianuarii ad ecclesiam Sagien. Iacobus Suarez; Petrus Gonzalez de Mendoza iam archiepiscopus Granaten. transfertur ad ecclesiam metropolitanam Caesaraugustanam; die XVII. Septembris promotus est ad ecclesiam Cacerensem in Insulis Philippinis Petrus Mathias ex discalceatorum familia. Ea in dignitate con-

Sbaral. lit. M.

stitutus, in Maniliensi ecclesia habuit *orationem funebrem in exequiis Margaritae Austriacae Hispaniarum reginae* ibidem typis commissam cum *relatione funeris*. Antea designatus fuerat episcopus Cebuensis. Inter minores conventuales promotus est ad metropolitanam ecclesiam Ebredunensem die III. Septembris Guilielmus Hugoni iam supremus ordinis moderator; die XV. Septembris loco eius delectus est vicarius generalis Iacobus Montauari Balneocoballensis ex provincia Bononiensi. Benoffi p. 286. Procuratoris generalis munus obtinuit Augustinus a Castrofidardo Picenus: *Cum officium* die XV. Septembris. Hoc eodem anno Franciscus Luciani de Plumbino, inquisitor generalis Florentiae, in urbem Senarum ad id munus explendum amandatur.

LXVIII. Quaedam mandat summus pontifex. Revocat licentias ingrediendi monasteria monialium: *Monialium statui* die X. Iulii; ut abbatissae nonnisi post sexennium expletum ad id munus iterum admittantur: *His quae* die XIV. Augusti; ut non amoveantur fratres recollecti a coenobio Portus Pischi in provincia ss. XII Apostolorum Indiae occidentalis, precibus Ioannis Nunez custodis eorumdem fratrum: *Exponi nobis* die VII. Septembris; confirmat mandatum olim latum ab Archangelo Messanensi ministro generali, nunc archiepiscopo Montisregalis: *Alias* die XI. Septembris; ut fratres recollecti habeant unum definitorem in qualibet provincia Indiarum occidentalium: *Ex pastoralis* die XIII. Septembris; irritat electionem duorum generalium definitorum: *Cum sicut* die II. Octobris; ratum habet constitutionem Clementis VIII. *Decet romanum* die XX. Septembris an. MDCIII. qua statuitur, ut quotidie a fratribus discalceatis provinciae Arrabidorum missa conventualis, ad quam omnes convenire debent, celebretur: *Alias* die II. Octobris; iubet, ne extrahantur libri e bibliotheca conventus observantium Monopolitan.: *Cupientes* die XIX. Martii; similia iubet fratribus conventus observantium Urbis de Ecixa Hispalen. dioecesis, precibus fr. Francisci de Navarro: *Conservationi* die IV. Maii; confirmat concessiones largitas a Clemente VIII. *Religionis zelo* die XIII. Septembris anno MDC. ministro observantium provinciae Albaniae: *Religionis zelus* die XXI. Iunii; committit episcopo Pacensi causam legati relicti a Michaële Rubiano, antequam professionem emitteret inter fratres observantes: *Exponi nobis* die VIII. Decembris; aliqua etiam committit episcopo Neritonen. pro fratribus reformatis conventus s. Antimi eiusdem civitatis: *Pro fidelium* die XXI. Iulii.

LXIX. Aliqua indulget idem pontifex. Concedit Vincentio Salvatori minoritae de observantia degenti in custodia s. Antonii Brasiliae, ut studiorum emittendorum causa in Portugalliam se conferat: *Exponi nobis* die I. Octobris; ut Ludovicus a s. Ioanne Evangelista, licet fungatur officio commissarii generalis, vocem activam et passivam habeat in conciliis provincialibus ordinis: *Cum sicut* die IX. Ianuarii; ut minister provinciae Canariae aliquot s. Didaci reliquias accipiat ex ecclesia coenobii Coupluti, ubi sanctus carnis sarcinam deposuit: *Piis* die XX. Iunii; ut Antonius de Cicco conventualis tri-

buat centum scutata germanae suae nubendi causa: *Exponi nobis* die XIX. Iulii; ut Maria Magdalena a Cruce professa in monasterio s. Clarae Calaguritan. licet ex defectu aetatis munus abbatissae suscipiat: *Exponi nobis* die IV. Iulii; ut fratres conventus s. Francisci terrae Vallismontonis dioecesis Segniensis convertant quosdam censns in fabricam domus et sacrarii relictos a Maria de Anibalis: *Exponi nobis* die XXVIII. Iulii; ut Ioannes Nunez professus in provincia ss. XII Apostolorum valeat extrahere ss. reliquias ex ecclesiis de Urbe: *Piis ac devotis* die XI. Iulii; similia concedit Gabrieli Arias de Ribera commissario novae Cantabriae: *Piis ac devotis* die XXI. Iulii; item et Balthassari Maldonato concedit pro ecclesiis provinciae Mexicanae: *Piis ac devotis* die XV. Septembris. Idipsum et indulget pontifex Hieronymo Corubrono reformato: *Piis ac devotis* die III. Decembris.

LXX. Erigit idem summus pontifex archiconfraternitatem immaculatae Conceptionis in civitate Constantiensi et indulgentias largitur: *Piis christifidelium* die XXIX. Octobris, et eiusdem congregationis statuta confirmat: *Piis* die XXX. Octobris; confraternitatem animarum purgatorii in ecclesia s. Francisci observantium Canarien: *Cum sicut* die XXVII. Martii; confraternitatem conceptionis et s. Sebastiani in ecclesia parochiali b. Mariae oppidi Mespurgi Constantiensis dioecesis: *Cum in parochiali* die IX. Novembris; confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis de Cura Plebis Aliatae Mediolanen. dioecesis: *Cum sicut* die XVII. Augusti; concedit easdem indulgentias monialibus visitantibus septem altaria ecclesiae monasterii corporis Christi Bononiae, ac si ipsae visitarent septem altaria ecclesiae Principis apostolorum de urbe: *Ad augendam* die XXII. Decembris.

LXXI. Reliqua diplomata exscribimus ex Petro de Alva. Confirmatio conventus s. Mariae Carthaginen. in Indiis: *Ex commisso* die XXX. Augusti; cappellania conceptionis in ecclesia de Dola Bisuntin: *De salute* idibus Martii; indulgentia in ecclesia s. Didaci loci Fraticentis Syracusan.: *De salute* III. calendas Iunii; pro monasterio ss. Trinitatis clarissarum Bononien.: *Ex iniuncto* V. idus Iulii; confraternitas in ecclesia s. Francisci Calaguritan.: *De salute* V. calendas Februarii; pro monialibus clarissis Perusin.: *Ex iniuncto* VI. calendas Maii; pro monialibus clarissis s. Bernardi Bononien.: *Ex iniuncto* V. idus Octobris; pro ecclesia conceptionis in oppido de Aleches Malacitan. cum indulgentiis.: *De salute* calendis Iulii; pro monasterio clarissarum s. Mauritii Albingan.: *Ex iniuncto* VI. calendas Octobris; confraternitas conceptionis de Navalcarnero Toletan.: *De salute* calendis Novembris; altare conceptionis in ecclesia ss. Georgii et Ioanais Baptistae loci Castricerbii: *Apostolicae sedis* pridie nonas Maii; de monasterio s. Clarae ordinis s. Benedicti Ruben.: *Debitum* XV. calendas Iunii; indulgentia conceptionis in ecclesia terrae Mediolani Casertan.: *De salute* calendis Octobris; pro fratre Didaco de Fontineros tertii ordinis Hispalen.: *Ex parte* V. idus Iulii; constructio monasterii cla-

rissarum Biterren. *Debitum* pridie nonas Maii; pro monialibus oppidi de Valdemoro Toletan. *Decet.* III. nonas Maii; fundatio monasterii clarissarum Tutellen. *Debitum* IX. calendas Martii, indulgentia pro monasteriis monialium capucinarum in die de Portiuncula: *Ad augendam* die XXI. Iulii; monialibus s. Clarae Urbinaten. conceditur, quod possint habere denarios in communi, quatuor tunicas et comedere carnes: *Avendo la santità* die XXII. Ianuarii.

LXXII. Datis a ministro generali litteris mandatum fuit fratribus ultramontantanae familiae in Urbem advenientibus, ut subditi sint Roderico de Portillo, in romana curia generali ordinis procuratori.

Fr. Ioannis de Hierro, totius ordinis fratrum minorum s. Francisci generalis minister et servus, reverendo in christo patri fr. Roderico de Portillo, in hac romana curia ordinis procuratori generali, salutem.

Cum sicut accepimus, aliqui fratres ex ultramontana ad hanc cismontanam familiam sed praesertim Romam, venientes ad alios conventus quam hunc s. Mariae de Aracaeli absque tua facultate et licentia sese habitaturi contulerint, ex quo magna sequuntur et in dies sequentur inconvenientia, nec est minimum, quod, te nesciente, aliqua tractant negotia ad dictum nostrum ordinem conducentia: hinc est, quod huic malo providere cupientes, in primis praesentium tenore decernimus et declaramus, quod omnes patres et fratres ex dicta ultramontana ad hanc cismontanam familiam quomodolibet venientes et existentes, ratione tui muneris et officii, sint tibi subditi, tanquam vero eorum praelato, in dicto casu a nobis electo et constituto, unde omnibus eis praecipimus, ut a tua obedientia nullatenus discedant, sed sicut par est obediant; similiter et quod ad nullum alium, praeter hunc dictum, habitaturi divertant sine tua expressa et particulari licentia, quam etiam modo petere debent ii, qui ex dicta ultramontana familia in dictis conventibus quoquomodo extiterint. Insuper et in virtute sanctae obedientiae omnibus patribus guardianis praecipimus, ut sine tua tali licentia nullum in suis conventibus admittant, sed omnes ad tuam praesentiam remittant. De Gubernat. tom. I. p. 412

Datum Romae in hoc dicto conventu sanctae Mariae de Aracaeli XXX. Augusti anno MDCXII.

LXXIII. Paulus Sulmonensis, in cismontana familia commissarius generalis aliqua statuit pro confessariis monalium.

Fr. Paulus Sulmonensis ordinis minorum strictioris observantiae in cismontana familia generalis commissarius et servus, patribus provincialibus, guardianis et fratribus eiusdem familiae.

Pro observatione decreti s. congregationis praepositae negotiis episcoporum et regularium editi sub die V. Maii MDCX, non recedendo etiam a decretis per nos seu nostros antecessores ad eundem effectum factis, sed illa innovando ac quatenus opus sit ampliando, denuo statuimus et prohibemus, ne aedes et loca ad hospitii usum confessario- Idem ibid. tom. II. p. 687.

rum monialium extructa, ubi interdum tempore scilicet confessionum generalium ipsis confessariis cibum tantum sumere permittitur, sed nunquam pernoctare, ullatenus sint ipsis monasteriis annexa vel coniuncta, sed per aliquod conveniens intervallum ab ipsis distent. Et si ex alicuius ipsorum inopia, vel alia legitima causa id fieri minime licebit, superiores huiusmodi monasteriorum intra terminum unius mensis decurrendi a die notificationis huiusmodi decreti nos certiorent de causa huiusmodi impedimenti, ac illam nobis quamprimum probent; et interim, donec provideatur de alia habitatione separata, prout supra, claudantur omnino intra eumdem terminum dicti mensis, vel ad summum duorum, ac immurentur omnes rotae et crates, ita ut fenestrae nullae nec exiguae quidem insint, quae intra monasterium respondeant; et pariter claudantur etiam et immurentur quaecumque ostia, ex quibus pateat ingressus in ecclesiam a dictis hospitiis seu domibus confessariorum, ita quod nullus possint uti praedicto accessu, nisi per portam principalem eiusdem ecclesiae. Quod si aliqui superiores monasteriorum singulis praemissis intra dictum terminum non paruerint, vel legitimas causas impedimentorum nobis non assignaverint, ipso iure poenam privationis officiorum ac vocis activae et passivae incurrant, a qua non possint absolvi seu rehabilitari, nisi de sententia eiusdem sacrae congregationis.

Annal. min. ad ann. 1491. n. 1.

Et quia experientia compertum est, non expedire, ut guardiani tanquam superiores monasteriorum monialium nostri ordinis existentium in locis, ubi ipsi praesunt, possint ad illa accedere ad colloquendum cum ipsis monialibus absque licentia eiusdem s. congregationis, vel etiam ingredi eorum septa (in casibus tamen necessariis ac a iure permissis) ad occurrendum absurdis, quae oriri possunt ex facilitate huiusmodi colloquiorum, ideo hoc omnino eis interdicimus sub eisdem poenis, de quibus supra; volentes quod id tantum permissum sit ministris provincialibus quoad monasteria in eorum provinciis respective existentia; qui tamen minus frequenter, quam fieri poterit, utantur dicta facultate et nonnisi legitima et urgente causa, onerantes in hoc eorum conscientias.

Cúrent vero provinciales, ut decretum s. congregationis, de quo supra, in omnibus locis nostrae familiae asservetur, et in refectione coram fratribus legatur, cum hoc ipsum legi contingerit, ne ignorantiae praetextu quispiam se excusare possit, et iis poenis quas s. congregatio decrevit transgressores se subiectos intelligant.

Datum Mediolani die XX. Novembris MDCXII.

LXXIV. Vulgatum fuit hoc anno Venetiis typis Baretii epithaphium Evangelistae Baliani de Perusio defuncti anno MDCXCIV. in coenobio Ragusii, relatum a Marco Ulyssiponensi chronic. s. Francisci part. 3. lib. 7. cap. 25. Nos ad historiae integritatem hoc loco ponimus.

Bellarum soboles, Perusinaque, quem penes omnis
Regula lustrandae religionis erat;
Qui docuit populos, Evangelista beatus,
Ragusinum moriens consecrat hospes humum.
Cumque piis precibus passim miracula praestet
Dat quoque reliquiis uberiora suis.

LXXV. Quorumdam venerabilium fratrum et sororum corpora elevantur et honestantur. Ambrosius Silva de Iesu, minister provinciae Lusitaniae, hoc tempore amovit corpus b. Zachariae s. Francisci socii ab altare sacelli maioris ecclesiae Alanquerii intulitque ad dextrum eiusdem altaris latus a se praeparatum et exornatum. Illud deaurata crate ferrea et seris munivit. Sacrae item exuviae b. Matthaei Agrigentini episcopi, quae ab anno MCDLI. vetusto in loco sepositae fuerant, hoc eodem anno occlusae sunt nobiliori in tumulo in ecclesia observantium s. Mariae de Iesu Panormi. Cum autem suavem odorem spirarent omnes circumstantes recreabant. Tunc temporis Antonius Quatrelus puer octennis leprosus, filius Vincentii item leprosi, in arculam veterem missus, exsiccata lepra, mundus evasit. Multa et alia patravit beatus, ut occurrenti patet ex tabellis et donariis ibidem appensis. — Adstantibus Matthaeo de Montoya, coenobii s. Francisci Tudelae in provincia Burgensi guardiano, Andrea de Medina concionatore et Ioanne de Olasso familiari sacrae inquisitionis, corpus b. Gerardini de Sancto, anno MCDXXXIII. ibidem defuncti, e priori loco translatum ad cornu epistolae, sepositum fuit in capsa deaurata ad altitudinem decem vel undecim pedum mense Augusto decurrente.

(Annal. min. ad ann. 1222. n. 41.; Annal. min. ad ann. 1451. n. 42.; Annal. min. ad ann. 1567. n. 30.)

LXXVI. Inspectum fuit etiam corpus s. Elisabeth reginae Portugalliae, inlatum anno MCCCXXXVI. in monasterium s. Clarae, cuius habitum induerat Conimbriae. Rem sic describit p. Lucas Waddingus testis de visu. « Ultra omnia, inquit, me commovit integri et incorrupti corporis [s. Elisabeth] inventio et sacri pignoris speciosum perpetuumque miraculum. Ibi tunc eram quando iudices cum multis gravissimis viris ad sepulcrum venientes, illud coram peritissimis medicis chirurgisque aperiri fecerunt anno MDCXII. die XXVII. Martii. Ablato itaque marmoreo mausolei operimento, intrinsecus capsa e pretioso ligno fabrefacta corioque bubalo ad aeternitatem convestita, sacratissimum cadaver, lineis involucris bissinaque sindone gemina coopertum, serico velo faciem tegente, includebat. Vestem thorace tenus cum magna reverentia educentes medici, corpus succosum, candidum, integrum, firmum et tractabile repererunt; iam vero faciem ipsam quotquot aderant inter hilares lacrymarum rivos non poterant non mirari dormienti non absimilem, laetam, affabilem, compositam, materna adhuc pietate plenam, pristino candore vivacissimoque rubore de morte ipsa per annos fere CCLXXX. triumphantem. Aderant viae comites et immortalitatis participes baculus et crumena quondam ab archiepiscopo Compostellano reginae data peregrinationis et pietatis gloriosa insignia, quae abbatissae et monialium sunt deputata custodiae ».

(Annal. min. ad ann. 1336. n. 26.)

Acta ss. ad diem 7 Iunii inter praetermissos.

LXXVII. In ecclesia monasterii s. Clarae Narniae in provincia Umbriae repertum fuit integrum et flexibile corpus Firminiae Caesiae olim monasterii abbatissae, quae ibidem obiit die VII. Iunii anno MDLXVII. cum sanctitatis opinione. Eius vitam, quae mss. in eodem monasterio adservatur una cum actibus pro incohanda sua canonizatione scripsit Catharina Herula, illius monasterii monialis.

Acta ss. ad diem 5 Iulii p. 760.

LXXVIII. Beatae Cunegundis patrocinio libera evasit a phtisi et rectum gressum obtinuit Catharina puella Stanislai Zlecki, a nativitate iisdem morbis affecta. Manus et pedes contortos habens Hedwigis Widzowa, incola Neosandecensis, integram sanitatem recuperavit precibus a marito eidem beatae effusis. Voto eidem beatae emisso, incolumis et evasit a confractis et intortis manibus, quibus affictabatur, Dorothea Simonis de Sterzeskyn uxor. A calculi cruciatibus per reliquum vitae suae tempus immunis fuit Iacobus Vistalicius, parochus ecclesiae Wanowicensis, per votum factum ad beatam a circumstantibus fidelibus, qui praesto erant in eius infirmitate.

Flaminius a Parma tom. I. p. 195.

LXXIX. In ecclesia monasterii clarissarum corporis Christi Ferrariae positum fuit sequens monumentum Camillae Catharinae Gonzaga ibidem defunctae.

D. O. M.
CAMILLAE CATHARINAE GONZAGAE
MONBARILLI MARCHIONISSAE
INCONSTANTI FATO
MANTVAE DVCISSAE
MOX SANCTAE CLARAE HABITV INDVTAE
OMNIVM VIRTVTVM EXEMPLVM
MORTALIBVS SE PRAEBENTI
AC DEMVM INTER HAEC SACRA MOENIA
FLANTEM REFLANTEM FORTVNAM
PARI ANIMO SVSTINENTI
CATHARINA ADELAIDA
NECNON ELENA CAMILLA NEPTES
VT DEFVNCTA AVIA FAMA PERVIVERET
MOERENTES POSVERE
ANNO DNI MDCXII. DIE XIV. IVLII.

Bzovius l. c. ad hunc annum.

LXXX. Hoc anno cura Itelii Friderici comitisZollerani, et imprimis p. Francisci Lauadini, capucini, natione hyberni, Coloniae Agrippinae in ecclesia capucinorum erecta est *confraternitas* s. Crucis in honorem passionis domini nostri Iesu Christi crucifixi, cuius finis erat eos, qui ab haeresi ad catholicam fidem educti fuerint, beneficentia et favore virorum principum iuvare. Eam Paulus V. anno proxime sequenti edito diplomate confirmavit.

ARGUMENTUM

Persecutio ecclesiae catholicae in Iaponia. Ludovicus Sotelus ab Idate Voxuani Iaponum regis orator mittitur ad summum pontificem. Missiones observantium ac capucinorum notantur et fratrum recollectorum labores in urbe Annoniaci. Aliqua recollectis iubet romanus pontifex ac Fabritius Verallus cardinalis ordinis viceprotonus ordinis decorem promovet minister generalis. Augetur domorum numerus. Pie occumbunt sacrae virgines et viri Dei. Plures doctrina inclarent, vitaeque sanctitate emicat Laurentius a Brundusio capucinus. Episcopi instituntur. Capucini habent generale capitulum. Minores observantes vicarium generalem obtinent loco Ioannis de Hierro, supremi ordinis moderatoris mox defuncti. Summi pontificis mandata et indulta recensentur.

I. Ab annis duodecim, favente Daifuzama imperatore, ita catholica fides apud Iapones florebat, ut earumdem pacne gentium conversio cito perficienda videretur. Testis est Didacus a s. Francisco ex discalceatorum familia diu inter eos diversatus, qui in *historia martyrum Iaponensium* sexaginta incolarum millia in regno Arimae sacrum baptisma suscepisse tradit, et plura diversorum ordinum coenobia et ecclesias et pro infirmis valetudinaria enumerat. Saevit tamen extemplo in urbe de Yendo eiusdem regni tum in illius vineae cultores, tum in ceteros christianos persecutio. Ea in franciscanos potissimum exordium sumpsit ob aedis structuram, quam pro suis aptaverat extra eam civitatem Ludovicus Sotelus, Iaponensium ab anno MDCI. apostolus, ubi et sacrum concionesque habebat. Cum autem bonzorum consilio idem Daifuzama illam dirui iussisset, mortis etiam legem contra fratres ac fidei christianae professores tulit. Hinc die XVI. Augusti capitis sententiam laeti subiere XXVIII pii viri, qui ab eodem Ludovico adscripti fuerant tertio minorum saecularium ordini. Vinculis etiam detinebatur et ipse Ludovicus, mortem cito indubie subiturus, nisi ab Idate Masamune, rege Voxui in religione christiana ab eomet edocto, ab illa aerumna liberaretur.

Martinez lib. III. p. 112.

Iuvencius part. V. p. 642.

Martinez ibid.

II. Ecclesiae Iaponensis huius anni statum paucis delineat beatus Richardus a s. Anna, ibidem missionarius, in sua ad fratres Hispanos epistola anno sequente scripta, quam ex laudato Bzovii *Annalium eccles tomo XXIV.* msscr. hic adferimus.

Bzovius l. c.

« Messis multa, operarii pauci, etiamsi plagae illius Europae ministri omnes evangelici ad hanc transvolare possent. Nam regna, populos, nationes harum partium nullus capit humanus intellectus. Quare aliqua tantum ex eis hic enumerabo. Regnum Iaponiae, in quo nunc sum minister evangelii, sex et sexaginta fulcitur regibus sub uno imperatore. Regnum Chinae magnae illi adiacens duobus

millibus milliarium dilatatur, cum populo sicut arena maris, cuius non est numerus; regnum Siane ubi elephantes et unicornes multiplices, regnum Pegu, regnum Petan, regnum Camboxa, Bornei, Mundanas, Mateo, Herreuate, Maluco, Hidore et alia plurima, in quibus fere omnibus aurum, gemmae, serica, aromata omnis generis et alia pretiosa reperiuntur. Sed his omnibus spretis, ad pretiosiora convertimur, nempe ad gemmas illas, quarum structura Hierusalem illa caelestis mirifice decoratur; ad gemmas illas inquam, quarum pulcritudine captus mercator ille caelestis, Patris Verbum e regalibus suis sedibus ad nos descendens et negotiatoris formam suscipiens, quaerere bonas margaritas venit. Huic negotationi insistimus, huic labori, qui non est inanis. Nam in regno Iaponiae plusquam sexcenta millia iam Christi fidem tenentes reperiuntur, ex quibus iam Augusti XXV. quadraginta constantissime pro fide Christi coronam martyrii sunt adepti; sed et duo ex religiosis nostri ordinis eandem sunt assecuti in regno Maluco, unus capite post durissima tormenta truncatus, alius triduo columnae affixus (singulis eorum novo genere tortis), tandem ungulis ferreis dilaceratus obdormivit in aeterna repromissa requie. Omnium martyrium dilucide scriptum et autenticum in Hispaniam transmisimus. Sed Iaponensium non tacenda constantia, qui tribus mensibus variis tormentis affecti, tandem decem ex illis igne paulatim concremati, decem crucibus affixi, quindecim gladio caesi, alii quinque in carcere putredine suffocati omnes animam Deo dederunt. Ex combustis duo iuvenes, frater et soror, mirandam constantiam monstravere. Nam dum calescentibus flammis a longe circumcirca positis comburerentur paulatim, a tyrannis invitabantur, ut, dum tempus vitae adhuc supererat, resipiscerent, vel saltem ore Deum negarent et interius tenere fidem Chistianam possent persuadebant. Quibus respondens iuvenis magno fervore ait; o adstantes omnes! ne reputetis haec quae patimur tormenta ignominiam, sed invidete nobis talis triumphi gloriam. Item et aliis verbis spectantes exhortabatur; ac tandem funibus combustis, quibus tenebatur, ad matrem accurrens, quae in eodem tormento conflictabatur, fervore admirando eam animabat dicens: Euge, mater, euge, Iesus nobiscum est; brevis poena, gloria aeterna, et eam strictissime complectens, obdormivit cum ea in Domino. Sed soror eius, cum pariter combustis funibus liberam se videret, prunas accensas manibus arripiens eas deosculabatur et super caput elevans mirificae iucunditatis exhibebat ostensionem. Mos enim est eorum, ut cum aliquid a se multum aestimari innotescere volunt, illud ipsum deosculari et super caput elevare. Huic spectaculo, praeter gentiles innumeros, tria millia Christianorum aderant, qui omnes vestibus albis amicti, se Christi fidem tenere profitebantur, alta voce clamantes, idem supplicium meruisse, qui eundem Deum adorabant. Sed cum eorum voto non satisfecissent tyranni propter multitudinem, omnes corpora sanctorum, carbones, funes, titiones et cetera, quae

martyrio deservisse cognoverant, etiam pulverem surripuerunt pro reliquiis, tyrannis eos fustibus gladiisque caedentibus. Mirandus sane fervor ardorque martyrii; nullum lucrum, nulla gloria, nulla delectatio inter eos, nisi mori pro Christo. Commilitamus expectantes eandem spem cruciati diuturna dilatione eandem coronam adipiscendi; sed cum non sit volentis neque currentis, sed aeterni Dei miserentis, nitimur Dei dispositioni nos conformare, qui novit, plantulas suas teneras ministrorum evangelii nondum posse carere fulcimento. Quod si voto non satisfiat, tandem (sic) non ideirco privati gloria. Minime. Cum Pauli erat gloriari in tribulationibus, verberibus, fame, siti, nuditate, persecutionibus, quibus similibus quotidie afficimur, saepe reiecti a civitatibus, saepissime a pueris luto et lapidibus clamoribusque petiti, cum per plateas incedimus, et nuper quinque conventibus destructis exulati. Sed miranda Dei providentia et evangelii virtus, ut sic marcescente propter persecutiones fidei rigore, aliunde flagrare ardentius insperato conspicimus, ita ut aquae multae non potuerint extinguere caritatem. Sed non tacendum, unam ex reginis imperatoris (qui trecentis utitur et amplius) apud eum, quod Christiana esset, accusatam, in exilium cum quindecim pueris relegatam, regalibus blanditiis spretis, cum pluribus aliis nobilibus, ubi multa necessitate cruciantur. Eorum sacerdotes sive religiosi nos multis afficiunt vexationibus, quorum multitudo plane innumera, affluentes conventibus opulentissimis, (qui sunt) magnis decorati campanis, structuris, idolis aureis, argenteis, metalleis, quibus omnes thus et aromata consueverunt offerre. Unum ex eis magnum Deum nuncupant qui triginta cubitorum est in magnitudine sedens, et in manu eius sex homines sedere vidimus. Videtur sane omnem monarchiam ecclesiae nostrae ille pater malitiae inter eos simulare voluisse. Nam papam habent super imperatorem tenentem dignitatem, quem Daizi vocant. Religiosos ac religiosas multorum institutorum, qui suis temporibus ieiunant, indulgentias promulgant, laudes decantant nocturnas et diurnas, rosaria tenent, aquam lustralem et confitentur peccata sua, publicas poenitentias faciunt et in suis processionibus, in quibus idola sua referunt, in rotas curruum se praecipitantes interficiunt. Canonizant sanctos suos, Iaca et Amida, qui olim reges fuere et spretis divitiis in desertum secedentes dixerunt, se vidisse arcana multa de immortalitate animae, paradiso et octo mandatis illis traditis, quae si ita servarent, paradisum promisere. Primum est adoratio idolorum. Secundum carnes non manducandi. Tertium non furari. Quartum non occidere, quod ita stricte observant, ut etiam de animalibus brutis dictum censeant. Quintum non moechari. Sextum non rapere uxorem proximi sui. Septimum statutis diebus ieiunare. Octavum non mentiri. Deplorandum sane inter homines adeo vivaces apprensione, acutos intellectu tantam ignorantiam regnare. Sed divina favente gratia de cetero non amplius ignorantia peccabunt. Nam innotuit iam per singula regna evangelii splendor, ita ut

nulla ferme sit provincia ubi, quamquam incogniti, non reperiantur christiani, qui validis lacrymis, cum per eos transeunt ministri evangelici, deprecantur sacramentorum administrationem. Petunt parvuli panem, et non est, qui frangat eis. Nam et si ubique regnorum incedere nobis non sit vetitum, tamen ecclesias construere solum in quatuor civitatibus ab imperatore est concessum, in quibus publice sacra mysteria conficiuntur. Concedat ille, qui tanto labore animas venit quaerere, ut in dies mitescat principum contra fidem furor. Sed et vos in Christo amantissimi vestris nos iuvate precibus, vestris fulcite nos orationibus, ut in tribulationibus constantes, in laboribus streuui, in oratione fervidi, in fide fortes afferamus fructum in patientia, quo et vos participes, mereamur tandem omnes in illa requie invicem congratulari, invicem delectari. Quod nobis praestet ille, qui cum filio suo omnia nobis donavit. Amen. Fr. Marcus de Omedes Hispanus mecum ad has partes pergens, aliud sortitus est regnum vocatum Florida longe a nostro distans plus quam quatuor millium milliaria. De sua salute hucusque nihil intellexi. Valete in Domino. Maii II. nostrae salutis reparatae anno 1614. Humilis vester et inutilis fr. Richardus de s. Anna olim Trove ».

Quia vero penes laudatum regem Idatem ipse Ludovicus gratia Idem p. 152. et familiaritate potiebatur, ad suam aulam accitus de instauranda pro fidei bono ad summum pontificem et ad Philippum III. Hispaniarum principem legatione cum ipso Ludovico egit. Confecto negotio, totius rei summam idem rex commendavit Ludovico, adiuncto sibi Recuyemon Faxicura, nobili equite regioque sanguine nato, aliisque centum quinquaginta inter Iapones optimatibus. Hinc die XXVIII. Octobris Ludovicus, comite Ignatio a Iesu ac Didaco a s. Francisco sui instituti sacerdotibus, cum litterarum fasciculis iter Hispaniam versus arripuit regio prorsus apparatu. Quae subinde evenerunt suis in locis erunt notanda.

III. Multorum et erat hoc tempore causa salutis apud Ceylanos Ludovicus a s. Didaco, qui in urbe Iaphanapetensi, a qua nomen habet peninsula, reginam ac filios sacro Christi baptismate tinxit. Illius regni haeres, quem Constantinum appellavit, franciscalium habitum induit in provincia s. Thomae Indiarium orientalium. In instituto evasit magnus theologus et eximius verbi Dei praeco. Binae eius germanae vota solemnia Deo nuncuparunt in monasterio s. Monicae urbis Goae sororum eremitarum s. Augustini.

Marchant. fundament. XII. § 4. p. 146. Annal. min. ad ann. 1549. n. 4.

IV. Rediit hoc tempore Parisios quidam capucinus, qui una cum aliis ex provincia Parisiensi ad Brasilianos accesserat Christi fidem disseminandi causa. Sex Indos secum adduxit; tres tantum, aliis in itinere vita functis, solemni pompa in eorum ecclesia ab urbis archiepiscopo sacro lavacro initiati fuerunt, adstantibus rege et regina, qui ambo patris et matris vice eos suscepere. Anno insequenti eo se contulerunt duodecim sodales eiusdem instituti, at bello in Brasilia exorto inter Lusitanos et Gallos, capucini fratres Galliam re-

De Pise tom. III. p. 4.

petiere. Claudius Abbavillaeus, Parisiensis provinciae capucinus, in America occidentali novaque Gallia missionarius apostolicus, qui eas regiones per decem annos concionibus et exemplo vitae illustravit, gallice scripsit vulgavitque anno insequenti Parisiis typis Francisci Hubii *historiam* navigationis et adventus capucinorum cum nobilibus de regno Galliae in Insulam de *Marangam* et adiacentia loca, sive historiam missionis Iasuae *Maraguani Brasiliae*. Sbaral. lit. C.

V. Fratres recollecti, provinciae Lugdunensis, mira operati sunt in civitate Anoniaci, dioecesis Vivariensis, a paucis, qui in fidei puritate remanserant, evocati, ut auxilio sibi forent ad animae salutem, ad haereses convellendas haereticosque ad fidei lumen adducendos. De Gubernatis de mission. p. 84.

VI. Cardinalis viceprotector ordinis iubet, ut fratres provinciae Aquitaniae Antiquioris, a patre Alba Spina reformati, ministro eiusdem provinciae obediant, et nonnullas limitationes ab ipso provinciali subscriptas, si necesse fuerit, annihilat. Regesta familiae ultramont. vol. II. fol. 139.

Fabritius tituli s. Augustini, cardinalis Verallus nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regul. observ. viceprotector, gubernator atque correptor, r.do in Christo patri ministro provinciali provinciae Aquitaniae Antiquioris salutem.

Cum in vestra provincia introducta olim fuerit reforma per rev. p. *Alba Spina* communiter nuncupatum, ea tamen conditione et pacto expresso, ut tam praelati quam inferiores fratres reformati iurisdictioni provincialis ministri dictae provinciae omnino subderentur, nec privilegio et exemptione bullae felic. record. Clementis VIII. fruerentur, quod et hactenus ipsi reformati inviolabiliter observarunt; nunc autem ad nostras pervenerit aures, quod cum tu ad quemdam reformatorum adires conventum, ipsi reformati te nullatenus admittere voluerunt et tanquam verum eorum legitimum praelatum recognoscere renuerunt, nisi sub certis quibusdam conditionibus et pactis a te illis et in eorum favorem subscriptis, quae aliquo modo eis cum quibus introducta est talis reformatio contraire videntur: quare huic malo providere cupientes, ne inter vos aliqua oriatur controversia ac discordia, praesentium tenore praecipimus per sanctam obedientiam in virtute Spiritus sancti et sub poena excommunicationis maioris latae sententiae ipso facto incurrendae omnibus patribus et fratribus dictae provinciae Aquitaniae Antiquioris et reformae patris *Albae Spinae*, ut deinceps p. ministrum praesentem et pro tempore succedentem tanquam eorum verum ac legitimum praelatum in omnibus recognoscant absque ullis conditionibus et limitationibus, sicut hactenus fecerunt, et si necesse est eas, quas tu subscripsisti, annullamus et revocamus omnino tanquam si nunquam factae subscriptae ac excogitatae fuissent, et nullam vim aut robur habere per praesentes declaramus. Praecipimus autem sub eisdem poenis omnibus pro tempore provincialibus succedentibus et tibi, ut in quantum fieri poterit, dictos patres reformatos adiuvetis, foveatis et honorificetis, ita ut praedicta

reformatio in dies cum Domino crescat in spiritualibus, ut suum consequatur finem et effectum. In quorum fidem has litteras nostra propria manu et sigillo in similibus uti solito munivimus.

Datis Romae in nostro palatio vigesima tertia Februarii, anno domini millesimo sexcentesimo tertio decimo.

Loco ✠ sigilli.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

VII. Idem praecipit, ut fratres recollecti provinciae s. Dionysii pareant p. Iacobo Garnier, eiusdem provinciae ministro nuper electo.

Fabritius tituli s. Augustini presbyter cardinalis, Verallus nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regularis observantiae viceprotector et gubernator, reverendo in Christo patri fratri Iacobo Garnier, provinciae s. Dionysii in Francia provinciali ministro, et patribus guardianis conventus Balmetae, conventus Flixiae, conventus Belloforteusis, conventus Salmuriensis, conventus Duadensis, conventus Vetriacensis, nec non et omnibus in illis patribus ac fratribus existentibus in Domino salutem et paternam benedictionem.

Gubernat. de missionib. t. II. p. 413.

Cum in capitulo generali totius dicti ordinis proxime Romae celebrato ordinatum et constitutum sit ac assensu et consensu totius definitorii, quod ex aliquibus custodiis reformatorum Franciae dicta vestra provincia s. Dionysii in Francia de novo erigeretur, quod maxima cum consideratione ac totius religionis deliberatione factum fuit, id quam maxime ipsi religioni conveniens iudicando, ut rev.^{mus} p. generalis pro illa vice dictum p. Iacobum Garnier dictae provinciae ministrum elegerit, ad evitanda quamplurima inconvenientia, quae in dies sperabantur; nunc autem certa relatione sciverimus, guardianos et fratres dictorum sex conventuum non absque temeritatis nota praedicto capituli generalis decreto renuere ausos esse, et praedicto provinciali ministro obedientiam negare intentaverint, nec tanquam eorum legitimum praelatum recognoscere voluerint: hinc est, quod huic tanto malo providere volentes, ne fratres iugo sanctae obedientiae vilipenso in praecipitium peccatorum ruant, praesentium tenore statuimus et ordinamus ac in virtute sancti Spiritus per obedientiam et sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda praecipimus omnibus dictorum conventuum fratribus tam praelatis quam subditis, ut his visis, et cum eis requisiti dictum patrem fratrem Iacobum Garnier et pro tempore provincialem ministrum succedentem tanquam eorum verum et legitimum praelatum recognoscant, ac illi in omnibus et per omnia absque ulla excusatione pareant et obediant. Quodsi aliquas causas et rationes habere praetendant, quae in contrarium faciant, eas coram dicto rev.^{mo} p. ministro generali repraesentent, cui iudicium remittimus iudicandi, an expediat, quod de dictis conventibus vel aliqua alia erigatur provincia, an vero, quod in capitulo

generali constitutum fuit inviolabiliter servetur. Interim tamen quod illi praedictas causas deferunt, sub obedientia dicti ministri provincialis existant, ut dictum est, sub eisdem poenis et aliis nostro arbitrio iniungendis. In quorum fidem has litteras nostra manu propria et sigillo in similibus uti solito notavimus.

Datum Romae in nostro palatio die II. Martii anno Domini MDCXIII.

Loco ✣ sigilli.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

VIII. Interea temporis p. Franciscus Duran provinciae s. Iacobi nominatur definitor generalis, quod cardinalis viceprotector ordinis sequenti instrumento testatur.

Fabritius tituli s. Augustini s. r. e. presbyter cardinalis, Verallus nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regul. observ. viceprotector, gubernator atque corrector, reverendissimo patri fr. Ioanni de Hierro, totius dicti ordinis generali ministro, et omnibus ac singulis praesentes has nostras patentes litteras visuris, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam. Noveritis, quod coram sanctissimo domino nostro divina providentia Paulo V. quoddam memoriale praesentatum fuit, cuius petitio continebat, quod cum in capitulo generali dicti ordinis proxime celebrato maiori parte suffragiorum rev. p. Franciscus Duran provinciae sancti Iacobi pater in definitorem generalem pro ultramontana familia electus fuisset, quia tamen pro eadem familia septem definitores generales fuerunt electi contra constitutiones generales ordinis praecipientes, quod pro ultramontana familia sex tantum eligantur. Unde cum sopradictus p. fr. Franciscus Duran iunior reliquis in religione esset, licet maiorem aliis suffragiorum haberet partem, sanctissimus dominus noster quadam sua constitutione in forma brevis expedita apud s. Petrum *II. Octobris MDCXII,* quia supernumerarius et supra solitum numerum esset, proprio motu et ex propria scientia (sicut inibi plenius continetur) praedictum Franciscum a tali munere et officio absolvit, electionem de ipso factam irritam et inanem decernendo, non obstantibus quibuscumque; nunc autem, cum unus ex supradictis sex definitoribus generalibus, qui pro ultramontana familia remanserunt, vita decesserit, supradictus generalis minister et in suo nomine procurator generalis petebat, quod supradictus p. fr. Franciscus Duran in loco mortui subrogatus esset, ut adimpleretur numerus sex definitorum generalium, essetque vere et proprie generalis definitor. Quam petitionem sanctissimus dominus noster plane concessit suae vivae vocis oraculo nobisque praecepit et ordinavit, quod praesentes veritatis testimoniales expediremus litteras, ita ut omnibus quod super hoc ordinatum est plane constet. Quare earumdem praesentium tenore fidem indubitatam omnibus et singulis

Regest. ultram. famil. vol. II. fol. 142.

facimus, quod sanctissimus dominus noster in loco definitoris generalis mortui subrogavit praedictum p. fr. Franciscum Duran et vere ac proprie definitorem generalem effecit atque constituit, ita ut praedicto officio fungatur sicut alii definitores generales absque nlla differentia, tanquam si electio facta vera validaque a principio fuisset, non obstante praedicta sua constitutione in forma brevis expedita et quibuscumque aliis super hoc constitutionibus et ordinationibus; quare, auctoritate apostolica supradicta praedictum p. fr. Franciscum Duran vere et proprie definitorem generalem declaramus et declaratum habere volumus, ita ut omnes actus tali munere et officio debito exercere valeat similiterque exemptiones et privilegia, quae ad id consequuntur, ipse obtineat, tanquam si electio a principio valida esset, quam denuo dicta auctoritate apostolica revalidamus, ordinantes patri generali ministro, ut realiter et cum effectu has nostras litteras executioni mandet, praedictum ad omnes congregationes et actus atque definitoria, ad quae alios vocaverit definitores generales, vocet, ut omnibus tanquam definitor generalis assistat habeatque omnes exemptiones et privilegia, quae alii habere solent et consueverunt, absque ulla differentia. In quorum fidem has litteras nostras manu propria et officii sigillo in similibus uti solito munire fecimus.

Datis Romae in nostro palatio vigesima tertia Aprilis anno 1613.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

IX. Idem quoque mandat fratribus recollectis, ut pareant Ioanni Andreae, ministro provinciae s. Bernardini.

Fabritius titulo s. Augustini etc. reverendo in Christo patri custodi nuncupato custodiae olim Aquitaniae Antiquioris et omnibus patribus et fratribus reformatis dictae custodiae salutem.

Cum in capitulo generali praeterito in Urbe celebrato ex deliberatione et consensu omnium fere patrum tam ex observantibus quam ex reformatis pro bono pacis, et ut lites inter utrosque exortae omnino extinguerentur, ordinatum et constitutum sit auctoritate totius capituli, praesidente in eo ill.^{mo} et rev.^{mo} dd. cardinali Arigonio dicti ordinis protectore, quod ex dicta vestra custodia et aliis nova quaedam provincia erigeretur sub titulo s. Bernardini in Gallia, et rev.^{mus} p. generalis minister pro illa tantum vice dictae provinciae provincialem ministrum elegerit et nominaverit patrem fratrem Ioannem Andream; nunc autem ad nostras pervenit aures, quod fratres dictae vestrae olim custodiae eum tanquam verum praelatum agnoscere recusant, ad nos de dicto decreto et provinciae erectione appellando praetendentes, quod dicta custodia separata maneat a provincia s. Bernardini in Gallia nec cum ea incorporetur. Nos autem visis et bene consideratis rationibus et causis, quas pro dicta praetensione adduxistis, aliisque quamplurimis in contrarium adductis, praesentium tenore vobis omnibus et singulis tam praelatis quam inferioribus prae-

Ibidem.

cipimus per sanctam obedientiam in virtute Spiritus sancti in primis, quod dictum p. fr. Ioannem Andream tanquam verum et legitimum praelatum agnoscatis eique in omnibus et singulis, ut par est, obediatis tanquam vero provinciali ministro provinciae vestrae s. Bernardini in Gallia: quare tenore praesentium dictum p. custodem nominatum custodiae olim Aquitaniae suo officio privamus ac privatum declaramus, ita ut deinceps custos minime appelletur nec sit, nec fratres eum tanquam praelatum recognoscant, sed potius, ut dictum est, p. fr. Andream provincialem ministrum. Rationes autem, quas habere praetenditis, ne vestra olim custodia cum ea s. Ludovici conduuetur ad constituendam dictam de novo provinciam, ad rev.^{mum} p. generalem ministrum adducetis, ut ipse iudicet, quidquid secundum Deum melius videbitur expedire, cui iudicium de hoc remittimus. Interim tamen quod fit, ordinamus et praecipimus dicto p. fr. Ioanni Andreae ministro, ut fratres custodiae olim Aquitaniae de familia non transferat ad conventus, qui erant custodiae s. Ludovici, ne lites et iurgia denuo exoriantur. In quorum fidem etc.

Loco † sigilli.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

X. Idem cardinalis iubet, ne removeantur fratres recollecti e coenobiis sibi adsignatis.

Fabritius miseratione divina tituli s. Augustini cardinalis, Verallus nuncupatus, totius ordinis etc. corrector, reverendo in Christo p. fr. Salvagerio, dicti ordinis definitori ac provinciae Aquitaniae Antiquioris provinciali ministro, nec non et eiusdem provinciae patribus perpetuis ac definitoribus omnibusque aliis tam patribus quam fratribus dictae provinciae, cuiuscumque gradus et conditionis extiterint, salutem in Domino sempiternam.

Cum Dei zelo ductus rev.^{mus} p. fr. Archangelus a Messana, dum ministri generalis fungeretur munere, vobis petentibus reformationem quamdam in vestra provincia instituerit, ut pure et simpliciter ad litteram regula observaretur, nihil supra ipsam ordinando, quod sub obligationis praecepto caderet, ita tamen, quod fratres reformati subditi et subiecti essent in omnibus provinciali ministro absque ulla differentia et divisione; quam reformationem sic ordinatam conventus maior Tolosanus et alii sex dictae provinciae libenter receperunt, reformate hucusque vivendo; quia tamen praedictus Tolosanus conventus stabilitatem in dicta reformatione summopere desiderat, ut nobis p. fr. Stephanus Foneratius ab eo ad nos missus significavit aliaque petivit, quae visis rationibus in contrarium adductis a p. fr. Stephano reformato, primo provinciae definitore, et p. fr. Martino... a tota provincia ad hoc munus missis, pro nunc minime expedire omnino iudicamus, iustis tamen votis ac desideriis patrum reformatorum Idem pag. 478.

pro sua stabilitate annuentes, quae consistere visa est in eo, ut qui in reformatione remanere statuerint, ab ea exire non possint, sed permanere omnino in illa debeant; visis et bene consideratis hinc inde pro utraque parte rationibus, ac ipsis missis consentientibus, prout ante nos subscripserunt, praesentium tenore statuimus et determinamus, quod ad dictam provinciam Aquitaniae Antiquioris mittatur aliquis pater gravis, benemeritus et reformatus, qui commissarii munus exercendo, ad id specialiter deputatus exploret ac accurate inquirat publice et privatim voluntates omnium reformatorum dictae provinciae, an velint perpetuo permanere in dicta reformatione, an non? Illi autem, qui permanere determinaverint perpetuo, proprio nomine et manu subscribant; similiter et illi, qui hoc recusaverint, sed tantum voluerint reformationem liberam, sicut hactenus habuerunt, hoc etiam subscribant, ita ut uniuscuiusque voluntas plane innotescat ac omnibus sit perpetuo clara et manifesta; illi vero, qui in reformatione perpetuo permanere voluerint, a provinciali ministro extrahi minime ab ea possint ad conventus non reformatos, nisi causa alicuius magni delicti ab eis patrati, a toto definitorio vel maiori parte examinandi, licet mature eos optime poterit de uno conventu transferre in alium reformatum, prout illi videbitur expedire, salva semper in omnibus aliis obedientia dicti provincialis ministri, cui subditi et subiecti esse debent praedicti reformati, sicut hactenus fuerunt, nisi tantum in dicto casu, quod eos ad conventum non reformatum mittere non possit; reformati autem, qui voluntariam reformationem voluerint, in ea maneant libere, sicut hactenus manserunt, et ab illa extrahi poterunt a ministro provinciali, secundum quod viderit expedire. Ordinamus insuper et praecipimus per sanctam obedientiam p. guardiano conventus maioris Tolosani, quod fratres nuper eiectos iterum in conventu recipiat, et provinciali ministro, quod eos ad illum mittat, et sub eadem poena, quod omnia, quae rev.^mus p. fr. Ioannes de Hierro generalis minister nuper suis patentibus litteris praecepit, executioni mandentur absque ulla mora.

Datum Romae in palatio nostro die XXI. Augusti MDCXIII.

Loco ✝ sigilli.

Fabritius cardinalis Verallus etc.

XI. Ut autem cuncta rite absolverentur, idem cardinalis commissarium generalem delegit Martinum Clausarum, praesidem eorumdem recollectorum conventus Tolosani.

Fabritius miseratione divina etc. reverendo in Christo p. fr. Martino Clausaro, guardiano conventus s. Mariae de Angelis prope Tolosam eiusdem ordinis s. Francisci, salutem in Domino sempiternam.

Cum, sicut ex aliis nostris patentibus litteris sub datis die XXI. Augusti praesentis anni constat, ordinaverimus et statuerimus pro

Idem ibid. p. 179.

bono pacis et tranquillitatis inter patres observantes et reformatos provinciae Aquitaniae Antiquioris, quod mittatur unus pater, qui exploret voluntates omnium reformatorum fratrum dictae provinciae, an perpetuo permanere velint in dicta reformatione necne, ut vel sic executioni mandetur, quod in praedictis litteris praecipiebamus; hinc est, quod de tua religione, gravitate ac in rebus gerendis dexteritate in Domino confisi, te in hoc particulari casu commissarium eligimus et ordinamus, concedentes tibi plenariam et omnimodam auctoritatem, ut de mente sanctissimi domini nostri voluntates omnium fratrum reformatorum dictae provinciae privatim et publice explores, omnes conventus reformatos percurrendo, nempe maiorem Tolosanum, Burdigalensem, Reolae Rivorum, Villae Novae s. Macarii et Montis Giscardi, et ab omnibus fratribus reformatis illorum inquirendo, an perpetuo permanere velint in dicta reformatione; illi autem qui permanere perpetuo se velle dixerint, idipsum propriis nominibus subscribant, quos reipsa provincialis minister e conventu reformato ad non reformatum mutare de familia minime possit, bene tamen de uno ad alium reformatum; illi vero, qui hoc recusaverint et velint libere et voluntarie in reformatione esse, libere et voluntarie remaneant, sicut hactenus manserunt, et provincialis minister eos mutare poterit quocumque voluerit, primos autem secundum tenorem aliarum nostrarum litterarum; novitios similiter reformatos interrogare debebis, an perpetuo vel libere post professionem emissam permanere velint in dicta reformatione, et illi, qui perpetuo permanere voluerint, similiter subscribant, quos provincialis minister post professionem ad conventus non reformatos mutare non possit, bene autem eos, qui in reformatione voluntarie esse determinaverint. Postque omnia subscriptiones omnium fratrum suo ordine digestas ad nos mittes, ut quamprimum super hoc breve apostolicum expediri possit, et quod a nobis determinatum est, inviolabiliter observetur. Similiter et de nostro ordine et speciali mandato ordinatum et statutum in dicta provincia relinques, quod voluntates omnium novitiorum pro tempore in conventibus reformatis existentium, antequam professionem emittant, a praelato explorentur, cum quibus idem, quod de praesentibus supradicta observentur, dummodo in professione novitas nulla admittatur, nec intelligatur, quod aliquid supra regulam promittatur, siquidem esse vel non esse in reformatione speciem non mutat, sicut praesentium tenore declaramus.

Datum Romae in palatio solitae nostrae residentiae I. Septembris MDCXIII.

Loco ✠ sigilli.

Fabritius cardinalis Verallus etc.

XII. Iis igitur actis, concordiam inter observantes et recollectos vulgato diplomate induxit summus pontifex.

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex regest. secret. brev. in mense Octobri p. 204.

Ut ea, quae pro religiosorum bono et quiete per ipsorum superiores praesertim in capitulis generalibus statuta et ordinata sunt, firma et illibata persistant, illis nostrae confirmationis robur libenter adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Rodericus de Portillo, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia procurator generalis, quod in capitulo generali dicti ordinis de mense Iunii MDCXII. in Urbe celebrato pro pace et quiete inter fratres de observantia et fratres reformatos nuncupatos dicti ordinis provinciarum Franciae perpetuo conservanda, de ministrorum, custodum et commissarii fratrum reformatorum huiusmodi consensu statutum et decretum fuit, quod ex nullis custodiis dictorum fratrum reformatorum et nonnullis domibus fratrum de observantia, quae fuerunt praedictis fratribus reformatis assignatae regni Franciae, una s. Dionysii in Francia et altera provincia s. Bernardini in Gallia erigerentur; quae provinciae in omnibus subditae essent ministro generali dicti ordinis, sicut aliae provinciae eiusdem ordinis, ita tamen, quod si dictus minister generalis duas provincias praedictas per se ipsum visitare et earum capitulis provincialibus interesse non posset, commissarium ex reformatis ad hoc munus deputare deberet. Insuper, quod dicti fratres reformati nullam in posterum peterent, aut oblatam reciperent domum regularem aliarum provinciarum fratrum de observantia quovis praetextu aut quaesito colore, nisi de nostra et pro tempore existentis romani pontificis aut dicti ordinis protectoris seu ministri generalis licentia, sed ipsi fratres reformati contenti essent iis, quas tunc habebant, et infrascriptis domibus regularibus, quae in dicto capitulo generali eisdem assignatae fuerunt, videlicet in provincia s. Bonaventurae domus Viennen. ac Montis Calvarii et Costae s. Andreae, in provincia Turoniae Pictavien. et de Mirabello, in provincia s. Ludovici de Nîmes, prout in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Rodericus plurimum cupiat statuta et decreta huiusmodi pro illorum firmiori validitate et subsistentia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur religiosorum quietem et tranquillitatem sincero desiderantes affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta et decreta praedicta apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac ab omnibus ad quos spectat observari debere, irritumque etc... attentari decernimus et declaramus. Non obstantibus etc...

Datum Tusculi die X. Octobris pontificatus nostri anno IX.

XIII. Quoniam vero nonnulli ex recollectis ob locorum distantiam alteram a ceteris separatam erigere cupiebant provinciam, ideo summus pontifex, datis litteris ministro generali ordinis, eorundem votis benevole cessit. Novam igitur provinciam Immaculatae Conceptionis titulo erexerunt anno insequenti, ordinis praeside Antonio de Treio vicario generali. Pontificis diploma vulgamus.

Paulus Papa V.

Dilecto filio Ioanni de Hierro, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia ministro generali.

Nuper nobis exposito, quod in capitulo generali tui ordinis de mense Iunii MDCXII. in Urbe celebrato, pro pace et quiete inter fratres de observantia et fratres reformatos nuncupatos dicti ordinis, provinciarum Franciae perpetuo conservanda, de ministrorum, custodum ac commissarii fratrum reformatorum huiusmodi consensu inter alia statutum et decretum fuerat, quod ex multis custodiis dictorum fratrum reformatorum et nonnullis domibus fratrum de observantia, quae fuerant praedictis fratribus reformatis assignatae, una provincia s. Bernardini in Gallia sub certis tunc expressis modis et formis erigeretur, et subinde in executionem statuti seu decreti huiusmodi dicta provincia ex Aquitaniae Antiquioris et aliis custodiis separatis erecta fuerat, nos per alias nostras in simili forma brevis expeditas litteras erectionem huiusmodi confirmavimus, prout in dictis litteris plenius cotinetur. Cum autem nomine dilecti filii Roderici de Portillo, dicti ordinis procuratoris generalis, nobis nuper expositum fuit, [quod] dicta provincia, ut praefertur, noviter erecta propter locorum distantiam et nationum diversitatem in pace conservari difficile possit, et propterea expediat, ut custodia Aquitaniae Antiquioris etiam in provinciam erigatur; nos paci et quieti dicti ordinis, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, certam tamen de praemissis notitiam non habentes, tibi, ut, si dictam provinciam noviter erectam in pace et tranquillitate conservari non posse cognoveris, praedictam custodiam Aquitaniae Antiquioris in novam provinciam cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, indultis et gratiis aliis eiusdem ordinis provinciis a sede apostolica concessis erigere illique ministrum provincialem et definitores eligere, aliaque circa id necessaria et opportuna facere et exequi libere et licite possis et valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium plenam et amplam facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus etc.

Datum Tusculi die IX. Septembris pontificatus nostri anno IX.

XIV. Ordinis decorem et concordiam inter suos promovere studet Ioannes de Hierro, minister generalis ordinis. In primis contro-

versiam componit inter procuratores generales observantium et reformatorum.

Fr. Ioannes de Hierro, totius ordinis fratrum minorum generalis minister et servus.

Nostrae generalis servitutis debitum maxime postulat, ut ea quae in religione nostra ordinata existunt, provida sollicitudine et cura conservemus, et quae praepostera videntur ordinare omnino curemus. Cum autem relatum nobis sit, inter patrem procuratorem nostri ordinis generalem in romana curia existentem et patrem procuratorem reformatorum Italiae ibidem commorantem differentias, dissentiones litesque quasdam exortas fuisse super hoc, an fratres reformati Galliae, Romam pro negotiis aliaque quacumque de causa confluentes, uni vel alteri praedictorum procuratorum subditi esse debeant, ob quae allegationes et rationes undequaque quamplurimae adductae sunt, unoquoque ius ac iustitiam suam probare contendente; ne id contentionis genus in boni publici ac religionis detrimentum crescat, immo opportunis remediis eidem occurratur, necessarium duximus declarare, quidquid hactenus fuit in huiusmodi negotio observatum ac quid in posterum observandum.

De Gubernatis tom. I. p. 415.

Et primo, quod procuratori generali ordinis pro tempore existenti sunt remittenda absque ulla exceptione omnia religionis negotia, et ad ipsum spectat ea sollicite et accurate expedire, nec quisquam, cuiusvis gradus ac conditionis existat, in praedictis se ingerere debet, nisi de consensu eiusdem procuratoris generalis, ad quem etiam pertinet fratrum omnino istius familiae Romam venientium causas cognoscere illosque ad proprias remittere provincias.

Secundo, quod recollecti sive discalceati Hispaniarum ac Galliae, cum pro quacumque occasione romanam curiam petierunt, perpetuo sub custodia ac iurisdictione praefati p. commissarii sive procuratoris generalis ordinis permanserunt ac illi in omnibus eorum expeditioni concernentibus obedierunt.

Tertio, quod p. procurator reformatorum pro tempore existens in praedictis observatis non solum non restitit, sed fratres ipsos Gallos ad procuratorem generalem misit, velut constat in libro curiae ac absolutionum multorum apostatarum; quae omnia considerata cum maxime ad rem memorati p. procuratoris generalis faciant, mandamus per sanctam obedientiam patri procuratori reformatorum, ne in posterum in negotiis nominatorum fratrum Galliae amplius se ingerat, neque illos apud se sub quocumque praetextu absque consensu dicti p. procuratoris generalis retineat, sed ad illum eos mittat, quatenus de eis et eorum negotiis secundum antiqua et nova ordinis statuta cognoscere valeat.

Datum Matriti in conventu nostro s. Francisci die XI. Februarii MDCXIII.

Praedicta omnia praecipio per sanctam obedientiam et sub poena excommunicationis latae sententiae et privationis officii, ut ab omnibus sic observentur, et pax in ordine nostro stabiliatur.

Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro minister generalis.

XV. Mox idem minister generalis super eamdem controversiam sequentem epistolam, querimoniae plenam, mandavit Angelo de Carpineto, generali procuratori reformatorum.

Reverende Pater.

Tantum mihi displicuit contentio hisce elapsis diebus exorta inter te ac p. Rodericum de Portillo, curiae romanae procuratorem generalem, quantum placuit compromissio in persona ill.mi d. cardinalis Veralli viceprotectoris. Cum prima esset maximum detrimentum boni publici propter scandalum saecularium ac excitationem passionum fratrum, secunda autem, tanti viri ac ordinis nostri patroni meritissimi interveniente auctoritate ac benevolentia, totale sit remedium ac finis litium et contentionum, aliqua hac super re mihi essent dicenda, nempe cui debeatur vestrum iurisdictio fratrum reformatorum Galliae Romam confluentium, quemadmodum per litteras nostras patentes... scripsimus. Verum cum iudicium suae ill.mae dominationis sit ferendum atque ratio postulet, ut sententiae eiusdem latae prompte obediamus, quidquid mihi in mentem occurrerat, praetermittendum decrevi. Te tamen exhortor atque pro mei muneris debito etiam rogo, quatenus posthac pacem cum fratre tuo ac nostro commissario p. Portillo conservare coneris, ac si quid discriminis, quod Deus avertat, nonnunquam oriri contigerit, absque tumultu notaque passionis, iudicio alicuius gravis nostrae religionis patris determinetur definiaturque. Haec pauca tibi respondenda putavi, tua in servitium Dei ac orationis bonitate magis confidens quam in rigore verborum his meis tibi exaratorum. Memor tandem esto mei tuis in precibus, et me ad quaecumque tibi placita paratum existima. Idem ibid. p. 416.

Matriti die XI. Martii MDCXIII.

Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro minister generalis.

XVI. Est etiam altera eius epistola, qua iubet Bonaventurae Daumio, commissario visitatori provinciarum Germaniae Superioris, ut in eius munere subditus sit Paulo a Sulmona, commissario generali cismontanae familiae.

Fr. Ioannes de Hierro, totius ordinis fratrum minorum minister generalis et servus.

Idem ibid. pag. 318. Ad ea quae prosperum statum nostrae seraphicae religionis et auctoritatem illius praelatorum respiciunt, libenter intendimus ac illa favoribus auxiliisque opportunis prosequi studemus. Cum igitur ordo noster, sicut ex nostris constitutionibus generalibus apostolica auctoritate roboratis patet, divisus sit in duas familias, quarum una cismontana, altera vero ultramontana nominatur, ac ad patrem commissarium generalem canonice electum secundum bullam *Unionis* pertineat gubernium ac regimen illarum provinciarum familiae, de qua fuerat electus, declaramus per praesentes has litteras nostra manu et sigillo maiori nostri officii munitas, quod regimen provinciarum Tyrolensis, Hungariae, Russiae, Bohemiae, praedictae familiae aliarumve adiacentium spectat ad rev.^{mum} p. fr. Paulum a Sulmona, commissarium generalem, in capitulo ultimo Romae novissime celebrato rite et recte electum ac illi tanquam vero et legitimo suo praelato omnes tum provinciales tum commissarii generales illarum praedictarum provinciarum obedire tenentur: declarantes, quod commissarius generalis, nempe p. a. r. fr. Bonaventura Daumius, per nos institutus ad effectum facilius diligentiusque moderandi provincias sibi commissas, non eximitur a praefati patris commissarii generalis familiae cismontanae obedientia, verum illi de iure atque constitutionum praescripto, sicut ceteri ministri praedictarum provinciarum, parere debeat absque ulla resistentia et contradictione, sub poena excommunicationis latae sententiae ac privatione suorum officiorum ipso facto incurrenda. In quorum fidem etc.

Datum Matriti IV. Maii MDCXIII.

Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro minister generalis.

XVII. P. Paulus Sulmonensis, commissarius generalis familiae cismontanae, scribit eidem commissario Germaniae de studio theologico Zagrabiensi et conventu Nissae in Silesia nostris denuo tradendo.

Admodum reverende pater!

Regest. famil. cismont. vol. III. fol. 193. Non prius admodum reverendae paternitatis vestrae litteris responsum dedi, tum quia in visitandis provinciis huius regni Neapolitani occupationibus tenebar ac proinde patrem fratrem Nicolaum Germaniae secretarium videre non potui, tum quia rem, de qua scripturus eram, cum ill.^{mo} et rev.^{mo} d. cardinale Arigonio, nostri ordinis protectore, conferre volebam... Studium theologicum Zagrabiae tibi theologo commendare supervacaneum videtur, sed pro mea in litterarias

academias propensione et obsequio in status et ordines Slavoniae, fautores illius studii, vestrae paternitati ex animo commendamus patrem lectorem fratrem Bartholomaeum et studentes, ac eos, ad quos litteras obedientiales direximus, impedire non tenetur, si ille ad huiusmodi disciplinas idoneos viderit nec moribus corruptos. Quo vero natio Slavonica satisfactionem aliquam recipiat, nedum ex meo, sed accedente consilio patris vestri secretarii decrevimus, guardianum Zagrabiae destinare patrem Draschovitium, ad quem litteras patentes dirigimus, ita tamen, ut vestrae auctoritati sit consultum; quamvis enim id possem ex me ipso, accedente consensu illustrissimi protectoris, volui tamen deferre vestro officio ac proinde per manus vestras illas recipiat. Quod vero postremo ad hoc negotium attinet, fratris Nicolai ad me missi diligentiam commendare non desinam, is enim, multis incommodis aequo animo toleratis, vestrae causae partes diligentissime fovit ac proinde dignus est, ut a vestra paternitate honoretur.

Serenissimus princeps archidux Carolus constituendi monasterium reformatum in civitate Nissa propositum habet, in ea re perficienda et nostrum exposcit auxilium et vestrae paternitatis, quam obnixe precamur atque ideo in Domino praecipimus, ut omnem operam impendat, quo serenissimus iste dominus, nostrae religionis amantissimus, de grata in eum observantia operibus certior fiat. Elige ergo quos videris fratres aptiores ad constituendum coenobium et ad aedificandum proximum idoneos. Interim Deum precor, ut spiritum veritatis, pacis ac concordiae de caelo demissum in vobis conservet usque ad finem.

Datum Neapoli die XXV. Septembris MDCXIII.

Admodum reverendae paternitatis vestrae:
Servus in domino

Fr. Paulus Sulmonensis commissarius generalis.

XVIII. Idem summi pontificis facultate ab excommunicationis poena absolvit fratres provinciae Hungariae, qui p. Lucam Kačić illius provinciae commissarium recipere detractarunt.

Fr. Paulus Sulmonensis ordinis minorum strictioris observantiae, in cismontana familia generalis commissarius et servus, dilecto nobis in Christo a. v. p. Nicolao Posnaniensi, sacerdoti et secretario Germaniae.

Doluimus vehementer, quod fratres provinciae s. Mariae Hungariae commissarium patrem fr. Lucam Caccich, provinciae Bosniae Argentinae patrem, tum a patre generali tum etiam a nobis missum, non receperint et proinde in poenas bullae pontificiae Gregorii XIII. bon. mem. incipientis *Quoniam* etc. inciderint, prout incidisse declaramus; et quod nostrum dolorem maxime auxit, capitulum inane celebrare ausi sunt Idem ibid. p. 318.

et ministrum et guardianos eligere, immemores, invalidas esse eas omnes actiones capitulares, quas reiecto commissario tentarunt. Cumque gravis haec culpa non exigua poena corrigenda esset, memores tamen benignitatis et mansuetudinis dominicae, nostris illis ovibus non baculo, sed medicamento opportuno et leni occurrere satagimus. Quamobrem consentiente atque adeo consulente ill.^mo domino cardinali protectore nostri ordinis, supplices litteras ad summum pontificem misimus, ut pro sua eximia in nostram religionem caritate, et absolvendi et dispensandi et habilitandi facultatem impartiri dignaretur. Isque ad ill.^mum d. cardinalem Verallum, nostri ordinis viceprotectorem, supplices litteras remisit, qui pro sua in nostrum ordinem pietate haec quae mox subiicimus iisdem verbis ad nos directis impetravit a sanctissimo domino.

Molto Reverendo Padre.

Havendo la Santità di Nostro Signore rimessomi il memoriale datoli per parte di vostra paternità nel particolare delli padri della provincia d' Ungheria Santa Maria in Germania, che non solo non hanno voluto accettare et obedire al padre commissario visitatore mandato da lui a presiedere al capitolo provinciale, ma hanno tra di loro congregato il capitolo et eletto il provinciale, et fatte tutte le altre funzioni capitolari; che perciò sono incorsi nella scommunica e privatione in perpetuo di tutti l' officii della religione, si è contentata che si facci in questo negotio quello, che giudicherà espediente, e però la paternità vostra potrà assolvere, dispensare et habilitare tutti quelli, che sono stati disubbidienti, e doppo che ella havrà dichiarato nullo il suddetto capitolo da essi fatto senza l' autorità dei superiori generali, potrà parimente confermare quelle cose, che giudicherà più espedienti per bene della religione o di quella provincia, che d' ordine di sua beatitudine ne dò a v. p. le facoltà necessarie in virtù della presente. E per fine me li raccomando.
Di Roma li XII. Ottobre MDCXIII.

Il cardinal Verallo etc.

Quare de vestra paternitate confisi, tanquam de patre illius provinciae amantissimo atque adeo defensore, te in hac re dumtaxat nostrum commissarium et nostras vices gerentem eligimus; ut in publico refectorio (fuit etiam publicum delictum), imposita salutari poenitentia, eos omnes et singulos, qui dictum patrem commissarium a patre generali et a nobis missum reiicere ausi sunt, absolvas, dispenses, habilites, prout summus pontifex concedere dignatus est. Sed ne ansam arripiant saeculares homines de nobis murmurandi, quod vix coacto semestri novum capitulum celebremus, novos ministrum et guardianos instituamus, volumus, ut v. paternitas tum ministrum tum guar-

dianos in capitulo proxime celebrato electos, alioquin irritos et nullos, confirmet in officiis. Sed guardianum Zagrabiae patrem Draschovitium, quem nostra auctoritate, accedente facultate ill.[mi] d. cardinalis protectoris, eligimus, nemo de suo loco removere audeat. Interim eos patres adhortetur, ut idem velint et non sint in eis schismata, sed pax et charitas. Vale et Deum pro nobis exora.

Datum Neapoli in conventu nostro s. Mariae Novae die XVI. mensis Octobris MDCXIII.

Loco † sigilli.

Fr. Paulus Sulmonensis commiss. generalis
manu propria.

XIX. Recipiunt fratres recollecti provinciae s. Dionysii coenobium sub invocatione s. Francisci in urbe Cathalaunensi eis concessum a Cosma Clausse de Marchamont, illius urbis episcopo. Impensis Claudii Thierry, decani cathedralis ecclesiae Claromontensis, instructum fuit et pro eis coenobium in oppido Marergii eiusdem dioecesis et provinciae.

Conv. Cathalaune

Gallia Christiana tom. IX. p. 889

Conv. Marergii.

XX. In provincia s. Bernardini incoluerunt iidem fratres aedem titulo Dominae nostrae de Gratia quingentis passibus ab urbe Giniaci, dioecesis Bitterensis. A Calvinistis solo aequatam anno MDLXX. refecerunt pii quidam christifideles, qui ab anno MCCCLX. impense in ecclesia colebant prodigialem Deiparae imaginem. Ibidem praesunt XV fratres. Incolarum sumptibus extitit et pro eis in eadem provincia conventus sub invocatione s. Ludovici episcopi Tolosani in urbe Massiliani dioecesis, Agathensis ibidem commorantur XII fratres.

Ibid. tom. 2. p. 299.

Conv. Giniaci. Monum provinc.

Conv. Massiliani. Monum. provinc.

XXI. Obtinuerunt ipsi ab Avenione duobus milliaribus distans, vetustum et nobile aedificium cum ecclesia titulo Dominae nostrae de Bona Requie Montis Faventiae erectum a cardinali Bertrando de Monte Faventio, nepti Ioannis XXII. summi pontificis. Duodecim in ecclesia altaria occurrunt et ipsum palatium quatuor altis turribus exornatur. Ultimis tabulis idem cardinalis cuncta aedificia et praedia attribuit Avenionensi senatui; iussit tamen, ut in ea ecclesia perpetuo deservirent Deo aliquot sacerdotes. Mandatis obtemperavit senatus. Hoc autem anno communi senatus voto locus recollectis obvenit et suos ibidem induxit illius provinciae administer. Decem fratres ibidem degunt.

Conv. Avenionis. Monum. provinc.

XXII. Mandato Ioannis de Hierro, ministri generalis ordinis, cessit fratribus recollectis coenobium s. Mariae de Angelis Eldae in provincia Valentiae, ab observantibus inhabitatum.

Conv. Eldae. De Gubernatis tom. II. p. 174.

XXIII. In provincia Austriae erigitur pro observantibus coenobium s. Francisci in urbe Claudifori dioecesis Salisburgensis Mathiae caesaris favore, anno MDCXVII. flammis consumptum et anno MDCXXXVI. iterum instructum. Bartholomaeus a Barga, item mi-

Conv. Claudifori. Monum. prov.

norita de observantia, primus praeses constituitur coenobio Deiparae
Conv. Ficecli mon. prov. Virginis, posito prope oppidum Ficecli provinciae Tusciae, ab anno MDCIX. inchoato in aedibus confraternitatis de Misericordia nuncupatis. Lapsu temporis universitatis aliorumque christifidelium opibus fabrica absoluta fuit pro continendis XXX fratribus. Mathias Ramirez, minister observantium provinciae Granatensis, immisit sodales
Conv. Hexi suos in conventum Immaculatae Conceptionis, media leuca ab urbe Hexi positum. Aedis structura perfectionem accepit incolarum elee-
De Torres p. 164. mosynis in fundo eis largito ab Alphonso Perez de Bajadox, viro pio ac divite.

XXIV. Agente Chrysanthe a Laureto, minorita de observantia,
Conv. Ferentini. eisdem fratribus obvenit domus cum ecclesia s. Agathae penes urbem Ferentini in provincia romana pro erigendo ibidem coenobio. Quae
Casimirus a Roma p. 152. in huiusmodi negotio peracta fuerint, novimus ex autogropho Ennii Philonardi Ferentini episcopi, quod vulgamus.

Ennius Philonardus, Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Ferentinus.

Dominici gregis saluti ex pastorali debito diligenter intenti, singulis cum humilitate poscentibus ea benigne concedere cura nobis quotidiana insidet, pro qua, peccatorum mole deposita, salus ipsis succedat, et hostis humani generis servituti ereptas animas lucrifaciant Altissimo, qui eas nobis sua benignitate commisit. Nuper cum religiosae regularium congregationes, ab insigni sanctitate sacrorum virorum Spiritus Sancti afflatu institutae, ut tantas ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerint prospicientes, sic in hac nostra ex alto commissa cura, ut ipsae multiplices adsint et germinent, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuimus. Et propterea, cum dilectissimi in Christo filii priores et homines huius magnificae civitatis Ferentinae nobis exposuerint, quod ex singulari devotione, quam in seraphicum Christi confessorem b. Franciscum gerunt, et etiam in utilitatem animarum ipsarum et salutem, quae humana partim imbecillitate et partim daemonis astutia paulatim deficit; et ne in deterius ipsa prolabatur, sed religiosorum virorum sub suavi regulari iugo ipsius seraphici patris vestigia sequentium exemplo, orationibus et spiritualibus consolationibus iidem suffulti ad aeternam ut possint pervenire laetitiam, in hac civitate domum seu conventum, in quo praedicti religiosi viri ex dicto seraphico ordine, minores regularis observantiae nuncupati, sub regularibus disciplinis secundum formam eorumdem instituti Deo famulari possint, habere et confluere ardente animo semper desideraverint; quorum devotione praedicti fratres ac praesertim romanae provinciae eorumdem minister grato animo vicem rependere volentes, eidem annuere consueverunt. Et huiusmodi sanctae et piae voluntati dilecti nobis reverendi abbas et clerici ecclesiae s. Agathae, prope et extra dictam civitatem Ferentini degentes, ec-

clesiae parochiali s. Valentini intus dictam civitatem unitae adhaerentes, sub certis pactis et conditionibus, prout in folio manu dicti abbatis et clericorum subscripto sub XXVIII. mensis Ianuarii anno Domini MDCXIII. dictis fratribus minoribus regularis observantiae provinciae romanae, et pro eis reverendo patre fr. Chrysanthe de Laureto interveniente, praefatam s. Agathae ecclesiam atque situm eidem adhaerentem cum stantiis coopertis et apertis, casalenis, hortis dictae ecclesiae contiguis, et tandem cum quodam traginale cum arboribus fructiferis, capacitate medii modii circiter, immediate contiguo dictae ecclesiae, iuxta suos lateres et notissimos fines ad habendum, tenendum et possidendum, et domum seu conventum, in quo religiosi commorari possint, construendum, servatis tamen dictis conditionibus, consensu et auctoritate nostra concesserunt. Et propterea dicti priores et homines, nec non et ipsi fratres humiliter nos supplicaverunt, ut praefatae ecclesiae et sibi cum ceteris supranarratis bonis a reverendis dominis Nicolao Cerasio abbate, Ioanne Leonino et Felice Ioannella, clericis dictae ecclessiae, antedictis concessae et concessis, corporalem et actualem possessionem accipiendi et accepta manutenendi mandari, nec non domum seu conventum in quo iuxta eorum regulares disciplinas commorari possint, construendi et ex piorum eleemosynis aedificandi facultatem eisdem concedere dignaremur. Nos vero eorum petitionibus et supplicationibus et praesertim dilecti nobis in Christo adm. reverendi patris fr. Antonii Marser, eorumdem fratrum et romanae provinciae ministri, inclinati eisdemque satisfacere volentes, devotione huius populi erga dictam religionem considerata et numero ceterorum religiosorum et eorum redditunm quantitate inspectis, ex quibus duximus, [quod] absque dictorum religiosorum incommodo et detrimento ex piorum eleemosynis commode et iuxta ss. pontificum constitutionum praescriptum, eo praesertim fel. record. Clementis papae VIII. sub annulo piscatoris die XXIII. Iulii anno MDCIII. pontificatus eiusdem anno XII. datum, praedicti fratres alere et se sustentare possint; ac etiam habito consensu pariter et assensu rr. pp. procuratorum generalium ordinum praedicatorum, carmelitarum et conventualium, quorum fratres in propriis conventibus hic commorantur, prout in folio coram nobis exhibito [videtur], et nemine alio in similibus interesse habere discrepante et contradicente et impediente... nec non huius nostri cleri et capituli benigno assensu circumspecto, atque omnia in dicti Clementis VIII. fel. rec. constitutione contenta plenius esse in executionem demandata considerantes, his nostris perpetuis temporibus valituris litteris ad omnipotentis Dei et gloriosissimae virginis Mariae et seraphici patris beati Francisci, nec non beatissimae virginis et martyris Christi Agathae ceterorumque curiae caelestis gloriam et honorem, ac sacrosanctae matris ecclesiae exaltationem et fidelium salutem et utilitatem, praefatam concessionem cum praedictis conditionibus a rr. abbate et clericis antedictis praenarratis fratribus factam, quatenus opus sit, de attributa nobis potestate de

novo ratificamus, et praedictae ecclesiae cum situ et bonis antedictis, ut corporalem et actualem possessionem praedicti fratres et pro eis idem provincialis, aut qui de eiusdem mandato destinatus erit, libere et quandocumque eis videbitur, absque alio decreto aut mandato capere possint et valeant, ac in eo pacifice et quiete manutenendi sint; et in stantiis supradictis inhabitare et permanere, nec non in praefata ecclesia iuxta s. r. e. ritum et eorum ordinis institutum tam diurna quam nocturna possint persolvere et recitare divina officia, nec non in dicto situ domum seu conventum novum cum sacristia, choro, claustro et ceteris officinis erigere, aedificare nec non construere eisdem liceat, ac iuxta ss. patrum instituta in praefata ecclesia et conventu, nec non in civitate suis privilegiis et indultis per sanctam sedem apostolicam eis concessis gaudentes, sicut et ceteri dictae civitatis regulares religiosi libere vivere et permanere, ac Deo famulari libenter ac benigne in Domino concedimus et impertimur. In quorum omnium etc.

Datum Ferentini ex nostro episcopali palatio die IX. Februarii anno MDCVII.

XXV. Precibus Francisci cardinalis Sfortiae ratam habet pontifex: *Exponi nobis* die II. Iunii cessionem conventus s. Stephani extra oppidum Fiani, dioecesis Nepesinae, factam fratribus reformatis provinciae romanae. Obtinuerunt in provincia s. Angeli coenobium s. Caroli prope oppidum s. Agathae, Bovinensis dioecesis, pro eis aedificatum a d. Eleonora Crispani, comitissa urbis Potentiae. Anno MDCXC. d. Carolus Luffredo comes Potentiae et marchio Trevicii quamdam eleemosynam eisdem fratribus adsignavit. Domum incolunt XX fratres. Obiit in hoc conventu Iacobus de Faruochia, laicus mirae perfectionis.

Conv. Fiani.

Conv. s. Agathae.

Archangelus a Montesarchio p. 299.

XXVI. Incolarum sumptibus positum fuit pro eisdem fratribus, provinciae Genuae, coenobium sanctae Mariae de Misericordia in Burgo Rivaroli, Genuensis dioecesis. Penes oppidum Lequilis, dioecesis Aletinensis in provincia s. Nicolai, erectum fuit et pro eis coenobium titulo s. Francisci piorum christifidelium largitionibus. Scipio Pignatelli, marchio Lauri et dominus oppidi de Palma, cessit eisdem fratribus pauperrimum et angustum eremitorium sub invocatione s. Ianuarii in eodem oppido Palmae, dioecesis Nolanae, positum, quod incolebat quidam eremita Paulus nomine. Idem Scipio aedem ampliavit, et custos provinciae Terrae Laboris eo suos sodales immisit.

Conv. Rivaroli. Monum. provinc.

Conv. Lequilis. Monum. provinc.

Conv. de Palma Antonius de Nola p. 237.

XXVII. Studio Marcelli a Naro, custodis reformatorum provinciae Siciliae, eis cessit coenobium s. Mariae et s. Luciae de Itria intra moenia urbis castri Veterani pro XVIII fratribus continendis. Ex monumento novimus illud erectum fuisse non hoc, sed anno insequenti a Ioanne de Aragona et a Zenobia Gonzaga principibus.

Conv. Castriveterani Pirrus tom. II. p. 893.

D. O. M.

Ioannes de Aragona et Zenobia Gonzaga principes fratribus s. Francisci de arctiori observantia PP.

CIƆDCXIIII.

XXVIII. Cura et sollicitudine fr. Petri Salinatis, episcopi Sophiensis ac fr. Eliae Marini Železnae in regno Bulgariae extructus est conventus s. Antonii abbatis et fratribus observantibus missionis Bulgariae traditus. *Conv. Zeleznae. Archiv. s. congr. de propand. fid. original. vol. 219.*

XXIX. Fratres discalceati provinciae s. Ioannis Baptistae admiserunt conventum Dominae nostrae de Sales de Zueca; locus distat ab urbe Valentiae quatuor leucis. Ibidem omnium primus praesedit Antonius Sobrinus, regis catholici a sacris confessionibus et vitae sanctitate commendatus. In provincia s. Iosephi iidem fratres incoluerunt coenobium s. Iosephi apud oppidum Centumputeolorum, oppidanorum sumptibus aedificatum; incolas eo immisit Petrus a Ripa provinciae administer. Suos idem provincialis misit in conventum s. Bonaventurae Occaniae, dioecesis Toletanae, christifidelium eleemosynis erectum. *Conv. de Zucca. Panes p. 181* *Conv. Centumputeolorum. Monum. provinc.* *Conv. Occaniae Monum. provinc.*

XXX. Tertii ordinis professores domicilium obtinuerunt intra moenia urbis Motycae, dioecesis Syracusanae in Sicilia, s. Iosephi titulo, concessum Bonaventurae Coronae Panormitano a Dominico Patavino, decano cathedralis ecclesiae et vicario generali. *Conv. Motycae. Bordonius p. 135.*

XXXI. Pro eis etiam extitit conventus Girani sub invocatione s. Michaelis archangeli in eadem provincia, accedente voluntate Petri Ruiz, Hispani archiepiscopi Messanensis. Ibidem antea erectum erat piorum hominum sodalitium. *Conv. Girani Ibidem p. eod.*

XXXII. Alterum coenobium recipit pro suis in eadem provincia Archangelus de Trayna in urbe Nicosiae s. Mariae de Angelis titulo, a fratribus capucinis antea inhabitatum. *Conv. Nicosiae. Idem p. 439.*

XXXIII. Minoritae conventuales recipiunt in provincia romana conventum s. Mariae Crucis Collislongi, dioecesis Sabinensis, eis oblatum a Felice Angelo Nardi archipresbytero loci, cuius ecclesiam aedificaverat. Lucianus Raimondini, primus guardianus, sui iuris fecit praedia affinia ac domus adnexas. Franciscus Antonius Riguni hunc inter suppressos numerat in sua tabula topographica omnium provinciarum ordinis. *Conv. Collislongis. Ieuli p. 146.*

XXXIV. Admiserunt iidem fratres etiam conventum s. Francisci Canigattini, dioecesis Agrigentinae, in provincia Siciliae, pro VIII sodalibus. Variis praediis illum locupletavit Philippus Bonanni oppidi patronus. *Conv. Canigattini. Pirrus tom. I. p. 761.*

XXXV. Anabaptistarum haereticorum furore pulsi fuerunt hoc tempore fratres observantes provinciae s. Crucis Rhenano - Westphaliae e coenobio s. Antonii Patavini urbis Monasteriensis. *Conv. Monasterien perit. Monum. provinc.*

XXXVI. Hoc anno erectum fuit coenobium fratrum reformatorum conventualium s. Mariae de Portu Salvo in provincia Siciliae. Ab anno MDCXXVI Urbani VIII. decreto ad fratres conventuales devenit. *Conv. de Portu Salvo. Idem ibid. p. 447.*

XXXVII. Capucini fratres obtinuerunt in provincia Pedemontana conventum Barexii, dioecesis Albiensis, et conventum Summae Ripae, dioecesis Taurinensis; in provincia s. Angeli Apuliae conven- *Ex Albo Michaelis a Tugio.*

tum oppidi Carniolae, nullius dioecesis; in provincia Leodiensi conventum Dinonati ad Mesam, dioecesis Leodiensis; in provinoia Styriae conventum Marburgi, dioecesis Salisburgensis; in provincia Bavariae conventum Ratisbonae; in provincia Parisiensi conventum s. Honorati, dioecesis Laonensis, et conventum Suessionis; in provincia Turoniensi conventum Castri Herardi, dioecesis Pictaviensis, et conventum Gennabii dioecesis Bituricensis; in provincia Normaniae conventum Ebroici et conventum Lexovii; in provincia Britanniae conventum Corisopiti et conventum Lavalli, dioecesis Cenomanensis; in provincia Burgundiae conventum Poligni, dioecesis Bisuntinensis; in provincia Lotharingiae conventum Vici, dioecesis Metensis; in provincia Aquitaniae conventum Bozati; in provincia Navarrae conventum Iubeliae, nullius dioecesis; in provincia Castellae conventum Compluti, dioecesis Toletanae; in provincia Andalusiae conventum Alcalae Regalis et conventum Gienni.

Archiv. Vatic. secret. Pauli V. literae ad principes 46. fol. 325.

XXXVIII. Episcopo Culmensi, qui iam pridem obtinuit facultatem monasterium vetustate collapsum restaurandi et pro monialibus s. Clarae adaptandi, pontifex nunc, completis laboribus, *Debitum die XVI. Februarii* mandat, ut praedictas moniales in illud monasterium Culmense Spiritus sancti titulo introducat, licet olim alterius ordinis fuerit.

Monast. Biterrense. Gallia Christ. tom. VI. p. 42.

XXXIX. Eodem summo pontifice iubente, redierunt sorores clarissae in monasterium Biterrense a quo bis abierant ob bellorum in Gallia tumultus. Catharina de Antoinelle, quae ut vitae periculum evaderet, se contulerat in monasterium Arelatense, eo et rediit et abbatissa delecta, moniales ad pristinam disciplinae severitatem revocavit.

Agnes de Mazuelo. Mon. provinc.

XL. In monasterio b. Mariae de Spino prope oppidum Bivarii, dioecesis Burgensis, rapta est die XXVIII. Septembris Agnes de Mazuelo, Burgis nobili genere nata. Diu gravi infirmitate ita correpta fuit, ut lethale vulnus pateret in dextro sui corporis latere, ex quo foetida sanies scatebat; licet maximis doloribus cruciaretur, tamen sponsi sui Iesu agonis recordata, cuncta summa animi alacritate tolerabat. Vix defuncta, corpus suavissimum odorem eflavit per cubiculum et monasterium.

Anna de sancto Raphaele. De Quadalupe p. 570.

XLI. Sanctis operibus cumulata caelestia petivit die XVII. Ianuarii in monasterio s. Clarae Cassalensi, provinciae Angelorum, Anna de s. Raphaele; primum adscripta fuit inter sorores de tertio ordine in monasterio Matris Dei eiusdem urbis, sed postea convolavit ad nuperum erectum clarissarum collegium, ubi munus abbatissae obtinuit. In utroque vitae genere floruit silentio, maceratione sensuum, mansuetudine ac verborum suavitate; cellam nunquam habuit nec stratum, sed vel in choro vel super stoream brevi sopori se dabat, ut coelestia meditaretur.

XLII. Ulyssipone in monasterio Dominae nostrae de Quietudine, in provincia Algarbiorum, die VII. Ianuarii obdormivit in Domino

Isabella Baptista, item clarissa una ex illis, quae anno MDLXXXI. ex Belgicis provinciis ab haereticis pulsa, vitam duxit in hoc monasterio multis virtutibus cumulatam.

Isabella Baptista. Monum. provinc.

XLIII. Item Ulyssipone in monasterio s. Marthae occubuit Isabella a Matre Dei, nobili genere nata. Aliquando deserviit aulae Catharinae reginae Portugalliae; at defuncto Georgio de Mello, viro suo, habitum clarissarum induit in monasterio s. Clarae de Monteiro in urbe de Scalbais. Prae suae sanctitatis fama missa fuit ad novum mox laudatum monasterium s. Clarae, ubi viginti annorum spatio vicaria praesedit, sorores pascens maximis virtutum exemplis.

Isabella Mater Dei. Monum. provinc.

XLIV. Audomaris in provincia Flandriae mortalitatis sarcinam deposuit Maria Marmans, prima loci abbatissa, speculum vitae spiritualis et angelus ob singulare studium puritatis a sororibus vocata. In divinis meditandis saepe elevabatur, Iesu Christi simulacrum amplexata. In postrema sua infirmitate visus fuit in eius cubiculo a moniali, cui praesto erat, agnus ambulans super stragulum mirae pulcritudinis. Tunc haec dixit ei: *quid est hoc, soror?* cui ipsa: *ne metuas*, ait: *Agnus enim Dei est, qui me quaerit.* Septimo post suae mortis anno, corpus repertum fuit incorruptum, manu gestans palmae ramum adhuc virentem.

Maria Marmans. Mon. provinc.

XLV. Die XII. Ianuarii Christo sponso adhaesit in caelo Maria Vici de Stronconio, defuncta in monasterio clarissarum Norniae in provincia s. Francisci. Commendabatur prae iugi silentio, corporis maceratione morumque puritate.

Maria Vici. Monum. provinc.

XLVI. Ex tertio sororum ordine adhuc viget memoria Mariae Merellinae conversae, ut dicunt, defunctae in monasterio Trevirensi ad Mosellam. Emicuit mira caritate erga sorores infirmas, maxime vero in animas in purgatorio detentas, pro quibus singulis per annum noctibus trecenties quamdam precationem de passione Christi flexis genibus absolvebat.

Maria Merellina. Hueber ad diem 8. Septembris.

XLVII. Iucatanica in provincia obiit die a se praedicta nativitatis Domini Didacus de Castro, sacerdos minorita de observantia, quadraginta annorum spatio diversatus in Indorum conversione. Peculiari obsequio venerabatur Deiparam virginem, cuius praesentia et colloquio aliquando perfrui meruit. Eodem anno die III. Decembris in eadem provincia e vivis ereptus est Petrus de Onate, item sacerdos, socius laboris laudati Didaci, in procuranda infidelium salute non solum verbo et sacramentorum administratione, verum etiam oximiae sanctitatis exemplo.

Didacus de Castro. Lopez p. 514.

Patres de Onate. Idem ibid.

XLVIII. Bellalcazarii in conventu ss. Quinque Martyrum, provinciae Angelorum, quievit Christophorus de Zalamea laicus, cilicio et circulis ferreis praecinctus. Singulis interim noctibus asperrimo flagello se caedebat. Plura a Deo obtinuit in assiduis fundendis precibus, in quibus saepe elevabatur. Super eum aves saepe insidebant.

Christophorus de Zalamea. de Guadalupe p. 704.

XLIX. Angelica puritate exornatus decessit in conventu s. Francisci Granatae Franciscus Gullien sacerdos, qui sacristae munus totius

Franciscus Gullien.

De Torres p. 317.

vitae suae tempore obivit, et in angulo ecclesiae crebro positus flammam divini amoris erga ss. eucharistiae sacramentum excitabat.

Vincentius Borquerius. De Exsperanza tom. II. p. 620.

L. Vix expleto a sodalibus conventus s. Zitae in provincia Portugalliae evangelio s. Ioannis cap. XIII. *Ante diem festum Paschae*, quem sibi legi postulaverat, ad astra migravit Vincentius Barquerius sacerdos praenuntiato suae mortis tempore, qui evenit II. Augusti; Diu a gravi infirmitate exagitatus, nihil in ore habebat, nisi Iesu Christi nomen ac laudes Dei.

Damianus de Vicari. Mazzara tom. IX. p. 285.

Didacus a Brundusio. Monum. provinc.

LI. E vita migravit die XXI. Septembris in conventu s. Mariae de Iesu Panormi Damianus a Vicari, laicus reformatorum instituto adscriptus in conventu s. Annae Iuliani. Ecstasum dono enituit in fundendis Deo precibus; superna itidem sapientia exornabatur, sacras divi apostoli epistolas explanabatur et alta mente ad verbum retinebat. In conventu s. Antonii Reatis in provincia romana occubuit die XII. Decembris Didacus a Brundusio, clericus eiusdem instituti, humilitatis, orationis et contemplationis munere ditatus.

Augustinus Rodriquez Martinez. lib. 1. p. 135. Annal. min. ad ann. 1603. n. 1.

LII. Obiit Maniliae Augustinus Rodriguez, comes et socius bb. martyrum Iaponensium, de quo nos aliqua diximus in commentariis nostris, semel et iterum Iaponensium imperium petiit multosque labores sustinuit pro Christi fide dilatanda. Ob sui infirmitatem e Iaponia Maniliam adveniens, magis ac magis virtutibus assequendis operam dedit. In recolenda Iesu Christi passione lacrymarum dono enituit, et caritate Dei vulneratus mira de eo eloquia eructabat.

Augustinus a s. Victoria: De Pise tom. III. p. 5.

Felix a Cingulo. Idem p. 6.

Basilius a Neapoli. Idem p. 9.

LIII. Quorumdam fratrum capucinorum memoria commendatur. Firmi in Piceno pie quievit Augustinus a s. Victoria sacerdos, qui infracto prorsus animo diu sustinuit varia morborum genera, ita ut lecto velut affixus cerneretur; impense item venerabatur beatam Virginem eamque devota mente assidue recolebat. Apud urbem Camerini in eadem provincia e vivis ereptus fuit Felix a Cingulo, concionator fervidus ac novitiorum magister; quadragesimali tempore solo pane et aqua contentus, vires corporis reficiebat. Maiorum iussu in Bohemiam adveniens, ut capucinorum institutum propagaret, cunctis morum disciplina, animi mansuetudine ac prudentia illuxit. Occubuit Neapoli Basilius in eadem urbe natus, qui suae provinciae dignitates ea cum prudentiae laude administravit, ut et sodalium et incolarum sibi conciliaverit affectum; animi sui lenitate devios ad virtutem alliciebat.

Eugenius ab Oliva. Idem p. 10.

LIV. Valentiae occubuit Eugenius ab Oliva sacerdos, antea inter observantes adscriptus, ubi multarum virtutum laude olaruit, in capucinorum familia magis magisque humilitate enituit, paupertate et abstinentia. Concionatoris munus explens, alios ad poenitentiam, alios ad virtutes excolendas singulari gratia alliciebat. Valentinam provinciam vicarius administravit, nudis pedibus etiam hyberno tempore perlustrans; aliquando Christi Dei familiaritate donatus est et colloquio. Digna sunt referenda, quae idem Christus revelavit de sacerdotibus, qui in peccato mortali missae sacrificium offerunt: Quando

sacerdos, ei dixit, aliquando mortali culpa obstrictus missae celebrat sacrificium, iuxta criminis qualitatem ille duros meae passionis angores refricat, renovat cruciatus. Superbi ac tumidi, quorum mens semper ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos alios importuna; quique mentibus suis altos ac sublimes spiritus versant, ut ad illam excellentiam, quam appetunt, in sublime ferantur: hi novas capiti meo spinas infigunt spinarumque densitate usque ad cerebri teneritudinem inhumane configunt. Qui malae dominae serviunt, gulae, quae semper expetit, nunquam expletur, quorum Deus venter est, quorum finis interitus et gloria in confusione ipsorum: hi amarissimo felle os meum inficiunt. Qui extrema luxuriae turpitudine, quae non modo mentem effeminat, sed et corpus enervat, nec solum maculat animam, sed foedat personam, obscoene coinquinantur: diris flagellis dorsum meum terunt ac lacerant. Odia denique inveterata, quae fraternam caritatem confodiunt, cor meum amoris incendio flagrans tentant denuo perforare. Cum ergo malus hic sacerdos proximum atrociter offenderit eiusque famam graviter nimium laeserit, et corde adhuc virulento truces inimicitias foveat, adversus cor meum tetendit manum suam, et tanquam gladio vel lancea illud confodere aggressus est. Suorum precibus scripsit *expositionem super regulam fratrum minorum secundum mentem sancti patris Francisci.* Sbaralea in sup. ad script. Ord. lit. E.

LV. Mauritius de Morra capucinus, vir pius et doctus, hoc anno decessit, de cuius operibus nos alibi diximus. Fuit egregius Dei praeco, et Iononensium in Sabaudia haereticorum audaciam retundit, catholicae missionis praefectus. Ulyssipone die XX. Octobris obiit in conventu s. Francisci vulgo *de Cidade* Apparitius a s. Antonio Lusitanus ex discalceatorum familia provinciae s. Mariae Arrabidorum. Edidit *caeremoniale chori et altaris.* In senectute bona quievit in conventu Lovanii Ioannes Costenus Polonus, minorita de observantia, concionator eximius, qui idiomate polonico typis commisit *librum pium in gratiam s. Annae.* Item forte obiit inter eos et hoc anno Antonius Maffaei Saccensis siculus, commendatus ob *historiam Siculam*, quam scripserat. Sbaral. et Wad. lit. M. Annal. min. ad ann. 1595 n. 67. ad ann. 1601 n. 72. et ad ann. 1607. n. 40. Sbaral. lit. A. Idem lit. A.

LVI. Ioannes a Matre Dei, Lusitanus ex discalceatis provinciae Arrabidorum, vir pius et doctus, Ulyssipone edidit vernacule *expositionem VII psalmorum poenitentialium.* Scripsit etiam *librum de passione Domini et* alium *de oratione et comtemplatione.* Eiusdem provinciae et instituti Philippus a Purificatione, iam laurea donatus in saeculo in universitate Conimbricensi, suaeque provinciae administer composuit *historiam eorumdem fratrum a sui fundatione usque ad tempora sua.* Pilae typis Thomae Pirapin Petrus a s. Bonaventura, item discalceatus provinciae s. Iosephi, cum esset guardianus conventus Maniliae, vulgavit *dictionarium hispanicum* tom. 2. in folio. Ibidem etiam prelo misit *dictionarium Insularum Philippinarum.* Christophorus Alvarus Gallus, guardianus conventus recollectorum Bur- Idem lit. I. Idem lit. P. Monum. provinc. Sbaral. lit. P. Wad lit. C.

digalensis, edidit in ea civitate apud Simonem Millaugium *bullas et*
Idem lit. I. *rescripta summorum pontificum pro reformatione provinciae Aquitaniae concessa*, et *librum per modum supplicationis* ad Paulum V. pro tuenda ac augenda reformatione recollectorum in regno Franciae. Leodii Ioannes a s. Huberto Namurcensis, ex strictiori observantia, edidit a se compositum librum *de Ioseph Patriarcha*, qui *Dicaearchus Aegyptus* inscribitur.

LVII. Qui sequuntur, florebant inter minoritas conventuales.
Sbaral. lit. A. Augustinus Nardus Fanensis, orator et poeticae artis cultor, scripsit et edidit *variarum rerum rhytmo italico tom. I.* Ioannes Baptista Chiodinus a Monte Milone, dioecesis Maceratensis, in provincia Marchiae
Idem lit. I. iam Belluni et Venetiarum generalis inquisitor, Venetiis apud Fratres Dei prelo commisit *speculum et declarationem ad praxim IV librorum rhetoricae et poeticae Aristotelis* etc. Mediolani typis Antonii Corri edidit Iulius Caesar Figini Medionalensis *notulam sanctorum*
Idem lit. I. *ctorum corporum et reliquiarum, quae Mediolani in templo s. Francisci minorum conventualium requiescunt*, cum descriptione eiusdem templi veteris, quod postea mediu nocte pridie nonas Septembris anno MDCLXXXVIII corruit. Philippus Faber Brisighellensis Venetiis
Idem. lit. P. apud Bartholomaeum Ginammi vulgavit *commentarium in IV libros sententiarum Scoti.* Taurini typis Antonii Segini edita fuit *or ti. laudem s. Ignatii Loiolae Taurini habita* a Theodoro Pellonio de Apiro, oppido Picenae provinciae.

LVIII. Ex minoritis de observantia vir doctus Antonius Alejos ex provincia s. Francisci de Zacatecas, qui minister suorum renuntia-
Beristain lit. A. tus, mss. reliquit in coenobio de la Ville Nominis Dei librum, cuius titulus *homilias sobre los Evangelios de todo el ano* in folio. Carolus Burgensis transtulit ex hispano et italico in flandricum idioma *chro-*
Sbaral. lit. C. *nicam ordinis s. Francisci* tom. III. et Ingolstadii edidit. Matriti typis regiis Ioannes de Sylva provinciae Castellae, concionator et regius
Idem lit. I. confessarius, vulgavit opus *de praedicatione evangelica inter Indos.* Io-
Idem lit. I. annes Frigosus hispanus Parisiis edidit *seminarium rerum praedicabilium ex s. Bonaventura.* Valentiae Franciscus Durand, provinciae s. Iacobi minister et a secretis Francisci a Sousa, ministri generalis ordinis,
Wad. lit. F. hispanice vulgavit quasdam institutiones pro variis hominum conditionibus hoc titulo: *dictamen espiritual y razones de estado pera el discreto cortesano, que pretende serlo del cielo, con muchos avisos curiosos para todos los estados del hombre, y muchos proverbios por los predicadores evangelicos de la palabra de Dios.* Franciscus Paludanus Antuer-
Idem lit. F. piensis, provinciae Germaniae Inferioris saepe guardianus, commissarius et tandem minister, edidit lingua belgica Lovanii apud Bernardinum Masium *manuale chordae sive cinguli s. Francisci cum aliquibus medita-*
Sbaral. lit. G. *tionibus et documentis piis.* Gregorius Ruiz Pincianus ex provincia Conceptionis Vallisoleti prelo commisit *controversias thelogicas in IV libros sententiarum Scoti usque ad L. distin., vita Scoti praemissa.* Lupus
Idem lit. L. Paez concionator apostolicus et visitator generalis tertii ordinis s. Fran-

cisci in Hispania vulgavit hispano idiomate Matriti apud Ludovicum Sanchez *corona de la Virgen distribuida por mysteros*.

LIX. Hi doctrina, Laurentius vero a Brundusio capucinus vitae sanctitate Dei ecclesiam hoc tempore illustrabat. Suo loco narratis, quae pro fide catholica propaganda in universa ferme Germania et in Bohemiae, Hungariae et Austriae regnis egit, nunc de eius virtutibus sermonem instituimus ac primo quidem de eius in Deum mira caritate. Adhuc puerulus hoc divino amore fragrabat et totus in in Deum rapiebatur, ita ut nullis omnino rebus quibus impuber aetas allici solet, afficeretur. Hinc solitaria loca petens, a consuetudine aliorum infantium semotus, ad Dei sui amplexus votis omnibus aspirabat. Huiusmodi autem caritas quam maxime accrevit, quando relicto mundo, capucinis se addixit ac vota solemnia Deo nuncupavit. Ex tunc enim eius divinus amor ex ore per verba erumpebat et adeo erant suavia, ut fomitis instar ad eum dilectionis ignem, quo ardebat, concipiendum sufficeret; quae enim in semetipso expertus fuerat, haec eructabat. Cum autem eius verba undique respersa essent caelestis dilectionis flammis, mirum non est, si de divinis loquendo, huius amoris faces auditorum animis submitteret.

Annal. min. ad ann. 1606. n. 23. de Pise tom. III. p. 119.

LX. Divini amoris vi respersas audierunt conciones Laurentii Itali, qui licet multi venerearum voluptatum illecebris implexi, non pauci tamen carnis et sensus delicias detestari visi fuerunt. Deperditae item vitae mulieres, divini amoris iaculo perculsae, ad poenitentiam revocabantur. Sua etiam effudit caritatis incendia beatus in Germaniam, Austriam, Bohemiam, Galliam et Hispaniam. Siquidem non tantum catholicorum, sed et Iudaeorum corda, saxis duriora, suis concionibus inflammabat et eorumdem animos in fidei Christi obsequium et in mutuam dilectionem inflexit. Roma, Praga, Vienna et aliae urbes celebriores prae tanta Iudaeorum conversione obstupuere Deumque in servo suo Laurentio vere mirabilem esse praedicabant.

LXI. Vix autem dici potest, quanto amoris aestu sacrum faciebat. Podagra acerba vexatus, cum pedibus incedere haud valeret, fulcris innixus ad altare accedebat; at inter celebrandum omnem doloris sensum amor Dei penitus extinguebat. Saepe etiam in sacro peragendo sursum elevabatur et plures horas in eo statu perseverabat. Tunc etiam sibi a lacrymis prae amoris magnitudine temperare non poterat, et miranda res erat eius caput videre ad instar camini, indicem caritatis incendii, quod in eius praecordiis latebat.

LXII. Hanc autem divini amoris vim augebat assiduis ferventibusque precibus, quibus et nocte et die iugiter operam dabat. Licet variis sui instituti muniis distentus et saepe ad caesarem et reges delegatus, nihil tamen dispendii ex tot occupationibus eius oratio passa est; siquidem a media nocte ecclesiae praesto erat et ibi plures horas impendens, arcana Dei alta mente recolebat. Generalis officio fungens, quamvis corpori fracto ex via perdifficili emensa longior

quies necessaria esset, ad conventum appulsus, excusso somno de nocte vix irrepto, primus omnium ad matutinas laudes persolvendas ad chorum se conferebat. Multis autem beneficiis servum suum in oratione fundenda cumulavit Deus; illum enim doctrinarum thesauris ditavit infuditque illi scientiam et linguarum peritiam, Ita ut idiomate graeco, hebraico, chaldaico, germanico, gallico, hispanico perfecte concionaretur.

LXIII. Pientissimam Deiparam virginem summo prosequebatur affectu et ideo super altare eius imaginem sibi obiici volebat, ut eiusdem aspectu ignis peculiaris caritatis in ipsius praecordiis accenderetur et augeretur. Sed inter alia erga Christi in cruce pendentis simulacrum maxime affectus erat, eiusque imaginem die ac nocte collo appensam circumferebat.

LXIV. Ab adolescentia eximius castitatis cultor, eam sepiebat quotidianis precibus, duris ciliciis austerisque ieiuniis; et ut proprie pudori consuleret, ab ipsa sui pueritia mulierum consortia fugiebat, talisque erat sua oculorum modestia, ut non solum pepegisse foedus cum oculis suis ne cogitaret quidem de virgine, sed insuper non advertere, viri an mulieres essent, cum quibus colloquia miscebat, crederetur. In ipsius puritatis argumentum adduci potest ille iubilus, quo gestiebat, cum bimos aut trimos infantes, quos tanquam angelos in humanis considerabat, aspiceret.

LXV. Mire etiam effulsit in obedientiae virtute etiam a tenella aetate. Sub cura patrui degens, nihil eo inconsulto agebat vel omittebat. Ut autem divinae maiestati gratior evaderet, obedientiam religionis voto firmavit, et huius propositi adeo tenax extitit, ut illud vel leviter praeterire nefas esse existimaret. Quare in cunctis ab arbitrio sui superioris unice pendebat et aliquando uni ex subditis laicis se submittebat, ad cuius nutum cunctas diei actiones ad amussim metiebatur.

LXVI. In excolenda paupertate industriosus sane erat Laurentius; quidquid enim erat abiectum et vile, illud suos in usus pro temporis opportunitate asservabat. Si quando in mensa cibi meliores apponerentur ab iis sese abstinebat, et pauperum more crudis victitans herbis et pane communi, derelicta ab iis frustula sibi ad prandium colligebat. Ad generalatus culmen evectus, paupertatis amore vitam suam sic composuit, ut ab hac dignitate eius paupertas iam pridem omnibus manifesta, nihil detrimenti pateretur, sed clarius effulgeret. Amictus etiam erat habitu trito et obsoleto. Segmenta veteris panni vesti assuta, habitum eius prae ceteris indumentis vilem atque contemptum reddebant. Illi etiam erat pergratum frequenter pauperum domus visitare atque inter inopes diversari.

LXVII. Carnem macerabat inedia, ieiuniis, vigiliis et oratione prolixa, quibus studiis et afflictationibus eius valetudo deterior effecta fuit. Parvam refectionem etiam generalis munus obiens, tantum in die sumebat, non quo perditas vires resarciret, sed mortem arcere

posset. Priusquam autem suggestum ascenderet, praeter preces, cruenta flagellatione membra dire lacerabat. Invicta item patientia infirmitates, haereticorum iniurias, calumnias ac dura plerumque verbera, quibus saepe in Germania ab hostibus catholicae fidei impetitus erat tulit. Cetera inferius.

LXVIII. Delectus est hoc anno die XVII. Iunii ad moderandam ecclesiam Scardonensem in partibus infidelium Antonius de Požega, unde oriundus erat, dictus. Consecrationis munus accepit a Francisco Beličevićio episcopo Bosnensi, cui e vivis sublato, in administratorem eiusdem ecclesiae anno MDCXV. successit. Die XVI. Augusti promotus est ad ecclesiam Ussellensem in Sardinia Didacus Borgia ex ducibus Gandiae hispanus; die XI. Novembris obtinuit ecclesiam Acernensem in regno Neapolitano Ioannes Sevranus Carthaginensis. Hi ex minoritis de observantia; inter fratres conventuales obtinuisse ecclesiam Pampelonensem Stephanum de Campopolito gallum, eumque etiam delectum coadiutorem archiepiscopi Ebredunensis, scribit Hyacinthus Sbaralea in syllabo episcoporum ordinis. Felix Centinus eiusdem instituti s. r. ecclesiae cardinalis, iam episcopus Melitensis in Calabria, die XXIII. Septembris transfertur ad ecclesiam Maceraten. et Tolentin. in Piceno.

Farlati Illyricum Sacr. tom. IV. p. 28.

Ughel. tom. II. p. 745.

LXIX. Capucini fratres in comitio in Urbe habito generalem sui instituti salutarunt Paulum a Caesena, provinciae Marchiae filium. Item fratres claustrales tertii ordinis Romae apud coenobium ss. Cosmae et Damiani habuere generale capitulum, ubi iterum die XV. Maii confirmarunt in munere supremi administri Antonium de Sillis ab anno MDCVII. electum.

De Pisc tom. III. p. 1.

De Sillis p. 38.

LXX. Cum gravi morbo tentaretur in conventu s. Antonii Hispalensi in provincia Angelorum Ioannes Hierro, totius ordinis praeses, sequentem litteram vulgavit, qua designatum esse volnit Didacum Ordonez, loco sui mox decessuri, in novum generalem vicarium.

Fr. Ioannes de Hierro, totius ordinis seraphici patris nostri Francisci generalis minister et servus, omnibus patribus, necnon ministris provincialibus et custodibus nostrarum provinciarum et custodiarum in quacumque adsint natione, et omnibus religiosis nostris subditis salutem et pacem in Domino.

Notum sit omnibus vestris paternitatibus et reverentiis, quod cum divina voluntate in isto nostro conventu s. Antonii civitatis Hispalensis, nostrae provinciae Angelorum, iamiam ad mortem simus propinqui, ex quadam gravissima infirmitate, quam in itinere ad ipsam civitatem Hispalensem venientes contraximus, declaramus, quod secundum verba nostrarum constitutionum generalium in capitulo VII. § de electione vicarii generalis nostri ordinis, qui eligendus est, postquam ex hac vita demigraverimus, ad reverendissimum p. fr. Didacum Ordonez nostri ordinis et familiae ultramontanae antiquiorem patrem ac discretum pertinet; quia licet non fuerit com-

missarius generalis familiae ultramontanae electus secundum bullam *Unionis*, sed tantum vice-commissarius generalis, nihilominus definitorium generale capituli generalis proxime praecedentis, auctoritate ss. d. n. Pauli V. et ill.^{mi} et rev.^{mi} protectoris, eiusdem capituli praesidentis, ipsum declaravit legitimum fuisse commissarium generalem electum secundum bullam *Unionis*, et concessit ipsi, ut fruatur et gaudeat omnibus privilegiis, exemptionibus et gratiis atque indultis, quibus fruuntur et gaudent omnes commissarii generales secundum bullam *Unionis* electi, et sic nos Romae, cum essemus in nostro capitulo generali, litteras testimoniales, quas apud se retinet, huius declarationis ipsi concessimus et suo etiam secretario patri fratri Francisco de Frias; et cum hoc ita realiter et vere sic se habeat, per sanctam obedientiam et sub poena excommunicationis maioris latae sententiae patribus secretariis nostri ordinis tenore praesentium iubemus, ut statim, ac nos vitam cum morte ex hac infirmitate commutaverimus, ad litteram quae statuta generalia nostra disponunt, observent, patri ministro provinciali nostrae provinciae Angelorum fratri Francisco Moreno (eo quod in ipsamet provincia Angelorum actualiter sumus, et vitam finimus) dantes sigillum maius nostri officii et sigilla etiam minora, quibus utimur, necnon codices (quos registros ordinis vocamus) ceteraque omnia, quae ad ordinem pertinent; et ipsimet patri provinciali nostrae provinciae Angelorum etiam per sanctam obedientiam praecipimus et mandamus, et sub poena excommunicationis maioris latae sententiae et sui officii privatione quam contrahat, si statim non obedierit, ut citissime acceptis sigillis et ordinis codicibus sigillatis omnibus et clausis, Matritum cum patribus secretariis ordinis proficiscatur, et patri rev.^{mo} fratri Didaco Ordonez, antiquiori discreto nationis Hispaniae, haec omnia tradat; et si ipse provincialis ire noluerat, haec mittat per aliquem fidelem religiosum, qui suo nomine praestet, quae ipse praestare debebat; et ipsum patrem fratrem Didacum Ordonez rogamus et in nomine Christi redemptoris et ss. patris nostri Francisci humiliter ab eo petimus, ut quamcitius potuerit, secundum quod nostrae generales constitutiones disponunt, designatos vocales ad electionem vicarii generalis convocet et provideat in religione praelatum superiorem, qui ipsam gubernet et regat, et sine mora quae ad necessitatem provinciarum spectant faciat et operetur. Et si forte ex aliquo ordine superiori difficultas et dubium moveatur, utrum mene sigillum pertineat patri fratri Didaco Ordonez, an alteri religioso nostri ordinis, ipsi patri provinciali Angelorum iubemus, ut apud se sigillum ceteraque omnia retineat, usquedum per sententiam constet, cui tradi et committi haec debeant.

Datum in nostro conventu s. Antonii Hispali prima die mensis Novembris anno MDCXIII.

Loco † sigilli.

Fr. Ioannes de Hierro min. gen.
Fr. Damianus de Lugones secr. ord.

LXXI. Nondum biennio elapso, hac ipsa prima Novembris die idem generalis minister piissime in Domino obdormivit in laudato Hispalensi coenobio, aetatis suae annos LXXIII numerans. Funebrem de eo orationem habuit Damianus de Lugones magni conventus Hispalensis guardianus, quae anno insequenti Mediolani lucem aspexit. Defuncti corpus, ut iusserat, illatum fuit absque solemnitate in ecclesiam conventus Dominae nostrae de Aquis Sanctis ab eo erecti, quarta leuca ab Hispali positi. Haec de eo habet p. Dominicus de Gubernatis: «Nobilissimis parentibus in loco de Alanis natus est ad montem, qui *Sierra Morena* dicitur hispanice, frater Ioannes de Hierro a prima iuventute in conventu villae in provincia Angelorum habitum religionis per manus fratris Ioannis de Hierusalem [induit], qui eodem tempore fratribus omnibus adstantibus spiritu prophetico dixit: hodie recepimus ad ordinem novitium, qui futurus est illius minister generalis». De Gubernatis tom. I. p. 249.

LXXII. «Sacrorum studiorum curriculis gloriose peractis, concionator fuit eximius et primi fructus, mansuetus, amabilis, in conversatione affabilis, vera humilitate abiectus, orationi singulariter deditus et solitudini atque innocentiae conservandae, maturus consideratus, prudentiae excellentia praefulsit... quo studio regulae puritatis conservationem intenderet, convincunt evidenter, quae super eius observationem secundum Nicolai III. et Clementis V. apostolicas declarationes, abrogatis etiam minimis abusibus, qui irrepserant, mira prudentia atque invicta constantia decrevit et executioni mandavit».

LXXIII. «Tertia ergo vice iam in sua Angelorum provincia licet reluctans, ob eximiam sanctitatis, prudentiae zelique famam electus minister provincialis, demum in capitulo romano anno MDCXII. promotus fuit magno eligentium applausu in ministrum generalem; statim ab electione totus in eo fuit, ut efficacissimo vitae exemplo, visitationum, sermonum atque ordinationum efficacia ordinem universum ad primaevam suae perfectionis gloriam reformaret».

LXXIV. «Dum ad haec indefesso zelo discurreret, pervenit ad manus sui secretarii epistola quaedam a religioso ex suis de provincia Catalauniae descripta, cuius superscriptio haec erat: *reverendissimo nostro patri ministro generali.* Intus vere haec sola continebat: *vestra reverendissima paternitas in suo generalatus officio sic procedat, tanquam qui in eo moriturus esset. Cave.* Post generalis in Catalauniam ingressum tota diligentia perquisitus auctor epistolae, nullatenus inveniri potuit, praeter quod de ipso auctoris nomine repertum sit, fuisse quemdam religiosum iam a pluribus annis defunctum».

LXXV. Cunctis de more expletis, sequentem litteram pro novo deligendo ordinis generali vicario dedit idem Didacus Ordonez.

Fr. Didacus Ordonez, seraphici patris nostri Francisci religionis pater perpetuus et discretus antiquior huius nostrae familiae cismon-

tanae, et nationis Hispaniae, reverendo patri fratri Francisco Ramires provinciae nostrae Conceptionis provinciali ministro, et patri fratri Antonio de Sequera eiusdem provinciae custodi salutem in Domino sempiternam.

Noveritis, amantissimi patres, quod prima die mensis Novembris huius anni MDCXIII. in nostro conventu s. Antonii civitatis Hispalensis nostrae provinciae Angelorum rev.^mus p. fr. Ioannes de Hierro, totius ordinis nostri generalis minister, e vivis excesserit et morte eius officium generalatus vacarit; et cum nostrae generales constitutiones Barchinone factae et de novo institutae et apostolica auctoritate confirmatae Toleti in congregatione generali, ibi a rev.^mo p. fr. Francisco Gonzaga ministro generali celebrata, disponant, quod tam sigillum ordinis quam cetera omnia [uti fratres] ad electionem vicarii generalis convocare eique praesidere ad patrem antiquiorem illius nationis, in qua mortuus fuerit generalis minister, pertinent, quod ius nostrum sit modo, et sic ad nos ex iussu et declaratione ipsius generalis defuncti sigillum ordinis delatum fuerit, utentes auctoritate nobis ad hoc ex litteris apostolicis et nostris constitutionibus concessa, cum habito super hoc maturo consilio cognoverimus, nostram provinciam Conceptionis unam esse ex sex provinciis ad electionem vicarii generalis vocandis huic nostrae provinciae Castellae, in qua actualiter sumus, viciniorem, his nostris litteris citatoriis vocamus vos, ut ad electionem vicarii generalis ordinis veniatis et sabbato septima die mensis Decembris huius anni MDCXIII. vigilia Conceptionis ss. virginis in nostrum s. Ioannis *de los Reyes* conventum, qui est Soleti, ingrediemini, quia ipsamet die, Deo volente, electio vicarii generalis ordinis fieri debet, in qua vos dilectissimi patres, tanquam vocales legitimi ad similem electionem designati, tam vocem activam quam passivam habetis; et quia statutum generale valde prudenter disponit, quod ad hanc electionem tantummodo patres actuales ordinis, qui habitaverint et fuerint in illa natione, in qua generalis obierit, et sex provinciales et sex custodes provinciarum vicinarum conveniant, ut sic ceteri religiosi, qui ad ipsam electionem non pertinent, quieti remaneant in suis conventibus, cum eorum adventus necessarius non sit: rogamus et obsecramus, ut unusquisque vestrum tantummodo secum deferat unum socium gratum, qui sibi administret in cella, non permittentes, quod aliquo praetextu aut occasione aliquis religiosus cuiuscumque sit conditionis, tempore huius electionis Matritum aut Toletum veniat; immo vero ordinantes et disponentes, quod quieti et clausi in suis conventibus Deo optimo maximo suis orationibus et sacrificiis nostram electionem commendent; et ut hoc melius fiat, pater minister provincialis antequam a provincia proficiscatur, suis litteris missis ad omnes conventus tam fratrum quam sanctimonialium praecipiet, quod singulis diebus post matutinum, vesperas et missam conventualem fiat ab omnibus deprecatio cum collectis designatis et dispositis, et ipsamet die electionis primo mane

in unoquoque conventu decantetur solemniter missa Spiritus sancti; qua finita per claustra fiat processio, petentes omnes simul ad omino Deo nostro, quod nobis concedat sic ad suam gloriam quam ad bonum religionis praelatum, qualem praesens ordinis necessitas desiderat. Itemque iubemus, ut ex receptione harum nostrarum litterarum authenticum testimonium huic tabellario praebeatis, designantes in eo horam, in qua ad vos pervenit et a vobis recessit. Valete in Domino.

Datum in nostro conventu s. Francisci Matriti XXIII. die Novembris MDCXIII.

Fr. Didacus Ordonez pater antiquior ordinis.
Fr. Damianus de Lugones secretarius ordinis.

LXXVI. Hinc die VII. Decembris Matritum convenere vocales, ubi praeside Antonio Caietano romano in Hispaniarum regnis apostolico nuntio, munus regendi universum ordinem obtinuit Antonius de Treio commisarius generalis Indiarum, cardinalis huius cognominis germanus frater. Eius electio ita accepta fuit Philippo III. regi catholico, ut una cum principe Sabaudio nepote suo, apostolico nuntio, Galliarum Venetorumque oratoribus ceterisque de aula optimatibus ingenti pompa solemni supplicationi, missae sacrificio ac concioni, a p. Petro Navarro habitae aliisque caeremoniis praesto esse voluerit.

LXXVII. Ad ordinis praefecturam assumptus, Damiano de Lugones a secretis ordinis per epistolam mandavit, ut Romam cito proficisceretur et nomine suo pontifici summo obedientiam, reverentiamque cardinali patrono aliisve per Italiae regiones principibus praestaret, et de sui electione rationem exhiberet.

Fr. Antonius de Treio, omnium fratrum minorum seraphici patris nostri Francisci generalis vicarius et servus, dilecto nobis in Christo admodum rev.do p. fr. Damiano de Lugones, concionatori et provinciae nostrae Baeticae patri ordinisque secretario salutem in Domino sempiternam.

Cum ex hac vita rev.mus p. noster generalis discesserit, et loco illius ad nostrum ordinem regendum et gubernandum omnium fere vocalium suffragiis ad munus generalis vicarii assumpti fuerimus, et statim aliquem gravissimum patrem nostri ordinis ad ss. d. n. Paulum V, cuius salutem et vitam ad plurimos annos et felices Deus noster conservare dignetur, debeamus destinare, qui nostro et totius religionis nomine sanctitati suae obedientiam praestet, eiusque pedes deosculando nos ipsos sanctae romanae ecclesiae pedibus subiiciat; similiterque ill.mo et rev.mo d. cardinali, totius nostri ordinis gubernatori, protectori et correctori obsequium et reverentiam debitam faciat, et negotia, quae sese modo offerunt, gravissima in nostris Italiae provinciis tractet ac peragat tam cum rev.mo commissario generali illius familiae, quam cum ministris provincialibus et procuratore nostro curiae romanae; simulque omnes principes et potentatus Italiae pro

nobis inviseat salutetque, et illis reverentiam praestet, et de nostra electione sermonibus suis moneat, te patrem adm. r. quem in similibus negotiis tractandis et peragendis expertum cognoscimus, de cuius probitate vitae ac religione plenam et integram satisfactionem habemus, quem litteris et sacris concionibus conspicuum certo scimus, etiam si doleamus per aliquod, licet minimum, tempus te a nostra societate disiungere, quem fidelissimum ordinis secretarium rev.mum p. generalis instituit, nosque iterum de novo in eodem munere instituimus, ad omnia supradicta tractanda et peragenda Romam versus mittere decrevimus ac de facto mittimus, facultatemque liberam tibi concedimus romanam adeundi curiam, omnesque Italiae provincias peragrandi, praecipue Neapolitanum regnum, Venetias, Mediolanensem Statum cum uno vel duobus sociis, quos tibi gratos elegeris cuiuscumque provinciae Italiae, Hispaniae vel Galliae; et si sese obtulerit occasio, poteris eos pro negotiorum expeditione tuis litteris testimonialibus ad quaecumque loca seu quascumque civitates mittere et destinare; et si in itinere infirmitate aliqua praeoccupati fuerint, loco illorum alios eliges, quos tecum deferas, nec ad hoc quaerenda est ministris provincialibus illorum praesentia, sufficiet quidem per litteras illum admonere; praecipimusque per sanctam obedientiam et sub poena excommunicationis maioris latae sententiae omnibus patribus ministris provincialibus, guardianis, vicariis et praesidentibus nostrarum provinciarum et conventuum, ut cum ad illos perveneris, sic te recipiant ac tractent sociosque tuos, qualiter tractandus est socius noster ordinisque secretarius; et si apud aliquos eorum aliquando passus fueris infirmitatem tu et socii tui, in omnibus sedulo et caritative administrent, et de rebus omnibus provideant tam pro infirmitate quam pro itinere peragendo. Et ss. d. n. Paulum papam V, ad cuius pedes deosculandos et suae sanctitati obedientiam praestandam praecipue a nobis destinaris, humiliter et suppliciter deprecamur, ut qua pollet benignitate et humanitate te recipiat gratasque praebeat aures, ut quidquid factum fuerit in nostra electione, cognoscat; simulque ill.mo et rev.mo d. protectori nostro te praesentabis, cuius etiam pro nobis benedictionem accipiens et suo interventu atque protectione et favore conveniens: necnon et quae ipse ill.mus d. protector ordinaverit, executioni mandabis, sic quidem a nobis et ab omnibus talis ac tantus pater et dominus venerandus est, et extra ss. d. n. cui omnes nos subditi et subiecti sumus atque ill.mum protectorem, quem venerari debemus, nulli alteri praelato nobis inferiori subditus eris, neque de te aut tuis sociis, etiam procurator ordinis, curam aliquam gerat, aut se in negotiis a nobis tibi commissis ullatenus intromittet, quod praecipimus illi per sanctam obedientiam et sub poena excommunicationis latae sententiae et officii sui privatione; attamen patri rev.mo commissario generali ordinis illius familiae, si illum quaesieris, aut tibi obviam in itinere venerit,

Anno Christi	Pauli V.	Mathiae I.	Relig. Minorum
1613.	Anno 8. et 9.	Anno 1. et 2.	Anno 406.

las testimoniales nostras litteras ostendes et quidquid scire cupierit, cum eo loqueris et tractabis. Vale in Domino.

Datum in nostro s. Francisci Matriti conventu die XXVIII. Decembris anno Domini MDCXIII.

Loco † sigilli.

Fr. Antonius de Treio vicarius generalis.
Fr. Benignus a Genua ordinis secretarius.

LXXVIII. Ad ordinis decorem promovendum idem vicarius generalis sequentes provinciarum visitatores destinavit, nimlrum Didacum de Cicilia, in provinciam Baeticae tertii ordinis et in provinciam Canariensem Ildephonsum de Vargas.

LXXIX. Cuncta haec exscripsimus ab eodem Damiano de Lugones, secretario ultramontanae familiae, qui acta illius comitii edidit hoc titulo: *series et ordo omnium rerum ab infirmitate et morte rev.mi p. fr. Ioannis de Hierro usque ad electionem rev.mi p. fr. Antonii de Treio.* Opusculum prodiit Mediolani anno MDCXIV. typis Pacifici Pontii et Ioannis Baptistae Piccalei. Didacus de Cicilia hispanus aliud opus vulgavit anno MDCXIII. sic inscriptum: *de assumptione r. p. fr. Antonii de Treio in vicarium generalem et de iure electi.* Sbaralea lit. D.

LXXX. Delectum anno transacto a fratribus conventualibus Iacobum Montanari vicarium generalem ordinis confirmat summus pontifex, et eorumdem capitulum generale ad aliud triennium haberi iussit: *Cum sicut* die XXIX. Aprilis; interim procuratorem generalem eiusdem ordinis ratum habet Angustinum a Castroficardo: *Cum nos* die XXIX. Aprilis.

LXXXI. Aliqua statuit summus pontifex. Iubet ut in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus peragendis rituali romano utantur: *Apostolicae* die XVII. Iunii; interdicit eremitis Galliarum deferendi habitus formam fratrum tertii ordinis congregationis gallicanae: *Ex pastoralis* die XIV. Martii; iubet ut Clara et Petronilla de Conceptione, missae ad fundandum monasterium Conceptionistarum in civitate Angelopolitana, redeant ad monasterium Mexici, ubi professionem emiserant: *Expositum* die XXIII. Aprilis; inhibet amoveri libros e bibliotheca fratrum observantium oppidi Graecii, Salisburgensis dioecesis: *Conservationi* die XIV. Augusti; vetat monialibus clarissis monasterii s. Elisabeth Granatae mutuandi et alienandi paramenta et vasa sacra ecclesiae: *Ex debito* die X. Septembris.

LXXXII. Idem pontifex adprobat constitutiones fratrum tertii ordinis congregationis gallicanae: *Gratos* XVI. calendas Maii, et aliqua eis concedit: *Quae* die XIV. Martii; confirmat quasdam litteras Clementis VIII. in favorem monasterii ad Reginam Viennae: *Alias* die XXII. Maii; indulget ut Hieronymus de Barrientos, minorita de ob-

servantia, concionatoris apostolici munus gerat in provincia Quietensi in India: *Exponi nobis* die IX. Iulii; quaedam concedit monialibus clarissis urbis Aquensis a malis spiritibus exagitatis: *Exponi nobis* die XIV. Maii; ut Ioannes Baptista Crucio conventualis recipere possit ad sui usum fructus census a se empti: *Exponi nobis* die II. Martii; ut fratres observantes conventus s. Hieronymi Viennae recipiant summam quatuor millium tallerorum pro fabrica domus eis concessae a Leonardo Helfrid, barone de Meccau et camerario Mathiae I. imperatoris: *Exponi nobis* die XXVI. Augusti; similia concedit fratribus conventus oppidi Graecii, Salisburgensis dioecesis, ex legato eis relicto a mox laudato Leonardo: *Exponi nobis* die XXVI. Augusti.

LXXXIII. Erigit confraternitatem conceptionis in ecclesia s. Nicolai Sulmonae: *Cum sicut* die XXIII. Novembris; confraternitatem s. Rochi in ecclesia b. Mariae virginis Perae Constantinopolis, ubi degunt observantes: *Cum sicut* die IX. Augusti; confraternitatem conceptionis in ecclesia maiori oppidi Civitatis Novae de Pampelona, dioecesis s. Fidei: *Cum sicut* die XX. Martii; confraternitatem s. Annae in ecclesia observantium Carthaginen. in Indiis: *Cum sicut* die XX. Martii; confraternitatem ss. Sacramenti in ecclesia maiori oppidi Civitatis Novae in Ruga, Papaynnen. dioecesis in Indiis: *Cum sicut* die XX. Martii; confraternitatem s. Rochi in ecclesia s. Clarae oppidi Utinensis Aquileien.: *Cum sicut* die XVI. Ianuarii; confraternitatem s. Antonii Patavini in ecclesia s. Francisci Cremonen.: *Cum sicut* die IV. Ianuarii; confraternitatem s. Sebastiani in ecclesia conventualium s. Francisci Vogherae, Terdonen. dioecesis: *Cum sicut* die XXVI. Iunii; confraternitatem conceptionis in ecclesia parochiali de Casar, Toletan. dioecesis: *Cum sicut* die XXV. Maii; confraternitatem ss. stigmatum s. p. Francisci in ecclesia s. Mariae ad Nives Veliternen.: *Cum sicut* die XII. Aprilis; confraternitatem s. Mariae Magdalenae, in ecclesia s. Francisci Quiten. observantium: *Cum sicut* die XXI. Maii; confraternitatem conceptionis in ecclesia collegiata Terrae Conchae, Theanen. dioecesis: *Cum sicut* die III. Iulii; confraternitatem s. Rochi in loco de Corriando, Burgen. dioecesis: *Cum sicut* die XVI. Iulii; confraternitatem s. Rochi in parochiali ecclesia s. Ioannis de Regibus Granaten.: *Cum sicut* die X. Iulii; confraternitatem conceptionis in ecclesia observantium oppidi s. Iacobi, Liman. dioecesis et confraternitatem ss. Sacramenti: *Cum sicut* die VIII. Augusti; confraternitatem corporis Christi in ecclesia observantium oppidi s. Mariae Magdalenae, Liman. dioecesis: *Cum sicut* die IX. Augusti; confraternitatem s. Sebastiani m. in ecclesia observantium oppidi s. Iacobi de Surco, Liman. dioecesis: *Cum sicut* die VIII. Augusti; confraternitatem s. Bernardini in ecclesia observantium Caesaraugustae: *Cum sicut* die XIII. Augusti; confraternitatem s. Antonii de Padua in ecclesia s. Clarae oppidi de Marambe, Bracharen. dioecesis: *Cum sicut* die XXX. Octobris; confraternitatem conceptionis in ecclesia parochiali loci de Sunta, dioecesis s. Fidei in Indiis: *Cum sicut* die XIX. Martii; confraternitatem

conceptionis in ecclesia maiori oppidi civitatis de Lexa, Quiten. dioecesis: *Cum sicut* die XV. Martii; confraternitatem s. Crucis in ecclesia observantium de Almague, Papayan. dioecesis: *Cum sicut* die XV. Martii; confraternitatem conceptionis in ecclesia extra muros oppidi de Potosi, dioecesis Chuquisacco: *Cum sicut* die XV. Martii; confraternitatem conceptionis in parochiali ecclesia de Sabrone, Vicentin. dioecesis: *Cum sicut* die XXIII. Novembris; largitur bis centum dies indulgentiarum fratribus conventualibus Assisien. et christifidelibus, qui singula quaque sexta feria post completorium intersunt supplicationi, quae peragitur ad altare ss. Crucifixi: *Ad augendam* die VI. Iulii.

LXXXIV. Sequentia ex indiculo bullarii Petri de Alva notamus. Circa male indutos inter fratres conventuales: *Exponi nobis* die IX. Februarii; pro quadam eleemosyna facta fratribus reformatis conventus s. Bonaventurae reformat. Tusculi: *Religionis zelus* die III. Iunii; confraternitas in monasterio ss. Trinitatis Valentin.: *Illius vices* calendis Augusti; indulgentia conceptionis in ecclesia, oratorio nuncupata, Narnien.: *De salute* idibus Augusti; pro domo fratrum conventualium Ariminen.: *Ex iniuncto* X. calendas Ianuarii; indulgentia in die conceptionis in eremitorio Agrecalao Miranden.: *De salute* idibus Martii; indulgentia in die conceptionis in oppido de Luaces: *De salute* nonis Martii; indulgentia pro die conceptionis in conventu loci Sorrenti Spoletan.: *Considerantes* idibus Februarii; confraternitas conceptionis in hospitali conceptionis de Iniesta Conchen.: *De salute* nonis Martii; cappellania conceptionis in terra Lignani Amerien.: *Dignum* XV. calendas Martii; indulgentia pro conceptione in ecclesia s. Nazarii Mediolanen.: *De salute* idibus Iunii; indulgentia conceptionis in monasterio conceptionis oppidi de Segura de Leon.: *De salute* nonis Ianuarii; indulgentia conceptionis in ecclesia de Roydonis Tarraconen.: *De salute* nonis Iunii; pro monialibus clarissis de Morata Civitatis Castelli: *Ex iniuncto* III. calendas Septembris; indulgentia et confraternitas in ecclesia s. Francisci Veneten.: *De salute* idibus Novembris; prioratus conceptionis in Villanova de Perpignano Tarraconen.: *Vitae et morum* III. calendas Novembris; pro monialibus capucinis Bituricen.: *Immensa* IV. idus Iunii; erectio monasterii s. Clarae Montis Caroli Florentin.: *Debitum pastoralis* IX. calendas Novembris; erectio conventus tertii ordinis s. Francisci Placentin. Bononiensis: *Sacrae religionis* nonis Decembris; circa suppressionem monasterii s. Mariae Angelorum Neapolitan.: *Ecclesiarum omnium* VI. calendas Maii; circa erectionem crucis in regno Franciae a fratribus capucinis: *Cum sicut* die XX. Iunii; exemptiones et privilegia rectorum atque doctorum universitatis Complutensis: *Ex iniuncto* die XV. Maii; altare privilegiatum in ecclesia reformatorum de Morlupo: *Omnium saluti* die VIII. Februarii.

LXXXV. Obviat super ostium cubiculi positi in claustro coenobii s. Petri intra oppidum Centi provinciae Bononiensis sequens monumentum hoc anno erectum a Ioanne Bartolo a Carpo, coenobii

praeside, ne memoria periret Iulii II. pontificis, in quo hospitari voluit.

MEMORIA aeterna Iulii II. pontificis maximi, in pauperes huius coenobii RELIGIOSOS benignissimi, qui cum anno salutis M. D. XI. hic iter haberet IN HIS aedibus hospitari voluit. Totam huius sacrae domus familiam ad BEATORUM pedum oscula humaniter admisit. Ad imitationem b. p. Francisci eam GRAVIBUS verbis hortatus est. Et sacellum Ierusalem nuncupatum visentibus ADMISSORUM veniam concessit. Postero die sacris auditis, stipem contulit POPULOQUE sancta benedictione lustrato discessit. Fr. Ioannes Bartolus a CARPO, huius coenobii secundo guardianus, ut ordini universo de tanti PONTIFICIS paterna benignitate in omne aevum constaret P. C. anno a SALUTE humano generi restituta M. DC. XIII. ab erectione coenobii C. L. X.

LXXXVI. Paulus a Tridento paravit sibi sepulcrum in ecclesia monasterii Clarissarum s. Caroli Roboreti, suis impensis erecta, de quo haec habetur incisa memoria: *Nobilis Paulus Trentinus huius templi in honorem Divi Caroli fundator nob. Laurae natae Prizziae coniugi dilectiss. sibique et posteris hoc FF. anno Domini MDCXIII. III. Septembris.*

ARGUMENTUM

Fratrum minorum gesta apud Batavos. Fidei negotium procurant in Iaponia, teterrima imperatoris persecutione exagitata, et apud Amazones. Neoelectus vicarius generalis confirmatur. Catholicis Valachiae succurritur et quaedam pro fratribus Galliae ordinantur. Caelestia petunt viri Dei ac virgines. Decedunt viri docti et florent. Instituuntur episcopi, et orbis pontificiis favoribus ditatur.

I. Cuncta hoc tempore tum divina tum humana haereticorum, Calvinistarum praesertim ira subversa erant in Batavia, in Frisia occidentali, in Transylvania aliisque conterminis locis. Adalbertus Eggius, Nicolaus Cancer aliique apostolici viri provinciae Coloniensis huic malo occurrerunt. Emicuit tamen inter eos Nicolaus Vigerius de Harlemio, saecularis sacerdos, qui ut primaevam religionis catholicae puritatem restitueret, nullis parcebat laboribus propriisque etiam impensis, solo aequatas ecclesias de novo erigebat, non paucos item a fide devios sui eloquii praestantia ad ecclesiae sinum adduxit, annis amplius viginti quatuor in divino hoc ministerio insumpsit. Mox inter fratres observantes coenobii de Alivas in provincia Coloniae adscriptus, comitem habuit in fidei negotio Arnoldum de Wydt eiusdem instituti, qui eodem animarum salvandarum zelo ducti plurimum adlaborarunt in hac vineae cultura, tribulis et spinis undique oppleta. Idem enim opus in aerumnis plurimis, in persecutionibus frequenter, in itineribus saepe et supra modum in plagis consummarunt.

(Melissanus in mss. recentiorum missionum francisc. lib. IX cap. 3.)

II. Dum franciscani extremam fidei operam navabant, Lovanio in Hollandiam advenit Sasboudus Vosmerus Adalbertus cum sociis suis, vicarii apostolici dignitatem omnium primus assequutus per Belgium foederatum. Coloniae et Lovanii et ipse erexit pro clero saeculari collegium eo consilio, ut haberet quamprimum et semper sufficientes ovium suarum curatores, et ut praecipua loca a regularibus pacifice possessa sui iuris faceret eosque privilegiis privaret. Hinc factum est, ut illi, in presbyteratus ordine vix constituti et per ditionem suam missi, regularium loca occuparint, publicoque decreto singulos missionarios semovit. Similia egit Philippus Rovenius, eius in vicariatu apostolico successor, qui tamen meliori ratione ductus, summum pontificem exoravit, ut mentem suam super haec aliaque aperiret, quod et praestitit vulgata prae ceteris sequenti littera.

(Vanden breviar. histor p. 185.)

Paulus Papa V.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes, ut in locis ditionum belgicarum tuae curae ratione officii vicarii apostolici commissis recte et fideliter omnia peragantur, tibi durante tuo officio huiusmodi plenam et amplam super omnibus

(Ex archiv. secr. brev. in mense Oct. p. 150.)

cuiusvis ordinis etiam mendicantium ac instituti etiam societatis Iesu ingredientibus provincias tibi commissas, tam in his, quae concernunt administrationem sacramentorum, quam circa doctrinam catholicam et disciplinam, etiam quod tales regulares habeant obedientiam suorum superiorum et missi sint religionis adiuvandae causa, dummodo tamen in eadem provincia non adsint superiores dictorum regularium ibi degentes, superioritatem et auctoritatem omnimodam ac eamdem, quam eorum superiores haberent, si in eisdem partibus residerent, ita ut illos et quemlibet eorum circa praemissa visitare, corrigere et reformare ac contradictores quoscunque per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia cogere et compellere possis et valeas, auctoritatem apostolicam tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quorumvis ordinum et institutorum regularium etiam dictae societatis Iesu iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis eisdem regularibus eorumque superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis. Quibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogantes, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XI. Octobris MDCXIV. pontificatus nostri anno X.

S. Cosellutius.

III. Non multo post e Iaponia discessum Ludovici Soteli franciscani, ut sibi a Voxuano dynasta demandatum oratoris munus apud Hispaniarum regem summumque pontificem expleret, novis ibidem procellis agitari incepit fides catholica, quae ab anno MDXCVIII. ad haec usque tempora cumulatissimos fructus ediderat. Pro cuius rei veritate retulisse sufficiat, quindena postremis hisce tribus annis incolarum ferme millia sacris undis ablutos fuisse. Tanti mali causam dederunt bonzi, idolorum cultores et Batavi mercatores, qui mendaciis et dolis Daifuzamam imperatorem circumvenientes, diu imperium incolume haud futurum eidem suadebant, nisi a suis ditionibus illam exterminaret. Tunc rex, ficta mansuetudine in furorem mutata, decretum anno elapso vulgatum praesenti tempore absolvit, quo iusserat, cunctos evangelicos ministros exilio mulctari. Hinc copiis missis in urbem Fuximi, Sacay, Osacae alioque, collectos ministros Dei quos habuerunt et navim impositos, alios in Insulas Philippinas, ceteros Amacanam Sinensium urbem magno christifidelium luctu intulerunt.

Martinez lib. III. p. 153.

Spondanus ad hunc ann. n. 70.

At eorum manibus effugerunt septem franciscani fratres, nimirum: Petrus Baptista, alius a Petro Baptista protomartyre Iaponensi, Didacus de s. Francisco, Apollinaris Franco, Ludovicus Gomez, Ioannes de s. Martha, Petrus ab Assumptione sacerdotes et Gabriel de Magdalena laicus, qui ibidem consulto permanserunt, ne operariis destituta foret illa tam electa Iaponiorum ecclesia. Licet autem duce Safioye, viro iniquissimo, cunctae Iaponicae urbes fidelium sanguine redundarent, quia nulli aetati, nulli sexui nullique conditioni parcebat, in urbes tamen Arimae, Naugasachi, et Meaci iidem fratres ardenti zelo latenter discurrebant, et verbo ac sacramentorum pabulo singulorum animos ad fidei constantiam erigebant. In ipso persecutionis aestu etiam ex optimatibus multi Christi baptisma susceperunt proprioque sanguine fidem confirmarunt.

IV. Inchoata fuit et hoc anno missio a fratribus custodiae s. Antonii Brasiliae inter Amazones incolas, qui in insulis Antillis inter Morangonem sive Origlianum et argenteum *Rio della Plata*, duo notissima flumina, inhabitant. Canibales quoque, id est fortes nuncupantur. Ad ostium Morangoni fluminis patet eiusdem nominis satis ampla civitas, Para etiam dicta, a qua illius regionis dominatio subinde exordium sumpsit. Ad sexcentas leucas extenditur, in cuius litus innumerae prorsus sunt nationes lingua, moribus ritibusque ita dissonae, ut etiam inter eas opus sit interprete. Gentem hanc ad humanitatis et religionis christianae sensum adducere cupiens Philippus III. Hispaniarum rex, iussit Gaspari a Sousa Brasiliae pro-regi, ut instructa quanta pro viribus valeret classe, ex Brasiliae oris eo missionarios mandaret. Hinc delecto Hieronymo Alburquerquio totius classis praefecto, in eam impositi fuerunt Cosmas a s. Damiano et Emmanuel a Pietate, sacerdotes fidei disseminandae zelo mire accensi. Anno MDCXVII. quatuor alii probatae vitae sodales eo advenere: Antonius a Marcenana commissarii titulo insignitus, Christophorus a s. Ioseph, Sebastianus a Rosario et Philippus a s. Bonaventura, qui licet ad tam amplam messem pauci, innumeros tamen ad Christi ovile adduxerunt. De ea franciscalium missione ne verbum quidem habet Patritius Witman, *storia universale delle cattoliche missioni* tom. 1. pag. 123.

Monum. prov. Brasiliae.

V. Summus pontifex electionem patris Antonii a Treio in vicarium generalem totius ordinis non modo approbat, sed insuper eum etiam *vicarium apostolicum generalem* nominat vulgato sequenti publico instrumento.

Paulus PP. V.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut ex insinuatione nobis tuo nomine facta accepimus, defuncto nuper ministro generali ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia, tu, a fratribus dicti ordinis pro electione

vicarii generalis in oppido (sive) civitate, nuncupato Matritii, Toletanae dioecesis, de mense Decembris anni proxime praeteriti, convocatis, in vicarium generalem dicti ordinis electus fueris: nos sperantes electionem de persona tua ob tuam prudentiam, doctrinam et religionis zelum, eidem ordini profuturam, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolvere et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati electionem de persona tua in vicarium generalem dicti ordinis, ut praefertur... de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium usque ad futuram ministri generalis electionem confirmamus et approbamus, ac omnes et quoscunque defectus etiam substantiales, si qui forsan intervenerint, supplemus. Et nihilominus amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, te eiusdem ordinis etiam *vicarium apostolicum generalem* cum omnibus et singulis facultatibus, privilegiis, praerogativis et indultis, quibus similes vicarii generales uti, frui et gaudere possunt, de similis potestatis plenitudine usque ad dictam ministri generalis electionem facimus et deputamus, mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dicti ordinis superioribus et fratribus quibuscunque, ut te in vicarium generalem ac etiam apostolicum ordinis praedicti recognoscant, tuisque monitis et mandatis salubribus prompte pareant et obediant ac tibi faveant et assistant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, non obstantibus felicis recordationis Gregorii XIII. sub datis die tertia Iunii MDLXXIX. et Clementis VIII. romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, super statu et regimine reformatorum dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eidem ordini illiusque superioribus quibuscunque, sub quibusvis tenoribus et formis etc... ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XI. Ianuarii 1614 pontificatus nostri anno IX.

Cobellutius.

VI. Radul, Valachiae Transalpinae princeps, ad succurrendum spiritualibus necessitatibus catholicorum sui principatus, rogat patrem Petrum Salinatem, episcopum Sophiensem, ut ex fratribus sui ordinis, qui in Bulgariae conventu Kiprovacensi habitant, aliquos ad alium Valachiae conventum Tergovistensem mitteret.

Radul Voivoda, filius Mihnae Voivodae, Dei gratia Valachiae Transalpinae princeps.

Reverendissime domine in Christo, pater nobis honorandissime, salutem ac benevolentiae nostrae paratissimam commendationem.

Generosus Petrus Boier, familiaris noster, instituit apud nos humiliter petens, ut non solum nostra in Romanos propensione, verum etiam illius servitiorum intuitu dignaremur reverendissimam paternitatem vestram requirere, quatenus auctoritate sua tres aut quatuor fratres ordinis minorum sancti Francisci, nuncupatos *de observantia*, hoc est de his, qui Chiprovatii, sicuti nobis mercatores eius dem loci testati sunt, degunt, ad monasterium s. Francisci in oppido nostro Targoviste ante annos plurimos ab eisdem religiosis fratribus exstructum, mittere non gravetur; nostrum enim desiderium est temporibus, quibus, divina favente gratia, et principatum gerimus et christifidelibus imperamus, ita eam in qua nati sumus orientalem ecclesiam sequi, ut ab antiqua romana eos, qui ab antiquo in istis partibus eius ritu usi sunt, non abstrahamus, sed utriusque ritus personas congrua pietate prosequamur atque utrique de ministris secundum vires et possibilitatem nostram provideamus: quapropter, cum monasterium supradictum non habeat ad praesens sufficientes fratres, sicuti olim habere consueverat, atque exinde non possint etiam omnibus romani ritus per varia loca nostri principatus constitutis satisfacere, aequum duximus reverendissimam paternitatem vestram, tanquam vicinum et nostrorum praedecessorum amantissimum, iterato convenire; nam alias nostras die 14 Iulii proxime praeteriti ad reverendissimam paternitatem vestram dedimus in similibus, et cum desiderio usque adhuc fratres praedictos expectabamus, qui fortassis iam et in itinere sunt, licet nondum ad nos pervenerint, ut, si eosdem non miserit, quantocius mittere velit. De eorum victu et necessitatibus non est cur paternitas vestra reverendissima recogitet aut moretur; monasterium enim habet nonnullos ex antiqua consuetudine certorum benefactorum munificentia legatos proventus, qui, ut accepimus, sufficientes sunt pro sex fratrum sustentatione honesta, ita ut cum duobus, qui ad praesens hic degunt, quatuor, quos a reverendissima paternitate vestra optamus, religiose vivere seque alere poterint. Quod si proventus annui aut insufficientes essent, aut aliquam ob causam deficerent, non deficiet Dominus concedere sufficientia, quibus illorum necessitatibus succurrere parati sumus. His reverendissimam vestram benevolentiam bene feliciterque valere a Domino ter op. max. exoptamus.

Archiv. s. congregat. de propaganda fide. Origin. vol. CCCIX. fol. 193.

Datum in oppido nostro Targoviste die 30 Septembris 1614.

R.ae V.ae obedientissimus
Radul Voivoda.

VII. Cardinalis viceprotector ordinis quaedam circa visitationem provinciae Andalusiae fratrum tertii ordinis sancti Francisci et capitulum in eadem celebrandum mandat.

Fabritius, miseratione divina tituli sancti Augustini presbyter cardinalis Verallus, totius ordinis minorum sancti Francisci de observantia ac fratrum ordinis de poenitentia nuncupatus viceprotector.

Regest. ultramont. famil. vol. II. fol. 156.

Cum, sicut accepimus, fratres tertii ordinis sancti Francisci provinciae Andalusiae et regni Granatens. ministro generali ordinis s. Francisci de observantia, nec non commissario generali nationali Hispaniae eiusdem ordinis sint subiecti, dictusque minister aut commissarius generalis teneantur intra sex menses, ante finem officii provincialis dictorum fratrum tertii ordinis, per se vel commissarium supradictam provinciam Andalusiae visitare ac capitulo eiusdem provinciae celebrando assistere, abhinc vero duobus annis et dimidio, licet provincia visitata fuerit, obtineri tamen non potuit, ut ipsum capitulum celebraretur, et cum haec dilatio redundet nedum, in grave praeiudicium boni regiminis et administrationis praedictae provinciae, sed et totius eiusdem tertii ordinis, et sit statutis contraria: proinde volentes nos officii nostri auctoritate his incommodis mature providere, vigore praesentium praecipimus et mandamus supradictis vicario generali ac commissario ab eo deputando vel iam deputato ex ordine dictorum fratrum de observantia ad dictam provinciam Andalusiae tertii ordinis, ut intra terminum duorum vel trium mensium, postquam in praedictam provinciam Andalusiae tertii ordinis praedictus commisarius deputandus vel iam deputatus ingressus sit, capitulum hoc omnino celebret, et inde provincialem, definitores aliosque officiales eligi permittat, iuxta eiusdem tertii ordinis statuta nec non dispositionem sacrorum canonum et concilii Tridentini. Quod si vero post supradictum terminum duorum vel trium mensium ab ingressu dicti commissarii nominandi vel iam nominati capitulum celebratum non fuerit, patri provinciali ordinis minorum de observantia provinciae Andalusiae ad praedictum capitulum celebrandum tribuimus facultatem; quodsi ipse intra tres vel quatuor dies, postquam fuerit requisitus ex parte fratrum dicti tertii ordinis, noluerit vel nequiverit istam commissionem admittere, et intra viginti dies ipsum capitulum celebrare: tunc pater vicarius provincialis tertii ordinis dictae provinciae Andalusiae, vel eo impedito, antiquior ex patribus provinciae capitulum praedictum convocare et ipsi praeesse valeat absque interventu dicti commissarii, dummodo vicarius generalis de facta huiusmodi capituli celebratione certior fiat, qui intra sex menses dictum provincialem confirmare vel infirmare valeat, et si hoc non fecerit intra dictum terminum, eo ipso existat confirmatus; praecipimus etiam et mandamus omnibus superioribus ordinis sancti Francisci et etiam eiusdem tertii ordinis superioribus et inferioribus, ne eiusmodi decreti nostri executionem impediant nec impedire praesumant, quae omnia supradicta in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis ipso facto incurrendae nec non privationis officiorum aliisque ecclesiasticis arbitrio nostro infli-

gendis poenis, tam a supradictis vicario generali et commissario ab eo deputato, quam a vicario provinciali omnibusque aliis fratribus dicti tertii ordinis et etiam ordinis de observantia, pro hac vice tantum, observari volumus. In quorum fidem et testimonium praesentes manu nostra signatas sigillique nostri impressione muniri et per secretarium nostrum subscribi iussimus.

Datum Romae in palatio nostrae solitae residentiae die 5 mensis Aprilis 1614.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

VIII. Cardinalis viceprotector ordinis ministro provinciae s. Bernardini in Gallia praecipit, ne interea temporis guardianos eligere audeat, nisi desuper novos ordines a reverendissimo p. vicario generali obtinuerit.

Fabritius, miseratione divina tituli s. Augustini s. r. e. presbyter cardinalis, Verallus nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regularis observantiae viceprotector, gubernator atque corrector, reverendo in Christo patri fratri Ioanni Andreae, provinciae s. Bernardini in Gallia provinciali ministro, salutem. Super speculam vestri regiminis constituti, quae convenientia videntur maturo consilio procuramus, quae vero inconvenientia apparere possunt abigere conamur. Cum itaque, sicut accepimus, in vestra provincia, cum custodiae tantum gaudebat nomine, capitulum custodiale celebraretur mense Octobris ante generale capitulum, in quo in provinciam noviter fuit erecta, et aliqua in futurum dubitatio oriri possit, an guardiani in dicto custodiali capitulo deputati suis officiis obsolvi debeant tribus annis naturalibus transactis, an vero durare usque ad celebrationem novi capituli dictae provinciae: praesentium tenore ad evitanda inconvenientia statuimus ac praecipimus tibi, quod nullatenus, dictis tribus annis naturalibus transactis, guardianos novos eligere audeas, cum in capitulo sequenti dictae provinciae cum aliis officiis, ut moris est, provideri debeant, nisi super his alium novum ordinem habueris reverendissimi patris vicarii generalis post harum nostrarum litterarum expeditionem, qui recte informatus super his, providebit quidquid secundum Deum melius videbitur expedire.

Datum Romae in nostro palatio 26 Maii 1614. Quod si aliquid vestra paternitas contra hoc habet, nos, quominus sic fieri debeat, certiores faciat, ut de opportuno remedio provideamus. Interim tamen nihil novi faciat.

Fabritius cardinalis Verallus viceprotector.

IX. Quia provincia s. Bernardini in Gallia ex duabus custodiis nempe s. Ludovici et Aquitaniae Antiquioris erecta, ob locorum distantiam nonnisi difficulter visitari potuit, cardinalis protector ordinis pro parte Aquitaniae commissarium provincialem nominat.

Pompeius, miseratione divina tituli sanctae Balbinae s. r. e. presbyter cardinalis, Arigonius nuncupatus, totius ordinis sancti Francisci regularis observantiae protector, gubernator atque corrector, omnibus dicti ordinis fratribus, ad quos quoquo modo hae nostrae patentes litterae pertinere videbuntur, salutem in Domino sempiternam. Cum in capitulo generali, proxime in Urbe celebrato de mense Iunii anno Domini millesimo sexcentesimo duodecimo, ob pacem et quietem servandam inter patres observantes et recollectos provinciarum Galliae, prius habito consilio patrum ordinis ac deliberatione facta, partibus utrisque consentientibus ac ante nos subscribentibus, ordinatum et statutum sit inter alia, quod ex custodiis recollectorum separatis duae erigerentur provinciae, videlicet sancti Dionysii in Francia et sancti Bernardini in Gallia, quae ultima erecta fuit ex custodia sancti Ludovici et Aquitaniae Antiquioris, cui et pater fr. Ioannes Andreas in ministrum provincialem praefectus fuit pro illa vice a ministro generali, et hucusque patres recollecti dictae olim custodiae Aquitaniae praedicto decreto obedire recusaverint aliquibus permoti de causis; nunc autem nomine totius custodiae pater fr. Silvester Grandis, conventus *Tutellae* actualis guardianus, sufficientibus ad hoc scripturis ostensis, quarum copiam in archivo religionis scribi iussimus, ante nos obedientiam praestaverit dicto patri fr. Ioanni Andreae, tanquam suo et aliorum omnium dictae provinciae s. Bernardini legitimo praelato, nec non et dicto nomine consenserit in eo, quod, ut supra, in capitulo generali ordinatum fuit, ut constat ex instrumento sua manu subscripto, quod in libris ordinis remanet, quippe tanquam minime contradicens nec repugnans bullae fel. rec. Clementis VIII. super reformatione confectae, immo ipsam reformationem amplectens ac fovens, ut in dies magis ac magis in Domino crescat: nos igitur dictum patrem fr. Silvestrum paterne in visceribus Christi recipientes, eoque audito, et reverendo admodum patre fr. Roderico de Portillo, ordinis procuratore generali consentiente, praesentibus in primis declaramus, dictos conventus pro nunc esse et pertinere ad dictam provinciam sancti Bernardini in Gallia noviter, sicut dictum est, erectam in capitulo generali, illorumque omnium fratres subditos esse illius provincialis ministri pro tempore existentis, cui obedire ac obedientiam praestare tenentur, sicut dictus pater fr. Silvester illorum nomine ante nos praestavit. Sed quia sanctissimus dominus noster sua constitutione in forma brevis expedita p. generali auctoritatem concesserit, quatenus, si sibi expedire videretur, dictam olim custodiam in provinciam erigeret, quod absque illius praesentia fieri nequit: nos interim, ne deinceps in gubernio dictorum conventuum aliqua sequantur inconvenientia, ordinamus dicto provinciali ministro, quod fratres dictae olim custodiae de conventu in conventum non transferat, nec illius statuta immutet, ne confusio postea inter fratres reperiatur. Cum autem dicta olim custodia Aquitaniae longe distet a custodia olim sancti Ludovici, ex quibus com-

Regest. ultramont. famil. vol. II. fol. 169.

pacta est dicta provincia s. Bernardini, nec commode negotia expediri queant absente ministro provinciali, a nobisque obnixe expostulatum fuerit, ut super his de opportuno remedio providere dignaremur: nos igitur desiderantes et, quantum cum Domino possumus, perpetuam inter religiosos pacem [conservare] volentes, in praedictis conventibus custodiae olim Aquitaniae commissarium provincialem instituimus et nominamus patrem fr. Paulinum de Neufrullars, discretum nunc custodialem, qui absente ministro provinciali omnibus praesit tanquam eorum legitimus praelatus cum omni auctoritate, potestate et iurisdictione, quam minister provincialis, si esset praesens, haberet. Quare praecipimus per sanctam obedientiam, in virtute Spiritus sancti, omnibus fratribus dictorum conventuum, ut dicto patri fr. Paulino, in absentia provincialis ministri, tanquam eorum omnium legitimo praelato in omnibus pareant et obediant, negotiaque omnia [ipse] determinet atque definiat, definitaque rata et firma esse volumus; de quibus dictum ministrum, tanquam eorum omnium legitimum praelatum, certiorem facere tenebitur. Quae omnia arbitrio et discretioni reverendissimi patris vicarii generalis relinquimus exhortamurque, ut quam citius ad praedictam provinciam perveniat, ac inconvenientia, quae in praedictarum custodiarum unione reperiuntur, diligenter examinet, visisque omnibus ac bene consideratis, si iustum et aequum ei visum fuerit, duas ex duabus custodiis provincias erigere secundum auctoritatem ei a sanctissimo domino nostro concessam erigat; sin minus in praemissis de opportuno remedio provideat, ita ut pax inter huiusmodi religiosos, ut decet, deinceps servetur. Ad quae omnia pertractanda concedimus licentiam et facultatem dicto patri fr. Paulino commissario provinciali, ut nomine dictae olim custodiae Aquitaniae cum reverendissimo p. vicario generali ea possit pertractare, usquedum peragat. Unde praecipimus per sanctam obedientiam, in virtute Spiritus sancti et sub poena excommunicationis maioris ipso facto incurrendae, omnibus patribus reformatis, ad quos hae nostrae patentes litterae pertinere videntur, ut eas in omnibus et per omnia servent illisque pareant et obediant. Quas nostra manu propria subscripsimus et sigillo in similibus uti solito muniri fecimus.

Datum Romae in palatio nostrae solitae habitationis 27 Augusti 1614.

Pompeius cardinalis Arigonius.

X. Studio fr. Petri Salinatis episcopi Sophiensis et aliorum fratrum hoc anno in oppido Bulgariae, Klisura dicto, erectus est conventus s. Michaelis Archangeli, fratribus de observantia, missionis Bulgariae, assignatus.

Conv. Klisura. Archiv. s. congreg. de propagand. fide. Original. vol. CCXIX. fol. 2. et 131.

XI. Hoc anno etiam senatus catholicus civitatis Lucerinae Helvetiorum eo egit apud sanctam sedem, ut fratres capucini ad eccle-

siam beatae Virginis Verdensteinae evocarentur, uti ex sequentibus secretarii pontificii litteris patet.

Perillustres Domini!

Cum vestrae dominationes sua mihi pia consilia commendant, libenti animo fero, ut pluribus mecum agant, quam mea in vos benevolentia requirit. Siquidem mihi gratissimum est pietati dominationum vestrarum id totum concedere, quod facit ad maiorem eius commendationem. Egi cum sanctissimo domino nostro de patribus capucinis evocandis ad ecclesiam b. Virginis Verdensteinae, et sicut suae sanctitati grata fuit religio vestra in ea ecclesia reparanda, ita gratissimum, ut a vestris dominationibus eadem colenda religiosissimae familiae tradatur. Spero fore, ut hoc ipsum pietatis dominationum vestrarum specimen satis futurum sit ad eos alliciendos; verum sua sanctitas procuratori generali eiusdem familiae mandare non praetermisit, ut devotioni rei vestrae publicae obsequatur; nisi grave aliquod incommodum obsit. Quod cum fusius helveticae custodiae capitaneus dominationibus vestris renuntiaturus sit, ego illis omnem a Deo felicitatem exoro et meam paratam operam defero.

Romae 12 Iulii 1614.

Archiv. vatic. secr. Paul. V. litter. ad princip. viros 16. fol. 384.

XII. Limae in regno Peruviano die IV. Decembris spiritum Deo reddidit Franciscus de Torre Lusitanus sacerdos, laborum particeps s. Francisci Solani in conversione infidelium. Nullam requiem dabat corpori suo, et contumeliis oneratus laeto vultu se omnibus praebebat. Corpus interim edomabat assiduis vigiliis et poenalitatibus. Morti proximus sacrum Christi corpus flexis genibus recepit. Dirum ulcus, quod vivens male olebat, post sui occasum suavissimum odorem spiravit. Maximum sanctitatis nomen ubique reliquit.

Franciscus de Torre.

De Corduba in vita s. Francisci Solani.

XIII. In conventu s. Francisci Goae in India orientali raptus est die XXIX. Martii Petrus ignotae regionis; nocte ac die assiduus in fundendis precibus ante imaginem ss. Crucifixi, inter quas lacrymas, colloquia et suspiria miscebat. Validum luctamen cum daemone sustinuit morti proximus, eum tamen devicit invocato s. patris Francisci nomine, cui adparens dixit sanctus: *Confide, fili, in Dei misericordia et salvus eris.*

Petrus N.

Agiologium Lusitan. ad diem 29 Martii.

XIV. Quievit in conventu s. Francisci Baetiae provinciae Granatensis Ioannes de s. Francisco, in saeculo utraque iure doctoris laurea decoratus. Humilitatis gratia inter laicos adnumerari voluit, et viliora semper monasterii munia obivit. Vitam duxit asperitatis plenam; praeter catenam ferream, qua lumbos stringebat, quotidie solo pane et aqua reficiebatur. Summo fragrabat obsequio erga ss. Eucharistiae sacramentum, noctes enim ducebat insomnes, ut tam ineffabile mysterium recoleret. Decessit vix illis dictis: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Vulgata morte, incolae ad eius funus

Ioannes de s. Francisco.

De Torres p. 7?5

accurrentes mutuo dicebant: *eamus ad videndum Sanctum, quia iam obiit.*

XV. Ubetae in ecclesia s. Francisci eiusdem provinciae tumulum nactus est Ioannes Garrido ex tertio ordine de poenitentia, vigiliis, ieiuniis aliisque corporis macerationibus commendatus. Tanta in dicendo suavitate exornabatur, ut audientium corda ad Deum diligendum inflammaret et ad sectandam virtutem excitaret. Ioannes Garrido. Idem p. 812.

XVI. Obiit Michael de Cazorla item ex tertio ordine s. Francisci de poenitentia, qui ab anno aetatis suae XXVIII., defuncta uxore, solitaria loca petens, vitam eremiticam ducebat penes aedem Dominae nostrae de la Cabeça de Serra-Morena, dioecesis Illiturgensis in Vandalitia. Verum eius sanctitatis fama cum vulgata esset per contermina loca, ad alterum eremitorium de la Nova se recepit, ubi sibi instructo tuguriolo multis asperitatibus operam dabat. Nudis pedibus incedebat, et algente hyeme et urente sole ad corporis medietatem denudatus crucemque altera manu tenens, dire se flagris caedebat. Saepe interim magni ponderis crucem sibi imponebat et ab ima ad verticem usque montis deferebat. Defuncti corpus illatum fuit in parochialem ecclesiam Villae de Baylen, quo prae ceteris humeris suis illud adduxit Petrus de Ponce de Luna, dux de Arcos. Eius parentalia solemnia fuere, et e rostris dixit Bartholomaeus de Vera, franciscanus de observantia, cuius etiam vitam scripsit. Haec ignota fuere et Waddingo et Sbaraleae. Michael de Cazorla. Idem ibidem.

XVII. Cessit e vita in provincia Angelorum Petrus, natus in oppido de Constantina, dioecesis Matritensis, fervidus Dei praeco et pluries coenobiorum suae provinciae guardianus. Prae suae doctrinae et sanctitatis praestantia extitit confessionibus regalis monasterii discalceatarum Matriti. Precibus incessanter vacabat carnisque petulantiam abstinentia ac cilicio edomabat. Petrus de Constantina. De Guadalupe p. 393

XVIII. Meritis multis cumulatus occubuit in conventu s. Francisci Alanquaerii in provincia Portugalliae Ioannes Freire, qui cum adnavigans in Peruvianum regnum varia expertus esset vitae discrimina, inter laicos franciscanae observantium familiae adscriptus, precibus et austeritatibus sedulo vacabat. Caritate Dei vulneratus, inter missarum solemnia lacrymarum imbres perfundebatur. Morti proximus ea repetebat: *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Illis autem prolatis: *Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meae recordatus est nominis mei*, excessit e vita. Ioannes Freire. De Esperanza tom. 1 p. 105. Psal. 12. v. 5.

XIX. In conventu s. Zitae Ulyssipone obdormivit in Domino Bartholomaeus a Conceptione ex tertio claustralium s. Francisci instituto, vir eximiae virtutis et concionator apostolicus. Mortis suae diem triduo antea praedixit illius coenobii valetudinario; eius parentalia solemni ritu celebrata fuerunt. Bartholomaeus a Conceptione. Idem ibidem p. 622.

XX. Octogenario maior obiit in provincia Arrabidorum Matthaeus a Matre Dei, in saeculo doctoris laurea decoratus in sacra theologia. Alta mente divina recolebat, et extra se factus, eius facies caelesti- Matthaeus a Matre Dei. Monum. provinciae.

bus profusa splendoribus videbatur. Prophetiae dono et miraculorum gloria inclaruit.

Ioannes Baptista Vitalis. Panes p. 502.

XXI. Villae regiae in conventu Rosarii, provinciae discalceatorum s. Ioannis Baptistae, pie decessit Ioannes Baptista Vitalis sacerdos, antea minoritis de observantia adscriptus in provincia Sardiniae. Quotidie ferreis flagellis se caedebat, vel mordaci cilicio membra edomabat. Maximum peccatorem se inclamans, e coenobio ad oppidum Almanense se conferebat, magnam baiulans crucem spinisque coronatus; quare incolae commoti, multis clamoribus a Deo misericordiam implorabant.

Hieronymus a Neapoli. Mazzara t. I. p. 333.

XXII. Die XXIII. Martii naturae debitum solvit in conventu s. Crucis Neapoli Hieronymus Neapolitanus, laicus ex fratrum reformatorum ordine. Florenti in aetate licet militarem vitam sequutus, ea tamen erat pietate, ut precibus incumberet et ecclesias frequentaret. In instituto mira sanctitatis et virtutis exempla praebuit. Ignita in Deum caritas ostendebatur in eius facie vivissima luce circumfusa, tantoque cordis dolore de commissis peccatis afficiebatur, ut verbis publicani usus, sibi pectus percutiens, diceret: *Deus propitius esto mihi maximo peccatori.* Diurnum luctamen sustinuit cum daemone, quem devicit orationis praesidio.

Antonius a Montella. Idem tom. II. p. 105.

Die V. Februarii in eodem coenobio obiit Antonius a Montella item laicus, innocentia vitae exornatus. Carnis illecebris diu exagitatus fuit, sed Iesu Christi agones meditatus membris fraenum imponebat.

Franciscus a Camerata. Idem tom. III p. 380.

XXIII. In conventu s. Mariae Gratiarum apud oppidum Burgi in provincia Siciliae dormitionis requiem accepit die XXIX. Aprilis Franciscus a Camerata laicus, qui stultus pro Christo factus, multis virtutibus claruit, corporis praesertim maceratione; nunquam lectum ac cellam admisit; rudi interim tunica ac cilicio contentus, nudis semper pedibus incedebat. Suae mortis diem praedixit et miraculorum gloria claruit.

Vincentius a Liontino. Pirrus tom. I. p. 674.

Calatagirone in coenobio s. Mariae de Misericordia eiusdem provinciae obiit Vincentius a Liontino item laicus, qui de se non modicam apud omnes sanctitatis opinionem reliquit.

Paulinus Lucensis. Monum. prov.

XXIV. Reatae in coenobio s. Antonii provinciae Romanae obiit die XXII. Decembris Paulinus sacerdos, natus Lucae in Tuscia. Nocte orationi et divinarum rerum contemplationi, die vero in audiendis christifidelium confessionibus, et aliquando absque potu et cibo, totus erat intentus. Id vitae genus usque ad senectutem prosequutus est.

Gabriel a s. Severino. Monum. prov.

XXV. In conventu s. Francisci Aesii in provincia Marchiae obiit etiam inter eos die XVI. Aprilis Gabriel a s. Severino, qui licet esset grandaevae aetatis, iugiter tamen precibus in ecclesia vacabat. Paupertatis cultor eximius, nisi habitum, quo tegebatur, in cella habebat.

Matthaeus de Bassi. Monum. prov.

Pisauri in conventu s. Ioannis Baptistae eiusdem provinciae occubuit Matthaeus de Bassi laicus octogenarius, corporis maceratione praestans.

XXVI. In capucinorum familia plures viri Dei occubuerunt. In conventu oppidi s. Romuli in provincia Genuae Hieronymus laicus

ibidem natus, vitae austeritate, iugi oratione, heroica patientia singularique erga ss. Eucharistiae sacramentum devotione commendatus. In conventu Apricennae provinciae s. Angeli diem clausit extremum Athanasius a Capua sacerdos, qui tanta fuit carnis maceratione, ut ab omni ferme potationis genere abstinuerit, et carnis, piscium, ovorum ac fructuum usu reiecto, solo pane famem sedaverit. Corpus post mortem odorem suavissimum efflavit. Intici in eadem provincia occubuit Laurentius Hispanus sacerdos; vir fuit admirandae patientiae, diu enim corpus habuit foedis ulceribus plenum; graves tamen cruciatus liniebat assiduae orationis et contemplationis studio. Obiit etiam in eadem provincia Thomas a Trivento sacerdos et provinciae administer, sedulus cultor altissimae paupertatis et orationis. Dum conciones haberet apud oppidum Candelae in laudata provincia, migravit e vita Franciscus ab Apicenna sacerdos, qui a pueritia usque ad senectam membra edomuit omni vitae austeritate. Singulari quoque pietate sacrum quotidie celebrabat, praemissis diuturni temporis piis precibus et meditationibus.

Hieronymus a s. Romulo. De Pise tom. III. p. 30.

Athanasius a Capua. Idem ibid. p. 32.

Laurentius Hispanus. Idem ibid. p. 33.

Thomas a Trivento. Idem ibid. p. 34.

Franciscus ab Apicenna. Idem ibid. p. 35.

XXVII. Decessit in conventu Andriae, provinciae Barensis, Donatus Trivianensis laicus, qui tanta suavitate spiritus in oratione perfundebatur, ut ante matutinas horas surgens, diu etiam iis peractis, longas in ea vigilias duceret totus in lacrymas effusus. Roggiani occubuit Bernardinus Hispanus item laicus, antea militaribus copiis catholici regis addictus, qui corpus suum flagellis, vigiliis et ieiuniis edomabat; curationum dono et prophetia inclaruit; morti proximus recreatus fuit visione beatae Mariae virginis, quam impense venerabatur. Obiit Neapoli Aegidius laicus ea in urbe natus. Sedulus castitatis cultor, impudicam mulierem a turpi quaestu revocavit, tantaque mox illa animi compunctione sauciata fuit, ut lacrymis profusa, castitatem ad extremum usque servaverit. In conventu Melitae, provinciae Syracusanae, raptus est Clemens a Ragusia clericus. Hispido cilicio die noctuque utebatur et circulum ferreum adiicere consueverat, ut carnis insolentiam cohiberet; viliora quaeque coenobii munia laetus obibat. Ibidem decessit et hoc anno die VIII. Maii Adrianus ab Enna laicus, ss. Michaelis et patris Francisci visione in morte recreatus, quos per totum vitae cursum magna semper veneratione prosequutus fuerat. Arcta panis et aquae inedia, in qua maiorem anni partem transire consueverat, corpus extenuabat; prophetiis et miraculis claruit.

Donatus Trivianensis. Idem ibid. p. 37.

Bernardinus Hispanus. Idem ibid. p. 39.

Aegidius a Neapoli. Idem ibid. p. 40.

Clemens a Ragusia. Idem ibid. p. 41.

Adrianus ab Enna. Idem ibid. p. 44.

XXVIII. In Messanensi provincia commendatur memoria Iosephi a Randatio sacerdotis, Alexandri Messanensis clerici et Francisci a Castrobono laici, quorum primus sanctitatis suae famam miraculis confirmavit; alter vero vitam suam inter mirandas ecstases, apparitiones virtutesque traduxit; postremus vero ob inculpatam in agendo rationem curationis donum a Deo cumulate obtinuit.

Ioseph a Randatio, Alexander Messanensis et Franciscus a Castrobono. Idem ibid. p. 48.

XXIX. Picenam provinciam beato fine nobilitarunt Iacobus Asculanus et Ioannes a Camerino laici, ambo ita occupati in fundendis

Iacobus ab Asculo et Ioannes a Camerino.

Idem ibid. p. 51. precibus, in infirmorum cura, in humilitatis exercitiis aliisque piis operibus, ut sanctitatis perfectionem attigisse viderentur.

Ignatius a Monzone. Idem ibid. p. 55. XXX. Die XVIII. Decembris in conventu Ariolae, provinciae Valentiae, invocato Iesu, Mariae ac Iosephi nomine, cessit e vita Ignatius a Monzone sacerdos, capucinis adscriptus in provincia Mediolanensi. Iuvenili in aetate militavit sub catholico Hispaniarum rege, at tanta pietate et puritate, ut illibatum se custodierit. A Deo in capucinorum institutum vocatus, virtutis semitam, quam arripuerat, prosequutus est ad mortem usque. In primis refulsit in eo altissima paupertas, eximia obedientia et iuge orationis studium. Martyrii desiderio incensus optabat pro Christo animam ponere; sed spe frustratus sedulam caritatem suam erga Deum auxit modis omnibus. Iisdem caritatis flammis erga proximum succensus, de cuius salute tam spirituali quam corporali procuranda valde sollicitus fuit. Admirabile nomen Iesu tanta pietate prosequebatur, ut, ipso vel invocato vel scripto, pluribus aegris sanitatem contulerit. Singulari item affectu Deiparam immaculatae conceptionis titulo venerabatur, affirmans, talem devotionem contra carnis illecebras efficax esse remedium. Multa postremo praedixit et occulta revelavit et post sui obitum miraculis coruscavit.

Leo Venetus. Idem ibid. p. 69. XXXI. In coenobio Portavino, provinciae Venetae, obiit Leo Venetus sacerdos, austeritate vitae spectabilis etiam in saeculo. Ordinem ingressus, ceteras virtutes summo studio prosequutus est ita, ut sibi sodalium suorum aliorumque benevolentiam conciliaverit. In coenobio Grassensi, in provincia s. Ludovici, occubuit Amadeus a Carpentoracto sacerdos. Peculiari dilectione Dei dives, cum de Deo ac divinis vel coram fratribus vel cum saecularibus loqueretur, audientium corda eodem igne, quo et ipse ardebat, incendebat. Eiusdem provinciae filius decessit in conventu Arelatensi Theodosius ab Aquis Sextiis sacerdos, vitae innocentia, morum integritate et insigni prudentia exornatus. Pictaviensi in coenobio, provinciae Turoniae, obiit Valentinus Nannetensis, fervidus Dei praeco; ardenter enim in vitia invehebatur ac divini sermonis gladio instructus, multos devios ad bonam frugem adducebat. Bis et aliquando ter in die, ubi opus esset, Dei verbum ex suggestu annuntiabat. Expletis concionibus, precibus et caelestibus meditationibus sedulam operam navabat.

Amadeus a Carpentoracto. Idem ibid. p. 71.

Theodosius ab Aquis Sextiis. Idem ibid. p. 72.

Valentinus Nannetensis. Idem ibid. p. 73.

Ioannes Maurianensis. Idem ibid. p. 80. XXXII. Spiritum Deo reddidit in conventu Camberiensi, in provincia Sabaudiae, Ioannes Maurianensis sacerdos, de quo plura habet Marcellinus de Pise. In saeculo parochi munus inculpate obivit; at Dei servus sciens, inter mundanas curas degentes tot distractionum fluctibus velut obrui, de capessendo capucinorum instituto animum intendit. Quare eorumdem habitu indutus, totius perfectionis religiosae speculum se praebuit. Tantae erat humilitatis, ut se omnium scelestissimum existimaret. Castitatis cultor eximius, oculos nunquam iniecit in mulierum faciem, mentisque puritatem sepivit assiduo orationis et contemplationis studio; corpus interim macerabat ieiuniis et flagellis. Mortuus inclaruit miraculis et post aliquot annos, inspecto

corpore, omnis corruptionis expers repertus fuit. Facti memoriam exhibet idem Marcellinus de Pise in anno MDCXXII., quo eius corpus iuridice fuit recognitum.

XXXIII. In provincia Lugdunensi obiit in conventu Lugduni Antonius Turnonensis, sacerdos et concionator, commendatus prae sua animi simplicitate, regulari observantia, invicta patientia. In conventu Illerdae obiit Antonius a Salvaterra item sacerdos, in oratione assiduus. Sola simplici ac rudi tunica contentus, saeviente licet hyeme nudis pedibus incedebat, unde et prae frigoris acerbitate saepius gravem alicuius morbi contractionem caro illius livida minabatur, tamen id vitae genus excoluit usque ad sui obitum.

Antonius Turnonensis. Idem ibid. p. 119.

Antonius a Salvaterra. Idem. ibid. p. 120.

XXXIV. Quaedam et hoc anno sanctimoniales ordinis obiere. In monasterio s. Annae Fulginei, in provincia Umbriae, rapta est die XXIII. Ianuarii Ioanna ibidem nata. Pietatis spiritu cumulata, dies et noctes ferme insumebat in fundendis Deo precibus. Sublata etiam fuit in monasterio ss. Trinitatis Eugubii eiusdem provinciae Raphaela Vecchi, eadem in urbe nata, virgo invictae patientiae eximiaeque puritatis. In oratione saepe dignata fuit visione beatae Virginis, quam impense colebat. Die XXIX. Maii obiit in monasterio ss. Trinitatis Tridenti Elisabeth Alexandrina, diu a Deo probata crebris gravibusque morbis, in quibus eum laeta benedicebat.

Ioanna a Fulgineo. Arturus ad diem 23 Ianuarii.

Raphaela Vecchi. Mazzara tom. IV. p. 128.

Elisabeth Alexandrina. Greiderer tom. II. p. 529.

XXXV. Vix expleto a monialibus ss. apostolorum symbolo, quod sibi petierat recitari, pie occubuit in monasterio s. Clarae Stellae, in provincia Burgensi, Catharina de Erra, vitae austeritate, silentio et divinis contemplationibus praestans, in quibus lacrymarum dono exornabatur. In monasterio s. Clarae Arendi eiusdem provinciae obiit Maria Fernandez, in urbe Calaguritana nobilibus parentibus orta, quae ab infantia in virtutum tyrocinio edocta, miros edidit virtutis fructus in instituto. Ea enim tanta humilitate, oratione et corporis maceratione erat, ut cunctis sororibus se praeberet totius perfectionis exemplar.

Catharina de Erra. Monum. provinc.

Maria Fernandez. Monum. provinc.

XXXVI. Apud monasterium ss. Trinitatis, tertii ordinis Villae Vergarensis in provincia Cantabriae, magno suae sanctitatis odore relicto, obiit Maria a Praesentatione, nata in oppido de Placentia, quinto milliari ab eadem villa. In ea provincia plures sunt aedes monialium tertii ordinis. Hoc Vergarense collegium anno MDLXXXII. ab eisdem sororibus inhabitatum fuit.

Maria a Praesentatione. Monum. provinc.

XXXVII. Aetatis anno XXXIV. caelestia petivit die XXII. Novembris in monasterio s. Clarae Constantinae, in provincia Angelorum, Catharina de s. Aloisio. Divinis benedictionibus praeventa, anno aetatis suae sexto pedibus etiam hyemali tempore nudatis incedebat. In monasterium ingressa, pro lectulo nudam terram vel tabulam, supposito ad caput lapide, habuit. Corpus asperrimo cilicio ferreisque flagellis cruentabat, singulisque diebus reficiebatur pane duntaxat et aqua. Expletis muniis sibi ab obedientia commissis, partem diei ac noctis insumebat in recolenda sponsi sui Iesu passione, suavia tunc verba eructabat miscebatque lacrymarum imbre.

Catharina de s. Aloisio. De Guadalupe p. 584.

XXXVIII. In monasterio s. Iosephi Guadalcanalis eiusdem provinciae dies complevit suos Ioanna a s. Clara, vitae puritate exornata. Ut autem immaculatam se custodiret, ieiuniis, asperitatibus et vigiliis carnem edomabat. Hoc in monasterio florebat eo tempore eius germana Maria Evangelista, cuius spiritum pleuissime hauserat. Decessit per id tempus in eodem monasterio Maria de Cruce, quae praeter assidua ieiunia corpus castigabat cilicio et flagellis.

Ioanna a s. Clara. Idem p. 617.

Maria Evangelista. Idem ibid.

Maria de Cruce. Idem p. 618.

XXXIX. Ianuarii die XIX. obiit in monasterio Iesu Mariae de Setuval in Lusitania Maria de Columna, virgo fervidae erga Deum caritatis et singularis corporis mortificationis. In eodem monasterio pie et occubuit die VI. Februarii Margarita de Cruce, quae quotidie solo pane et aqua nutriebatur, revincta interim tam asperrimo cilicio, ut profunde carni adhaereret; miro compassionis affectu recolebat sponsi sui Iesu passionem. Facie vivida luce perfusa, decessit, habens inter ulnas ss. Crucifixi imaginem, quem verbis dulcissimis alloquebatur.

Maria de Columna Agiologium Lusitan. ad diem 19. Ianuarii.

Margarita de Cruce. Ibid. ad diem 6. Februarii.

XL. Eborae in provincia Algarbiorum in monasterio Calvarii erepta est die VII. Aprilis Leonora Baptista, caritate Dei et proximi vulnerata; triginta tribus annis valido morbo percussa, Deum collaudabat assidue in sua infirmitate. Eodem anno ac die obiit in monasterio Iesu de Setuval eiusdem provinciae Antonia de Cagas, quae diu infirmarum sororum curam egit, quibus solatio erat suo eloquio suavi; de nocte caelestia meditabatur et cruentis flagellis in corpus saeviebat.

Leonora Baptista. Ibid. ad diem 7. Aprilis.

Antonia de Cagas. Idem ibid.

XLI. Die XVIII. Maii cursum vitae complevit in monasterio s. Clarae Conimbriae Marianna de Silva, abstinentia, vigiliis et austeritatibus eximia. Licet angelicis moribus ditata, amicta tamen erat aspero cilicio; post mortem corpus suavi odore fragravit. Eadem die obiit in monasterio tertii ordinis s. Annae Ulyssipone Martha de Montecalvario, innocentia vitae ita decorata, ut in ea Adam non peccasse videretur. Impense colebat ss. Trinitatis mysterium meruitque eadem die huic saeculo valedicere; id enim enixe a Deo postulaverat.

Marianna de Silva. Idem ibid. ad diem 18. Maii.

Martha de Montecalvario. Idem ibid.

XLII. Aetatis suae anno XXIX. Hyacintham Marescotti, monialem professam, in monasterio tertii ordinis s. Bernardini Viterbii a laxiori vivendi ratione, quam per decennium infeliciter duxerat, revocavit Deus singulari sua misericordia. Cum enim pro expianda conscientia Antonio Bianchetti minoritae de observantia, monasterii confessario nuper designato, cui eius agendi modus innotuerat, praesto esset, praemissa gravi animadversione, eam audire noluit eique dixit: *superbis infernum, infernum.* Quae audiens Hyacintha, extra se velut facta, eidem confessario respondit: *Pater, nullum est animae meae remedium? ergo in monasterium adveni, ut peream? Nonne Deus qui ad eum confugiunt benevole recipit?* Cui ille ita est, respondit; remedia autem sunt, ut cuncta dimittas, et ob offendicula sororibus data coram eis in publica mensa te caedas. Aegre haec tulit et, licet invita, flagris tamen se percussit; at distulit alterum de cunctis renuntiandis mandatum.

Annal. min. ad ann. 1585 n. 40. ad ann. 1604. n. 21.

XLIII. Ut autem illam a mundanis vanitatibus revocaret Deus, gravi infirmitate plurium mensium spatio corripuit. Aegrotans pro-

positum, impigre se daturam virtutum exercitio, si convalesceret, edidit. Verum ut primaevam sanitatem obtinuit, eius oblita intra se cogitabat: *valetudinem meam, non vero vitae meae sanctitatem curabo; ero sicut ceterae monasterii sorores.* Cum haec diceret, oculos in s. Catharinae Senensis imaginem iniecit et sequentia in ea scripta notavit: *Quid volo, Domine, extra te, aut quid velim?* Mox corde contrito lacrymarumque imbre perfusa ita Beatam deprecata est: *O gloriosa Catharina, mihi succurre, tu es semita mea, tu apud Deum advocata mea; impetra mihi fortitudinem infirmitati meae.*

XLIV. Hinc superno quodam spiritu innovata, genibus coram abbatissa provoluta, sic Deum precata est: *Tibi, Domine, cuncta mea renuntio; tu es portio mea, tu es mihi omne bonum.* Singula igitur sua eidem abbatissae concredidit, et tunica qua erat amicta demissa, alteram attritam ac multis segminibus consarcinatam cuiusdam religiosi viri mox defuncti a suo confessario eidem concessam induit. Tantam exinde vitae asperitatem arripuit, ut corpus ieiuniis, flagellis, vigiliis, ciliciis, catenis aliisque cruciatibus iugiter domaret.

XLV. Beati Nevolonis Faventini acta in Annalibus nostris praetermissa, brevi calamo notamus. Eum adscriptum fuisse inter oblatos, ut vocant, monachorum Camaldulensium putant non pauci scriptores. Cantinellus autem, eiusdem beati coaevus, in vita quam de eo latinam scripsit, et Iulius Caesar Parini, ex eremitanis s. Augustini congregationis Lombardiae, in opere *il pellegrino indefesso* nomen dedisse fratribus tertii ordinis s. Francisci de poenitentia, tradunt. Is Faventiae in Aemilia praedivitibus parentibus anno MCCI. lucem aspexit. Calente in aetate sensim ad vitia declinavit, licet saepe a Maria matre sua, quem unicum genuerat, obiurgatus, id vitae genus etiam in coniugio duxit, donec anno aetatis suae XXIV. gravi infirmitate correptus, perditionis semitam, quam arripuerat, dimisit, novumque hominem secundum Deum induit. Hinc facti poenitens, corpus ieiuniis ac flagellis ferreis edomabat, et ad opera misericordiae pronus manus suas ita aperiebat egenis, ut brevi post tempore in summam egestatem devenerit.

Annales Camaldulens tom. V. Mazzara tom. VII. p. 456.

XLVI. Defuncta matre, nudis pedibus, capite denudato ac vili habitu indutus, primum Compostellanam peregrinationem, mox vero Romanam instituit, ut pietatem quam impense fovebat erga s. apostolorum principem et s. Iacobum apostolum expleret. Subinde petitis indulgens uxoris suae, una simul cum ipsa peregrini habitu induta iterum Compostellanum iter suscepit. Verum cum ad Pyrenaeos montes advenissent hyemali tempore, ita corporis languore percussa fuit mulier, ut morti proxima videretur. Tunc ille commiseratione ductus, ab ipsa efflagitavit, quo modo vires suas reficere valeret. Cum autem cerasias edendi desiderium eidem aperuisset, mox fusis a beato ad Deum precibus, extemplo cerasias obtinuit ex arboris ramo virentibus foliis spoliato.

XLVII. Ut Faventiam ex Compostellana peregrinatione redierunt,

eius uxor Maria mortalitatis sarcinam ibidem deposuit. Quare beatus matrimonii vinculis solutus cuncta sua vendidit deditque pauperibus, et ad Urbem iterum accessit visitandi causa ss. apostolorum aliorumque sanctorum corpora.

XLVIII. Faventiae in urbe sodalitium piorum virorum fundavit, quibus cura esset concordiam inter cives factionibus et odiis eo tempore subversam fovere infirmisque opitulari in valetudinario s. Mariae de Misericordia, postea a b. Nevolone appellato. Miro ex tunc exardescebat amore erga ss. Eucharistiae sacramentum, sacrum Christi corpus intense adorans, genibus denudatis super terram positis. Non semel raro prodigio, clausis de nocte foribus, in cathedralem ecclesiam oraturus intravit.

XLIX. Cum autem eo tempore prope dictum valetudinarium b. Mariae de Misericordia quidam pii viri, ieiuniis, vigiliis et corporis macerationibus intenti, praeside fratre Laurentio eremita Camaldulensi, aedem incolerent, idem beatus eisdem adhaesit oblati titulo, licet habitu indutus fratrum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia. Communem eorumdem vivendi morem assequutus, super nudam tabulam vel super terram cubabat, cilicio asperrimo revinctus soloque pane et aqua enutritus.

L. Anno MCCLXXV. Gherardi, Camaldulensium supremi ordinis praesidis, mandato cautum eidem beato fuit, ne ob grandaevam aetatem suam ullam ulterius sanctorum locorum visitationem instituеret, sed eorum loco vigiliis et precibus incumberet (duodecim enim ad Urbem, decem vero ad s. Iacobum in Hispania iam absolverat peregrinationes); paruit illico beatus, at non multo post nuntium vicinae mortis laetus accepit, quam pretiosam in conspectu Domini habuit die XXVII. Iulii anno MCCLXXX. Eius obitus vulgatus fuit, nullo pulsante, improviso aeris campanae sonitu; sodales sui illico cellam petentes, eum genibus flexis viventi similem invenerunt, cui propius accedentes iam mortuum noverunt. Hinc indicta solenni supplicatione, episcopus, clerus et urbis optimates corpus viri Dei in cathedralem ecclesiam intulere.

LI. Expleto solemni funere, cum sanctitatis fama et miraculorum gloria et vivus et mortuus floruisset, beati corpus marmorea in arca sepositum fuit in sacello eius nomini sacro. Anno MDCXIV. die VII. Ianuarii ad pedes laudati beati sequens monumentum positum fuit.

℟ ℟

BEATUS . NEVOLONUS . FAVENTINUS.
PEREGRINATIONIBUS . ABSTINENTIA.
DISCIPLINA . CHARITATE . MIRACULIS . CLARUS.
OBDORMIVIT . IN . DOMINO . MCCLXXX.
SEX . KAL . AUG.
CORPUS . EIUS . HIC . DIU . CONDITUM.
HERMINIUS . CARD . DE . VALENTIBUS.
SUB . PROXIMO . S . MARIAE . DE . POPULO.
ALTARE . SERVANDUM . STATUIT.
MDCXIIII . UNIVERSITAS . SUTORUM.
ET . CORIARIORUM . DIVO . SUO . ADVOCATO.
IN . SITU . EODEM . UBI . IPSE . CLAUSIS . VALVIS.
TEMPLUM . NOCTU . INGRESSUS . ORARE.
SAEPE . VISUS . EST . MEMORIAM . POSUIT.
ASSENTIENTE . CANONICORUM . COLLEGIO.
IULIO . MONTERENTIO . PRAESULE . MDCXX.

LII. Cetera de eo acta docet memoria, sicut et synopsis Beati vitae scripta a cl. viro Andrea Strocchi, canonico praeposito cathedralis ecclesiae Faventinae, mihi perhumaniter missa.

DEO . OPTIMO . MAXIMO.
EXORATO.
SUPPLICATIONES . IN . TRIDUUM.
ORATIARUM . AGENDARUM . CAUSSA.
QUOD.
CULTUM . AB . IMMEMORABILI.
BEATO . NEVOLONI.
TRIBUTUM.
ORDINE . DECURIONUM.
CORPORIBUSQUE . SUTORUM . CORIARIORUMQUE.
FAVENTINORUM . CURANTIBUS.
SUMMUS . PONTIFEX . PIUS VII.
RATUM.
SANXERIT . EDIXERIT.
ADESTE . CIVES . ADESTE.
CONCIVIS . NOSTRI.
PATRONI . COELESTIS . HONOREM.
GRATULATI.
OPEM . ADPRECAMINOR.

LIII. Curante Alphonso de Espinosa, vicario monasterii tertii ordinis s. Crucis prope oppidum Cubae, Toletanae dioecesis in provincia Annal. min. ad ann. 1534. n. 65.

Castellae, die I. Novembris corpus Ioannae a Cruce ibidem anno MDXXXIV. magna cum sanctitatis fama defunctae, occlusum fuit argentea in arca, valoris quinque millium aureorum affabre, impensis earumdem monialium, instructa. Pium ritum honestarunt Antonius de Treio, ordinis vicarius generalis, Franciscus de Ocania provinciae administer, ex curia catholici regis plurimi et magna propemodum populorum ex oppidis vicinis multitudo. Ut autem eo affluentium votis satisfaceret, omnibus patuit expositum per biduum loco eminenti in sacello templi maioris. Demum arcae praedictae illatum serisque duabus clausum, una ministro provinciae, altera vero monasterii abbatissae tradita fuit. Eo etiam accessit anno insequenti veneraturus exuvias servi Dei Philippus III. aliique de aula sua, et anno MDCXXII. Philippus IV. eius filius cum pientissima uxore Isabella Borbonia similia egerunt.

LIV. Patavii, cum officium expleret inquisitoris contra haereticam pravitatem, occubuit Zacharias Urceolus Ravennas, minorita conventualis, iam verbi Dei praeco in praecipuis Italiae civitatibus et suae provinciae minister. Scripsit at non vulgavit *conciones et de variis rebus multa opuscula.* (Sbaralea lit. Z.)

LV. Meritorum plenus obiit Genuae Bernardus Lauterius, Ligur a Portumauritio, capucinus, novitiorum magister et apostolicus concionator. Antequam nomen daret eidem instituto, iuris utriusque lauream iam assequutus fuerat. Eius de Missionibus gesta descripsit p. Mathias a Caballomaiore, in suo *rationario chronographico miss. evang.* tom. 2. Reliquit mss. *expositionem devotissimam super psalmum XLIV. Eructavit* in bibliotheca capucinorum patriae suae. Scripsit etiam *constitutiones et regulas* pro bono regimine cuiusdam congregationis, ab illo institutae contra haereticos in oppido Cadralio. Haec congregatio magno animarum fructu adhuc perseverat. Guardianus conventus Albaydae, suae provinciae Valentiae, quievit vir pius et doctus Melchior ab Oriolano, item capucinus, germanus Ioannis Garciae, episcopi Oriolanensis. Concionatoris munus apostolici obivit ediditque Valentiae anno MDCX. *sermones aliquot de passione Domini et b. Virgine.* Vitae sanctitate morumque gravitate praestans decessit die X. Aprilis, in conventu ss. Cosmae et Damiani de Urbe, Ioannes Baptista Provenzanus Depranensis, semel et iterum minister generalis tertii ordinis claustralium. Scripsit ediditque Romae anno MDCII. *constitutiones generales ad usum suorum fratrum.* (Idem lit. B.; Idem lit. M.; Idem lit. I.)

LVI. Inter minores de observantia appositus est ad patres suos Iacobus Suarez a s. Maria, patria Ulyssiponen., haereticorum flagellum dictus, Henrici IV. Galliarum regis a consiliis et a sacris confessionibus, anno MDCXII. inauguratus episcopus Sagiensis in Normandia. Operum suorum catalogum exhibemus. Scripsit vulgavitque Nanneti anno MDLXXXV, *commentaria in duo priora capita Genesis;* Lugduni apud Horatium Cardonem anno MDXCIX. prodierunt *eius conciones viginti tres in tria prima Apocalypsis capita* habitae in ecclesia (Wadd. lit. I.)

Lugdunensi, quibus accesserunt *sermones sex pro diebus dominicis adventus, ac festis conceptionis b. Virginis et nativitatis Domini.* Altera editio peracta fuit anno MDCV., additis *duobus sermonibus de s. Stephano et s. Ioanne evangelista.* Iisdem typis anno MDCV. vulgavit *conciones octo solemnitatis corporis Christi, in quibus octo etiam causae deducuntur, ob quas a Domino Iesu sacramentum eucharistiae fuit institutum.* Vulgavit etiam anno MDCX. prelo eiusdem Cardonis *thesaurum quadragesimalem,* pluribus divinorum eloquiorum ac ss. patrum sententiis plenum, primo lingua gallica editum, deinde ab ipso auctore latine publicatum; obiit Parisiis, sepulcrum nactus in choro sodalium suorum, cui Iacobus de Pontecarre, Camus dictus, eius in cathedra successor, sequens monumentum posuit.

IACOBO SUAREZ A S. MARIA
ULYSSIPONENSI ORDINIS S. FRANCISCI
THEOLOGO EXIMIO
EPISCOPO SAGIENSI
CUIUS CONCIONES CHRISTIANISSIMUS POPULUS
VENERATIONE MULTA
ET CONCURSU FREQUENTISSIMO COMPROBAVIT.
IACOBUS CAMUS EPISCOPUS DECESSORI SUO B. V.
SECUNDUM VOLUNTATEM TESTAMENTI F. C.
VIXIT ANNOS LXII. MENSES VI.
PONTIFIC. ANN. III.
DEPOSITUS IN PACE III. KALEN. IUN.
ANNO M. DC. XIV.

LVII. Mediolani in conventu Pacis die XIV. Aprilis obiit Claudius Medulla, natus Clarellae in ducatu Mediolanensi, dioecesis Papiensis, bis minister provinciae, iam vicarius generalis ordinis, pontificis Gregorii XIII. legatus a latere ad reformandos ecclesiasticorum abusus et a consiliis Alexandri Farnesii, Belgarum moderatoris. Scripsit epistolam vulgavitque Duaci typis Bogardi anno MDLXXXIV. apprime insignem, qua singulos sibi commissos ad recte pieque vivendum fortiterque dimicandum hortatur. Mediolani anno MDLXXXV. prelo mandavit *librum constitutionum sui ordinis.* Anno MDXCVII. apud Cominum Presenium Brixiae edidit *orationem de transfiguratione Domini, ac de duabus in Christo naturis et earum affectibus.* Scripsit etiam super *regulam Minorum.*

Argelatus bibliot. Mediolanen. lit. C. Annal. min. ad ann. 1584, n. 42 Wadd. et Sbaral. lit. C.

LVIII. Dimas Serpi item ex minoritis de observantia, a multis annis accola coenobii aracaelitani de Urbe, cum inter suos de sero versaretur, accidit ut sequenti mane perquisitus nec in cubiculo nec alibi, nec deinceps inveniri potuerit, quid de eo actum esset aut quomodo ab hominum oculis evanuerit. Is lucem aspexerat Calaris in Sardinia anno MDL., missusque a parentibus studiorum causa Valentiam in Hispania, ibidem florenti in aetate eorumdem fratrum

Wadd. et Sbaral. lit. D. Monum. provinc.

habitum induit. Emenso studiorum curriculo, in Sardiniam reversus, tum coenobiorum praesidis, tum definitoris, tum postremo provincialis ministri anno MDXC., munia obivit. Ab illius regni tunc temporis apostolicis visitatoribus in Hispaniam pro conficiendis actibus b. Salvatoris ab Horta missus, res a beato gestas summo labore collegit eiusque vitam forte composuit. Aliorum etiam operum auctor fuit; nimirum scripsit hispanice *chronicam ss. Sardiniae* ediditque Barcinone anno MDC. typis Sebastiani de Cormellas; *de igne purgatorii contra Lutherum et alios haereticos*, item Barcinone anno MDCIV; *apodixim sanctitatis Luciferi, Caluritani episcopi, cum apodixi sanctitatis Georgii, Suellensis episcopi*, Romae anno MDCIX. Eius etiam sunt *colloquia patriarchae Iobi*, uti ex monumentis humaniter nobis missis ab erudito viro Ludovico Pistis, minorita de observantia provinciae s. Saturnini Sardiniae, intelligitur.

LIX. Qui sequuntur, florebant viri docti in eodem instituto. Sbaral. lit. B. Balthasar de Canizal Palentinus hispanus transtulit ex hispano in latinum *summam casuum conscientiae* fr. Emmanuelis Rodriguez minori- Idem ibid. tae, Duaci hoc anno et alibi subinde vulgatam. Parisiis typis Rivaldi Chaudiere vulgavit Bernardus Lugar gallus, provinciae Aquitaniae, ex hispanico gallice a se redditas *considerationes mysteriorum nostrae* Wadd. et Sbaral. lit. I. *sanctae fidei cum praxi orationis mentalis, olim editas a p. Ludovico a Ponte S. I.* Caesaraugustae prelo Petri Cabarbe. Ioannes de Iribarne ex oppido Baigorri, Navarrae Inferioris in provincia Aragoniae, suae provinciae administer ac a sacris confessionibus Margaritae Austriacae et monialium excalceatarum Matriti, edidit *in quartum sententiarum tomos duos*. Sbaral. lit. I. Tomum primum nuncupavit fr. Berengario a Bar- Wadd. et Sbaral. lit. L. doxi minoritae, episcopo Oscensi. Ioannes Seilbert, alias Schenbelius, belga idiomate flandrico scripsit *historiam s. p. Francisci* hoc anno excusam. Ludovicus Fundoni, Valentinus hispanus, vernacula lingua composuit opus *de corpore et sanguine Christi* typis commissum Va- Sbaral. lit. L. lentiae prelo Ioannis Chrysostomi Garriz. Apud viduam Francisci de Cea Salamanticae edidit Ludovicus Miranda ex provincia s. Iacobi Idem ibid. in Hispania *tractatum de sacris monialibus*. Lupus Felix de Vega, poesi clarus, Matriti prelo Alphonsi Martinez vulgavit *carmina sacra*, his- Idem lit. M. panis *rimas*. Hac aetate Limae florebat Martinus Bononiensis, Italus in America alumnus, praedicator eximius, illius provinciae definitor, et ob praeclaram ss. ll. eruditionem merito commendatus. Reliquit mss. *commentaria in epistolas s. Pauli apostoli et concionum variarum tomum in folio*. In hoc opere habentur tres celebres historiae Davidis, Idem lit. P. filii prodigi ac Iudae ac insuper XX. conciones de passione Domini. Petrus a s. Bonaventura, hispanus de Sepulvera, provinciae s. Iacobi, edidit *Iornada de l'alma à Dios*. Mexici vulgavit Franciscus Parexa *ca-* Idem et Wadd. lit. F. Annal. min. ad ann. 1612. *techismum in lingua hispanica et timuquana* et hoc eodem anno *grammaticam et artem pronuntiandi in eadem lingua timuquana*. Simon Rickius germanus Moguntiae typis Ioannis Albini edidit *manuale confraternitatis chordae s. Francisci, seu funiculum triplicem ex quaestiunculis tam*

hanc quam alias sodalitates concernentibus et ex ss. ordinis minorum historiis et piis aliquot exercitiis in gratiam confratrum contextum. Nicodemus Florentinus hac in urbe typis Zenobii Pignoni et sociorum vulgavit versibus hetruscis *lo sriato convertito, tragoedia spirituale*, et in fine *corona de septem gaudiis b. Mariae virginis.* Sbaral. lit. N.

LX. Postremus ex eodem ordine fuit Petrus Villaroeles, Calaber Stylitanus, de quo ita Lucas Waddingus: in inventute humanioribus litteris ita egregie excultus, ut decimum septimum agens annum, docte et perite versu caneret latino, et culta scriberet oratione soluta. A patre missus Neapolim, ut utrique addiscendo iuri operam daret, Patavium translatus ab eruditis viris Antonio Riccabono Ferrariensi et Iacobo Denora, patricio Cyprio, artis poeticae selectiora accepit documenta. Variis autem casibus per Aemiliam Galliamque Togatam iactatus, multisque aerumnis confectus, Mediolani optimum adinvenit maecenatem nobilissimum virum comitem Ioannem Baptistam Serbellonum. Demum Genuae minorum assumpto instituto, post philosophiae et theologiae cursum auditos et publice lectos, reassumpsit Neapoli musarum camoenas, atque in otio huic negotio totus addictus, opus quod in iuventute in patria inceperat, et saepe repetitum variis temporibus erat persecutus, tandem absolvit et inscripsit *echinadum naumachiam*, in qua b. Virginis precibus de innumera Turcarum classe insignis divinitus est reportata victoria, classi praefecto Ioanne Austriaco. Prodiit Neapoli apud Lazarum Scoriginm hoc anno. *De bello Cyprio* aliud se composuisse opus indicat in limine huius naumachiae ita canens: Wadd. lit. P.

Praelia qui quondam modulatus carmine Cypri
Aequoris nunc arma cano saevissima martis

Librum nuncupavit Philippo III. Ioannis Austriaci fratri anno MDCXIII.

LXI. Litteris etiam praestantes erant minoritae conventuales. Hieronymus Asteus a Portunaone, Concordiensis dioecesis oppido in provincia Veneta, iam ab anno MDCXI. episcopus Verulanus in Latio, praeter dioecesanam synodum quam habuit, edidit hoc anno Brixiae prelo Baptistae et Antonii Baxolas opus *de iurisprudentiae methodis ad Paulum V.* Iacobus Montanari Balneocaballensis provinciae Bononiensis scripsit *ordini da osservarsi dalle suore di penitenza e rr. madri e sorelle del terz' ordine del p. s. Francesco, che vivono in vita comune e col voto di santa ubbidienza nella casa professa, divisi in XXV. capitoli fatti in Perugia li 14 Luglio 1614.* Eos publici iuris fecit Bononiae typis Bartholomaei Cochi anno insequenti Ludovicus Durandus, Insulanus gallus, minorita conventualis. Venetiis apud fratres Dei Ioannes Baptista Chiodinus a Monte Milone, dioecesis Maceratensis in Piceno, edidit *disputationes L. de nobilitate civili et salutis ad laudes philosophorum et theologorum cum ode* in laudem familiae Perettae. Michael Stella Venetus hac in urbe prelo Nicolai Misserini edidit

Sbaral. lit. H. — Idem lit. I. — Idem ibid. — Idem lit. M.

de tribus excellentissimis humanitatis nostrae a munifico Domino collatis dignitatibus in unione eius ad Verbum divinum disputationem theologicam a se Venetiis habitam. Iisdem typis vulgata fuit eius *in sacram scholasticam theologiam operosa praefatio, ubi de origine, nominibus, professionibus* etc. *eiusdem agitur.*

LXII. In capucinorum familia doctrina florebant quamplures.
Idem lit. C. Christophorus Verruchinus, provinciae Medionalensis, Venetiis typis
Wadd. et Misserini vulgavit *caeremoniale capucinorum.* Franciscus Coriolanus
Sbaral. lit. F. Longus, sive Longus a Coriolano Calaber, provinciae Romanae concionator et minister provinciae Cosentiae, Venetiis edidit *tractatum de casibus reservatis* iuxta regulam decreti Clementis VIII. regularibus praescriptam. Apud N. N. Ioannis Baptistae Bazachi Placentiae Franciscus Manfredus Regiensis, provinciae Bononiensis, publici iuris fecit *orationem de laudibus s. Caroli Borromaei ab eo habitam in ecclesia* cathedrali Placentiae anno MDCXIV. Philippus Ribottus provinciae
Idem lit. P. Genuensis apud Ludovicum Richimilium edidit Taurini *expositionem orationis dominicae in quatuor partes distributam secundum quatuor divinae scripturae sensus una cum expositione salutationis angelicae.* Sanctes
Wadd. lit. S. Thesaurus Romanus scripsit ediditque Romae prelo Aegydii Spada *expositionem in regulam s. Francisci.* Laurentius Parisinus, concionator
Wadd. et ferventissimus ac theologiae mysticae valde peritus, Parisiis apud
Sbaral. lit. L. Carolum Castellanum vulgavit *palatium amoris divini inter Iesum et animam christianam, in qua quaevis persona tam saecularis quam religiosa potest videre regulas Deum et proximum amandi in hac vita.*

LXIII. Ex tertio ordine litteris clarebat Matthaeus de Salzedo
Sbaral. lit. M. hispanus, qui apud Cosmam Delgado Matriti edidit idiomate castellano
Wadd. lit. E. *luz de la oracion mental.* Elzearius Dombariensis gallus, theologus insignis et suae congregationis gallicanae vicarius generalis, patrio idiomate scripsit vulgavitque Lugduni apud Claudium Morillon *collectionem et compilationem privilegiorum apostolicorum patrum et sororum de poenitentia tertii ordinis s. Francisci tam regularis quam strictioris ob-*
Sbaral. lit. V. *servantiae.* Vincentius Mussart, instaurator congregationis gallicanae tertii ordinis, Lugduni absque auctoris nomine typis eiusdem Morillon edidit *tertii ordinis strictioris observantiae in Gallia statuta, constitutiones et decreta generalia.*

LXIV. Multiplicatis domibus eorumdem fratrum tertii ordinis de
Chronol. ordinis tom. III. part. II. p. 66. poenitentia congregationis gallicanae, hoc anno mandante Antonio de Treio, vicario generali ordinis, tres provincias iidem erexerunt in regno Galliarum, nimirum provinciam s. Francisci, ss. Ludovici et Elzearii et s. Ivonis. Singulorum harum provinciarum coenobiorum numerum ex veteri ms. exhibemus.

Provinciae s. Francisci tertii ordinis conventus.

1. S. Mariae de Gratia in Vico de Picpus apud Lutetiam.
2. S... Billovillaei apud Lutetiam.
3. S... Lymoviensis.
4. S... Luzarchiani. } dioecesis Parisien.
5. S... Senonum.
6. S... Breolacensis.
7. S... Caoliniacensis. } dioec. Senonen.
8. S... Francovillaei dioec. Bellovacen.
9. S... Valliacensis.
10. S... Condaci. } dioecesis Suessionen.
11. S... Nancaiani.
12. S... Sionensis.
13. S... Bayonensis.
14. S... Montisfelicis.
15. S... Valliscolorensis.
16. S... Barodunensis. } dioec. Tullen.

Hospitium Lixemiense.
M. in urbe Nancaiani. } eiusdem dioec.

LXV. Provinciae ss. Ludovici et Elzearii tertii ordinis conventus.

1. S. Ludovici Lugduni.
2. B. Mariae de Pace Tolosae.
3. B. Mariae de Bono Eventu Aginnen.
4. S. Caroli Fontanen. dioec. Lugdunen.
5. S. Mariae de Consolatione Digonien. dioec. Augustodunen.
6. S. Francisci Cadrelen. eiusdem dioec.
7. B. Mariae Chemiliacen. dioec. Vesontinae.
8. Ss. Trinitatis Molinengilbertani dioec. Nivernen.
9. S. Laurentii Bellocoensis dioec. Matiscanen.
10. S. Iosephi Insulae Iordanis dioec. Tolosanae.
11. S. Crucis Avenionen.
12. B. Mariae septem Dolorum Sancti Valerii dioec. Viennen.
13. B. Mariae Coloniensis dioec. Lombarien.
14. S... Miramontani dioec. Auxitanae.
15. B. Mariae de Pace Tricuettiani dioec. Lugdnnen.

LXVI. Provinciae s. Ivonis tertii ordinis conventus.

1. S... Rothomagi.
2. S... Nazareth prope Parisios.

3. S... Courbevoie.
4. S... Mellensis.
5. S... Vernonii.
6. S... Leodii.
7. S. Barbarae eiusdem urbis.
8. S... Pontisarcae.
9. S... Croisset.
10. S... Novi Castri.
11. S... Veule.
12. S. Valerii.
13. S... Albamariae.
14. S... Andelii.
15. De Saint-Lô.
16. S... de Aquila.
17. S... de Bernest.

Annal. min. ad ann. 1613.

LXVII. Hoc eodem tempore in Aquitania eiusdem regni extitit et pro recollectis provincia Immaculatae Conceptionis, cuius erectionem probaverat anno mox elapso summus pontifex. Seqnentia coenobia eidem adscripta fuisse novimus ex mss. huius provinciae.

Provinciae Immaculatae Conceptionis recollectorum conventus.

1. S... Lemovicorum cum hospitio s. Francisci titulo.
2. S... s. Leonardi.
3. S... s. Amandi.
4. S... s. Aredii.
5. S... s. Darati.
6. S... Confluentiae.
7. S... Esarati.

(2.–7.: dioecesis Lemovicensis.)

8. S... Montismorelli dioecesis Pictaviensis.
9. S... Oblinei dioecesis Bituricensis.
10. S... Petracorensis.
11. S... Tibierii.
12. S... Bergeraci.
13. S... Limulli.

(11.–13.: dioecesis Petracorensis.)

14. S... s. Fidis.
15. S... Lenzuni.

(14.–15.: dioecesis Agennensis.)

16. S... Burdigalae.
17. S. Mariae de Gratia Liburniae.
18. S... Burgi.

(17.–18.: dioecesis Burdigalen.)

19. S... Nay dioecesis Oleronen.
20. S. Ioannis de Luz et de Cebourre dioecesis Baionen.

21. S... Sanctonarum.
22. S... Cognaci.
23. S... Pontium.
24. S... Archiaci.
25. S... Royani. } dioecesis Sanctonen.
26. S... Marinarum.
27. S... Brovagi.
28. S... Insulae Oleroni.
29. S... Rupellae.

M. s. Clarae Rupellae.
M. s. Clarae Sanctonarum.

LXVIII. Iidem fratres provinciae s. Bernardini obtinuerunt hoc anno coenobium sub invocatione Dominae nostrae Bonae Spei in urbe Paternarum, in ducatu Venaissino, dioecesis Carpentoractensis. Incolitur a XII fratribus. *Conv. Paternarum. Monum. prov.*

LXIX. Habuerunt etiam iidem fratres conventum s. Crucis in urbe Rupis Maurae, dioecesis Avenionensis, instructum oppidanorum sumptibus pro XII fratribus. Rupis nomen sortitum est e celsa rupe, e medio fluminis emergente, cui castrum validissimum et regia munificentia dignum insidet. Maurae vero appellationem aliqui putant deduci a Mauris Saracenis, qui subacta Avenione hoc et castrum occupavere, ut flumen suis copiis pervium haberent. Alii a Mauro, romani exercitus duce invictissimo, qui ut suos milites contra Cimbrorum et Ambrorum invasiones et incursus libere traduceret, locum praeoccupavit, atque in rupe illa turrim munitissimam instruxit, a qua nomen accepit. Aliqui s. Mauro, s. Benedicti discipulo, loci appelationem tribuunt, cui non procul hinc ecclesia dedicata fuerat, multis subinde miraculis conspicuo. In hoc fortalitio s. Ludovicus IX. Galliae rex, Terram sanctam recuperaturus ingentem aureorum vim, qua belli expensis occurreret, animo sibi duxit reponendam. *Conv. Rupis Maurae. Monum. prov.*

LXX. Arnoldus ab Ischa, minister provinciae Germaniae Inferioris, immisit eosdem fratres in conventum b. Mariae virginis et s. Ioseph, instructum christifidelium opibus penes oppidum Venlonae, dioecesis Ruremundae. Ab anno MDCXII. iidem fratres degebant apud aedes nosocomii eiusdem oppidi. *Conv. Venlonae. Monum. prov.*

LXXI. In provincia Lithuania recipiunt fratres observantes coenobium s. Mariae Angelorum, in urbe Citovianensi dioecesis Samogitiensis erectum opibus d. Andrae Wollowicz, vexillarii magni ducatus Lithuaniae. Anno MDXCIV. extitit et pro eis Michaloviae coenobium s. Michaelis Archangeli, sumptibus aedificatum celsissimi principis Leonis Sapieha, archicancellarii palatinatus Vilnensis et supremi ducis Lithuaniae. Alterum et aedificatum fuit anno hoc s. Catharinae v. et m. titulo in urbe Nesvisiensi impensis d. Nicolai Christophori Radziwill ducis Vilnensis. Postremum obtinuerunt conventum fratres anno eodem sub invocatione Annuntiationis in urbe Cretingensi dioecesis Samogi- *Conv. Citovianensis. Monum. prov.* *Conv. s. Michaelis Archangeli. Monum. prov.* *Conv. Nesvisiensis. Monum. prov.* *Conv. Cretingensis. Monum. prov.*

liensis, quod paraverat d. Carolus Chodkiewicz, supremus dux copiarum Lithuaniae. Aerario publico singuli coenobiorum fratres sustentantur. Haec novimus hoc anno ex authographo nobis misso ab illius provinciae moderatore.

Conv. Nissensis. Greiderer tom. I. p. 822. n. 24.

LXXII. Iidem fratres recuperarunt hoc anno coenobium Deiparae de Rosis Nissense, provinciae Silesiae, ab anno MDLXX. peste, bello haereticorumque furore vacuum. Aedem eisdem restituit Carolus, archidux Austriae, episcopus Wratislaviensis hoc dato diplomate.

Inter ceteros hominum actus, quibus famae decus et memoria quaeritur, ille sibi potissimum non immerito vindicat locum, qui a pietatis fervore et aequitatis dependet ratione; eo quippe solo humana imbecillitas aeternitatem respicere et ad quamdam divinitatis partem propius censetur collimare. Observarunt sane hoc veteres quondam Romanorum principes, qui totam reipublicae salutem in publico religionis ponebant cultu. Hinc L. Albinus, perturbatis undique reipublicae civibus, neglectis etiam illis quos natura sibi coniunxerat, fugientes mystas in plaustrum recepisse, Mutius Scaevola in summo rerum discrimine, vestales amplexus aras aeterna cum laude fertur. Numae Pompilio nihil solemnius et antiquius fuit, quam reddere et restaurare sopitum iampridem diis immortalibus focum, ut scilicet ad simulacrum caelestium siderum custos imperii flamma vigilaret, eo tandem ferocem populum redegit, ut quod nefas et iniuria possederat imperium, religione ac iustitia gubernaretur.

Nos igitur Carolus Dei gratia archidux Austriae, archidux Burgundiae, Styriae etc. episcopus Brixiniensis et Wratislaviensis etc. non tam ethnicorum exemplis quam maiorum nostrorum vestigiis insistentes, cum inter reliquas pastoralis muneris et officii nostri episcopalis sollicitudines, ad quas divina providentia vocati sumus, non postrema iuste videatur, omne studium et industriam eo convertere, ne ea, quae olim pio religionis catholicae zelo sancte constituta ac fundata sunt, aut temporum iniuria divelli, aut alieno usu immutari permittantur; cumque in hac temporum calamitate et potenti haeresum insultu, potentiori nobis opus esse proborum virorum praesidio cerneremus: ex aequo conscientiae ac bono ecclesiae nostrae duximus monasterium extra civitatem nostram Nissensem, quod olim, utpote desertum ab antecessoribus nostris, ad haec usque tempora alumnatui erat designatum, reverendis ac religiosis fratribus ordinis s. Francisci regul. observantiae reddendum esse, et appropriandum reddimus et appropriamus ad maiorem Dei gloriam et multarum animarum salutem, auctoritate qua fungimur episcopali et loci ordinaria, vigore praesentium; eodemque, ut ad realem praefati coenobii possessionem nuper introduximus, ita quoque perpetuo et plane habendam et obtinendam rite immittimus, approbamus et confirmamus. Idque cum expressa renuntiatione, accessione omnium eo in loco iurium, et concessione privilegiorum, immunitatum et indultorum, quibus alibi terrarum praedictus ordo s. Francisci, sive ex statuto canonum regula-

rium vel ex consuetudine quocunque nomine vel modo generaliter et specialiter sibi competentibus libere gaudet ac fruitur, nihil vel illis praecludentes, vel successoribus nostris penitus reservantes. Certa freti fiducia eos in hoc sterili catholicae religionis agello, non minus atque in aliis beatioribus locis, eam pietatis operam egregie exhibituros, unde fructus veri luminis caliginosis plurium cordibus succrescant, et maius in dies sumant augmentum, quapropter serio decernimus pro nobis et successoribus nostris, saepe memoratum monasterium nunc et perpetuis temporibus, absque ullius contradictione et impedimento, supra dicto ordini s. Francisci securo, quiete et constanter relinqui, nec quovis praetextu unquam ad alios transferri, aut ab alio repeti posse aut debere, eorum praeterea conscientias, qui salutarem atque adeo iustam hanc nostram pro ecclesiae incremento curam impugnare vel quovis modo turbare praesumpserint, in Domino aggravantes. In cuius rei evidentius testimonium etc.

Actum in civitate residentiae nostrae episcopalis Nissiae XX. Septem. MDCXIV.

Loco † sigilli.

Carolus.

LXXIII. In provincia Granatensi eis obvenit conventus s. Ioannis Baptistae, in villa de Oxiiar dioecesis Granatensis incolarum impensis instructus; primum loci praesidem accepit Michaelem de Laguna. Anno MDCLXXVI. ecclesiae fabrica absoluta fuit. Leonardo de Ruribus ministro provinciae Algarbiorum, incepit esse coenobium s. Antonii in vico de Stombar, dioecesis Faveusis, prope fluvium solitario in loco erectum. Ecclesia constructa fuit sumptibus Didaci Varella, loci incolae. Paucis transactis annis commodiorem aedem receperunt fratres. In eo degunt XII sodales. *Conv. de Oxiiar. De Torres p. 166.* *Conv. de Stombar. Monum. prov.*

LXXIV. Francisci a Calatagirone studio constructus fuit et pro eis in provincia Siciliae conventus intra moenia oppidi Terraenovae, dioecesis Syracusanae, sub invocatione s. Mariae de Iesu. *Conv. Terraenovae. Pirrus tom. I. p. 682.*

LXXV. Franciscus Sacano, prior Basilicatus s. Stephani de Apulia, cessit eisdem fratribus ecclesiam s. Sebastiani m. extra moenia oppidi Puliniani nullius dioecesis in provincia s. Nicolai pro ibidem construendo coenobio. Parva aedes eiusdem ecclesiae, quae valetudinarium erat, spectabat ad equites s. Ioannis Hierosolymitani. Coenobii fabrica aucta fuit pro XIII fratribus continendis. *Conv. Puliniani. De Fasono p. 37.*

LXXVI. Franciscus Glavinić, coenobii Tersactensis minorum de observantia provinciae Croatiae Carniolae guardianus, sanctae Mariae Lauretanae aediculam, a Nicolao III. Frangipani erectam, longitudine et magnitudine disparem ab alma domo Recinetum translata, hoc anno ampliavit, istique simillem reddidit, altariola renovavit et *Greiderer tom. I. p. 98. n. 99.*

sacristiam de novo ei adiunxit. In moliendo fundamento operarii campanulam, positam subinde in parva turri illius oratorii, invenerunt. Penes pios adhuc viget opinio, campanulam illam efformatam fuisse eo tempore, quo ibidem venerabatur eiusdem b. Virginis domus.

Conv. de la Puebla. Panes p. 487.

LXXVII. Antonius Sobrino, minister provinciae discalceatorum s. Ioannis Baptistae, immisit sodales suos in conventum oppidi de la Puebla, dioecesis Toletanae, incolarum eleemosynis aedificatum.

Conv. Collisani. Tognoletto p. 538.

Conv. Aletii. Casimirus a s. M. Magdal. tom. I. p. 60.

LXXVIII. Silvester a Panormo, custos reformatorum provinciae Siciliae, admisit pro suis coenobium s. Mariae de Iesu in oppido Collisani, dioecesis Cephaledicnsis, erectum in ecclesia ss. Cosmae et Damiani mm. impensis universitatis. In ea ecclesia colitur imago ss. Crucifixi, a fr. Humili de Petralia elaborata, et particula ossium s. Benedicti a s. Philadelpho. Iidem fratres admiserunt in provincia s. Nicolai Barensis conventum s. Iacobi Aletii voluntate Ferdinandi de Castro, comitis de Lemos et regni Neapolis pro-regis.

Conv. s. Animi. Antonius de Nola p. 238.

LXXIX. Inter coenobia eorumdem fratrum, provinciae Terrae Laboris, adscriptum et hoc anno fuit alterum sub invocatione s. Mariae de Monte Carmelo intra moenia terrae s. Antonii, Aversanae dioecesis, partim eleemosynis d. Francisci Revertera, ducis Salantrae, et partim incolarum opibus instructum; anno MDCXVIII. cum fortuito incensum esset, Silvester de Cupertino, eiusdem instituti laicus spectatissimae vitae, in medium flammarum ingressus, aqua benedicta incendium exstinxit et illaesus exivit.

Conv. Setiae. Monum. prov. Teuli p. 201.

LXXX. In provincia Romana datus eisdem fuit conventus s. Mariae Gratiarum, Setiae anno MDLXIX. pro capucinis extructus, ac ab eis non multo post derelictus. Distat ab oppido duo milliaria in loco dicto Collis Fontis Provae. Omnium primus ibidem praesedit cum X fratribus Seraphinus a Novara. In sacello ss. Crucifixi obviat sequens monumentum, ex quo scimus cetera, quae spectant ad laudatum coenobium.

D. O. M.

EQUES Ioannes Baratta s. Petri miles, qui ex legato Sebastiani Barattae PATRUI hoc sacellum, Christo D. Servatori dicatum, a fundamentis exstruxit ac DOTAVIT, templum et b. Mariae Gratiarum cum monasterio et situ in COLLE Fontis Provae de anno MDLXIX. capucinis erexit, illudque ab iis RELICTUM et pene collapsum suis expensis restauravit, ac ad usum fratrum s. FRANCISCI de observantia reformat. concessit, qui die XVIII. Maii MDCXIV. SE in illud contulere. Cumque caelitus aras ac templa religiosis viris aedes PRIUS aedificasset, sibi posteribusque suis monumentum in hanc formam redigi, vir antiquae aetatis et probitatis, Leonardo filio mandavit. Vixit ANN. XCIX. OBIIT XIV. NOV. MDCXXI.

LXXXI. Impensis potissimum Thaddaei Verri, incolae oppidi de Belviderio, dioecesis Senogalliensis, in provincia Marchiae incepit esse et pro fratribus reformatis coenobium s. Francisci titulo, non longe ab eodem oppido. Coenobii fundator una cum uxore tumulum accepit in eadem ecclesia. Sequens memoria marmori incisa habetur: *Die XXIV. Octobris MDCXIV. inceptus fuit conventus.* Thaddaeus Verrius Belvideriensis duodecim ex Elisabella Vannina, coniuge dilectissima, suscepit filios, et divino nutu eorum nemine supervivente, seraphicae religionis incensus amore, situm pro conventu dedit, conventum ipsum aliquali benefactorum auxilio aedificavit, praesens altare divo Francisco sacrum exstruxit, et post multa pietatis opera obiit die XXIII. Februarii MDCXXIII. aetatis suae LXIII. Hic cum carissima coniuge requiescit. Conv. Belviderii. Monum. prov.

F. F. F. *C. P.*

LXXXII. Summi pontificis mandato: *Cum adolescentium* pridie idus Iulii supprimitur conventus Senensis fratrum tertii ordinis claustralium, quem tres tantum fratres grandaevae aetatis incolebant, ut in clericorum seminarium erigeretur.

LXXXIII. Capucini fratres domicilium posuerunt in conventu s. Martini, Estensis dioecesis, Regii Lepidi in provincia Lombardiae; in fortalitio domus Ossolae, Novarien. dioecesis, in provincia Mediolanensi; in conventu Castelluciae, dioecesis Caputaquensis, in provincia Lucaniae, et in conventu oppidi Centulae, nullius dioecesis; in conventu Ciri, dioecesis Umbritacensis, in provincia Cosentiae; in conventu Trivigiani, dioecesis Barensis; in conventu Caltabellotae, dioecesis Agrigentinae, in provincia Panormitana; in conventu Alopi, dioecesis Mechlinensis, in provincia Flandro-Belgica, et in conventu Trudonopolis, dioecesis Leodiensis; in conventu Brudici, dioecesis Pragensis, in provincia Bohemia; in conventu Olmuci et in conventu Raudaici, eiusdem dioecesis; in conventu Cremhsi, dioecesis Passaviensis, in provincia Austriae; in conventu Rodtkersburgi, dioecesis Salisburgensis, in provincia Styriae et in conventu urbis Essendiae, nullius dioecesis; in conventu Herbipoli, provinciae Franconiae; in conventu Straubingae, dioecesis Ratisbonensis, in provincia Bavarica; in conventu Lugduni, in provincia Parisiensi et in conventu Privini, dioecesis Senonensis; in conventu s. Maxentii, dioecesis Pictaviensis, in provincia Turoniae; in conventu Niorbii, eiusdem dioecesis, et in conventu Romarantini, dioecesis Aurelianensis; in conventu Dieppae, dioecesis Rothomagensis, et in conventu Honstlori, dioecesis Lexoviensis; in conventu Sisterii, in provincia s. Ludovici, et in conventu Napinei; in conventu s. Geruntii, dioecesis Ruthenensis, in provincia Tolosana; in conventu Aquae Tarbellicae, in provincia Aquitaniae; in conventu Orchiaci, dioecesis Tornacensis, in provincia Insulensi; in conventu Ex albo Michaelis a Tugio.

Cubarum, dioecesis Toletanae, in provincia Castellae; in conventu Granatae, in provincia Andalusiae.

Monast. de Luce. Agiol. Lusitan. ad diem 26 Iunii.

LXXXIV. Saeviente procella perit monasterium Dominae Nostrae de Luce, erectum penes litus maris urbis Angrensis in insula Terzaira. Ignoramus an idem sit ac illud titulo s. Mariae Magdalenae anno MDCXII. ibidem fundatum.

Monast. de Caceres. Monum. prov.

Monast. Calvinaten. Monum. prov.

LXXXV. Moniales clarissae, provinciae s. Michaelis, incoluere monasterium s. Clarae in oppido de Caceres, dioecesis Curiensis; paret ministro provinciae. In provincia Insulae Sardiniae impensis Marci Canavera, canonici ecclesiae Calvinatensis, erectum fuit monasterium clarissarum in eadem urbe titulo s. Mariae de Gratia; subest ordinario loci.

Monast. Flaviobrigae. Mon. prov.

Monast. Portugallete. Monum. prov. Gonzaga in prov. Cantabriae p. 1063.

LXXXVI. Studio Antonii de Treio, vicarii generalis ordinis, moniales monasterii tertii ordinis extra moenia Flaviobrigae, hispanice de Bilbao, anno MDXXX. erecti, clausurae leges admiserunt sub regula conceptionistarum. Similia egerunt moniales monasterii s. Crucis de tertio ordine, eiusdem urbis, anno MDLXIII. erecti, et alterius monasterii anno MDL. fundati in oppido Portugallete; ambae clarissarum institutum professae sunt parentque ministro provinciae Cantabriae. De his et habet Gonzaga.

Monast. Tutellense. Gall. Christ. tom. II. p. 676 Monast. Rametlae. Monum. prov.

LXXXVII. Ioannes de Genovillac de Unillac, episcopus Tutellensis, immisit moniales clarissas in monasterium positum in suburbio eiusdem civitatis, alterum etiam pro eis extitit monasterium Rametlae, dioecesis Messanensis in Sicilia: *Inter cetera* V. idus Iunii.

Monast. Venlonae. Monum. Prov.

Monast. Antuerpiae. Monum. prov.

LXXXVIII. Sorores de tertio ordine Venlonae, dioecesis Ruremundae in Geltria, provinciae Germaniae Inferioris, transierunt ad institutum ss. Annuntiationis, episcopo loci probante. Senatus Antuerpiae beneficentia erectum etiam fuit in eadem urbe pro eisdem sororibus monasterium. Anno insequenti inchoata fuit fabrica ecclesiae, posito primo lapide a Belgii principibus Alberto Pio et Isabella Clara Eugenia coniugibus.

Torrubia p. 5.

Ughel tom. VII. col. 124.

LXXXIX. Delectus est die XVII. Februarii episcopus Cassanensis in Calabria Didacus de Arce hispanus, a confessionibus et a consiliis Ferdinandi Ruiz de Castro, Neapolitani regni pro-regis; die XXII. Septembris promotus est ad ecclesiam Iacensem in Aragonia Didacus de Ordonez. Electum etiam fuisse hoc eodem anno die XXVI. Februarii episcopum Guadalaxarae sive Novae-Gallaeciae sub archiepiscopo Mexicano Emmanuelem de Mimbela, scribit Torrubia. Ex minoritis conventualibus episcopalem dignitatem pro ecclesia Gravinensi in regno Neapolitano obtinuit die XXIV. Novembris Augustinus Cassander e Castraficardo Picenus.

Gallia christiana tom. I. p. 1006.

XC. Die XXX. Augusti Leonardus de Trapes Nivernensis, archiepiscopus Ausciensis, consecravit ecclesiam ss. Annuntiationis tertii ordinis in suburbio Lutetiae Parisiorum, pluribus ss. mm. reliquiis sub ara maiori repositis. Editis ultimis tabulis praecepit, se habitu franciscano cum Iesu Christi imagine et codice libri *de imitatione* Christi ibidem tumulo mandari.

XCI. Defuncto in Urbe Salvatore a Roma, commissario generali curiae, eo in munere summus pontifex: *Tuo nomine* die XXIX. Novembris confirmat Irenaeum Brasavolam ex Bononiensi provincia. Datis a Philippo III. Hispaniarum rege ad Antonium de Treio, vicarium generalem ordinis, litteris, Ioannes Bisanco, provinciae s. Iacobi alumnus, munus obtinuit moderandi Indiarum fratrum negotia apud curiam catholici regis. Summi pontificis voluntate: *Cum per obitum* die V. Maii Sanctorius Pecorella de Salome munus vicarii generalis tertii ordinis regularium obtinuit loco Antonii de Sillis mox defuncti. Chronol. seraph. tom. III. p. 31. n. 9.

XCII. Pompeii, cardinalis Arigonii, ordinis patroni, mandato cautum fuit fratribus provinciarum Galliae, ne, invitis eorum ministris, possint observantes ad recollectos et recollecti ad observantes transire.

Pompeius miseratione divina tituli s. Balbinae s. r. e. presbyter cardinalis, Arigonius nuncupatus, totius ordinis s. Francisci regularis observantiae protector, omnibus dicti ordinis patribus ac fratribus provinciarum Galliae, ad quos hae nostrae patentes litterae pertinere poterunt, salutem.

Cum in capitulo generali proximo in Urbe celebrato, ob pacem servandam inter observantes et recollectos Galliae inter alios assignatus sit modus, qui observari debet in transitu de observantia ad reformationem, ac in reditu de reformatione ad observantiam, nempe sic: item si aliquis pater voluerit transire ab antiquis provinciis ad novas praedictas ratione reformae, licentia ad hoc a suo provinciali ministro petita, licet non obtenta, possit nihilominus omni tempore ad dictam transire reformam, et quantum attinet ad hoc, ut possint redire ad antiquas provincias, hoc sit ipsis prohibitum, nec ullo modo fieri poterit absque licentia expressa superioris dictarum provinciarum antiquarum; ne igitur dubitatio aliqua deinceps in ultima clausula quantum ad reditum ad observantiam esse possit, praesentium tenore declaramus: id intelligi debere, quod illi, qui ex dicta reformatione ad observantiam transire voluerint, id sit eis expresse prohibitum, nisi servato ordine in bulla fel. rec. Clementis VIII. praefixo, quoad unguem servato; requiritur etiam consensus provincialis observantiae ad recipiendos in sua provincia tales fratres; non enim iustum nec rationi consonum videtur, ut ministro provinciali invito et renuente, aliquis frater in sua provincia recipiatur, nec quod eum recipiat, obligari debere, postquam semel a sua provincia recessit, ac in reformatione fuit admissus. In quorum fidem has litteras nostra manu propria subscripsimus ac sigillo, in similibus uti solito, muniri fecimus. De Gubernatis tom. II. p. 417.

Datum Romae in palatio habitationis XXVII. Augusti MDCXIV.

Locus † sigilli.

Pompeius card. Arigonius protect.

XCIII. Aliqua iubet et indulget summus pontifex. Iubet, ut in Novae Hispaniae regionibus clerus saecularis praecedat in publicis supplicationibus regularibus cuiusvis ordinis: *Exponi nobis* die I. Decembris; iubet, ne ingrediantur mulieres saeculares in monasterium s. Agnetis clarissarum Cracoviae: *Cum sicut* die VI. Decembris; committit episcopo Nannetensi, ne permittat insignia christifidelium defunctorum exponere in ecclesia s. Clarae suae civitatis, cum tumulantur: *Exponi nobis* die XIV. Augusti; committit episcopo Viterbiensi, ut summam centum quinquaginta aureorum relictam a quondam Ioanne Baptista Precutti, incola Tuscanellae, in provincia romana, pro faciendo organo in ecclesia b. Mariae de Requie, minorum de observantia eiusdem oppidi, et ad instaurandam eorum ecclesiam convertat: *Exponi nobis* die XXII. Novembris; confirmat Petrum Bollet, ministrum minorum de observantia, provinciae Franciae: *Nomine dilectorum* die X. Iulii; indulget ut moniales clarissae de Castagneza, Ulyssiponen. dioecesis, recitent ritu duplici officium s. Barbarae virginis et martyris: *Domini nostri* die IX. Aprilis; ut Apollonia Santelia, professa in monasterio s. Mariae de Iesu, Neapoli, recipiat viginti ducatos a suis parentibus relictos: *Exponi nobis* die XX. Iunii; ut in altare s. Didaci Complutensis, in quo sacrum celebravit die suae canonizationis Sixtus V., primo donatum Philippo II. Hispaniarum regi ac inde ab ipso rege concessum fratribus coenobii Compluti, ubi eius corpus requiescit, sacrum peragere valeat in quibusdam per annum solemnitatibus illius provinciae administer, eoque absente, loci guardianus: *Alias* die II. Octobris.

XCIV. Erigit confraternitatem ss. nominis Dei in ecclesia observantium urbis Gadicen.: *Cum sicut* die XIII. Ianuarii; confraternitatem titulo *Humilitatis* a quibusdam piis mulieribus erectam in ecclesia clarissarum oppidi Carignani, dioecesis Taurinensis: *Cum sicut* die VI. Augusti; largitur indulgentiam plenariam cathedrali ecclesiae Placentin. in die festivitatis s. Conradi: *Cum sicut* die XIII. Iunii.

XCV. Alia diplomata pontificis exscribimus ex indiculo bullarii Petri del Alva. Indulgentia pro tertiariis doctrinam christianam docentibus: *Cum sicut* die XII. Septembris; indulgentia in oppido Bruxellen. pro die Conceptionis: *Considerantes* idibus Octobris; pro monialibus clarissis s. Theoiusti Tarvisin.: *Ex iniuncto* VI. calendas Februarii; de monasterio monialium s. Mariae Gratiarum Papien.: *Ex iniuncto* XIII. calendas Aprilis; pro coenobio s. Francisci conventualium Volaterran.: *Ex iniuncto* X. calendas Augusti; pro monialibus clarissis s. Clementis Florentin. pro aliquibus bonis: *Ex iniuncto* V. nonas Octobris; de monialibus clarissis s. Crucis Narnien.: *Ex iniuncto* XX. calendas Septembris; indulgentia Conceptionis in eremitorio oppidi de la Puebla de Alcazar Toletan.: *De salute* calendis Septembris; beneficium Conceptionis in ecclesia loci de Portel Dertusen.: *Vitae et morum* X. calendas Octobris; confraternitas Conceptionis in ecclesia s. Mariae de Paradiso Terrae Oliveti: *De salute* idibus No-

vembris; beneficium Conceptionis in ecclesia s. Nicolai Valentin.: *Apostolicae sedis* X. calendas Octobris; beneficium in conventu s. Francisci Firman.: *Vitae et morum* XI. calendas Septembris; ecclesia Conceptionis in loco de Sebeda Abulen.: *Vitae et morum* VII. idus Novembris; indulgentia Conceptionis in ecclesia s. Basilii, loci de Baldenervia Burgen.: *De salute* idibus Novembris; indulgentia Conceptionis in ecclesia de Caruazal, loci de Plena Caesaraugustan.: *De salute* idibus Februarii; indulgentia Conceptionis in ecclesia Terrae Seprae Lunen.: *Dum praecelsa* idibus Februarii; confraternitas s. Elisabeth monasterii Toletan.: *Considerantes* nonis Iulii; pro clarissis monasterii Massan. circa bona: *Ex iniuncto* VII. calendas Aprilis: beneficium in ecclesia conventualium, loci Lauri Firman.: *Cum itaque* XI. calendas Septembris; beneficium in monasterio s. Crucis Dertusen.: *Dignum* III. calendas Februarii; pensio fratris Francisci de Rivas in archiepiscopatu Compostellan.: *Religionis zelus* pridie idus Ianuarii; ius nominandi cappellanos monialium de Petris Alvis Barcinonen.: *Vitae et morum* calendis Aprilis; indulgentia pro conventu b. Mariae de Paradiso Viterbii: *Ad augendum* die XXVI. Septembris. — Sacra rituum congregatio episcopo Panormitano die VI. Iunii rescribens concessit, ut moniales tertii ordinis s. Francisci possint sepeliri etiam extra ecclesias sui ordinis hac sub conditione "che sia senza pregiudizio della chiesa degli loro frati, alla quale prima si deve pagar intieramente tutti gli emolumenti e ragioni funerali come se ivi sepelisse". Fr. Hieronym. Roman. ord. s. August. erem. Compendium lit et decret. s. Congregat. ex cod. manuscr. Vatic. Ottob. 423. fol. 713.

XCVI. Stephanus filius Erdödi, comitis Montis Claudii, Dalmatiae et Croatiae Bani, ob visum recuperatum patrocinio Deiparae Gratiarum impense cultae in ecclesia conventus Tersactensis, in provincia Croatiae Carniolae, grati animi sensu aureum calicem eidem obtulit. Greiderer tom. I. p. 101. n. 102.

XCVII. Quae de floribus enatis prope locum, in quo passi sunt franciscani martyres Gorgomiensis, hisce verbis notamus: "Adrianus Acta ss. ad diem 9 Iulii § 3.
"Antonius ab Oorschor, parochus ecclesiae s. Gertrudis Ultraiectensis,
"rogatus de surculo quodam florum ipsi ante quinquennium a quo-
"dam donato, mirabiliter in floribus multiplicato, cuius fama iam
"apud multos percrebuerat; respondit: circa annum MDCXIV., si
"recte meminit, dictum surculum habentem tres aut quinque circa
"flores candidos, accepisse sublatum e loco sepulcri martyrum Gor-
"gomiensium iuxta Brielam, ubi istiusmodi flores solum inveniun-
"tur in loco illo, ubi martyres fuerunt sepulti, aut circa, et non alibi;
"unde etiam in civitate Brielensi, ab ipsis haereticis illi ipsi flores
"vocantur flores Ruggenses, a monasterio Ruggensi ordinis canoni-
"corum regularium, in cuius monasterii horreo dicti martyres sunt
"suspensi; qui etiam flores in martyrum dictorum venerationem inde
"eruti, ad alia loca transportantur et plantantur, qui etiam ipsis
"apothecariis et medicis incogniti sunt. Hunc ergo surculum, cum
"dictus deponens accepisset, et in parva capsula lignea, primo parvi
"existimans, seposuit in suo cubiculo; aliquando tamen cum vene-
"ratione aliqua inspexit, invenitque eum in eadem forma prout ac-
"ceperit".

XCVIII. " Postea tamen cum ab octo aut novem incirca mensi- " sibus non inspexisset, cum a quodam theologo de floribus istis men- " tio fieret, quod non exarescerent, sed in suo vigore perpetuo ma- " nerent, mane consurgens ex ista narratione surculum istum cu- " riosius inspexit, invenitque cum magno stupore, pene biennio " postquam a radice evulsum accepisset, in tantum auctum et floribus " multiplicatum, ut illa ipsa capsula, in qua eousque fuerat, eum " non caperet, videbaturque dictus surculus maior futurus, nisi an- " gustia capsulae in qua inclusus erat, prohibuisset. Qua propter " totus admirabundus tulit ipsum surculum cum sua capsula ad suum " oratorium et in decentiori loco exposuit. Quo ipso tempore cum " duae piae domicillae sacrum auditurae oratorium ipsum accederent, " illis dictus deponens miraculum cum admiratione narravit, et sur- " culum floribus multiplicatum ostendit; quarum una statim respon- " dit, ibi inveniri numerum martyrum Gorgomiensium, et numerati " dicti flores inventi sunt totidem flores, quot martyres uno tempore " in dicto loco Ruggensi fuerant suspensi, scilicet novemdecim ".

XCIX. " Qui flores a pluribus postmodum per totam dioecesim " Ultraiectensem et per Hollandiam sunt visi et in veneratione ha- " biti, et postea iussu reverendissimi d. vicarii apostolici... sculpti " et in imaginem repraesentati sunt, ut ad plures cum gloria " martyrum miraculi notitia perveniret. Ipse tandem surculus, mira- " culose floribus auctus, serenissimis principibus Brabantiae donatus " fuit, qui eundem cum veneratione et pro insigni munere acce- " perunt ".

C. Apud Lusitanos hoc anno extremum diem clausit Gaspar Paulutius Albertonius Romanus, multis a romanis pontificibus muneribus decoratus, cuius exuviae Romam allatae, conditae fuerunt nobili marmoreo tumulo in maiorum suorum sacello ecclesiae aracaelitanae, addito sequenti monumento.

D. O. M.

Gaspari Palutio patritio romano ex antiquissima Albertoniorum familia, Urbani VII. pontificis maximi ex consobrina nepoti, ex utriusque signaturae referendario et abbreviatore de Parco Maiori s. Angeli et Bisacii episcopo inter assistentes descripto, post varias praefecturas mira cum laude obitas provinciae patrimonii et Umbriae prolegato, ac denique Pauli V. apud Philippum III. Hispaniarum regem catholicum in regno Lusitaniae nuntio, ubique magno, innocenti, claro, immatura morte anno aetatis suae XLVIII. Lusitaniae legationis quinto, terrenorum loco praemiorum, quae propediem eum consequuturu videbantur, ad caelestia evocato Balthasar Palutius Albertonius, miles s. Iacobi de Spata Hispaniarum, ossibus e Lusitania translatis inque hoc Albertoniorum sacello conditis, fratri coniunctissimo, non sine lacrymis, posuit anno salutis MDCXXIIII.

CI. Cum prae nimia Padi exundatione exitium minarentur tum agri, tum Ravennae et Ferrariae urbes, ideo Paulus V. pontifex, ut tanto malo quantocius occurreret, eo misit Ioannem Fontanam, Dominici item Fontanae germanum natuque maiorem, maxime in hisce rebus dexteritate donatum. At gravi morbo per viam tentatus, remeare iussus est Romam, ubi aetatis suae anno LXXIV. de mense Augusto vitam commutavit cum morte, sepulcrum nactus in sacello s. Petri de Alcantara ecclesiae aracaelitanae de Urbe a se antea parato hac incisa memoria: Ioannes Fontana Milida dioecesis Comensis architectus sibi posterisque suis MDLXLVII. Bellori, Vite dei pittori e scultori p. 97.

CII. Eo usus est Sixtus V. ad perficiendum fluminis Tyberis pontem, a Borghetto dictum. In ducendis aquis ad miraculum exeultus fuit; eas enim opere magnifico adduxit in Ianiculum, in fontem a Sixto nuncupatam, in Tusculum et ut cetera sileamus, postremo ab urbe Recineti ad alteram Lauretanam.

CIII. Obviat in sacello s. Caroli Borromaei eiusdem ecclesiae aracaelitanae monumentum memoriae M. Antonii Petra, equitis ss. Mauritii et Lazari, suis impensis erecto, legatis interim quadraginta scutatis, pro quatuor honestis virginibus quotannis dotandis.

D. O. M.

M. Antonio . Petrae . nobili . Mediolanen . coniugi . amantiss . qui . singulari . pietate . divitias . suas . omnes . vivens . ac . moriens . pauperibus . in . Christi . gratiam . erogavit . et . hoc . demum . sacello . a . fundamentis . extructo . obiit . an . sal . MDCXIV . aetatis . LXII . m. X.

Olympia . Aragonia . uxor . moerens.

P.

ARGUMENTUM

Acta Ludovici Soteli franciscani, oratoris Voxuani, Iaponiae regis, notantur. Missio fratrum recollectorum in Canadam. Celebratur congregatio generalis ordinis. Fundantur conventus et monialium monasteria. Servi Dei decedunt et viri docti inclarent. Vitae sanctitate ac ferventibus concionibus emicat s. Fidelis a Sigmaringa capucinus. Episcopi eliguntur. Gesta b. Iolentae, ducissae Gnesnensis et b. Petri a Monticulo praetermissa vulgantur. Summi pontificis mandata et favores numerantur.

I. Diximus magno classium apparatu missum anno MDCXIII. e Voxuano Iaponiae regno Ludovicum Sotelum, Idate principis oratorem, ut negotium fidei christianae apud romanum pontificem et Philippum III. catholicum procuraret. Mexicum cum ceteris Iaponibus adveniens, tum a prorege tum ab urbis proceribus omni humanitatis sensu accepti fuere. Christiana fide edocti ab eodem Ludovico plurimi sacro baptismate abluti sunt in ecclesia s. Francisci minoritarum eiusdem urbis, quos etiam archiepiscopus confirmationis et eucharistiae sacramentis solemni pompa refecit.

(Annal. min. ad ann. 1613. n. 2. Monum. arch. ss. XL. mm.) (Scipio Amatus p. 2.)

II. Variis litterarum fasciculis pro felici huius legationis successu instructus erat idem Ludovicus, regis nomine, sigillo principis munitis ac iaponico idiomate scriptis. Omnium prima Mexici tradita fuit ministro franciscalium, provinciae s. Evangelii, hisce verbis latine sic expressa.

Domino provinciali provinciae s. Evangelii.

Licet aliquibus abhinc annis mihi compertum fuerit, iaponico in regno Dei legem evulgatam, nullam tamen de ea notitiam habui. Cum autem p. Ludovicus Sotelus hisce temporibus cuncta de Christi doctrina mihi aperuisset, adeo sancta et indubia ad aeternam felicitatem capessendam visa sunt, ut nisi occurrissent mihi quaedam incommoda, christianorum albo iam nomen dedissem. Eam tamen proferri in ditiones meas curabo. At cum pro hoc explendo fidei negotio nomine meo Matritum et Romam p. Ludovicum aliosque tres aulae meae equites, quorum unum regio sanguine ortum, mittam, ideo te exoro, ut eos benevole recipias, necessaria suppedites et apud commissarium generalem Indiarum tui ordinis et apud Maniliae proregem commendatos habeas. Verum cum idem pater non tam cito in meam dominationem rediturus sit, ne meum votum irritum evadat, te deprecor, ut delectum fratrum provinciae s. Evangelii, tuae curae commissorum, mox ad me mittere patiaris, quibus praesto erunt ecclesiae et aedes ceteraque religiosis viris accommoda. Grato interim

animi mei erga te sensu huius regionis quod tibi offero munus benevole accipere digneris. Alia cordi meo abscondita aperiet tibi idem Ludovicus. In tui gratia esse cupio obsequenti animo.

Ex urbe et curia mea Fendai anno decimo octavo aetatis Queeho, die decimaquarta lunae nouae, idest die XVI. Octobris anno MDCXIII.

Cognomen dignitatis: Mattundaira Matcunocami. — Nomen et cognomen regis: Idate Masamune.

III. Inter omnium ordinum festiva gaudia Hispalim die XXI. Octobris anno MDCXIV. iidem oratores accesserunt, quibus se addixit in comitem Ioannes Sotelus franciscanus, eiusdem Ludovici germanus, ut operam suam in tanto negotio conferret. Comiti de Salvaterra, urbis praesidi, epistolam Voxuani regis iaponico idiomate item scriptam tradiderunt legati in senatu vulgatam. Latinam damus.

Urbi Hispalensi inter ceteras illustri.

Divino prorsus consilio se conferens in meam ditionem p. Ludovicus Sotelus, mira ab eo audivi de fide et de lege Dei, quae cum veram et indubiam salutis aeternae viam doceat, eam summo in pretio habeo, eique assensum praeberem, nisi graves mihi nunc occurrerent morae. Volo tamen, ut cuncti cuiusvis ordinis sub mea dominatione degentes christianorum doctrinam profiteantur, sicut id eventurum confido sollicitudine p. Ludovici Soteli et alterius de aula mea equitis Faxecura Rocuyemon, quos ad magnum christianorum dominum, quem papam dicunt coluntque in terris velut Christi vicarium, meo nomine mitto. Non me latet amplitudo et opulentia istius perantiquae urbis, a qua ortum duxit p. Sotelus. Is enim, velut germen turgidum, a nobili radice Hispalensi omnium primus inter religiosos viros ad me advenit, doctrinae et sanctae Dei legis lumen effundens. Qua de re in primis Deo et vobis gratias ago, et simul verbo et scripto oratores mei ad vos missi significabunt; deprecor vos adeo officii mei partes acceptas habere, ut nunc et semper in mea esse familiaritate sciatis, quam confirmari aliquo monumento publico ex parte vestra cupio, in archivo nostro asservando, sicuti ego in servitutis meae signo offero vobis gladium et pugionem, regalis meae dignitatis ornamenta praecipua. Ad inducendam autem inter nos quam certam habeo benevolentiam, satis erit, si oratores mei vestro studio ad magni potentisque Hispaniarum [regis] praesentiam adveniant, et summo pontifici ac christianae reipublicae supremo moderatori genua submittant. Hinc meis piis desideriis obsequentes, sanctae fidei, quam profiteri desidero, auxilio imperium meum meosque subditos ecclesiae Dei subiicere, summumque pontificem velut caput spiritnale cunctorumque regnorum supremum vicarium venerari volo. A multo tempore, cum nautas ab indica et me- Scipio Amatus p. 33.

ridionali plaga ad vestram rempublicam negotiorum causa se contulisse compertum sit, a vobis postulo, qua ratione e nostra ad vestram regionem iter foret auspicandum. Quae si assequerentur, frequentius nautarum ope meam in vos perpetuam servitutem significarem. Alia plura a me praetermissa reserabit p. Sotelus, cui fides haberi convenit. Benevolentiam et gratiam desiderat.

Ex curia nostra etc.

IV. Matritum iidem oratores advenerunt die XX. Decembris, incolatum, licet a multis optimatibus in aedes proprias invitati, tenuerunt in coenobio s. Francisci de observantia eiusdem urbis. Die XXX. Ianuarii anno MDCXV. insigni pompa ad aulam regiam admissi, Voxuani principis nomine legationem suam Faxecura Rocuyemon ita aperuit Philippo III. Hispaniarum regi.

Domine rex.

Sicuti, qui multarum tenebrarum et operum patiens lucem invenit, gaudet de primo fulgore, quo illustratur, ita ego e loco, caelesti lumine destituto, ad has christianorum terras adveniens, vestrae maiestati, quae est sol catholicae religionis mundum illuminans, me offero, maris pericula et itineris calamitates haud persentiens, voti compos factus, radio vestrae regalis clementiae feliciorem ac honoratiorem, inter ceteros Iapones, me existimo. Regio a qua discessi, Iaponia nuncupata, ceteris est, quibus Hispania praesidet, remotior. Ad vos me mittit Idate Masamune, dominus meus potentissimus Voxuani regni, cuius nomine manus maiestatis vestrae exosculans, legationis meae officium expono. Cum idem dominus meus fidei legisque Christi praestantiam audisset Iaponumque doctrinam, daemonum fraude refertam, inter christifideles baptismatis lavacro se adscribi optavit, et curavit, ut sui imperii gentes sanctam Dei legem profiterentur, quae fundamentum non habet in temporalibus, variis fortunis obnoxium, sed in aeternis et immortalibus. At quoniam id negotium periculis ob sui novitatem plenum, opportunis mediis sit destitutum, ideo dominus meus rex iussit legationis ope ad maiestatem tuam, firmam ecclesiae columnam, occurrere, enixe petens, ut eo mittere dignaretur religiosos viros sacrosque verbi Dei praecones, qui evangelii veritatem annuntiarent, et incolis sacramenta conferrent. Idem ipse rex oratores suos destinavit ad summum pontificem, ut is ea disponeret, quae magis apta essent ad famulatum Dei salutemque illarum animarum, aquas sacri baptismatis sitientium. Altera et inductus fuit ratione idem Voxuanus rex, fama nimirum in Iaponia vulgata de imperii tui amplitudine ac potentia, et de animi tui humanitate erga nationes, in tui fidem se commendantes. Hinc principis mei mandato regnum et famulatum eius tibi exhibeo, deprecans interim clementiam maiestatis tuae, ut animi tui benignitate gratum acceptumque habeas effectum, quo tibi se devovit, et uti patiaris copiis suis, nutibus

Idem p. 38.

tuis praesto paratis. In pergratum tuae erga me voluntatis signum deprecor maiestatem tuam, ut mea privata vota copiose perficias, quod et domino meo, quinimmo et caelesti regi iucundum erit, si iubeas coram maiestate tua novam vitam, ex baptismatis lavacro productam, solemni ritu recipiam, ut apud Iapones elucescat, me singulari observantia erga te devictum.

Cui Philippus rex: « Magna animi nostri iucunditate a te, oratore nobis misso, audivimus sanctam Dei legem apud Iapones et praecipue apud Voxuani regni incolas, ingenii facilitate pollentes, in dies propagari. Nos interim in Domino gloriamur, ut nostro hoc tempore sint, qui ad Christi fidem quaerendam e longinquis regionibus adveniant; nostrum enim primum consilium in sacri evangelii propagatione, in conversione infidelium et in christianae reipublicae incremento versatur. Hinc tuis et eiusdem regis votis benevole annuimus. Oblatam insuper domini tui nomine servitutem et familiaritatem prompta voluntate prosequimur, fideliterque observandam promittimus. Alia a te exposita negotia statuto tempore expendemus. Ceterum item laetati sumus de antiquo quod fovisti desiderio, te inter christianos cooptari et coram nobis baptismatis sacramento initiari ».

V. Eundem regem catholicum ita allocutus est Ludovicus Sotelus Iaponiorum imperatoris nomine.

Domine.

Cum ab annis quinque Iaponiorum imperator mihi munus demandasset, ut quaedam negotia cum maiestate tua explerem, mihi infirmitate correpto suffectus fuit p. Alphonsus Munoz. Commorans in Iaponia ad aures meas devenit, Bathavos induxisse oratores ad eumdem regem, ut irritam redderent quam enixe desideraverat benevolentiam cum maiestate tua, eidem pretiosa dona offerentes, non sine omnium Iaponiorum moerore. Ut huic malo occurrerem, eumdem regem admonui, ne inducias cum eis iniret, utpote a fidei puritate deviis, sed cum invictissimo Hispaniarum rege, catholicae religionis patrono vigili. Hisce auditis, iterum ad id munus perficiendum apud maiestatem tuam ipse mihi demandavit. *Ad haec Philippus*: « Impense laetamur de voluntate et desiderio imperatoris nobis per te exposito: alta mente retinebimus studia et officia nobis exhibita, suo tempore explenda ».

(Idem p. 40.)

(Idem p. 41.)

VI. Confectis legatorum apud Hispaniarum regem muniis, dies tandem XVII. Februarii anno MDCXV. illuxit, quo sacrum baptisma collatum fuit Faxecurae Rocuyemon, sibi imposito *Philippi Francisci* nomine. Solemnia acta fuerunt in ecclesia sororum clarissarum regalium Matritensium adstantibus Philippo III. ac pientissima coniuge Margarita austriaca, binis infantibus ceterisque de aula principibus. Archiepiscopo Toletano paralysi effecto, sacris aquis eundem oratorem lustravit d. Didacus de Guzman, maior cappellanus, delectis ad

(Idem p. 14.)

cum suscipiendum Camillo, comite de Lerma, et de Barascia comitissa. Notatu digna sunt, quae eidem Philippo Francisco Faxecura evenere in coenobio s. Francisci observantium Compluti, de quibus Scipio Amatus, huius legationis interpres ac scriba. Illum enim in conventum advenientem, pro nimio animi sui solatio, ut vidit ecstasim passus est fr. Michael, laicus coenobii incola et aegrorum curator. Simile occurrit Thomae, eiusdem conventus sacerdoti, sermonem cum eo habenti de Iaponum ad Christi fidem conversione.

Idem p. 47.

VII. Peragratis Hispaniarum provinciis confectoque quinque millium trecentarum leucarum itinere, tandem ad Urbem miro quidem apparatu advenere die XXVIII. Octobris. Incolatum habuerunt in aede pontificia, apud coenobium fratrum minorum s. Mariae de Aracaeli, ubi cuncta parata fuerant summi pontificis iussu. Epistolam latine a nobis ex hispanico translatam subiicimus, datam a Voxuano principe ad ordinis supremum praesidem, cum in Gallia versaretur, idem orator tradidit Evangelistae de Gabiano, commissario generali eiusdem instituti in Urbe degenti.

Idem p. 56.

Magno universali moderatori, ordinis s. Francisci, domino generali.

Ex arch. ss. XL. mm. de Urbe

Aliquanto abhinc tempore apud Iapones profiteri christianorum legem audivi, eam tamen penitus ignorabam; at edoctus a p. Ludovico Sotelo, in cuius familiaritatem me dedi, adeo sancta, bona et ad consequendam salutis viam accommoda mihi visa est, ut si quaedam mihi aequae rationes praesto non essent, cito christianis me adscriberem. Licet nunc res ita se habeat, mihi tamen iucundum erit, si eadem fides a cunctis meae curae commissis profiteatur. Quare paternitatem tuam, moderatorem fratrum minorum s. Francisci ubique degentium, quos prae inculpata vita plurimum diligo, supplicibus verbis exoro, ut fratres tui ordinis de observantia ad me pro hac vinea excolenda mittas, quibus studiose deserviam aedesque instruam ac ecclesias. Sciens autem, quod Voxuanum regnum meum inter Iapones vicinius ac facilius sit prae ceteris ad classes ducendas in Novam Hispaniam, et cupiens inire societatem cum illius domino, epistolas ideo mitto ad d. Papam, omnium causarum et creaturarum principium, ad d. Philippum, Hispaniarum regem et ad paternitatem tuam, ut te Deum deprecante, ad fidei veritatem deveniam suaque divina gratia fruar. Ad haec feliciter consequenda oratoris munere insignitum ad te ablego p. Ludovicum Sotelum, sperans dexteritate sua cuncta iuxta mei placitum eventura cumulatissime. Qui, si e vita migraverit, alius loco sui a tua paternitate designandus idem officium perficiet. Ne vero in re tanti momenti aliqua oriatur dubitatio, nobilem equitem ei in comitem dedi. Gratum interim mihi erit, si paternitas tua ita agat, ut ad summi pontificis regisque Hispaniarum praesentiam oratores adveniant, ut negotium eisdem commissum fe-

liciter absolvant, et ut navigia pro eorum reditu aliorumque religiosorum ad nos venientium habeantur parata. Cetera tibi idem p. Sotelus significabit. Postremo me meamque ditionem nutibus tuis subiicio, offerens in benevolentiae erga te signum, exiguum huius regionis longinquae munusculum, tibi ab eodem Sotelo tradendum.

Ex civitate nostra Fendai etc.

VIII. Summi pontificis placito die III. Novembris anno MDCXV. Voxnana legatio ad aulam eiusdem summi pontificis advenit. Hac eadem die Scipio Amatus sequentem epistolam suo operi *historia del regno Voxu,* hoc anno Romae impresso, praefixam vulgavit nuncupavitque eidem pontifici, quam damus ad huius legationis acta magis magisque illustranda.

Sanctissimo domino nostro Paulo V. pontifici maximo etc.
Scipio Amatus romanus.

Magnae Iaponum insulae, pater sanctissime, populorum numero insignes, aedificiorum genere spectabiles, rerum omnium ubertate ditissimae, tam extero terrarum aquarumque spatio in occidentali oceano iacentes, parvis aquarum brachiis distinctae, multis abhinc saeculis incognitae, a Lusitanis primum repertae, in sexaginta sex regna distributae, unum omnium imperatorem recipiunt. Earum homines ingenii felicitate praestantes, bellico armorum usu spectati, multiplici virtutum genere illustres, ita ceteris illarum partium nationibus antecellunt, ut inter omnes occidentales, orientales etiam, principem sibi locum vindicent, nobis quoque comparentur. Ubi tanta caeli clementia, terrarum ubertas, hominum indoles vigebat, expectandum erat, ut summa omnipotentis Dei miseratione, ecclesiae largitate, Christi vicarii privilegio evangelicae praedicationis opus inciperet, inceptum quilibet alius feliciter propagaret. Ibi ager dominicus, modo imperantium tyrannide languidus, modo regnantium pietatis ope efflorescens, primordia succrescentis ecclesiae imitatur. Latus campus, immensa seges, messis fertilissima, si operariorum ope, ministrorum studio, praesulum vigilantia non egeret. Quamobrem a Iaponicis christifidelibus audita ac cognita fratrum s. Francisci paupertate, humilitate et doctrina evangelica in eorum operibus collocata, ex Insulis Philippinis accersiti, renuentes ingredi, iterum atque iterum postulati, tandem ut pernecessarius, ita felix eorundem patrum in regiones illas ingressus, ut evangelicae doctrinae lumen emitterent, patrum societatis Iesu opus adiuvarent, et ex tot idololatris regnantibus reges aliquot in gremium sanctae matris ecclesiae collocarent. Magnum Idatis Masamunis, regis Voxii, conversionis argumentum, tam exterae legationis officium, magnum legis evangelicae in illis regnis futurum incrementum, summum erga Christi vicarium fidelitatis obsequium, erga christianae reipublicae principem laudabile fidei documentum. Gregorii XIII. ac Sixti V. fel. rec. pon-

tificatus simili oratorum adventu, communi omnium plausu, exultavit; et inter prospera florentis sanctae Dei ecclesiae status tam longinquae legationis honores, publica huius apostolici senatus, et privata totius ecclesiae et bonorum omnium laetitia excepit, inter annales etiam referendos iudicavit. Eadem causa voluptatis, quinimmo maioris animi laetitiae tuo huic felici pontificatui, sacro Purpuratorum collegio populoque romano horum legatorum accessu a Domino impertita, ab Isaia cap. 9. enarratur: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis; multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam. Laetantur coram te, sicut qui laetantur in messe: sicut exultant, qui laetantur in victoria.* Hae sunt primitiae ex agro dominico in tam remotis et vastis orientis regionibus laboris franciscanorum. Hi sunt utilitatis et gloriae fructus, quos s. r. e. sacra religio parit immortales et bonorum omnium expectatione dignissimos. Excipe, Paule pater sanctissime, tanti regis obsequium, pignus voluntatis, fidei vinculum sempiternum, non armorum copia et bellico rerum militarium apparatu, sed legis evangelicae solum veritate convicti, huius sanctae sedis obsequio et fidei christianae patrocinio vehementer addicti. Patere ergo, quod magno regi, ob immensum aquarum terrarumque intervallum et arcana quaedam imperii prohibetur, illud idem fidelitatis et obedientiae debitum a designatis oratoribus, tuis manibus tuisque sanctissimis pedibus exhiberi, ut haec felicissima dies sanctitati vestrae sit summum animi gaudium, sacro huic senatui honor, universae reipublicae christianae ac s. r. e. perpetuum gloriae monumentum. Si caesaris imperium, reipublicae consulatus, regum etiam series repetatur, legationes omnes ad amicitiam, ad societatem cum populo romano ineundam exceptae, earum nullae tam gloriosae, tam longinquae, sicut praesens e remotissimis terrarum partibus egressa; vix duorum annorum curriculo ad sanctissimae vestrae sanctitatis aspectum pervenit, regis Voxii, regis potentissimi obsequia declaravit, eiusque sceptrum sanctitatis vestrae pedibus subiecit, quod illi non minus proficuum quam ecclesiae gloriosum, omnibus christifidelibus iucundum aestimatur. Ut enim primordia fidei et religionis incrementa ex sacrosanctae matris ecclesiae ubere erumpunt, ita spectabiles christifideles in remotissimis Iaponicis partibus eiusdem lacte enutriti, hodie adultae fidei et spectatae christianae virtutis, unam fidem, unam ecclesiam, unum Christi vicarium coram hac amplissimorum patrum corona confitentur. Quae ergo fuit triginta vix annorum spatio absoluto, totius Italiae laetitia, par erat hoc secundo legatorum adventu innovari, ut romanae ecclesiae gaudium orientalium regnorum obedientia compleretur. Si quos vides, pater sanctissime, nomine regis Idatis legationis officio fungentes, post tot aquarum scopulos, tot terrarum discrimina ad hanc sanctam sedem, religionis et obsequii stimulo pervenire, iure sibi postulare videntur, ut a tot variis rerum eventibus servati tuos sanctissimos pedes deosculentur, tuamque benedictionem accipiant, ab

omnibus etiam commendentur. Omnes enim, qui exteras regiones et impenetrabiles terrarum accessus studio sapientiae et perlustrandi desiderio, non sine magno vitae discrimine, bonorum iactura aetatisque detrimento peragrarunt, ubi primum primae intentionis voti compotes extitere, variis populorum moribus, variis civitatum ingeniis, variis terrarum spatiis recreati, nulla est praeteriti laboris recordatio, universa annuae peregrinationis incommoda, pericula, casus in gaudium commutantur. Hoc idem oratoribus eorumque comitibus eveniet, qui non philosophiae gratia sed fidei, non caelorum speculationis sed legis evangelicae, non ad magnifica gentilium theatra, sed ad sanctam Dei civitatem, non ad philosophum docentem naturalia, sed ad verum Christi vicarium ad salutis aeternae gubernacula sedentem pervenere, si quod diutissime exoptarunt, hodie summa animi laetitia adsequantur. Hic est, pater ss., fr. Ludovicus Sotelus, divinae legis promulgator, Iaponicae linguae peritus, gentilium animarum conversioni duodecim annorum spatio addictus, pro Christi fide bis igni damnatus, tandem imperatoris Iaponici aditum, regis Voxii benevolentiam consecutus, hodie eiusdem regis nomine sanctitati vestrae obedientiam et fidelitatis iuramentum profitetur. Hic est d. Philippus Faxecura, nobilis eques, Iaponicus domicellus, regio sanguini coniunctus, Matriti baptismatis lavacro expurgatus, virtute conspicuus, prudentia insignis, secundis adversisque iuxta spectatus, qui cum fr. Ludovico oratorium munus exequetur. Quare sanctitatem vestram, quo maioris possum humilitatis obsequio supplex exoro, ut suo paterno caritatis affectu et insita huius sanctae sedis clementia obedientiam nomine tanti regis per legatos ex remotissimis partibus exceptos, regias testimoniales litteras exhibentes, solemni hodie pompa et caeremonia recipere dignetur. Nam rex Voxii Idates magnitudine regni, redditnum copia, armorum apparatu Iaponiae regum omnium maximus, imperio proximus, Christi fidei fautor, etsi baptismi characterem seriis de causis in ecclesiae commodum erupturis usque ad tempus magis opportunum distulit, subditis tamen sibi populis legis evangelicae doctrinam declarari libere concessit, omnes ex aqua et Spiritu sancto renasci sibi iucundum fore promulgavit, ut christianae legis summum bonum, ex catechismo cognitum, sacro patrum eloquio comprobatum, sibi suisque populis quamprimum impertiret. Hic idem Spiritus sancti gratia vehementer illustratus idolorum cultum abolevit, eorum domus prohibuit, subdolis tot numinum simulacris multis abhinc saeculis colentium frequentia claris publica populorum opera comminutis, publice eorum fallaciis cognitis et damnatis, hodie unam Christi fidem profitetur, unum Petri successorem et ecclesiae romanae primatum humiliter veneratur. Monasteria et aedes satis magnifice ad Dei et sanctorum cultum exstruendas sollicite curasset, redditus et cetera ad ministerium ecclesiasticum necessaria ex regia sui animi munificentia decrevisset, si ministrorum copia, si messis dominicae illic cultores extitissent. Quare arcano quodam imperii et gra-

vissimis rerum causis impeditus, ne praesens idem fidelitatis obsequium coram tuis sanctissimis pedibus prostratus obiret: ut tamen erga sanctitatem vestram propensae voluntatis testimonium, et mirum suae et suorum salutis desiderium declararet, hos spectatae fidei et nobilitatis titulo satis illustres constituit oratores, quorum precibus, officiis, obtestationibus sperat sibi, quamquam immerito et recens sub crucis nomine imperanti, ex sanctae huius sedis liberalitate et indulgentia, cuncta ex animi sui et christianorum sententia contra inveteratum idolorum cultum feliciter eventura. Mirum profecto videtur, regem potentissimum, spectatum bello, imperio designatum, in extremis terrarum terminis regnantem hodie Christi vicarii maiestatem velut summum in terris sacerdotem venerari. Si ergo rex divinae caritatis radio illustratus, fidei titulo nuper insignitus ecclesiae romanae utrumque potestatis gladium solemni hodie legatorum caeremonia confitetur, quam facile subdola haereticorum opinio consternetur, quam bene primatum ecclesiae negantibus tam exterum confessionis officium erit christianae veritatis lumen sempiternum? Emitte igitur, Paule pater sanctissime, sicut sol clarissimus tuae maiestatis, tuae liberalitatis et clementiae fulgores, emitte tuae sanctitatis radios in omnem terram et in fines orbis terrae, ut expulsa mentium caligine et solis iustitiae cognito mysterio, te unum ecclesiae principem omnes nationes adorent, clavigerum caeli et terrae, Christi vicarium fateantur. Quod ab Isaia praevisum conversionem insularum omnium ex lumine sanctae matris ecclesiae cap. 32. praesignavit: *ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent: tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Consule, pater totius reipublicae christianae, illarum partium felicitati, tot regnorum conversioni, tot filiorum ad te clamantium saluti, religiosorum ministerio, operariorum sollicitudini, praesulum etiam vigilantiae. Videmus Romam, tuo felicissimo imperio, illustratam templorum magnificentia, aedificiorum structura, virtutum incremento; omnia ad pacem, ad reipublicae commoda disposita, velut monumenta fidei et tui pontificatus triumphi vivent in annuis hominum, vivet romanae domus Burghesiae tot illustrium fama rerum ad augustissimi sui nominis memoriam sempiternam. Felix ergo regis Voxii legatio, fortunati oratores, qui non Caesari Augusto, sed Paulo V., Christi vicario, non politico imperio, sed romanae ecclesiae, non pacis causa, sed conversionis, non amicitiae, sed obedientiae, non aequalitatis iure, sed subiectionis litteras, supplicationes, oscula proponunt. Etsi tantus sit illarum gentium erga fidei amplexum propensae voluntatis amor et aeternae gloriae mirum animi desiderium, ut earum quamplurimae de tyrannicae persecutionis gladio, de glorioso crucis martyrio triumphent, munificentia tamen sanctae matris ecclesiae the-

sauri ad rerum aeternarum praemia excitatae, maiora in dies incrementa suscipiet, ecclesiasticae veritatis lumen clarius emicabit, et salutis ardor in earum animis vehementius insidebit. Sanctitatem ergo vestram D. O. M. quam diutissime christianae reipublicae servet incolumem, ut huius sanctae sedis augustissimus maiestatis splendor ubique gentium obsequentius extollatur, ministerii tui apostolici rara temporum felicitas ubique locorum commendetur, et nullis circumscripta finibus fama vivat, vivat virtus, vivat et gloria. Posteritatem s. Francisci iampridem ecclesiae bono designatam, in Iaponio nuper semel atque iterum martyrii fama conspicuam, quam latissime proferat, ut celebri eorum doctrina, admirabili eorum industria, labore, vigilantia, ut has primitias novae frugis evangelicae sanctitati vestrae nunc primum oblatas, sic uberrimam conversionis messem ex novissimo orbis campo colligendam in horreum sanctae matris ecclesiae inferat, et, quae eorum patris sunt, omni semper tempore tueatur, proferat, amplificet. Nunc ergo suscipe etiam, beatissime pater, et hunc parvulum laborem meum sanctitati vestrae dicatum, ut sub tuis felicissimis auspiciis, quidquid boni actum vel relatum fuerit, a primo usque ad finem ab omnibus tuum esse credatur.

Romae III. nonas Novembris MDCXV.

IX. Indicto convocatoque a pontifice eadem die sacro purpuratorum patrum consistorio, oratores e coenobio araçaelitano, comitantibus copiis pontificiis, urbis proceribus, praelatis et cardinali Burghesio, ad summi antistitis aulam die XXI. accessere. De qua ita habetur in actibus consistorialibus:

Feria III. die III. Novembris hora vero XXI. Romae apud s. Petrum in aula palatii, a Sixto V. exstructi, aulae Clementinae contigua, fuit congregatio generalis, instar consistorii publici, in qua, cardinalibus cum rochettis et mozzetis sedentibus, sanctissimus dominus noster, post trinam ex intervallis adorationem, ad osculum pedum admisit d. Philippum Franciscum Faxecura Rocuyemon et r. p. fr. Ludovicum Sotelum, ordinis s. Francisci, ab Idate Masamune rege Voxii in imperio Iaponiae legatos. Is Faxecura christianus ipse a praefato Idate rege, adhuc cathecumeno, litteras reddidit ex civitate et curia Fendai, anno decimo octavo aetatis, Quecho quarto, die lunae, id est anno salutis MDCXIII. pridie nonas Octobris datas, quibus idem rex, sanctitatis suae pedes cum profunda submissione et reverentia osculando, petebat ad se mitti religiosos ordinis s. Francisci de observantia, ad propagandam in eo regno sanctam Dei legem, atque ibidem praeterea magnum praelatum institui et creari, cuius disciplina et cura illi omnes populi christiani fierent, suas omnes propterea opes et studia deferens etc.

Ex actis consistorialibus p. 640

Respondit Petrus Strozza, secretarius pontificius: Amantissime a sanctitate sua cum venerabilibus fratribus suis, s. r. e. cardinalibus, recipi eam piae voluntatis declarationem delatumque per eos legatos

sibi ac sanctae sedi apostolicae obsequium ac venerationem, spondens, se nihil interea praetermissurum, ut ipsius regis piis et iustis desideriis satisfieret, subiectorumque ei populorum spirituali solatio opportune prospiceretur etc.

Sedente Paulo V. pontifice max. in aula contigua aulae Clementinae, cardinalibus pro consistorio et aliis publicis actis destinata, die III. Novembris MDCXV. vespertinis horis in s. r. e. cardinalium consessu et magna principis Sulmonae et antistitum et praelatorum nobiliumque virorum frequentia, summo et celeberrimo comitatu introducti legati duo regis Voxii Iaponiae, fr. Ludovicus Sotelus etc. et d. Philippus Franciscus etc. post solemnem summi pontificis adorationem et beatorum pedum oscula, ab eodem eximia cum significatione benevolentiae et caritatis accepti, in locum a designatore praestitutum magna cum modestia secesserunt.

X. Postremo allatae a regiis legatis litterae, e iaponico in latinum redditae, vulgatae fuere uti sequitur:

Scipio Amatus p. 65. *Magni et universalis sanctissimique totius orbis patris Domini papae Pauli V. pedes cum profunda submissione et reverentia osculando, Idate Masamune imperio Iaponico rex Voxii suppliciter dicimus.*

Cum venisset p. fr. Ludovicus Sotelo, ordinis s. Francisci religiosus, ad meum regnum et in eo christianam legem praedicasset, me invisit, ab eoque eam audivi, et mysteria multa, quae de ritu sunt et caeremonja christianorum aperuit, quae sane in corde recondens et perscrutans, cognoscens vera esse et salubria, susciperem profitenda, nisi me aliqua negotia deturbarent, et inexcusabiles causae detinerent; si tamen pro nunc ego non valeam, cupio saltem meas gentes et subditos populos christianos fieri; hoc ut feliciter eveniat, ad me mittas quaeso, beatissime pater, religiosos ordinis s. Francisci, qui de observantia nuncupantur; hos enim praecipue diligo et observo; tua vero altitudo ipsis ample concedere non horreat omnes licentias, favores et quaecunque alia ad id necessaria. Ego autem iam terram hanc ingressos adiuvare non desistam, sed in monasteriis aedificandis et in aliis rebus, quibus potero, beneficiis inserviam; similiterque expostulo, ut in meo regno disponas, gubernes, instituas omnia ea, quae ad propagandam sanctam Dei legem utilia tibi fore placuerint, praecipue, ut in eo instituas et erees quendam magnum praelatum, instanter supplico, cuius observantia et sollicitudine omnes, qui in eo habitant, quamprimum christianos fieri non dubito; de ipsius autem expensis et redditibus ne quaeso anxius sis, quia ut copiose fiat, nostrae sollicitudinis et curae proprium esse volumus.

Cuius rei causa ad te mitto praefatum fr. Ludovicum Sotelo legatum meum, a quo possis de corde meo, quae tibi visa fuerint, sciscitari; optime namque novit, quae circa praedicta in eo sunt; et haec, ut effectum habeant, ipsi roganti misso benevolas aures concedat et honorem praebeat tua beatitudo, cui etiam comitabitur

quidam nobilis, eques domus meae, qui Faxecura Rocuyemon nominatur, qui similiter legatus meus existit, ut ambo mei vices agentes, obsequii et obedientiae causa ad sanctissimam usque romanam curiam pervenientes, tuos beatissimos pedes pro me osculentur, et si forte praedictus p. fr. Ludovicus Sotelo in via fuerit vita functus, quilibet alius ab ipso designatus, ut legatus ad te admittatur, tanquam si ipse viveret.

Cognovi praeterea, quod meum a Novae Hispaniae regnis, quae potestati ac ditioni potentissimi regis Hispaniae Philippi subsunt, non multum distat; quapropter cum desiderio communicandi cum ipso et cum illis christianorum regnis, eius amicitiam exopto; quod equidem sic fore confido, si tua auctoritas interveniat; precibus humiliter peto, ut hoc altitudo tua incipiat et ad finem usque perducat, maxime quia necessaria via religiosis a te in hoc regnum missis est. Prae omnibus pro me orabis omnipotentem Deum, ut ad eius amicitiam valeam pervenire. Si vero in hoc regno aliqua videris tuo obsequio et voluntati gratiosa, iubeat altitudo tua, quoniam, ut voluntati tuae respondeamus, totis viribus adimplebimus. Haec autem, licet exigua sint dona, quia tamen ex longinqua regione adveniunt, cum reverentia et timore pauca ex Iapone tibi offero. In omnibus aliis nos remittimus ad praedictum patrem Sotelo et equitem Rocnyemon, et ea, quae ex parte nostra tractaverint et rata fecerint, ipsa et rata esse volumus. Ex civitate et curia nostra Fendai anno decimo octavo aetatis, Quecho quarto, die lunae nonae, idest anno salutis MDCXIII. pridie nonas Octobris.

Cognomen dignitatis	Nomen et cognomen regis
Matcundayra Mutcunocami.	Idate Masamune.

XI. His prolatis, frater Gregorius Petrocha, Mantuanus, minorita de observantia et in aracaelitano conventu sacrae theologiae lector, longum eumque rudem nomine legatorum et regis Voxuani dixit sermonem, ex quo pauca, quae Idatem spectant, verbotenus adferimus.

" Apud principem sibi proximum, qui christianos in suo principatu admissos vix patiebatur, accidit, ut ille se ab eis laesum censeret, qui tanta indignatione in eos efferbuit, ut mille cum octingentis in carcere simul haberet morti destinatos, ex quibus aliqui ad securim, aliqui ad suspendium adducebantur, sacerdotes vero et concionatores ad ambustionem. Una dierum maximus numerus horum et illorum expectabatur ad necem. Iam rogus paratus, iam imminenti spectaculo popularis multitudo convenerat, iam flamma vorax ad pabulum extorquebat; Idate rei conscius ab auctore martyrii, sola in Christum pietate, omnium animas sibi donari poposcit, obtinuit, eripuit, non Christo sed morti, octo supra viginti exceptis, quos Dei sapientia, ut aeque fortiter ac suaviter sua disponeret, per ignem et

gladium sibi in odorem suavitatis assumpsit. Nec propterea illum a gravioribus pietatis argumentis, nondum suscepta regeneratione, frigescere, non tepescere permisit. Sed cum Anglorum Batavorumque oratores ad Iaponicum imperatorem eius amicitiam postulantes accessissent, sanctae huius sedis beatitudinem invadentes, invidentes ei saltem, insidiantes, adversantes, Idate imperatorem admonet, solam romanam ecclesiam esse Christi legitimam uxorem, non habentem maculam neque rugam, cuius consilio, illis dimissis, ad incundam societatem cum Philippo Hispaniarum rege catholico, huius matris legitimo filio, deflectere maluit; consequentia vestro iudicio, patres amplissimi, coniicienda relinquo.

XII. Post finitum patris Gregorii sermonem summi pontificis nomine Petrus Strozzius, secretarius pontificius, in haec verba respondit:

Iucundissimum sanctissimo domino nostro nuntium attulistis, oratores, pie ac religiose Dei sacerdos Ludovice, et eques generose Philippe Faxecura, Idatem Masamunem regem Voxii, cuius tam latum inter Iaponicos imperium, tam amplae ac validae copiae atque vires, adeo firma praesidia cum ex continuo expeditoque belli apparatu, tum ex arctissimo ac duplici cum summo Iaponiae rege affinitatis vinculo, succensum divini amoris ardore, christianam fidem recepisse, et adhuc catechumenum fidei propagationem verumque Dei cultum apud suos summo zelo curavisse, ac vos eadem de causa ad sanctam apostolicam sedem legavisse. Gaudet summopere sanctitas sua et Deo gratias ingentes agit, quod ministerii sui apostolici tempore Christi domini evangelium feliciter audiri in orientalibus Iaponiae partibus coeperit, eiusque rei nuntium allatum esse trigesimo tertio anno, postquam ex occidentalibus illius amplissimae insulae regionibus primi christianorum ad summum pontificem legati novem conscenderunt. Quasi vero spes quae affulserat absolvendi per totum terrarum orbem praedicationis evangelicae circulum adimpleri ac perfici debuerit mysteriosa annorum periodo, qua humani generis Redemptor in terris peregrinari dignatus est. Divina igitur misericordia fretus sanctissimus dominus noster utique sperat, regem Idatem quantocius candidam ex fonte sacris baptismatis vestem sumpturum, sicut ad eius animae salutem illum efficacissime hortatur. Qua fiducia amantissime recipit una cum his venerabilibus fratribus suis sanctae romanae ecclesiae cardinalibus hanc eius piae voluntatis declarationem, delatumque per vos sibi ac sanctae apostolicae sedi obsequium ac venerationem. Et Deum toto cordis affectu precatur, ut per immensam eius bonitatem perficiat, quod per ineffabilem suam clementiam in rege Idate incepit, nihil et ipse interea praetermissurus, ut quantum cum Domino fieri poterit, ipsius regis piis ac iustis desideriis satisfiat, subiectorumque ei populorum spirituali solatio opportune prospiciatur. Sic me vobis respondere iussit. Dixi.

XIII. Post haec denuo legati accesserunt pedes sanctissimi iterum osculaturi, quibus reverenter et devote osculatis, pontifex benigne

Idem p. 73.

illos excepit praecepitque, ut subtus baldachinum et supra scabellum, in quo sedes pontificia existebat, ad dextrum latus persisterent, donec religiosi comites praelati rev.[mi] p. Ludovici Soteli legati ac omnes de familia excellentissimi saecularis legati singillatim numero viginti quinque beatissimos domini nostri pedes oscularentur. Quo facto pontifex stola dimissa, legatis benevole inspectis, benedictionem largitus in palatio se recepit, et legati sacrum cardinalium collegium venerantes ac singula singulis devota oscula praebentes, hilariter et magno pietatis affectu ab ipsis excepti honoratique fuere. Deinde deposito regio indumento, magno cum comitatu et universali congratulatione ecclesiam Principis apostolorum ingressi, ibi singulari pietate ac devotione Deo gratias agentes, beatorum apostolorum Petri et Pauli corpora venerati, ad conventum Aracaeli cum eodem comitatu regressi sunt.

XIV. Solemni item pompa die XV. Novembris regeneratus fuit in ecclesia s. Ioannis de Laterano in oratorio *baptisterii* dicto legati secretarius, Pauli Camilli assumpto nomine, cui etiam administrata fuerunt confirmationis et eucharistiae sacramenta. Eadem die sub vespere, p. Ludovico Sotelo duce, ad summi pontificis praesentiam admissi fuerunt tres Iapones christiani, nimirum Thomas Iaquinus Casioe, Petrus Itamisoni et Franciscus Nomano Fambe, qui verbo et scripto cuncta, quae in Iaponia evenerant, eidem pontifici narravere. Item pontifici crucifixum ex ligno, in quo martyrium subierat in Iaponia quidam religiosus, obtulerunt, in arcula studiose instructa occlusum. Prae foribus amplissimae aulae sacelli pontificii apud Montem Quirinalem obviat de hac re solemniter gesta insigne monumentum. Cetera suis in locis erunt agenda. Idem p. 74.

XV. Haec in Urbe. Apud Gallos initiata ab anno MDCXIV. fratrum recollectorum missio apud Canadam sive ad Novam Galliam hoc tempore suum sortita est effectum. Canada anno MDXIV. fortuito detecta a quibusdam Britannicis ventorum vi eo a valida maris tempestate delatis, Nova Francia ideo appellata, quia Galli omnium primi eam maioremque eius partem occuparunt. In ea moderatorem posuerant anno MDCIV. et episcopum; sed Quebecum urbem veterem anno MDCVIII. novam subinde urbem eiusdem nominis regionis emporium cum fortalitio rupibus imposito, multaque per colonias propugnacula portusque in Accadia duos et ipsi constituerunt. Ea est pars amplissima Americae occidentalis iuxta fluvium Canadam, s. Laurentii nuncupatam, quia navitae illud agnoscendum in solemnitate s. martyris ingressi sunt, longe lateque extensa inter terras arcticas ad boream et mare boreale ad meridiem, cuius partes etiam sunt Terra-Nova, Insula Spatiosa, ad ortum Insula Capitis Britonum, Insula Assumptionis, Sequenna, Accadia, Gaspesia, Lovisiana quamplurimique populi. Terminatur autem ad austrum Virginea, Novo Belgio et Nova Anglia, quae alias ipsius etiam pars erat. Ex Canadae incolis aliqui reperti fuere nullum religionis specimen praeseferentes; Cluverius p. 451.

communiter tamen idolis cultum praestabant. Veneficiis et superstitionibus dediti daemones invocabant. Licet magis et minus, universim tamen sunt indociles et inconstantes et antiquorum errorum tenaces, adeo sylvestres, ut plurimi ad humanam societatem hactenus adduci haud potuerint, proindeque sacri evangelii cultores non tot fructus in horrea Domini congregarunt, impediente Canadenorum dura cervice.

Monum. prov. recoll.

XVI. Anno elapso dominus de Champlain eorum praeses, instituta Canadensi mercatorum societate gallica, spiritu Dei ductus cogitavit de inducenda in iis regionibus missione religiosorum virorum, qui animarum aestu flagrantes Gallorum coloniis in Quebeco, Tadussaco, Monteregali, Richeteco, Plasento et Portu regio divina ministrarent, et indigenos idololatras ad veri Dei cultum pariter et amorem adducerent. Votum suum aperuit d. de Hovel, Ludovici XIII. a consiliis, cuius propositum cum commendasset, aperiendum duxit et Bernardo du Verger, ministro provinciali recollectorum immaculatae conceptionis in Aquitania, viro probatae virtutis et rerum agendarum experientia eximio. Laetus haec audivit idem minister; quare binos sodales Lutetiam Parisiorum ad apostolicum nuntium amandavit, ut sibi veniam concedere dignaretur eo suos fratres mittendi. Verum cum nuntius nullam super hoc negotium auctoritatem habere eisdem significaverit, sedis apostolicae placitum postularunt. Interim idem dominus de Hovel accersit Iacobum Garnerium de Capoin, ministrum provinciae eorundem recollectorum s. Dionysii, eique re communicata, et opus commendavit, et opem ad totius negotii consummationem se praestiturum spopondit. Rex vero Ludovicus vulgato sub die XX. Martii apud s. Germanum Layae diplomate, eidem Iacobo Garnerio cavit, ne Canadensem missionem iniret, inconsulto summo pontifice. Hinc pontifex de his certior factus ab Antonio de Treio, vicario generali ordinis, eorundem votis benevole cessit, et Canadensem vineam ab eisdem excolendam commisit eosque multis favoribus locupletavit.

Paulus papa V.

Ad futuram rei memoriam.

Ex regesto secret. brevium in mense Iulio p. 147.

Cum sicut accepimus, dilectus filius Antonius a Treio, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia vicarius generalis, nonnullos sui ordinis religiosos ad insulam de Canada in Indiis occidentalibus, quae, ut asseritur, sub dominio carissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum regis christianissimi, existit, ut illi in vinea Domini pro data sibi ex alto facultate laborent, mittere decrevit; nos dicti Antonii vicarii pietatis zelum ac christifidelium dictae insulae religionem promovere et confovere cupientes, fratribus dicti ordinis ad praedictam insulam ab eodem Antonio, ut praefertur,

mittendis, ut quoscunque dictae insulae utriusque sexus christifideles, si tamen nulla episcoporum similem facultatem habentium inibi adsit commoditas, ad se recurrentes et humiliter veniam petentes, a quibuscunque peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus et in quibuscunque casibus nobis et apostolicae sedi, etiam in litteris die *Coenae Domini* legi solitis contentis, reservatis, nec non a censuris et poenis sine cuiusque praeiudicio, ac iniunctis iniungendis, in foro conscientiae tamen absolvere, nec non fratribus praedictis, qui semel ab ipso Antonio vicario vel ab aliquo episcopo approbati fuerint ad praedicandum, confessiones audiendas et missas celebrandas, pro ministeriorum huiusmodi exercitio in dicta insula ulteriores licentiam et approbationem ab aliis episcopis petere seu habere minime teneantur, sed absque illis inibi praedicare, confessiones audire missasque etiam extra ecclesias consecratas super altaribus portatilibus, in loco tamen decenti et honesto, etiam per horam ante diluculum, vel etiam post meridiem in praedicta insula, cum opus fuerit, celebrare; quodque in praedicta insula, si ab ea valde remoti sint episcopi, oleis sanctis, per duos vel tres aut quatuor annos ante consecratis, libere et licite absque conscientiae scrupulo, facta tamen prius per eos debita diligentia, quotannis novum oleum sanctum huiusmodi [acquirendi], libere et licite uti possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Insuper ut tam fratres praedicti quam christifideles in praedicta insula existentes eo magis ad aliqua pia opera pro Dei gloria et animarum suarum salute excitentur, quo exinde maiora spiritualia munera adipisci se posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fratribus praedictis, confessis ac sacra communione refectis, si potuerint, sin minus saltem quos ad praedictam insulam eundo vel redeundo mori contigerit, plenariam nec non tam eisdem fratribus quam aliis christifidelibus praedictis in praedicta insula existentibus, qui in quibusvis dictorum fratrum tam in praedicta insula erectis quam erigendis ecclesiis in illarum dedicationis vel invocationis aut circumcisionis Domini nostri Iesu Christi festivitatibus vel diebus confessi, sanctissimum eucharistiae sacramentum sumpserint, aut si alibi confessi fuerint et sanctissimum sacramentum huiusmodi sumpserint, eodem die aliquam ex dictis ecclesiis visitaverint inibique pias ad Deum pro sanctae romanae ecclesiae exaltatione ac fidei catholicae propagatione preces effuderint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Illis vero, qui aliquam ex dictis ecclesiis singulis quibusvis anni diebus festivis contriti et debito tempore confitendi propositum habentes, visitaverint, et inibi, ut praefertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Nec non in singulis dictorum

fratrum ecclesiis singula ad arbitrium illorum superiorum respective nominanda altaria ita privilegiata concedimus, ut quicunque ex presbyteris dicti ordinis tam in illis et quomodolibet eorum missae sacrificium pro fidelibus defunctis celebraverint, quoties id fecerint, animabus defunctorum pro quibus illa celebraverint, qui in Christi caritate decesserint, per modum suffragii rite extendimus iuxta stylum. Non obstantibus etc. Praesentibus ad decennium proximum tantum valituris.

Datum Romae apud s. Mariam maiorem die X. Iulii pontificatus nostri anno XI.

XVII. Pontificiis litteris acceptis, laudatus Iacobus Garnerius eo misit Dionysium Iamay, quem commissarium delegit, Ioannem de Albello sive de Olbeau et Iosephum Caron sacerdotes cum Pacifico de Plessis laico, qui incolatum tenuere penes Quebecum, Trifluvium, Tadussacum et Carazoulum inter Hurones. Eis subinde adhaeserunt Paulus Huet, Modestus Quines, Guilielmus Poulain, Georgius Ballif, Guilielmus Galleran, Irenaeus Piat et Nicolaus Viel, qui ab Huronibus Quebecum se conferens cum discipulo nomine Ahantsic, quem sacro fonte expiaverat, a furentibus incolis in fluvium praeceps actus occubuit. Prae ceteris memoria dignus advenit Ioseph de la Roque d'Aillon, antea ex comitibus de Lud, non tam genere quam eximiis virtutibus illustris, de quo pater Abraham Bzovius in suis Annalibus manuscriptis ad hunc annum scribit, quod ad Alligavios populos plane silvestres ac barbaros, amplissimi Lacii adcolas, primus transiit, ibique Christi vexillum XII. Augusti plantavit.

Mon. prov. recoll.

Biblioth. princip. Ghigi. Cod. VII. 182. fol. 469.

XVIII. Exscribimus ex archivo sacrae congregationis de propaganda fide quasdam hue facientes partes relationis, quam de Canadensi fratrum ordinis s. Francisci missione anno 1635 ipsi summo pontifici Urbano VIII. submiserat fr. Vincentius Moretius, provinciae s. Dionysii in Gallia minister, dum, Anglis Canada expulsis, eadem missio renovaretur. In ea relatione pater minister, post enarratum huiusce missionis initium, quod manifesto calami lapsu non in 1615 annum, sed in 1611 reponit, describit novam hanc regionem et eius incolarum mores; dein paucis innuit, primam ecclesiam, cui conventus fratrum erat adnexus, fuisse s. Caroli Borromaei, prope Quebecum exstructam, quam brevi excepit altera, in ipsa Quebecensi arce exaedificata, a rege Galliae pretiosis sacris utensilibus provisa; postremo meminit fr. Gabrielis Sagar, qui suum inter Hurones iter et observationes descripta typis commiserat, et lingua italica sic prosequitur.

" Il Padre Giuseppe della Rocca d'Aillon havendo il primo scoperto quella provincia [dei Neutri] sperava fruttificarvi per la fede più che nelli altri luoghi, ma essendo stato accusato dalli popoli vicini d'essere spione, pensò d'essere ammazzato d'un colpo d'accetta, fu fatto prigione e spogliato d'ogni sua roba e del breviario

istesso, e dopoi gli Inglesi havendo preso il Canada, mentre che il Re era nell' assedio della Rocciella, fu costretto con gran disgusto suo ritornarsene in Francia. Il Padre Giuseppe Caron, il quale era stato in Canada undeci anni, ritornò similmente in Francia, dove è morto con grande opinione di santità et è stato pianto dalli salvatichi, quando l' hanno saputo, perchè honoravano molto la sua virtù. Questo ha fatto un ditionario della lingua loro, la quale sapeva parlar benissimo, ma non è stampato; molti altri Padri sono morti nel Canada, parte affogati nell' acque dei grandi fiumi, parte di freddo, alcuni di fame, e li altri hanno potito grandi disagi essendo stati alcune volte duoi anni intieri senza mangiar pane, bere vino, ne usar sale, vivendo solamente della minestra che fanno li selvatichi con grano turchesco, nella quale fanno cuocere insieme ad una volta carne e pesce d' ogni sorta, dormendo su la terra ignuda, et altre incomodità quasi infinite. America. Origin. vol. 259. fol. 319.

Ciò ch' hanno potuto fare li Religiosi Recolletti in quel paese è stato primo, di stringere la briglia alli christiani francesi, per impedirli di correre al vitio, del quale le occasioni vi sono grandissime. E poi invernando con li naturali Canadesi con incredibili fatiche battezzare avanti la morte coloro ch' hanno potuto insegnare e disporre al battesimo, li quali non sono stati pochi, e vi sono arrivate cose miracolose in confirmatione della fede, tra le altre d' un Canadese di 32 anni, il quale essendo stato cathechizato, et havendo promesso farsi christiano e non facendolo cascò in una infermità, nella quale fu assalito visibilmente dalli diavoli, contro li quali combatteva e con parole e con le braccia essendo divenuto quasi furioso: in questo accidente lui e li suoi parenti chiamarono un frate laico, il quale era solo all' hora nell' habitatione, e l' infermo havendoli domandato il battesimo et essendo stato battezzato subito, gli diavoli disparvero dalli occhi suoi con gran maraviglia de tutti li assistenti Canadesi e Francesi che vi erano molti, e dopo duoi o tre giorni l' infermo lodando Iddio morì felicemente.

Sono stati battezzati ancora molti fanciulli, li quali li padri e le madri loro offerivano, ma essendo loro stessi sollicitati di farsi christiani dicevano che la religione pareva bona, ma ch' erano troppo vecchi per abbracciarla; permettevano pure che li figliuoli suoi pregassero Iddio, invocassero il nome di Gesù e di Maria e di s. Giuseppe, facessero il segno della santa Croce; di maniera che la porta è aperta più che mai alla conversione loro, hor massimamente che il Re n' ha scacciato via li Inglesi, e che l' em.^{mo} cardinale Duca di Richelieu ha preso il negotio a cuore, havendo ordinato alli Padri Recolletti di ritornare questo anno [1635] insieme con li pp. Iesuiti, li quali duoi anni, non solo del consenso ma anco del desiderio delli Padri Recolletti, furono associati nella detta missione, et al primo viaggio [1625] furono alloggiati in una mezza parte del convento di s. Carlo di Quebecco lasciato loro dalli Padri Recolletti, li quali si ri-

tirarono nell' altra — donde essendo stati scacciati tutti dalli Inglesi, nondimeno fecero anco nonostante la guerra un' altra missione ma con infelice successo, perchè essendo stati presi tutti dalli Inglesi, li padri Iesuiti furono condotti in Inghilterra e poi in Francia, li Recolletti — posti insieme con il popolo ch' andava per dimorarvi, in una cattiva nave con poche vettovaglie et abbandonati alli venti et al mare presi e ripresi da diversi corsali, seguitati dalli Turchi, alla fine scamparano e presero terra al favore dell' artigliaria di Bayona di Galicia donde vennero in Francia...... "

XIX. Canadenses incolas omnium primum fidei lumine illustrasse anno MDCXI. Cunemundum Masse Iesuitam scribit cl. Wittman. At pace tanti viri dixerim, ibidem anno MDCXXV. inductam fuisse missionem a patribus Antonio Daniele, Carolo Lallemont, Garnerio aliisque. Nam opera et sollicitudine franciscalium hoc anno Quebecum advenientes, omni humanitatis sensu excepti a fratribus recollectis, in eorum aede diversati sunt quatuor annorum spatio. Pro qua re idem p. Lallemont in epistola Parisios missa se et ipsam societatem multum erga eos fratres teneri devinctum scribit.

Wittman tom. I. p. 222.

XX. Haec etiam rata habentur in ephemeride, cui titulus *New York Freeman's Journal* sub die XXX. Augusti ann. MDCCCLV. ex anglico idiomate in italicum reddita. « Si annunzia in questo numero un' avvenimento pieno di liete speranze pei cattolici degli Stati-Uniti, e specialmente per quelli dello stato della Nuova-York, questo è il ristabilimento dei pp. Recolletti francescani in quelle contrade e la solenne fondazione di un lor convento e collegio nell'Allegany contea dello stato di Nuova-York, appartenente alla diocesi di Buffalo. Fin dai primi tempi della colonizazione americana l' ordine di s. Francesco spedì in quelle vaste regioni zelanti missionari ad evangelizzarle. Nel 1615 tre pp. Francescani approdarono a Quebec col Camplain per convertire i selvaggi e furono i primi sacerdoti, che aprissero missione in quelle parti di America. Gli Uroni, gli Algonquini, i Montagnai, gl' Irochesi ed altre barbare tribù di quelle terre furono coltivate con felici successi dallo zelo di questi apostoli, i quali come vedeansi aprire dinanzi sempre più vasto il campo, così raddoppiavano di fervore e chiamavano dall' Europa e soprattutto dalla Francia nuovi operai lor confratelli ad aiutarli ».

XXI. « Il primo martire che fecondò del suo sangue quella terra fu un francescano, ed il primo missionario che pose piede dentro il presente territorio dello stato della Nuova-York fu il p. Guglielmo Poulain. Ma dopo circa due secoli, la rivoluzione francese abolendo i conventi di Europa, fece anche prive quelle felici missioni d'America che dall' Europa traevano tutti i lor operai. E per oltre a cinquant' anni le contrade dell' Unione americana e delle provincie confinanti non videro più nel loro seno niuna missione o convento francescano. L' anno 1855 per opera del degnissimo monsignor Timon vescovo di Buffalo, tre pp. Francescani, cioè il p. Panfilo da Ma-

gliano superiore, il p. Sisto da Gagliano e il p. Samuele da Prezza con un fratello converso, partirono da Roma per Nuova-York, e approvati dal governo di colà sotto il titolo di società di missione e di benevolenza di s. Francesco *(st. Francis missionary and benevolent Society)* fondarono il nuovo collegio di Allegany nel quale è loro intento di educare non solo la gioventù laicale, ma di preparare eziandio i giovani leviti al sacerdozio ».

XXII. « Il 20 Agosto p. passato ebbe luogo la ceremonia solenne del posamento e della benedizione della prima pietra dell' edifizio disegnato: ed essa fu celebrata dai due vescovi, monsignor Loughlin vescovo di Brooklyn e monsignor Timon accompagnati da numeroso clero e da gran concorso di popolo, con tutta la pompa e tutte le dimostrazioni di gioia che in sì bella congiuntura dovea suggerire ai cattolici americani e la memoria degli apostolici sudori, con cui già coltivarono quelle contrade ancora vergini i figli di s. Francesco, e la certa fiducia del bene grandissimo che possono promettersi in pro della fede cattolica e della società dalla virtù e dalla scienza dei loro presenti successori ».

XXIII. Die VII. Iunii praeside Antonio de Treio, vicario generali, habuere minoritae de observantia congregationem in conventu s. Mariae de Aracaeli Urbis. Munus commissarii generalis cismontanae familiae in ea obtinuit Evangelista de Gabiano, ordinis et provinciae Mediolanensis pater. In procuratorem generalem assumptus est Petrus Iover, olim Catalauniae minister; in curia vero commissarius Irenaeus Brassavola ex provincia Bononiensi. Definitoris generalis officium obtinuerunt: Franciscus Maria a Clastigio, Christophorus de Colle, minister provinciae Tusciae, Christophorus de Campo, custos Poloniae, Benignus a Genua provinciae Siciliae, Benedictus a Sulmone, provinciae s. Bernardini custos, et Marcellinus Montealbodio, provinciae Marchiae custos. Totius Terrae sanctae commissarius et guardianus conventus Montis Syon instituitur Basilius a Caprarola, ex provincia Romana; guardianus conventus Constantinopolitani Ioannes Baptista a Montebirochio, ex provincia Marchiae et alterius cooventus s. Clarae Neapolis Vincentius Rufinus, ex provincia Genuae. Postremo lector linguae sanctae instituitur cl. Marius de Calasio.

Chronol. ordinis tom. I. p. 345.

XXIV. In eadem congregatione sequentes leges editae fuerunt:

1. Rebelles inobedientesque guardiano, et proferentes in communitate vel extra verba iniuriosa contra illum, statim carcere includantur, donec minister provideat.

2. Si vineis unitis conventibus annexa fuerit obligatio missarum, eae relinquantur haeredi fundatoris; sin aliter vendantur per syndicum apostolicum, pretiumque erogetur in commodum alicuius fabricae, vel alterius necessitatis. Idem est de domibus.

3. Nullum sit privilegium, per quod conceditur, celebratione unius missae satisfieri eleemosynae oblatae pro duabus.

4. Guardianus et vicarius officiis priventur, si permittant peti eleemosynas pecuniarias quovis titulo in ecclesiis nostris.

5. Intra claustra conventus guardiani non recipiant neque per se neque per tertiarium eleemosynas missarum, sed eae vel ab oblatoribus vel a tertiario statim deferantur ad syndicum sub poena privationis officii.

6. Nullus procurator, etiam nomine syndici apostolici praeditus, maneat intra conventum, aut inibi pecunias habeat depositas.

7. Computatio, quae cum syndico solita est fieri, fiat in praesentia omnium patrum discretorum conventus; secus est suspecta.

8. Si quis annualem eleemosynam deputaverit conventui pro missis celebrandis, missae possint celebrari, nulla tamen inducatur obligatio iuridica ex parte fratrum, aut ex parte dantis eiusque haeredum.

9. Nemo sive hospes sive de familia alterius cellam ingrediatur, aut saeculares vel tertiarium in illam admittat, sub poena privationis vocis activae et passivae.

10. Soli patres ordinis et provinciae possint invicem cellas sibi deputatas intrare die tantum. Ab hora vero prima noctis nemini id liceat nisi sociis ipsorum patrum.

11. Nec clerici nec laici nec sacerdotes iuvenes litteras scribant saecularibus aut fratribus, exceptis superioribus, absque licentia guardiani, sub poena disciplinae et ieiunii unius diei in pane et aqua.

12. Nemo cuiuscumque conditionis scribat litteram aliter quam cum simplici folio et sine cooperimento, nisi negotii gravitas aliud postulaverit.

13. Guardianus non possit praedicare in adventu et quadragesima extra proprium conventum et civitatem, in qua conventus manet.

14. Patres ordinis et provinciae ex electione habeant praecedentiam super illos, qui privilegio ipsorum gaudent. Custodes praecedant simplicibus definitoribus, et qui fuerint ministri in alienis provinciis, definitoribus et custodibus etiam actualibus.

15. In conventu aracaelitano et Neapolis vigeat studium linguae hebraicae, quod in aliis studiis generalibus habeatur.

16. Nemo instituatur lector aut praedicator generalis, qui linguae hebraicae non fuerit sufficienter instructus.

17. Privetur officio guardianus, qui studium quodcumque in eius conventu impositum admittere aut conservare noluerit.

18. Quolibet biennio examinentur confessarii saecularium ab examinatoribus deputandis a commissario generali et ministro provinciae.

19. Provinciae ultramarinae nequeant deputare fratrem non incorporatum in sua provincia, ut suffragium ministri aut custodis deferat ad congregationem vel capitulum generale. Suffragium non deferat nisi probatus in pleno definitorio, de consensu maioris partis, qui si in itinere decesserit, non alius deputetur.

20. Commissarius generalis Germaniae non retineat in provincia apostatas vel alios fratres quocumque praetextu. Idem interdicitur ministris.

21. Nemo mittatur in exilium in provinciam Corsicae, sed in sua quisque provincia puniatur, qui deliquerit.

22. Ministri recedentes a provinciis, relinquant aliquem loco ipsorum de communi patrum consilio et assensu.

23. Nemo possit appellari ab iis, quae ministri aut visitatores disposuerint causa visitationis et correctionis morum.

24. Si guardianus suspensus fuerit ab officio, eius causa iudicatur in definitorio provinciae intra spatium trium mensium.

25. Incorrigibiles expulsi non possint iterum recipi ad religionem, nisi per biennium in saeculo laudabiliter vixerint et poenitentiae signa dederint.

26. Si contigerit ex oraculo summi pontificis apostatam aliquem ad triremes damnatum admitti ad ordinem, is etiamsi fuerit sacerdos, deputetur sine caputio ad hortum, coquinam aliaque humilitatis officia.

27. Si quis per triennium exemplariter vixerit, iudicio definitorum poterit illi caputium reddi; at interea nullo modo ad exercitium sacrorum ordinum admittatur.

28. Nonnisi pro sacra communione, praedicatione aut electione abbatissae et professione monialium aperiantur craticulae aut fenestrellae, in quibus moniales sacram eucharistiam recipiunt. Contrafacientes abbatissae seu praefectae et confessarii incidant in excommunicationem maiorem latae sententiae.

29. Ex duabus clavibus eiusmodi craticularum unam retineat abbatissa, alteram confessarius; sintque ambae differentes.

30. Guardianus tempore nativitatis Domini associatus duobus discretis senioribus visitet cellas singulorum fratrum.

31. Cellas patrum ordinis et ex-ministrorum provincialium visitet minister provinciae tempore suae visitationis.

32. Guardiani non assumant capellanias extra conventum et assumptas relinquant.

33. Guardianus, quum primum frater aliquis mortuus fuerit, certiorem reddat ministrum, qui iubeat celebrari missas per totam provinciam.

34. Aromatarii sub poena carceris non vendant pharmaca, nec retineant in officinis truncos vel capsas ad pecunias recipiendas.

XXV. Summus pontifex statuit, ut electus commissarius generalis familiae cismontanae, absente ministro vel vicario generali ordinis, curam fratrum reformatorum gerere valeat.

Paulus PP. V.

Dilecto filio Evangelistae de Gabiano, commissario generali ordinis fratrum minorum reformatorum s. Francisci de observantia.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Archivum convent. s. Francisci ad Ripam.

Cupientes regimini et gubernio fratrum reformatorum s. Francisci de observantia opportune prospicere, ac de tua pietate, prudentia, religionis zelo ac in gubernando experientia plurimum in Domino confisi, tibi, durante officio commissarii generalis eiusdem ordinis, et absentia ministri seu vicarii generalis dicti tui ordinis, fratres reformatos cum eadem auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultatibus ministro seu vicario generali totius ordinis s. Francisci de observantia competentibus et competituris, in spiritualibus et temporalibus, regendi et gubernandi plenam ac liberam facultatem et auctoritatem tribuimus et impertimur. Mandantes propterea dilectis filiis custodibus et aliis superioribus et fratribus universis reformatis praedictis, ut tibi debitum honorem et reverentiam exhibentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus (auctore Domino) usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ceterum volumus, ut quae per fel. rec. Clementem papam VIII., praedecessorem nostrum, per eius sub plumbo in favorem eorundem fratrum reformatorum, seu alias expeditas litteras disposita fuerunt, immutare, aut aliquo modo alterare non possis, sed illa observari facere tenearis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ordini praedicto ac ministro generali et aliis superioribus, nec non fratribus tam reformatis quam de familia, et aliis quibuslibet personis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die VIII. Iulii MDCXV. pontificatus nostri anno undecimo.

S. Cobellutius.

Convent. de Prea. Mon. prov.

XXVI. Terraemotus impetu deiecto coenobio observantium, oppidi de Prea, dioecesis Angrensis, in Insula Terzeira, eisdem fratribus indulget pontifex: *Exponi nobis* die XX. Martii, ut alio in loco, eis beneviso, alteram domum construere valeant.

XXVII. Iidem fratres provinciae Cantabriae admisserunt conventum Immaculatae conceptionis de Arganzon, instructum praecipuis

opibus Barnabae de Ibarra et Franciscae uxoris suae ex urbe Bistoriae. Incolitur a XIII fratribus. Conv. de Arganzon. Mon. prov.

XXVIII. Claudia de Rhingrasse, voluntati cedens viri sui d. Roberti de Ligne, principis Arembergensis, anno mox elapso defuncti, propriis impensis erexit conventum s. Alberti m. titulo in urbe Barbansoniensi, in provincia Flandriae. Tanta erat viri sui erga fratres de observantia benevolentia, ut in praecipuis anni solemnitatibus eos advocaret ad decantandum divinum officium in oratorio domi suae. Incolitur a XXX fratribus. Anno MDCXXVII. conventus obvenit fratribus recollectis. Conv. Barbansonien. Mon. prov.

XXIX. In provincia Siciliae iidem observantes recipiunt coenobium intra moenia Cataniae s. Agathae Veteris titulo, ubi eadem virgo carceribus mancipata fuerat. In ecclesia adservatur arca, pretiosis rubeis sericis contexta, in qua delatum fuit Cataniam laudatae martyris corpus. Aedem aedificiis auxit Bonaventura Secusius, urbis archiepiscopus, olim minister generalis ordinis. Conv. Cataniae. Pirrus tom. I. p. 578.

XXX. Piorum incolarum eleemosynis incepit esse prope oppidum Loiani, in provincia Bononiensi, conventus s. Iacobi titulo in praedio, vulgo nuncupato *il campo dell' ara della corona*, quod emerat Ioannes Macchiavelli, loci notarius, at civis Bononiensis. Alterum praedium illi conterminum cessit Camillus, eiusdem familiae, filius quondam Flavii. Ecclesiae fabrica perfectionem accepit anno insequenti, opera et studio p. Angeli a Bononia. Conv. Loiani. Flaminius de Parma tom. I. p. 601.

XXXI. Paratum oppidanorum sumptibus occuparunt minores reformati coenobium sub invocatione s. Francisci, prope oppidum Castrifranchi, dioecesis Vicentinae, in provincia s. Antonii Venetiarum. In provincia Principatus iidem incoluere coenobium s. Francisci titulo prope oppidum Sereni, dioecesis Salernitanae, piorum eleemosynis aedificatum. Eis etiam advenit in provincia Genuensi conventus Conceptionis intra oppidum Saxelli, Aquensis dioecesis, incolarum sumptibus excitatus. Conv. Castrifranchi. Chron. prov. p. 147. Conv. Sereni. Mon. prov. Conv. Saxelli. Mon. prov.

XXXII. Pro fratribus recollectis provinciae s. Bernardini positum fuit coenobium s. Mariae Magdalenae in urbe Balneolarum, dioecesis Uticensis, in Occitania. Multa ad operis molitionem contulerunt dominus de Roche Columbe, urbis consul et pientissima eius uxor, Dorothea de Montefalcone. Iidem fratres, qui XIV aedem ab exordio incoluere, longum certamen contra calvinistas sustinuerunt, quos tamen tum concionibus tum publicis disputationibus devincebant. Conv. Balneolarum. Mon. prov.

XXXIII. Fratres tertii ordinis claustralium incoluere coenobium Seroxinae, dioecesis Cremonensis, in provincia Mediolanensi. In eadem provincia obtinuerunt conventum s. Antonii abbatis, positum ad oram fluminis Ardae, Castri Arquati, eis concessum a Glicerio Landiana, praeside alterius abbatiae item s. Antonii in suburbiis Placentiae. Eam cessionem probavit pontifex hoc anno die XIV. Maii. Conv. Seroxinae. Bordonius p. 334. Conv. Castri Arquati. Idem ibid.

XXXIV. Ferdinandi, archiepiscopi Coloniensis, favore obvenit Iesuitis coenobium Conventualium, Novesii infra Coloniam Agrippi- Conv. Novesii datus Iesuitis.

Iuvencius part. 4. p. 319. nam erectum, iam ab ipsis conventualibus dimissum. Retinuerunt tamen iidem fratres cuncta monasterii bona.

Ex albo Michaelis a Tugio. XXXV. Capucini fratres incoluere conventum Trebii, dioecesis Spoletanae, in provincia s. Francisci; conventum s. Anatoliae, dioecesis Camerinensis, in provincia Marchiae; conventum Foriiulii, dioecesis Aquileiensis, in provincia Veneta; conventum Albini, dioecesis Bergomensis, in provincia Brixiae; conventum Voragi, dioecesis Savonensis, in provincia Genuae; conventum Plagini, dioecesis Caputaquensis, in provincia Lucaniae; conventum Ostendae, dioecesis Burgensis, in provincia Flandro-Belgica; conventum Anghiae, dioecesis Cameracensis, in provincia Vallonica, et conventum Malmundari, dioecesis Coloniensis, in eadem provincia; conventum Passarii in Austria, provinciae Viennae; conventum Carmoni, dioecesis Aquileiensis, et conventum Zagrabiae, in provincia Styriae; conventum Treveris, in provincia Rhenana; conventum Droci; conventum Menduntae, dioecesis Carnutensis, et conventum Sanquintini, dioecesis Noviodunensis, in provincia Parisiensi; conventum Belgiaci, in provincia Turonensi; conventum Baioci, in provincia Normaniae; conventum Abraii, dioecesis Venetensis; conventum Guincampi, dioecesis Trecorensis; conventum Mascolvi, dioecesis Nannetensis, et conventum Venetae, in provincia Britanniae; conventum Cremsi, dioecesis Viennensis, et conventum Villaefranchae Bellovicensis, dioecesis Lugdunensis, in provincia s. Ludovici; conventum Baionae, in provincia Aquitaniae.

XXXVI. Summus pontifex requirit archiepiscopum Trevirensem, ut fratrum capucinorum in eam civitatem receptioni faveat. Litteras ex archivo vaticano exscriptas exhibemus.

Paulus PP. V.

Archiv. vatic. secret. Pauli V. brev. an. X. n. 45. Venerabilis frater salutem. Allatum ad nos est facile fore, ut dilecti filii fratres ordinis sancti Francisci capucinorum domicilium obtineant in ista civitate Trevirensi; laetificavit sane plurimum hic nuntius animum nostrum, qui quanta sperare possimus bona ad Dei gloriam et animarum salutem, si isthic recepti fuerint hi servi Dei, probe intelligimus. Et propterea a fraternitate tua, quam efficaciter nostris hisce litteris postulare voluimus, ut receptioni huic fratrum capucinorum in ista civitate tua, sicuti de eximia tua pietate plane nobis pollicemur, favere requisitus a nobis velles. Nam vehementer hoc desideramus. Et quoniam venerabili fratri Antonio, episcopo Vigiliensi, nuntio nostro, mandavimus, ut uberius tibi nostrum hoc desiderium exponeret, et quam nobis cordi esset hoc negotium tibi significaret. Illi fidem in omnibus non secus ac nobis loquentibus adhibebis, et nos divinae gratiae incrementum fraternitati tuae iugiter optamus.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem XV. calendas Februarii MDCXV.

XXXVII. Expensis Annae Smunzecosca et consanguineorum suorum fundatum fuit monasterium sororum clarissarum in oppido de Byzgoseca, dioecesis Vratislaviensis, in provincia Poloniae. Eadem Anna ibidem hoc anno, relicto monasterio tertii ordinis, quod incolebat, eo se transtulit et inter clarissas professionem emisit. Monasterii fundationem ratam habuit summus pontifex: *In supremo* die XV. Maii. Subest ordinarii curae. Monast. de Byzgoseca.

XXXVIII. Faventibus Belgii principibus, Alberto et Isabella, moniales ordinis ss. Annuntiationis Deiparae occuparunt monasterium Träiectense s. Michaelis archangeli titulo. Ad hoc moderandum septem moniales eiusdem institnti advenere e monasterio Lovaniensi; paret ministro observantium provinciae Germaniae Inferioris. In monasterii vireto impense colitur imago b. Virginis, cuius patrocinio multa consequuntur a monialibus beneficia. Monast. Traiectense. Mon. prov.

XXXIX. Die XVII. Novembris incendio periit monasterium s. Elisabeth, tertii ordinis, oppidi Oglspirensis, dioecesis Constantiensis, in provincia Tyrolensi, reparatum subinde tum impensis monialium tum christifidelium eleemosynis. Munificentia tamen commendatur prae ceteris Wilhelmi de Stauffenberg et Leopoldi archiducis Austriae, qui multa ad novam monasterii molitionem contulerunt. Monast. Oglspirense. Greiderer tom. II. p. 128.

XL. In provincia Bavariae incepit esse monasterium s. Mariae Lauretanae in monte Reutbergensi, dioecesis Frisingensis, pro sororibus de tertio ordine, cuins ecclesiam ad instar domus lauretanae erectam ab Anna, uxore d. Iosephi Iacobi Papafabi, comitis de Carera et Anguillara, Stephanus Selbelstorfius episcopus solemniter hoc anno consecravit. Aedem primo incoluere Francisca Mogin et eius germana Constantia, translatae e monasterio Monachii eiusdem instituti. Vitus Adamus, episcopus Frisingensis, anno MDCXXI. ratam habuit monasterii fundationem vulgato quod exhibemus diplomate. Monast. Reutbergense. Idem tom. II. p. 355.

Nos Vitus Adamus, Dei gratia episcopus Frisingensis, testamur etc., quod venerabilis mater cum suis consororibus monasterii s. Mariae de Lanreto etc. nobis exposuerint, quemadmodum ill. d. Anna de Carera, comitissa de Anguillara etc., Papafabi nominata etc. ad perpetuam tandem omnipotentis Dei etc. ex vero zelo sanctae romanae etc. religionis orthodoxae monasterium erexerit in districtu Monacensi et sua propria hamarchia Saxenkam in monte Reuttberg, nunc monte b. Virginis de Laureto, aedificata capella cum duabus aliis collateralibus, ex fundo exstruxerit, bortum et omnia necessaria ad id ordinaverit, capellas quoque et abundanter instruxerit una cum coemeterio et habitatione pro uno capellano et aedituo, et haec omnia pro sororibus tertiae regulae s. Francisci, cum consensu rev.[mi] d. Stephani, electi et confirmati episcopi Frisingensis etc. Sub V. Septembris MDCXV. ut ordinarii loci, necnon sereniss. principis d. Maximiliani, comitis Palatini, Rheni etc. dominii sui territorialis sub die III. dicti mensis Septembris, obtenta facultate, acta fuerint, quodque idem monasterium praedicta domina venerab. matri Franciscae et aliis prae-

sentibus sororibus cum omnibus cameris, ad dies vitae suae paucis reservatis, cum omnibus pertinentiis et tribus capellis et quidquid in eis existit, cum omni iure, in optima iuris forma, qua fieri quoquomodo potuit et potest, cessione libera extradiderit, simulque lignis necessariis ita dotaverit et providerit, ut dicta vener. mater et eius consorores plenam exinde habeant satisfactionem, quod et desuper perpetua cautio et actualis extraditio in scriptis suis sub dato XXV. Aprilis MDCXX. facta fuerit. Hinc memorata ven. mater cum suo conventu nobis humillime supplicabant, quatenus iisdem nostram confirmationem ad perpetuam rei memoriam dignaremur impertiri, prout eandem d. fundatrici fecimus consignari, ut eandem in suo monasterio pro sua devotione possint conservare. Cum igitur tam a d. fundatrice quam a ven. matre et nostro ad hunc locum deputato inspectore et visitatore, rev. ac devoto etc. Paulo, abbate monasterii Tegernseensis, cum nostro beneplacito unanimiter informati simus, quod de facto omnia circa fundationem monasterioli cum omnibus aliis adhaerentiis, actu et effective completa sint, et rerum ad hoc necessariarum traditio, ut fundationis, donationis et assecurationis in facto peracta fuerit: hinc nos petitam confirmationem, approbationem, ratificationem nullatenus recusare, sed potius ex speciali ad hunc sacrum ordinem sororum benigna affectione, prout etiam vi nostri episcopalis muneris ex christiano zelo tenemur, quidquid ad honorem Dei altissimi etc. pro viribus promovere, hisce largimur, prout via ordinariatus nobis competit, omni meliori et efficaciori modo et forma quo fieri potest, auctoritate nostra episcopali mandantes, ut tam per praesentem quam sequentes ven. matres et conventum, necnon per capellas et omnes, quorum interest, in omnibus et per omnia articulis in fundatione contentis, sedula, diligens et perpetua observantia fiat, et nullo excogitato modo aut via illis contraveniatur, prout de ipsis ac praecipue de illis, qui ut haec omnia observari curent, speciali modo obligati sunt, et domina fundatrix in suae fundationis instrumento pluribus expressis petiit, omni modo confidimus. Omnia fideliter etc.

Datum die XVII. Maii MDCXXI.

Gallia Christi an. tom. IV. 191. Monast. Lugd.

XLI. Opibus Dionysii Simon de Marquemont, archiepiscopi Lugdunensis, fundatum fuit ea in urbe monasterium s. Elisabeth titulo pro sororibus de tertio ordine.

Monast. Cotonii.

XLII. Committit summus pontifex: *Sacri apostolatus*, die XX. Martii episcopo Laudensi in provincia Mediolani, ut immittat sanctimoniales clarissas in monasterium oppidi Cotonii, suae dioecesis, impensis universitatis instructum, quod ordinarii regimini paret.

Monast. Caesenae. Tugius tom. II. p. 228.

XLIII. Caesenae, in provincia Bononiensi, extitit et pro monialibus clarissis capucinis monaterium ex decreto sacrae congregationis episcoporum et regularium sub die XVII. Iulii.

XLIV. Erectum fuit hoc tempore in oppido Serrae Comitum,

dioecesis Senogalliensis, in Piceno, monasterium clarissarum sub invocatione s. Mariae Magdalenae. Multa ad operis molitionem impenderunt oppidani. Datis a pontifice litteris: *Pastoralis officii*, XIII. calendas Augusti, summus pontifex probavit fundationem monialesque subiecit episcopo Senogalliensi; aliquot moniales eo advenerunt ex monasterio s. Luciae Rocchae Contradae, nunc Arceviae.

Monast. Serrae Comitum Romam. prov.

XLV. Tullius Matthaeus, episcopus Bitectensis, posuit circa id tempus easdem moniales clarissas in monasterio suae urbis Bitecti, nuper sua cura instructum suaeque iurisdictioni subiectum.

Monast. Bitecti. Ughel. tom. VII. p. 680.

XLVI. Moniales clarissae, quae divisis cellulis ab annis ferme quinquaginta incoluerant monasterium patrum praedicatorum Tyrnaviae, Posonium se receperunt, relicto Iesuitis monasterio Tyrnaviae. Huic translationi accessit consensus summi pontificis, Mathiae II. imperatoris et Francisci Forgach, cardinalis et archiepiscopi Strigoniensis.

Monast. Tyrnaviae datur Iesuitis. Annal. min. ad an. 1567. n. 85.

XLVII. Eborae in monasterio Calvarii, in provincia Portugalliae, in osculo ss. Crucifixi sponsi sui, die XXVIII. Februarii, pie decessit Birgitta de s. Antonio, in caelestibus meditandis fundendisque precibus assidua; media nocte, sororibus dormientibus, divinas laudes cum angelis persolvisse in ecclesia tradunt.

Birgitta de s. Antonio. Agiol. Lusit. ad diem 28. Februar.

XLVIII. In monasterio s. Ioannis de poenitentia Belvisii, in provincia Angelorum, multis infirmitatibus a Deo probata occubuit die XXIV. Maii Theresia de Cruce, Placentiae in Hispania nata. Orationis praesidio daemonis fraudes invicto animo superabat; eius funus honestarunt utriusque sexus cives prae suae sanctitatis opinione.

Theresia de Cruce. De Guadalupe p. 601.

XLIX. Dormitionis requiem accepit in monasterio s. Clarae Ubedae, in provincia Granatensi, Beatrix de Amescusa; ab anno aetatis suae XX., quo clarissarum habitum induit, ad mortem usque loricam ferream, per dorsum protensam, et spineam coronam, celatam sub capitis velo, gestavit, ex quo sanguis aliquando fluebat. Mortis suae tempore a monialibus auditi fuerunt angelorum concentus, et foedum ulcus, quod vivens mira patientia sustinuit, suavissimum odorem efflavit. In monasterio s. Clarae Montiliae, eiusdem provinciae, die VIII. Maii e vita cessit Catharina de Christo, aetatis suae anno XXXIV., quae licet innocentia vitae decorata, cilicio, flagellis et ieiuniis carnem assidue edomabat; in eius occasu recreata fuit s. Michaelis Archangeli visione, quem impense colebat. Eodem anno ibidem quievit Philippa de Cruce, annos numerans octoginta; peculiari devotione ita affecta erat erga Iesum Christum, ut sororibus obvians sciscitaretur ab eis et diceret: *quid nunc faciet noster caelestis sponsus?* Lacrymarum imbre perfusa mysterium ss. eucharistiae alta mente recolebat.

Beatrix de Amescusa. De Torres p. 541.

Catharina de Christo. Idem p. 673.

Philippa de Cruce. Idem p. 674.

L. In ecclesia s. Francisci Natiani, provinciae Romanae, tumulum nacta est marmoreum Elisabeth Vistana tertiaria, multis virtutibus commendata. Moderatorem suae conscientiae habuit virum pietate eximium, Sanctem de Ripatransonum, cuius nos acta notavi-

Elisabeth Vistana. Mon. prov. Annal. min. ad ann. 1595. n. 19. et seq.

Ioanna Marcone et Catharina de Vivo. Monum. prov.

mus suo loco. Quieverunt hoc anno Ioanna Marcone et Catharina de Vivo virgines Atessenses, nobilibus ortae parentibus, quae spretis saeculi illecebris, tertiam s. Francisci de poenitentia regulam professae, miris illuxerunt virtutibus corporisque poenalitatibus; ambae ut germanae se diligebant simulque aemulatae ad invicem totius sanctitatis semitam. Fama invaluit, Ioannam pro pauperibus ex lampade collucenti ante ss. eucharistiae sacramentum oleum multiplicasse. Earum corpora sepulta fuere in ecclesia s. Mariae Vallis Asperae Atessensis fratrum reformatorum, provinciae s. Angeli.

Iustina Vandini. Mazzara tom. IV. p. 128.

LI. Eugubii in monasterio clarissarum ss. Trinitatis, provinciae Umbriae, migravit ad Dominum Iustina Vandini, Eugubii nata; pietatis spiritu et ferventissima erga Deum caritate floruit. Romae in parochiali ecclesia ss. Vincentii et Anastasii plumbeo loculo occlusum quiescit corpus Arsiliae Novelli, in oppido Stronconii item provinciae Umbriae natae, quae sororibus de tertio ordine adscripta vitam arripuerat asperitatibus plenam; post mortem eius corpus suavissimum odorem efflavit.

Arsilia Novelli. Monum. prov.

Laetitia de Venantiis. Monum. prov.

LII. Die II. Februarii obiit in monasterio s. Clarae Camerini, in provincia Marchiae, Laetitia de Venantiis romana, centum et amplius numerans annos; florenti in aetate eo ingressa multis asperitatibus innocentiam vitae communivit usque ad senectam. In monasterio clarissarum Urbini, eiusdem provinciae, cum sanctitatis fama caelestia petivit Angelica de Iardinis, quae prae suis virtutibus plurimum a sororibus commendabatur.

Angelica de Iardinis. Monum. prov.

Passitea Crogi.

LIII. In monasterio sororum capucinarum Senis migravit e vita die XIII. Maii Passitea Crogi, ea in urbe nata anno MDLXIV. Ab infantia ad virtutes ita prona erat, ut assiduis precibus vacaret, corpus interim macerans ieiuniis, flagellis ac ciliciis. Defunctis parentibus, cum aliquibus adolescentulis vitam cum Christo absconditam in domo sibi conducta ducens, quae propria claustralium sunt explebat, divinum officium nocte ac die recitabat et caelestia alta mente recolebat; ut vero Deo intimius adhaereret, multis difficultatibus superatis, sacrarum virginum monasterium capucinarum Senis instruxit, et solemnia ibidem vota Deo nuncupavit. Eius favore alia etiam duo, tum Plumbini, indulgente hoc anno pontifice: *Debitum pastoralis*, X. calendas Martii, tum in oppido s. Florae in Hetruria excitata fuere. Tam sanctis operibus refulsit, ut et extasis, prophetiae, scrutationis cordium et miraculorum donis a Deo cumulata fuerit. Particeps etiam fuit Iesu Christi dolorum, et sacra stigmata in suo corpore portavit. Eius vitam Romae anno MDCLXIX. vulgavit Ludovicus Maracci, clericus regularis Matris Dei.

Annal. min. ad ann. 1600. n. 131.

Monum. Plumbini et s. Florae.

Innocentius Mestrensis. De Pise tom. III. p. 132.

LIV. Capucini fratres et pie occumbunt. In conventu Clodiensi provinciae Venetiarum obiit Innocentius Mestrensis, sacerdos et concionator eximius. Herbis hisque crudis vescebatur et aliquando pulmenti reliquias ex oleribus aut leguminibus, quae ab aliis derelicta egenis distribui solent, edebat; potus ei familiaris aqua frigida fuit;

at feria sexta cuiusque hebdomadae et vigiliis festorum Deiparae, apostolorum et aliquorum sanctorum solo pane contentus erat, quem ut emolliret, aqua calida, qua sordida coquinae vasa prius emundata fuerant, intingebat. Vasti in provincia s. Angeli extremun diem clausit Iulianus a Lentino sacerdos, qui cum diu vitam pluribus sceleribus contaminatam duxisset, factus capucinus, lacrymis et austeritatibus condignis anteactae vitae facinora diluebat. In eadem provincia ereptus est Ieremias Neapolitanus laicus; commendabatur in eo amor ferventissimus in Deum, assiduae orationis affectus, sacrae eucharistiae pius cultus et devotio erga coelorum Reginam.

Iulianus a Lentino. Idem p. 133.

Ieremiar Neapolitanus. Idem p. 136.

LV. In conventu Balgiacensi, provinciae Turonensis, decessit Marianus Andegavensis, concionator et cultor eximius Deiparae virginis; nulla enim erat eius concio, quin auditores hortaretur ad eam omni pietatis sensu prosequendam; oculis in caelum defixis, sacras eiusdem Deiparae laudes in coenobii horto recitabat, facie aliquando prae amoris aestu rubicunda. Pietavii, in laudata provincia, desiit esse Antonius Rhodiensis, item concionator ex illustri familia de Rhodes natus. Esca tam modica reficiebatur, ut mortem quidem arceret, non autem famem sedaret. Quidquid abiecti ac rudis panni humi iaceret proiectumque cerneret, sedulo colligebat, et singula segmina simul assuta sibi in habitum aut pallium aptabat.

Marianus Andegavensis. Idem p. 138.

Antonius Rhodiensis, Idem p. 140

LVI. Luce circumfusa animam Deo reddidit in conventu Marticensi, in provincia Provinciae, Ambrosius Avenionensis sacerdos, vitae puritate et in agendis mira prudentia donatus. Contemplationis amans, semper genibus flexis orationi tum mentali tum vocali operam dabat; curationum dono a Deo exornatus fuit. Saloni, in eadem provincia, spiritum emisit Georgius Bauricensis laicus, tanta Dei caritate vulneratus, ut et verba divinae dilectionis scintillantia eructaret, et eundem caritatis ardorem in audientium animis infunderet. Apud coenobium Cereti, in provincia Valentiae, obiit Damasus a Minorissa clericus, qui tot tantasque corporis poenalitates sibi indixerat, ut coenobii praeses cavere volens eius sanitati, ad nimiae austeritatis temperandum excessum illum obstrinxerit; in oratione aliquando visus est in aere raptus. In provincia Castellae occubuit Ignatius a Caravaca item clericus; longa inedia, diro cilicio et cruentis flagellationibus carnis petulantiam castigabat. In conventu Barcinonensi e vita migravit Laurentius ab Osca sacerdos, antea inter equites militares s. Ioannis adscriptus; animi simplicitate, humilitate et orationis studio commendabatur; civium dissidia animi sui mansuetudine, qua praeditus erat, facile componebat; pueruli Iesu et Deiparae amantissimus, cum sacras eorum imagines intueretur, dulcissima eius nomina proferens, totus animo liquefieri videbatur.

Ambrosius Avenoniensis. Idem p. 142.

Georgius Bauricensis. Idem p. 144.

Damasus a Minorissa. Idem p. 145.

Ignatius a Caravaca. Idem p. 147.

Laurentius ab Osca. Idem p. 118.

LVII. Antequerae in provincia Valentiae maximis virtutibus et doctrina clarus obiit die XXVII. Decembris Franciscus ex illustri prosapia de Velasco, Hispali natus; adolescens instituto fratrum redemptionis captivorum, licet animo reluctante, nomen dedit, impor-

Franciscus de Velasco. Idem p. 150.

tunis precibus cuiusdam matronae consanguineae suae cedens; post annos viginti sex, quibus inter eos inculpate vixit, ad capucinos convolavit; in virtutis, quam antea arripuerat, viam perfectius incedens, demandato sibi concionandi munere tanto animarum lucro functus est, ut innumeros prope devios Christo Domino pepererit, et haeretica labe pollutos ad ecclesiae sinum adduxerit; singulari devotione excultus erat erga ss. eucharistiae sacramentum et in immaculatae conceptionis Deiparae mysterium. Valentiae sodalitatem instituit sub invocatione eiusdem virginis immaculatae, et *regulas et* Sbaral. litt. F. *constitutiones pro ipsis confratribus vulgavit* anno MDCX. *Regulas etiam et constitutiones* Valentiae edidit anno MDCVIII. *pro congregatione pietatis ab comet instituta;* prophetiae dono et inclaruit. Accepto sui obitus nuntio, tanta laetitia perfusus fuit, ut e lectulo exiliens, ad adstantium pedes pro gratiarum actione humiliter se procubuerit; inde Davidis versiculum proferens: *laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, placido vultu animam Deo reddidit.

Petrus de Almendral. Lopez p. 515.

LVIII. Plures sancto fine quieverunt inter minores de observantia. In conventu s. Francisci Emeritae, in provincia Iucatanica, obiit die XII. Septembris, Petrus de Almendral laicus, provinciae Castellae filius; is in hanc regionem advenerat anno MDLXXVIII. cum Petro de Cardete sacerdote, ut Indos neophitos in christiana fide erudiret; multis virtutibus exornabatur, prudentia praesertim, humilitate, corporis maceratione animique mansuetudine; multa eventu confirmata praedixit. In eadem provincia pie occubuit Ludovicus a Cruce, Lusitanus item laicus, qui in Indiam se conferens admirabili sanctitate vixit; infidelium salutem sitiens et martyrii desiderio incensus ad metropolim, tunc temporis regni Narsingi ad latus littoris de Bengala positam, penetravit, ubi multa pro Dei gloria sustinuit; anno MDCXXI. Neapoli typis Dominici Roncalioli vulgata fuerunt acta pro eius canonizatione. In senectute bona Limae decessit Franciscus Vasquez sacerdos, iam illius provinciae minister. Commendatur pro sedulo studio regularis observantiae animarumque salute, humilitate assiduisque precibus.

Ludovicus a Cruce. Arturus Hueber ad diem 23. Februar.

Franciscus Vasquez. Corduba in vita s. Francisci Solani.

LIX. Apud montem Marianum, dioecesis Cordubensis, in conventu s. Mariae Angelorum, raptus est Vincentius Granatensis sacerdos, ab anno XVIII. usque ad XXVIII. aetatis suae annum, militarem vitam secutus apud Flandriae regiones; divina gratia illustratus, minoritis se addixit in provincia s. Bonaventurae; verum Ioannis de Hierro, ministri generalis, iussu inter sodales provinciae Angelorum adscriptus, emicuit virtute humilitatis et praesertim eximiae castimoniae, quam ut illibatam Deo redderet, ieiuniis, cilicio, oratione die ac nocte carnem macerabat.

Vincentius Granatensis. De Guadalupe p. 396.

LX. Multarum virtutum genere exornatus obiit in conventu Gaudicensi, provinciae Granatensis, Rodericus Manrique sacerdos, Malacae ex comitibus Trigilianis ortus. Habitu franciscano indutus, vitam continuam cum Christo absconditam duxit; expletis enim quae sui

Rodericus Manrique. De Torres p. 315.

muneris erant, pauperculam cellulam repetens, caelestia meditabatur. Aliquot dies sine cibo transigebat, tantaque erat sui corporis maceratio, ut asperrimo cilicio revinctus foret ad nudam carnem ad instar indusii. Decessit in eadem provincia Lazarus a s. Ioanne, Giennii in Hispania natus; ab adolescentia praesto erat deserviendis ecclesiis piisque operibus prosequendis. Saeculi vanitatibus valedicens, tertii ordinis de poenitentia habitum impetravit. Illico se abdidit in eremitorio de Chircales, ad tres leucas posito a laudata urbe, in quo per aliquot annos cum altero socio diversatus vitam ducebat in summa egestate. Inde se transtulit ad alterum pene inaccessum, dimidia leuca ab eadem urbe Zumel, Redondo nuncupatum. Singulis sextis feriis coronam spineam capiti infixam gestabat, ac singulis noctibus flagris se caedebat ad sanguinis usque effusionem. Circuibat montanum loci collem, appensum habens gravem lapidem. Ad urbem accedebat die sabbati, panis eleemosynam petiturus, ac die dominico aliisque per hebdomadam festivis diebus, ut sacramentis ecclesiae reficeretur, et ut monita salutis audiret a Petro de Iloia, sodali fratrum redemptionis captivorum. Poenitentiae rigore attritus, valido morbo tentari coepit; quare ad urbem delatus, domum pauperrimae germanae suae incoluit. Cum autem penes omnes sanctitate vitae floreret, incolae cuiusvis ordinis ad eum confluebant, explendae devotionis causa. Post diem XXV. Aprilis e vita migravit; cuius corpus floribus respersum illatum fuit in ecclesiam carmelitarum discalceatorum, arculaeque occlusum separato in loco tumulum accepit.

Lazarus a s. Ioanne. Idem p. 815.

LXI. In conventu s. Francisci Pampelonae, in provincia Burgensi, dormitionis requiem obtinuit die IX. Novembris Martinus Domeno laicus, vir profundae humilitatis corporisque singularis mortificationis. Solo enim pane et aqua reficiebatur, licet in hortorum cultura et in eleemosynis quaeritandis assiduus; portarii munus obiens, summa caritate egenos excipiebat, et aliquando suis precibus a Deo extemplo pro eisdem pauperibus ac sodalibus cibaria impetravit. Defuncti facies miram induit venustatem.

Martinus Domeno. Monum. prov.

LXII. Die XXII. Decembris obiit in conventu Ulmeti, provinciae Conceptionis, Antonius Barroso laicus, multiplici ornatus virtute; mira dexteritate componebat dissidia, nunquam nisi post vesperas hora ferme post meridiem se reficiebat, panem et herbas coctas vel crudas edens; interim orandi studium nunquam intermittebat.

Antonius Barroso. Monum. prov.

LXIII. Hostunii, in provincia s. Nicolai et conventu sanctae Annuntiationis reformatorum, die XXV. Iulii obiit Paulus, in saeculo Lupus, ab oppido Salicis, dioecesis Brundusinae, a pueritia ad pietatem et ad carnis mortificationem pronus; decimum quintum enim agens annum, in horto domi suae degens, loricis flagellis singulis noctibus se caedebat et caelestibus vacabat meditationibus. Ovium custodiae addictus, eas ducebat penes ecclesiam, s. Mariae de Marziis nuncupatam, et in eam ingressus, quinque horarum spatio ferventibus precibus beatam Virginem colebat. Perfectionis desiderio incensus, capu-

Paulus a Salice. Mazzara tom. VII. p 127.

cinorum fratrum habitum impetravit; at valido morbo correptus, mense suae probationis decimo institutum dimittit. Romam inde advenit peregrini habitu indutus, loca sacra visitaturus cum aliquot suae aetatis iuvenibus. Salicem patriam suam repetens, diebus praesertim festivis a mane ad meridiem usque omni caritatis spiritu Deo deserviebat in ecclesia fratrum reformatorum eiusdem oppidi. Iuvenis virtutes demirantes illius coenobii fratres, anno aetatis suae trigesimo inter eos cooptarunt, eidem pro tyrocinio assignato coenobio s. Mariae de Templo prope urbem Aletinam. Vix seraphico indutus habitu, variis poenalitatibus corpus afflixit, assiduis nimirum ieiuniis dirisque item flagris, ut laniatos humeros haberet; verbera interim et opprobria multa invicta patientia et humilitate a daemone pertulit; curationum, prophetiae ac miraculorum gratia floruit. Anno MDCXVIII., agente apud Franciscum cardinalem Sfortia Ioanne a Carigliano custode reformatorum, provinciae s. Nicolai, inita fuerant eiusdem viri Dei acta. Verum Hostunensi episcopo et cardinali Sfortia defunctis, res haud ulterius processit.

LXIV. Ex discalceatorum familia decessit Mauiliae, in provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum, Franciscus a Rivero laicus, in oppido de Brozas in Extremadura ortus. Lucri cupidus in Peruvianum regnum primum ac inde Maniliam se contulit, ubi, audita b. Petri Baptistae, Iaponensium protomartyris, concione, ad meliora vocatus eisdem fratribus ea in urbe se addixit; tanto in Iesu Christi passionem ferebatur aestu, ut singula, quae ipse tulerat, alta mente recoleret. Inedia, siti ac flagellis praesertim corpus edomabat saepius per diem. In oratione saepe elevabatur vivida luce circumfusus. Eodem in coenobio Maniliensi occubuit Didacus de s. Maria, item laicus, innocentia vitae, humilitate et caritate erga Deum et proximum plurimum commendatus. Consilii donum a Deo obtinuit, miraque verborum suavitate exornabatur, quibus et deviorum corda emolliebat et ad sectandam virtutem alliciebat.

Franciscus a Rivero, Martinez lib. I. p. 137.

Didacus a s. Maria, Idem ibid. p. 141.

LXV. In conventu Conceptionis Callosae, in provincia s. Ioannis Baptistae, eorundem fratrum, obiit Bernardinus a Carmona sacerdos, vir devotus, suae regulae custos et Deiparae virginis cultor eximius. Mahorae, in conventu s. Mariae de Gratia, laudatae provinciae, migravit e vita Antonius de Alvero, insignis verbi Dei praeco; id munus usque ad senectutem magno animarum foenore obivit; semel et iterum eandem provinciam moderatus est non tantum verbo quam virtutis exemplo. Ad fovendam christifidelium pietatem *tractatum de oratione trium viarum*, quibus anima purgatur, proficit et perficitur, scripsit, de quo nihil Waddingus et Sbaralea. Lacrymarum dono a Deo ita exornatus fuit, ut nec publice nec occulte ab eis se continere valeret.

Bernardinus a Carmona. Panes p. 504.

Antonius de Alvero, Idem p. 107.

LXVI. Salmanticae, in coenobio Calvarii, provinciae s. Pauli discalceatorum, vitam commutavit cum morte Didacus a s. Francisco, natus in oppido de Monteio, dioecesis Abulensis. In academia salman-

Didacus a s. Francisco, Sbaral. litt. D.

ticensi primum doctor s. theologiae renuntiatus, mox parochi munus, quod inculpate explevit, obtinuit; matura in aetate eisdem fratribus se adscripsit maximisque virtutibus floruit; cum sanctitatis opinione decessit, miraculis in vita et post mortem clarus. Scripsit quam vulgavit Ioannes a s. Antonio *de spiritu ac virtutibus v. Beatricis de Langa epistolam.*

LXVII. Ioannes Baptista Mexicanus, eximium ornamentum provinciae minorum observantium s. Evangelii et vir praestantis ingenii, occubuit, de quo plura scripta notavimus. Sequentia mss. reliquit: 1. *dramas espirituales o representaciones de los pasos de la pasion de Jesu Cristo para los Indos; 2. dicionario ecclesiastico en lengua megicana; 3. exposicion del decalogo; 4. flos sanctorum o vidas de sanctos, eodem idiomate; 5. la obra del p. Essella de la vanitad del mundo puesta en lengua megicana.* In conventu Gaudiciae, provinciae Granatensis, obiit Didacus Gandicensis, arabica lingua peritus; anno MDXCI. Romam vocatus a Matthaeo cardinali, ordinis patrono, tyronibus franciscanis conventus s. Petri in Monte Aureo idioma arabicum explanavit vulgavitque Neapoli *explicationem linguae arabicae.* Dum erat Granatae, fungebatur officio interpretis huiusce idiomatis in senatu sacrae inquisitionis. Eum Antonius Manrique, commissarius Indiarum in curia catholici regis, anno MDLXXXVI. misit in provinciam Canariensem, ad visitanda fratrum coenobia.

Beristain litt. M. Annal. min. ad ann. 1599. n. 83. ad ann. 1604 n. 3. ad ann. 1609. n. 38.

De Torres p. 315.

LXVIII. Minorum de observantia institutum multi doctrina illustrabant. Alphonsus Blascus hispanus, ex provincia s. Michaelis, Matriti vulgavit *panegyrim de exaltatione s. Crucis.* Romae edidit Ambrosius a Iesu lusitanus, provinciae Portugalliae et definitor generalis, *panegyrim de laudibus s. Antonii Patavini ad capitulum generale ordinis.* Andreas de Soto hispanus, ex provincia Conceptionis, scripsit *litanias de s. Cruce ex pluribus ss. scripturae et ss. patrum locis* collectas, quae editae leguntur in libro gallico *nodi salutaris Herculis christiani*, hoc anno Insulae in Belgio impresso, prope finem. Vulgavit Matriti Augustinus de Hinuoiosa, provinciae Baeticae, *concionem de beatificatione s. Theresiae a Iesu,* impressam in opere eiusdem beatificationis. Gregorius Merault gallus edidit *vitam cum miraculis b. Ioannae reginae Franciae.* Circa id tempus Ioannes Garcia, Caesaraugustanus provinciae Aragoniae, humanarum divinarumque litterarum scientia praestans, scribebat *collectanea biblica ex Hieronymi miscellaneis, sive expositiones sacrae scripturae ex eius operibus collectae, adhibitis interdum propriis rationibus.* Ioannes Picardus iunior, Aurelianensis, edidit Parisiis *notas in libros s. Bernardi.* Laurentius Portel, provinciae Algarbiorum, Ulyssipone typis Petri Craesbeech vulgavit *de los casos que a los religiosos pueden reservar.* Martinus Meurisse gallus, Royensis doctor et professor Parisiensis, scripsit et gallice edidit librum titulo *augusta basilica abbatiae regalis s. Arnoul Metensis.* Michael Avellanus hispanus, provinciae Carthaginensis, e confessionibus venerabilis Margaritae a Cruce austriacae, Malacae primum, deinde Hispali hoc anno vulgavit

Sbaral. litt. A. — Idem ibid. — Idem ibid. — Idem ibid. — Idem litt. G. — Idem litt. I. — Idem ibid. — Idem litt. L. — Wadd. et Sbaral. litt. M. — Idem litt. M.

Sbaral. litt. P. typis Alphonsi Rodriquez Gamarra *glossas et carmina varia in laudem immaculatae conceptionis*. Petrus de Navarro hispanus, provinciae Castellae, edidit Matriti *commentaria in regulam minorum* pro resolutione omnium difficultatum, quas excogitavit fr. Antonius Cordubensis, aliarumque disputatarum. Matriti lucem aspexerunt hoc anno *commentaria in epistolas et evangelia quadragesimalia* Ambrosii Mantesini hispani. (Wadd. litt. A. Idem ibid.) Anonymus de Galvan hispanus scripsit *sermones quadragesimales*, et Hispali hoc anno edidit *sermones de sanctis*. Coloniae prelo Ioannis Crythi recognovit recognitasque recudi curavit Simon Richius germanus *conciones* Roberti cardinalis Bellarmini, ex beneplacito eiusdem cardinalis. (Idem litt. S.)

LXIX. Ex minoritis conventualibus sequentes notantur. Hilarius Altobellus a Monticulo picenus edidit librum *de occultatione stellae Martis*. (Sbaral. litt. H.) Venetiis apud fratres Dei Ioannes Baptista Chiodinus a Montemilone item picenus vulgavit *praxim sphaericam tribus libris dispositam, cum quaestionibus ad sententiam Scoti ad libros meteorarum Aristotelis*. (Idem litt. I. Idem ibid.) Ioseph Charavagius, Mediolanensis, prelo Mandolfi Malatestae Mediolani edidit *praefationem doctam et elegantem in regulam s. p. Francisci*, velut *epitomen historiae franciscanae praefixam eidem regulae*. (Idem litt. S.) Silvester Bartolucci Assisias edidit Perusiae apud Caesarem Scaccioppam opus hoc titulo *minorita fratrum conventualium s. Francisci* in duos libros divisum, in quorum uno agitur *de tribus votis*, in altero habetur *declaratio regulae fratrum minorum iuxta privilegia*. Annó insequenti Venetiis prodiit hoc titulo *speculum regularis observantiae* etc.

Inter eosdem singulari prudentia et spectata vita eminuit pater Pelechingius, minister provincialis, cuius virtutes summus pontifex sequenti ad senatum Coloniae Agrippinae rescripto collaudavit.

Consulibus atque senatui Coloniae Agrippinae.

Dilecti filii salut. et apostolicam benedictionem. Litteras, quibus nobis commendastis dilectum filium pium religiosum Pelechingium, ordinis fratrum conventualium provincialem in istis partibus, quas ipse nobis reddidit, cum iucunditate legimus, eundemque libenter vidimus. (Archiv. vatic. secret. Pauli V. brev. an. X. 15.) Quem certe ex prudenti sermone suo talem comperimus, qualem nobis exposuistis laudibus pietati ac virtuti suae tributis. Erit itaque nobis valde commendatus vestra causa ac merito suo et pro peculiari caritate, qua religiosum ordinem fratrum suorum prosequimur. Divinae gratiae incrementum vobis ingiter a Domino optamus, quibus nostram apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum apud s. Mariam M. XVII. cal. Iunii 1615 ann. X.

LXX. Ex fratribus discalceatis litteris praestans erat Franciscus de Azevedo, provinciae s. Gabrielis, qui Salamanticae typis Susannae Munoz vulgavit *concionem in capitulo provinciali habitam*. (Idem litt. F. Wadd. litt. I.) Ioannes

a s. Maria Portocarrero, s. Pauli provinciae, ex typographia regia edidit tom. 1. *chronicam praedictae provinciae et aliarum, quae ex ipsa prodierunt.* Tomus alter ibidem vulgatus fuit anno MDCXVIII. Ioannes le Saffe Belga, provincia s. Andreae, gallice scripsit opus, latine redditum hoc titulo: *nodus salutaris herculis christiani complectens summarium indulgentiarum confratribus chordae s. Francisci concessarum,* dietae confraternitatis ad pietatem conducentium. Insulae lucem aspexit typis Petri de Rache. Sbaral. litt. I.

LXXI. Inter capucinos viri docti et floruere. Ioannes a Sextola, oppido in montibus Mutinensis ditionis, Claudiae Mediceae, archiducissae Austriae, a sacris confessionibus, scripsit *orationem in laudem s. Caroli Borromaei*, Faventiae in ecclesia maiori habitam hoc anno. Anno sequenti ea in urbe impressa fuit prelo Ioannis Simbeni. Marianus ab Aleamo Siculus Panormi vulgavit apud Augustinum Orlandum et Dec. Grillum *officium parvum stellarii gaudiosi, dolorosi et gloriosi b. v. Mariae.* Marcellinus de Ponte Banes Alobrox, concionator et haereticorum acerrimus insectator, idiomate gallico Gratianopoli typis Guilielmi Verdier edidit *doctissimam responsionem adversus narrationem quandam ministri Gratianopolitani calvinistae circa collationem inter eos habitam XIX. Novembris MDCXIV. de sacramento eucharistiae et aliis fidei controversiis.* Michael Angelus de Bergon, patria Lugdunensis, causarum forensium quondam patronus, cum tunc ex italicis versibus Capoleonis Guelphugi vitam et regularem capucinorum disciplinam in carmina gallica convertisset preloque mandasset, tanto fuit erga hoc institutum amore succensus, ut illud post alterum annum professus, optimus evaserit eiusdem insectator. Concionatoris munus consecutus pia opuscula Alexii Segalae Salodiensis, sodalis sui, ex italico gallica reddidit, vulgavitque Lugduni apud Ludovicum Muget, nempe *praxim singularem et utilissimam virtutis, quae faciliter hominem ad veram perfectionem ducit; 2. artem mirabilem amandi et colendi b. Virginem; 3. iter securum Paradisi; 4. triumphum animarum in purgatorio existentium; 5. coronam caelestem sive meditationem pro singulis anni diebus.* Insuper transtulit gallice *horologium spirituale, seu conciones de omnibus festis b. Mariae sacris*, italice compositas a Francisco a Coriolano item capucino. Idem ibid. Idem litt. M. Wadd. litt. M. Idem ibid.

LXXII. Andreas Bonfanti vel Florentinus vel Perusinus, Hetruriae provinciae administer, vulgavit *arborem vel catalogum sanctorum et beatorum tertii ordinis s. Francisci, et vitam b. Luchesii a Podiobonzi, tertii ordinis s. Francisci.* Hispali edidit Lupus Felix de Vega hispanus, tertii ordinis saecularium, *colloquium pastorale in laudem sanctissimae conceptionis Deiparae virginis.* Michael de Cervantes, item ex tertio ordine saecularium, Matriti typis mandavit opus *comoediae octo octoque intercalares scenae.* Sbaral. litt. A. Idem litt. L. Idem litt. M.

LXXIII. Hoc eodem tempore vita, sanctitate ac concionibus suis valde commendabatur s. Fidelis a Sigmaringa capucinus. Iis de eo dictis sequentia adiicimus. « Adeo igitur mortificatus carne cum fo- Annal. min. ad ann. 1611. n. 47 et seq. ex compen-

dio vitae apud Benedict. XIV. tom. 7. p. 48.

ret, illud Fidelis est consecutus, ut spiritus vivificatus non solum intactum illibatumque ab omni mortifera peccati labe corpus animumque servaverit, sed promptior alacriorque in Deum elevaretur. Usque enim adeo oratio cum vocali tum mentali delectabatur, ut nec noctu invictum ab ea spiritum relaxarit. Praeter horas canonicas ab ecclesiae et franciscanae familiae ritu praescriptas, quas simul cum ceteris fratribus graviter decenterque psallendas in choro curabat, ea etiam officia recitare solitus, quae de beata Virgine sanctoque Francisco sunt peculiaria, ab iis nullis unquam diebus abstinuit; quia etiam post completas nocturno tempore eas laudes, quae matutinae dicuntur, ceteris cubitum repetentibus, ipse in ecclesia coram ss. sacramento flexis genibus perseverans, sancta orationis studia usque ad auroram prosequebatur. Divina vero mysteria tanto mentis ardore, tanta sui spiritus suavitate meditabatur, ut contemplatione aliquando defixus atque in Deum raptus, immobilis multo tempore permaneret. Porro qualem ac quantum suavitatis odorem Fidelis orationes emitterent coram Domino, ex eo facile dignosci potest, quod, duo solitus cum fuisset ab eodem enixis precibus postulare, scilicet, ut vitam ab omni peccato immunem traduceret, fidemque suo sanguine confirmaret, utriusque voti compos effectus est ».

LXXXIV. « Neque vero in hac claustrali tantum atque domestica vivendi ratione, quam non interrupto exercitio virtutum usque ad exitum vitae est prosecutus, ultimam perfectionis atque virtutis suae metam sitam esse Fidelis voluit; sed quod mirandum est, eam cum admirabili quadam proximorum caritate coniunxit. Nunquam igitur magis exultare in Domino videbatur, quam cum aegrotos inopes homines inviseret, solaretur, blandis piisque sermonibus recrearet; desertis in carcere ea, quae poterat, cum animae tum corporis solatia conferret; collectis ex divitibus eleemosynis aliorum inopiam omnium ipse pauperrimus sublevaret; viduarum et pupillorum causas apud ipsos etiam principes promoveret. Austriacas copias pestilens quidam gravescensque morbus invaserat, quo correpti miserandum in modum milites squalore confecti, viribus debilitati, omni destituti auxilio, vel in nuda humo, vel super tabulas, ut apud milites moris est, decumbere cogebantur. In hac tanta miserorum hominum calamitate explicare quis satis possit, quantum Fidelis caritas emicuerit? Quos enim alii seu metu mortis, seu incurabili corporum foetore repulsi diligentissime declinabant, eos ipse singulos saepissime invisere, eorum ulcera pertractare, eorum labem abstergere, eorum pedes lavare, eorum confessiones in terram pronus excipere, eorum sanitatem collectis undique delicatioribus cibis, conquisitis undique opportunioribus medicaminibus procurare, eorum necessitatibus subvenire omni qua poterat ope tamdiu non destitit, quamdiu calamitas illa Vitebyrchii [Feldkirchii] perseveravit ».

LXXV. « Verum nullum unquam maius praeclariusque Fidelis dedit suae in proximos ardentissimae caritatis argumentum, quam

invicto illo quo usus est zelo in evellendis radicibus ab eorum animis perversis quibusdam moribus, et orthodoxa inter eos religione tuenda. Cum enim frequentissimis concionibus suis induratam scelestorum quorundam hominum mulierumque pervicaciam infringere minimo potuisset, nihil veritus eorum minas, vitae periculum nihili faciens, omni conatu adhibito, ab iis, quibus gubernanda commissa fuerat civitas, decretum obtinuit, quo cavebatur, vel ut resipiscerent, vel senatus consulto deleti a civium numero in posterum exularent. Quin etiam, cum plures haereticorum libri per Germaniam Italiamque postea evulgandi ad Vitehyrchienses mercatores transmitterentur, publiceque prostarent, non modo effectum est Fidelis opera, ut hoc illis eodem senatus consulto fortiter inhiberetur, sed ubicunque, in privatis etiam aedibus, libros huiusmodi reperiret, eos ipsemet suis manibus tollere secumque abducere non dubitabat ».

LXXVI. Ad Macarscensem ecclesiam in regno Dalmatiae moderandum delectus est die XV. Iunii Bartholomaeus Kačić ex minoritis de observantia. Erat is in parochia Podazzo prope Macarscam nobili genere natus, a patribus franciscanis, provinciae Bosnae Argentinae, in Zaostrogiensi conventu educatus, et litteris apprime imbutus, qui dein in Italia studiis philosophiae et theologiae operam navavit diligentissimam. Post sacram theologiam cum Neapoli tum Zagrabiae magna cum laude doctam, quum, ut Ioannes Toncus ad s. congregationem de illo refert, cognosceretur ceu vir eximiae pietatis, singularis exempli, prudens atque doctus, episcopus Macarscensis renuntiatus est. Qua cum venisset, scribit eruditissimus ex societate Iesu vir, pater Farlatus, « ingenti omnium gratulatione ac laetitia exceptus apud suos franciscanos in coenobio suburbano s. Mariae suam sedem constituit. Incredibile dictu est, quantos labores optimus praesul pro sui gregis utilitate ac salute susceperit. Loca illa aspera et montana saepius ac semper fere pedibus lustravit; templa vel a turcis eversa vel vetustate collapsa de suo refecit, populis illis rudibus ac agrestibus erudiendis dies noctesque insumebat, eosque non divinis solum ad consequendam aeternam, sed humanis etiam subsidiis ad vitam temporalem sustentandum iuvabat. Nec vero sollicitudinem curamque apostolicam intra fines suae dioecesis continuit, sed et pontificis mandato ad illas etiam paroecias invisendas excolendasque se contulit, quae suberant imperio turcarum et proprio episcopo carebant ».

Farlati tom. IV p. 193.

A. Luke Ministri Generales p. 87

Farlati Illyric. sacr. tom IV. p. 193.

LXXVII. Ex eodem instituto delectus est die ultima Augusti episcopus Albenensis in Epiro Ioannes Collesius, datusque a pontifice cum futura successione Nicolao Mechantio, episcopo Stephanensi, quem Farlati ex actibus consistorialibus Necansium scribit. E Pactensi episcopatu ad archiepiscopatum Messanensem in Sicilia hoc anno translatus est Bonaventura Secusius, iam minister generalis ordinis et patriarcha Constantinopolitanus. Ad ecclesiam Segobiensem promotus est: *Religionis zelus* pridie nonas Iulii, Franciscus de Arriba hispanus,

Farlati tom. VI. p. 407

Pirrus in notitia Messan. eccles. tom I col. 433.

Monum. prov.

antea minister provinciae et infantium catholici regis Philippi III. confessarius. Parisios se conferens, fuit etiam moderator conscientiae d. Mauritiae, Ludovici XIII. Galliarum regis uxoris. At episcopale munus resignavit, ibique permansit ad annum MDCXXII. usque. Is lucem aspexerat in humili loco, Toxerizas nuncupato, in marchionatu de Halmazan. Franciscalium de observantia habitum induit in coenobio Vallisoletano, provinciae Conceptionis. Anno MDC. Romam ad comitium generale adveniens, a Clemente VIII. pontifice prae suae doctrinae praestantia inter theologos *congregationis de auxiliis divinae gratiae* connumeratus fuit. Eiusdem summi pontificis mandato perficiendum curavit opus, in quatuor libros partitum, *de conciliatione praedestinationis et gratiae cum humana libertate*, editum anno MDCXXII. Parisiis prelo Laurentii Sonni. Scripsit etiam, inscio Sbaralea, librum *de Trinitate*.

Sbaral. litt. F.

LXXVIII. Unus quod sciam episcopale munus consequutus est inter minores conventuales Adam Goschi Polonus, qui teste Sbaralea in chronotaxi antistitum ordinis assumptus fuit ad regendam ecclesiam Bachoviensem in Moldavia. Inter eos delectus inquisitor generalis contra haereticam pravitatem pro urbe Senensi Angelus Piccininus Ravennas, pro ditione Florentina Laelius Faventinus: *Volentes* die IV. Iulii.

LXXIX. Hoc eodem anno die XI. Aprilis inter purpuratos patres connumeratus est Gabriel Tressius sive de Treio ex tertio ordine saecularium, germanus Antonii de Treio, vicarii generalis ordinis, titulum s. Pancratii consequutus.

Ciaconius tom. IV. col. 436.

LXXX. Prodigialem b. Virginis Gratiarum imaginem impense cultam in ecclesia coenobii fratrum reformatorum Imolae, provinciae Bononiensis, hoc anno die X. Iulii pretioso diademate solemniter coronavit in medio publici fori Rodulphus Paleotti, episcopus Imolensis.

Manzoni in vita Rodulphi II. n. 75.

LXXXI. Die XXVII. Aprilis incendio periit Gnesnensis civitas in Polonia. Eo in excidio monasterium clarissarum a flammarum voragine illaesum evasit. Ex publico illius urbis tabulario novimus prodigio id evenisse b. Iolentae, ubi corpus quiescit coliturque a christifidelibus devotione summa. Eius acta, a Waddingo praetermissa et a Melissano atque Vigilio Greiderer notata, consulto notamus. Iolenta, aliis Iulenta, Iolentha et Polonis Helena, Belae IV. Hungariae regis et Mariae Theodori Lascaris, Constantinopolitani imperatoris, filia, soror germana b. Cunegundis et Constantiae, ducissae Russiae, adhuc puella Cracoviam adducta, ibi in aula Boleslai Pudici et suae germanae Cunegundis coniugis per aliquod tempus incolatum tenuit. Florenti in aetate virum duxit Boleslaum, Calissiensem ducem, ob virtutum formam cognomine Pium. In coniugio multis se praebuit sanctitatis exemplar, divinum cultum promovit virumque suum induxit ad excitandum monasterium clarissarum in urbe Gnesnensi, anno MCCL. magnis sumptibus erectum, pluribusque

Ex summario n. 1. § 4. n. 2. § 10. Annal. min. ad ann. 1279. n. 3. Greiderer tom. I p. 711.

oppidis et praediis locupletatum. Idem ipse Boleslaus pro fratribus anno MCCLVII. in urbe Calissiensi et alterum coenobium posuit. Iis igitur peractis, supremum diem cunctis ecclesiae sacramentis munitus egit anno MCCLXXIX. die VII. Aprilis, tres post se relinquens Hedwigem, Elisabetham et Annam filias. Eodem et hoc anno raptus est Boleslaus Pudicus b. Cunegundis coniux. Gretderer ibid. p. 576.

LXXXII. Ambae matrimonii vinculo solutae hoc eodem anno in ecclesia s. Francisci Cracoviae clarissarum sororum habitum susceperunt a b. Ioanne Prandotu, huius urbis episcopo. Non conveniunt tamen scriptores circa monasterium, in quod Iolenta sese receperit, eodem habitu induta. Alii enim putant ad Sandecense, alii vero ad Gnesnense monasterium advolasse. At dici potest, in utroque monasterio successive religiosam vitam duxisse; in Sandecense enim monasterium advenit cum germana Cunegunda, ubi anno MCCLXXXVII. commorans, cum Scythae in Polonia cuncta vastarent, tunc Cunegundis cum septuaginta sui monasterii virginibus et germanis, Iolenta nimirum et Constantia viduis, e monasterio Sandecensi in castrum Pygeniny confugit ibique permansit, donec Scythae in fugam se dederint et Sandecensem districtum deseruerint. Tunc ad laudatum monasterium Sandecense mox vero ad alterum Gnesnense rediit.

LXXXIII. Quae in eo monasterio egerit sic describit Martinus Baronius Iaroslaviensis apud Melissanum: *in eodem monasterio Gnesnensi in ieiuniis, orationibus* et regularibus exercitiis in vigilando ac piis operibus in egenos, pauperes debilesque, quibus cum summa humilitate saepissime famulari solebat, dedita; multa arcana caelestia visionesque mirabiles passionis domini nostri Iesu Christi, cuius mirae devotionis recolendae tenebatur affectu, videre promeruit. Uno enim tempore paulo ante mortem suam, acerbam passionem Christi devote recolenti, dominus noster Iesus Christus cum beatissima Virgine matre sua et s. Salomea nudus, flagellatus uberrimoque sanguine conspersus eidem in maxima caritate apparuit, eandem consolans et praemia vitae aeternae pro contemptu mundi et amoris sui promittens; qua visione in animo summo cum desiderio dissolvi cupiens, sororibus mortem suam praedixit, in professioneque religionis easdem confortans, et futura praedicens praemia laborum et bonorum suorum a sponso Iesu recepturas, vivificisque sacramentis munita, beatam animam in manu creatoris sui commendavit sicque placide exspiravit. Post suam vero mortem brevi abbatissae loci illius in agone existenti magna caritate refulgens cum s. Stanislao Cracoviensi episcopo apparuit, in infirmitateque eam consolans, pristinam sanitatem a Deo recuperavit. Sepulta est per sorores Gnesnae anno Domini MCCLXXIX. die XXVIII. Aprilis.

LXXXIV. Non ea tamen sumus opinione, ut dicamus cum mox laudato scriptore, b. Iolentam anno MCCLXXIX. occubuisse, nam hoc anno, ut mox diximus, nomen dedit clarissarum instituto. Neque iis subscribimus, qui putant, eam obiisse anno MCCLXXXVII.;

siquidem hoc anno ex monasterio Sandeciae fugam capiens se contulit in arcem Pygentynam. Certum tamen est, post hunc annum e vita migrasse, corpus in mausoleo, quod adhuc inspicitur, occlusum fuisse, et Deum intercessione famulae suae mira per dies operatum fuisse. Cum autem a christifidelibus ab immemorabili tempore exhibitus b. Iolentae cultus probatus fuerit penes s. rituum congregationem, ideo summus pontifex Leo XII. vulgato decreto illum ratum habuit, missamque et officium in sui honorem concessit.

LXXXV. Sacra b. Petri a Monticulo, nunc Treia, pignora, quae adservantur in ecclesia conventus s. Francisci Siroli, in provincia Marchiae, minorum de observantia, inspecta fuerunt hoc anno occasione novae structurae sacelli beatae Mariae virginis, ubi quiescunt. Facti memoriam exhibemus ex archivo illius coenobii, quod anno MCCXV. pro suis adminserat seraphicus Pater a quodam comite Alberto constructum. Ab anno MCCCIV. eiusdem beati ossa venerabantur in sacello ss. Crucifixi; postea vero illata fuerunt ad altare sub invocatione, ut mox diximus, beatae Mariae virginis. Die XXX. Iulii anno MDCCXCI. venia Vincentii Ranuzzi, sanctae romanae ecclesiae cardinalis, episcopi Anconitani, recenti in urna occlusa fuerunt. Ad annalium nostrorum integritatem monumentum sequens ponimus: III. calendas sextilis anno MDCCXCI., sedente d. n. Pio Papa VI., ossa beati Petri ab oppido Monticuli, nuper Treiensis civitatis, iamdiu in altare tertii ordinis b. Mariae virgini dicato, intra inauratam urnam collocata, ut fusius in regestis penes archivum illustrissimae communitatis Siroli et ff. minorum s. Francisci de observantia in Sirolensi conventu degentium exponitur per acta domini Dionysii Antonii Pagnara, civis Ravennatensis modoque eiusdem communitatis a secretis necnon publici notarii, auctoritate eminentissimi ac reverendissimi d. Vincentii Ranuzzi s. r. e. cardinalis ex titulo s. Mariae super Minervam, episcopi Anconitani, procurante adm. r. f. Hermenegildo de Ancona lectore iubilato postulatore, facta prius de eorundem identitate collatione, intra ornatiorem decentioremque arcam super sericum pulvillum rubei coloris in fasciculos redacta et cum sericis pariter ligaminibus rosei coloris colligata, reverenter reposita fuerunt, adhibitis ad tutam arctamque eorundem custodiam duabus ferreis seris diversis cum duabus clavibus diversis; quarum altera apud ff. minores de observantia remanere debeat; praesentibus adm. r. p. Petro Oppio, plebano parochialis ecclesiae Sirolensis divi Nicolai episcopi, necnon vicario foraneo a praelaudata eminentia sua deputato, ill.^mo d. Thoma Sciava a prioribus communitatis electo, r. p. Hieronymo Antonio Hortensi de Accincto, eiusdem conventus guardiano, et ceteris patribus, necnon adm. r. p. Francisco Nicolao Moscatelli ordinis eremitarum s. Augustini, et adm. r. d. Luca Antonio Luchetti sacerdote saeculari, testibus ad hoc adhibitis et regulatis.

Ex actibus pro sua canonizatione.

LXXXVI. Haec et alia inita fuerunt pro consequendo apud s. r. congregationem ipsius beati cultu, eidem ab immemorabili tempore

praestito. De eo pauca diversis in locis habet Waddingus. Is natalem habuit in castro Monticuli, nunc Treia, ex nobili vetustaque familia, ut ferunt, marchionum gente; quae cum anno MDLXXV. defecisset, propinquitatis iure cuncta eius bona familiae Grimaldi, inter Treienses cives illustri, obvenerunt. Adolescens saeculo valedicens, minorum ordini nomen dedit Assisii in coenobio s. Mariae de Portiuncula, provinciae Umbriae. Summae perfectionis spiritum hausit a b. Conrado Ophydano, eiusdem instituti socio suo ab ipso tyrocinio. Ex tam suavi perfectoque caritatis vinculo devincti pactum inierunt, ut quamcunque misericors Deus consolationem uni eorum concederet, alter alteri revelaret.

Annal. min. ad ann. 1515. n. 54. ad ann. 1592. n. 56. ad ann. 1594. n. 9.

LXXXVII. Ambo subinde ad solitarium s. Francisci Forani coenobium ex obedientia commigrarunt, ubi vigiliis, precibus corporisve macerationibus assidue vacabant. Idem b. Petrus, seraphici parentis sui vestigia secutus, eximio cultu prosequebatur s. Michaelem archangelum. In mox laudato coenobio cum in sui honorem quadragesimale ieiunium inchoasset, ultimo ieiunii die noctu in ecclesia se occlusit. Aderat tunc in eadem ecclesia alius frater iuvenis, qui studiose sub altari latebat, ut, quid beatus ageret, diligenter observaret. Et audivit beatum diuturno noctis spatio cum s. archangelo loquentem, et ipsum archangelum cum eo. S. Michaelis verba haec erant: frater Petre, tu pro me fideliter laborasti, et multipliciter te afflixisti, et ideo veni ad te consolandum, et ut petas quam malueris gratiam, quia ipsam tibi a Domino impetrabo. Cui Petrus maxima animi sui humilitate respondit: gratiam peto, ut mihi digneris remissionem omnium peccatorum meorum a Domino impetrare. Licet autem ad cetera petenda excitaretur a s. archangelo, beatus tamen nullam aliam gratiam postulavit; et ille disparens beatum reliquit valde consolatum.

LXXXVIII. Animarum salvandarum zelo succensus, una cum b. Conrado sibi familiari concionatoris munus obivit. Sui eloquii praestantia multos devios ad poenitentiam adduxit, et urbes dissidiis et odiis affectas, sequentibus signis et prodigiis ad tranquillitatem redegit. Fama est, eum Dei verbum disseminasse apud cives suos, animosque inter eos et accolas Montismelonis, s. Ginesii, s. Severini, Apiri, Iolentini et Matilicae coniunxisse.

LXXXIX. Cum aliquando beatus versaretur in coenobio s. Francisci patriae suae, maioris solitudinis amore captus, crebro se recipiebat in s. Mariae Vallis Cerasiae eremum, ad secundum lapidem ab oppido positum, ubi, spiritus sui relaxato fervore, vigiliis, flagellis et caelestibus meditandis ingem operam dabat. Circa annum MCDL. eo loci coenobium pro fratribus Clarenis franciscanis erectum fuit, inhabitatum postea ab observantibus. Ut autem perennis exstaret memoria de beati incolatu, sequentia inscripta fuere in eius imagine culta in eadem ecclesia.

Annal. min. ad ann. 1450. n. 19

BEATO . PETRO . A . TREIA.
VALLIS . CERASIAE.
OLIM . INCOLAE . NUNC . PATRONO.
GENS . GRIMALDA . M . P.
ANNO . A . VIRGINIS . PARTU.
MDCCLXXXIV.
AVE . NOSTRAE . PRAESIDIUM . DOMUS.

XC. Commorans idem beatus cum eodem b. Conrado in pervetusto s. Francisci conventu Anconae, Iesu Christi agones alta mente recolebat ante imaginem ss. Crucifixi, ibidem impense cultam. Cum quadam die ibidem intense oraret, cum in aëre toto corpore elevatum ad pedis Crucifixi per quinque vel sex cubitos a pavimento vidit frater Servideus de Urbino, qui et sanctitatis fama florebat, illius coenobii guardianus. Ea in urbe mira de rebus divinis deque vitae perfectione colloquia habebat cum b. Benvenuta Anconitana, tertii ordinis de poenitentia lectissima foemina.

XCI. Hieronymi Asculani ministri generalis mandato b. Conradus ad sacrum Alverniae conventum, beatus autem noster ad s. Francisci Siroli coenobium destinatur. Non multo post, cum ille ab Alvernia discessisset, festinus ad amicum comitemque suum Siroli degentem migravit. Diu autem cum eo haud stetit, declinans incolarum plausus ob insigne prodigium, quod nobis incompertum est, ibidem ab eo patratum.

XCII. Cum autem ambo puritatis servandae seraphicae regulae patrocinium suscepissent, contumelias immo et vincula aequo animo subiere. At a vinculis soluti a Raymundo Gaufredi, totius ordinis praeside, prae eorum vitae puritate et doctrinae fama detenti, qui cum ceteris fratribus, ab Armeniae rege postulatis, eos mittere decreverat. Verum ob eorum grandaevam aetatem consilium ille mutavit. Unde reddita eisdem libertate, iterum petierunt s. Francisci Forani coenobium, divinis rebus recolendis accommodum.

XCIII. In solemniis purificationis Deiparae Conradus in sylvam coenobii intravit ad caelestia meditanda. Post eum furtive, ut exploraret, quid ageret, eo advenit b. Petrus. Tunc audivit eum supplicem Deiparam exorantem, ut sibi a Deo gratiam impetraret participem fieri illius mirae consolationis, qua Simeon recreatus fuerat in ulnis puerum Iesum accipiens. Tunc ei adparuit beata Virgo, reclinatum habens in sinu puerum Iesum tanta luminis claritate circumfulsum, ut noctis tenebras fugaret, eique appropinquans speciosissimum Filium super beati ulnis imposuit. Humilitate parique pietate illum excepit, et labia labiis imprimens et pectori pectus adstringens, liquefiebat totus osculis et caritatis amplexibus. Quae intuens beatus Petrus, nimio animi sui solatio afficiebatur.

XCIV. In eodem Forani coenobio caelesti et ipsa visione donatus fuit. Recolens Iesu Christi passionem, scire cupiit doloris mensuram,

quam tulerant tum Deipara, tum s. Ioannes evangelista penes crucem, tum in ea recolenda seraphicus Pater. Cum haec totus in lacrymis effusus animo versaretur, adstiterunt sibi beata Virgo, s. Ioannes et seraphicus pater, miris gloriae indumentis amicti. At beatus Franciscus indutus videbatur pulcriori quam s. Ioannes veste. De qua re demiratus beatus docetur ab eodem s. Ioanne, b. Franciscum post Deiparam et ipsum de passione Christi prae omnibus doluisse, indutumque vestimento praeclariore, quia pro eius amore viliorem tunicam induerat. Idem autem evangelista, decoram vestem habens in manibus, dixit beato: accipe hoc vestimentum tibi missum a dilecto tuo Domino Iesu Christo. Stupore nimio corruens clamare coepit: frater Conrade, frater Conrade, festina, mihi succurre, veni et mirabilia Domini vide. Et haec dicens, evanuit visio. Cuncta inde eidem Conrado aperuit, et ambo Deo gratias egerunt.

XCV. Tot tantisque virtutibus meritisque cumulatus Siroli coenobium repetiit, ubi sicut aliis temporibus, crebro ad populum conciones habebat in vetori ecclesia, quae nunc patet in novae aedis ingressu. Cetera acta viri Dei, qui tanta pollet antiquitate, ignoramus. Novimus tamen, eum iustorum mortem obtinuisse die XIX. Februarii anno MCCCIV. multisque miraculis tum in vita tum post mortem inclaruisse. Defuncti corpus, super altare ss. Crucifixi compositum, beati titulo decoratum fuit hac epigrapho: HIC IACET BEATUS PETRUS DE MONTICULO. Antiquo tempore in eodem altari obviabat picta tabula cum beati imagine, quae nunc prostat ad laevam portae maioris ecclesiae. Altera etiam inspicitur cum picta tabula in oratorio s. Mariae Gratiarum conventus Forani, in qua beati Conradus et Petrus caput irradiatum habentes exhibentur. Treiae postremo in aula aedis senatus suspensa ostenditur vetus beati imago radiis itidem redimita.

XCVI. Variis interim in ecclesiis b. Petri corporis reliquiae publico christifidelium cultui exponuntur. Auximi penes ecclesiam oratorii s. Philippi Neri veneratur os brachii eiusdem Beati. Treiae pariter in cathedrali ecclesia ac postremo in sacello familiae de comitibus Grimaldi sacrae beati reliquiae coluntur. Iis igitur aliisque publici cultus significationibus erga beatum ab immemorabili tempore praestitis, consulto a sacra rituum congregatione perpensis, eadem congregatio die XXI. Augusti anno MDCCXCIII. decretum tulit pro celebratione missae ac officii in beati honorem, quod ratum habuit die XI. Septembris eiusdem anni Pius papa VI. Eadem sacra congregatio, annuente eodem pontifice, die XXII. Ianuarii anno MDCCXCV. proprias secundi nocturni lectiones et orationem probavit. Plura de eo scripsit et typis commisit Angelus Grimaldi, patritius Treiensis.

XCVII. Aliqua iubet et indulget summus pontifex. Iubet ut regulares Mexici degentes, antequam parochialia munia exerceant, ab archiepiscopo illius urbis adprobentur: *Sacri apostolatus,* die VII. Octo-

bris; similia eisdem iubet pro audiendis saecularium confessionibus: *Universalis ecclesiae*, die X. Octobris; firmat concordiam inter fratres Indos et Hispanos provinciae s. Evangelii: *Ex incumbentis*, die XVIII. Iulii; committit episcopo Adurensi, ut causam cognoscat abbatissae monasterii Montech, Montisalbani dioecesis: *Expositum*, die XXIV. Octobris; irritam habet reformationem inductam in conventu s. Francisci Ragusiae minorum de observantia: *Romanus pontifex*, die XXI. Iulii; concedit annuam pensionem Marco Antonio Capello veneto, fratri conventuali eximiae doctrinae viro: *Religionis zelo*, VII. idus Septembris; committit Erasmo, archiepiscopo Alexandriensi, nuntio apostolico apud archiducem Austriae, ut reservet pensionem biscentum florenorum ex ecclesia parochiali b. Mariae, oppidi Burgensis, pro consulendis necessitatibus fratrum conventualium coenobii b. Mariae de Succursu Graecii, Salisburgen. dioecesis, nuper instructi: *Nomine*, die XX. Octobris; committit vicario generali conventualium facultatem absolvendi eos, qui non servatis constitutionibus Clementis VIII. circa locum deputatum ad novitiorum instructionem, professionem emiserunt in conventibus non adsignatis: *Exponi nobis*, die XXXI. Iulii; committit Hieronymo a Castro Ferreti, iam vicario generali capucinorum, visitationem eremi camaldulensium in Hetruria: *Inter multiplices*, die XVII. Novembris; eligit Alexandrum Peretti protectorem capucinorum: *Cum per obitum*, die IV. Septembris; vetat extractionem ss. reliquiarum ab ecclesia conventus s. Francisci Hispalen.: *Conservationi*, die XXX. Septembris.

XCVIII. Summus pontifex omnibus fidelibus antiphonam et orationem conceptionis b. Mariae virginis approbatam recitantibus centum dies ex debitis poenitentiis in perpetuum relaxat, uti ex sequentibus patet.

Paulus PP. V.

Regest. ultramont. tomi-hae. Vol. II. fol. 181.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem et caelestibus ecclesiae thesauris pia caritate intenti omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui antiphonam et orationem conceptionis b. Mariae virginis approbatam devote recitaverint, qua die id egerint, centum dies de iniunctis eis, sive alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma ecclesiae consueta relaxamus, praesentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, ut, si alias christifidelibus praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, praesentes nullae sint.

Datis Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die X. Iulii 1615. pontificatus nostri anno undecimo.

S. Cobellutius.

XCIX. Indulget idem summus pontifex, ut Margarita de Calzada, professa in monasterio Corporis Christi Salamanticae, frui possit fructibus annuis quadringentorum ducatorum, una simul cum duabus amitis in eodem monasterio infirmis: *Cum sicut,* die XX. Martii; ut moniales monasterii de Amarant, Bracharen. dioecesis, praeter numerum adsignatum, sex alias moniales recipiant in eadem monasterio: *Exponi nobis,* die XXIV. Martii; ut fratres minores de observantia conventus s. Francisci oppidi Diani, Albinganen. dioecesis, in restauratione ecclesiae et conventus impendant trecenta ducata eisdem legata a quodam Iacobo Gueraldo, incola loci, imposita lege, ut pro una vice tantum ter mille missas celebrent, loco duarum quas celebrabant qualibet hebdomada iuxta mentem testatoris: *Exponi nobis,* die XXIII. Maii; ut Franciscus Duran, minorita de observantia, suo lubitu possit tradere cuicumque conventui libros sua industria comparatos: *Cum sicut,* die XIII. Iulii; ut absque interventu discretorum possit Antonius de Treio, vicarius generalis ordinis, eligere ministrum provinciae Brixiae ad cavendas capituli expensas: *Cum sicut,* die XI. Septembris; ut ad aliud triennium Iacobus de Bossu recollectus munus confessarii gerere possit in monasterio s. Clarae Hanneten.: *Alias,* die I. Octobris; eximit moniales s. Clarae Aquensis a iurisditione ministri provinciae Aquitaniae, easque subiicit ministro provinciae Aquitaniae Antiquioris: *Ex debito,* die VII. Octobris.

C. Plura idem pontifex altaria privilegiata concedit; nos tamen ea praeterimus, cum non in perpetuum, sed ad tempus determinatum concessa fuerint. Unum vel alterum perpetuum notamus. Transfert ad altare maius ecclesiae conventualium Terrae Plebis, dioecesis Putavinae, antea concessum a Gregorio XIII. altari sub invocatione s. Francisci: *Alias,* die XXX. Octobris; transfert altare privilegiatum ad altare maius sub invocatione b. Mariae in ecclesia conventualium Terrae Pontremoli, dioecesis Lunensis, ubi illata fuit prodigialis imago eiusdem Deiparae: *Alias,* die XX. Novembris.

CI. Erigit confraternitatem conceptionis et rosarii in ecclesia cathedrali de Merida in provincia Iucatanica: *Cum sicut,* die XXIII. Februarii; confraternitatem conceptionis in parochiali ecclesia de Talento, Trigonen. dioecesis: *Cum sicut,* die XXX. Maii; confraternitatem conceptionis in oppido Tessani, Cosentinae dioecesis: *Cum sicut,* die XI. Martii.

CII. Cetera summi pontificis diplomata exscribimus e bullarii indiculo Petri de Alva. Pro monialibus civitatis Carthaginen. in Indiis: *Decet romanum,* V. calendas Iulii, indulgentia pro capellania s. Francisci de Talogo Mediolanen.: *De salute,* calendis Martii; pro conventu s. Bernardini civitatis Urbinaten.: *Ad sacram,* XVII. calendas Iulii; pro collegio Brabantiae, provinciae Germaniae Inferioris: *Ex iniuncto,* III. nonas Octobris; pro conventu fratrum Brixien.: *Ex iniuncto,* XI. calendas Maii; electio abbatissae clarissarum Claramonten.: *Inter sollicitudines,* nonis Decembris; pro monasterio monialium Pisau-

ren.: *Ex iniuncto,* V. idus Februarii; capellania conceptionis in oppido de Rivadeo Mindonien.: *Dignum,* VII. calendas Octobris; pro monasterio clarissarum Neapolitan.: *Ex iniuncto,* XVIII. calendas Februarii; indulgentia conceptionis in ecclesia s. Mariae Terrae Campibassi: *De salute,* nonis Septembris; confraternitas in ecclesia conventualium Pergamen.: *De salute,* nonis Iulii; indulgentia conceptionis in ecclesia oppidi de Nigella Novinionen.: *De salute,* nonis Maii; confraternitas conceptionis in ecclesia loci de Casar Toletan.: *Illius vices,* nonis Iulii; confraternitas conceptionis in Hospitali s. Catharinae de Fogniano Faventin.: *De salute,* XV. calendas Ianuarii; capellania fr. Bartholomaei Gonzalez: *Dignum,* VI. calendas Octobris; capellanus conceptionis de Cortesel fit capucinus: *Laudabilia,* idibus Novembris; indulgentia conceptionis in Hospitali Caritatis Granaten.: *De salute,* idibus Ianuarii; pro monasterio clarissarum Tudertin.: *Ex iniuncto,* X. calendas Martii; indulgentia conceptionis in ecclesia s. Martini loci de Viminichi Florentin.: *De salute,* idibus Septembris; indulgentia conceptionis in ecclesia s. Angeli de Terracaelis: *Considerantes,* nonis Septembris.

Chronol. Ordinis tom. III. part. 2. p. 139.

CIII. Sacrae congregationis episcoporum et regularium mandato decernitur, fratres et sorores tertii ordinis de poenitentia collegialiter viventes et castam virginalem vel vidualem vitam voventes, sepeliri debere, etiam invito parocho, in fratrum ecclesiis: Cum inter fratres reformatos ordinis minorum observantiae s. Francisci necnon pro tempore existentium archipresbyterum seu parochum loci Fiani, Nepesinae dioecesis, in sepeliendis eiusdem ordinis tertiariis diversae ut plurimum orirentur controversiae, supplicatum fuit nomine patris custodis eorundem fratrum provinciae romanae ab hac sacra congregatione cardinalium, negotiis regularium praepositorum, infrascriptam resolvi petitionem: an tertiariorum sui ordinis cadavera in ecclesiis pariter suae religionis sint sepeliendi? Illustrissimi eiusdem s. c. patres, illustrissimo de Araeaeli referente, partibusque auditis, responderunt in hunc qui sequitur modum: tertiarii huiusmodi, si qualitatibus in bulla fel. rec. Leonis papae X. praescriptis sint praediti, videlicet si viri collegialiter aut claustraliter vivant, mulieres vero virginalem aut caelibem aut castam vidualem sub expresso voto et tertiariorum habitu vitam ducant, posse et debere, etiam invito ac minime requisito parocho, in supradictis fratrum ecclesiis sepeliri; secus vero, si supradictis qualitatibus careant.

Romae XI. Decembris MDCXV.

Antonius M. card. Gallus.

Loco † sigilli.

V. Theatinus secretarius.

CIV. Summus pontifex vivae vocis oraculo approbat officium sacrorum *stigmatum sancti patris nostri Francisci.*

Decretum pro officio sacrorum stigmatum.

Officium hoc impressionis sacrorum stigmatum in corpore s. Francisci ad instantiam reverend. patris fratris Antonii a' Treio, vicarii generalis totius ordinis s. Francisci de observantia, et de mandato sanctissimi domini nostri Pauli V. in sacra rituum congregatione propositum, et de eiusdem sacrae congregationis ordine recognitum et subscriptum ab illustrissimo et reverendissimo domino cardinale Bellarmino. Regest. ultramont. familiae. Vol. II. fol. 194.

Eadem sacra congregatio approbavit, et, si eidem sanctissimo domino nostro placuerit, censuit, posse concedi, ut omnes viri ecclesiastici, tam regulares quam saeculares, et etiam moniales in universo orbe, qui et quae officium recitare voluerint, illud libere et licite recitare possint et valeant die 17. Septembris, quo dicti b. Francisci stigmatum festum celebratur. Et sanctissimus dominus noster Paulus Papa V. vivae vocis oraculo nobis facto, sententiam congregationis laudavit et approbavit ac concessit, ut in praedicto festo stigmatum s. Francisci officium, ut supra, ab omnibus christifidelibus, illud recitare volentibus, in universo orbe recitari possit et valeat. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentes manu nostra subscripsimus, et soliti nostri sigilli impressione muniri fecimus.

Die 26 Augusti 1615.

A. Mar. episc. Portuen. card. Gallus.

Loco † sigilli.

I. P. Mucantius secretarius congreg.

CV. Eadem sacra congregatio alterum tulit decretum circa regularium confessiones: Cum sacrae congregationi cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum innotuerit, confessarios regularium graviter conqueri, quod ab archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis ab audiendis confessionibus quavis de causa indeterminatim suspendantur, et propterea saepe contingere, ut ab eisdem archiepiscopis, episcopis et locorum ordinariis omnibus simul unius conventus confessariis confessiones audiendi facultas adimatur; illustrissimi eiusdem sacrae congregationis patres, rati vix fieri posse, ut haec sine scandalo magnaque animarum pernicie contingant, re mature perpensa, ad omnem scandali materiam submovendam, et quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt et decernunt, archiepiscopis, episcopis aliisque locorum ordinariis, ad

quos confessarios approbandi ius spectat, confessarios regulares alias ab ipsis libere approbatos ab audiendis confessionibus suspendere posthac minime licere, nisi ex nova causa eaque ad confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis ordinariis positum. Statuunt insuper, eosdem archiepiscopos, episcopos locorumque ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessariis, eadem s. c. inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum, ut iidem illustrissimi patres opportunum et necessarium duxerunt, ita inevitabiliter iubent observari.

Romae die XX. Novembris MDCXV.

A. M. episc. Host. card. Gallus.

Loco ✝ sigilli.

V. Theatin. secretarius.

ARGUMENTUM

Voxuani regis Iaponum oratores ab Urbe discedunt. Matritum acciti spe frustrantur se conferendi in Iaponiam. Thomae Novariensis minoritae de observantia labores pro unione Chaldaeorum cum ecclesia catholica. Eorum synodo in urbe Amed coactae interest. Synodi acta una cum epistola sua mittit ad summum pontificem. Martyres, confessores ac virgines occumbunt. Viri docti item decedunt et inclarent. Episcoporum numerus et summi pontificis indulta recensentur.

I. Adhuc in Urbe versabatur Ludovicus Sotelus et Philippus Franciscus Faxecura, Voxuani regis Iaponiorum oratores, saepe recreati tum summi pontificis praesentia, tum purpuratorum patrum ac optimatum frequentia. Hoc tempore studio eiusdem Ludovici confraternitatem sacrorum stigmatum s. Francisci, in coenobio Osacae erectam, voluit aggregatam archiconfraternitati eorundem ss. stigmatum de Urbe die XVI. Ianuarii. Confratrum nomina sic expressa eidem archiconfraternitati exhibuit, nimirum Y don Philipe (idest dd. Philippus) Faxecura Rocuyemon. Y don Petro (dd. Petrus) Itami Zomi, Y don Thomas (dd. Thomas) Taguino Cafioie, Y don Francisco (dd. Franciscus) Nomano Fambe, Y don Pablo (dd. Paulus) Camillo Buzguesio (viri inter Iapones generis nobilitate illustres); Y Simon (d. Simeon), Y Thome (d. Thomas), Y Thomas (d. Thomas) de Nicolas, Y Juan (d. Ioannes) de Andus, Y Lucas Antonio (d. Lucas Antonius), Y Juan Baptista (d. Ioannes Baptista), Y Gabuis de Miguel (d. Gabriel de Michaele), Y Gregorio (d. Gregorius) Nicolas, Y Thomas (d. Thomas), Y Iacobo (d. Iacobus) della Cruz, Y Juan (d. Ioannes) de Nicolas. Aliquot ex ipsis hoc tempore in urbe Osacae martyrii coronam obtinuisse novimus ex p. Vigilio Ceppario, societatis Iesu presbytero, qui eorundem martyrum causam promovit supplicibus litteris datis sub die VI. Septembris anno MDCXXVII. apud sacrorum rituum congregationem. Horum confratrum nomina ignoramus.

Ex archivo eiusdem archiconfraternitatis.

II. Ut autem summus pontifex benevolum se redderet Ioanni franciscano, laudati Ludovici germano, qui una cum eisdem oratoribus Voxuani regis ab Hispania in Urbem advenerat, vulgato diplomate illum adnumerare voluit inter patres perpetuos provinciae Baeticae, minorum de observantia.

Paulus PP. V.

Dilecto filio Antonio de Treio, vicario generali ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia.

Ex regest. secr. brev. in mense Ianuar. p. 178.

Religionis zelus, vita ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Ioannes Sotelus, istius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professor, fide digno apud nos testimonio commendatur, necnon merita dilecti filii Ludovici Soteli, dicti ordinis similiter professoris, Idatis Masamunis, regis Voxii illustris, ad nos et apostolicam sedem oratoris, eiusdem Ioannis fratris germani, nos inducunt, ut aliqua nostrae in eundem Ludovicum voluntatis signa extare cupientes, ea dicto Ioanni libenter concedamus, quae suis honori et commoditatibus fore conspicimus opportuna. Hinc est, quod nos dictum Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eiusdem Ludovici nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi eundem Ioannem, licet qualitatibus, ad infrascripta per constitutiones eiusdem ordinis apostolica auctoritate confirmatas requisitis, praeditus non sit, nihilominus patrem perpetuum provinciae Baeticae dicti ordinis auctoritate nostra faciendi, constituendi et deputandi, illumque aliorum patrum perpetuorum dicti ordinis numero et consortio favorabiliter aggregandi, ac eidem, ut omnibus et singulis honoribus praeeminentiis, praerogativis ac privilegiis, quibus alii ordinis huiusmodi patres perpetui de iure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo uti, potiri et gaudere possit et valeat eadem auctoritate, concedendi et indulgendi plenam, liberam etamplam facultatem auctoritate praedicta tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus praemissis etc.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Ianuarii pontificatus nostri anno XI.

Ex eodem regesto in mense Decembri.

III. Multa item pontifex exorientis ecclesiae Iaponensis contulit beneficia. Praeter sanctorum martyrum pignora sub uno die X. Decembris anni mox elapsi suis litteris: *Omnium saluti* eidem Ludovico concessit altare maius privilegiatum ecclesiae coenobii Nangasachi, altare maius ecclesiae coenobii Meaci, altare maius ecclesiae coenobii Fuximi, altare maius ecclesiae coenobii Conceptionis Osacae, altare maius ecclesiae coenobii s. Antonii Sacay, altare maius ecclesiae coenobii s. Iosephi Bocayanae, et altare maius ecclesiae coenobii s. Iacobi de Fucaii.

Martinez lib. III. p. 175.

Ceterum alias etiam litteras Ludovico concredidit pontifex ad Voxnanum regem perferendas, quibus ipsi de christianae fidei suscipiendae desiderio, quo aestuabat, gratulatur eidemque spondet se

cuncta facturum, ut in suis regionibus eadem fides radices ageret. Immo ad omnes quoque fideles Iaponenses direxit epistolas, in quibus maxime ad ea, quae Iaponii intuitu formandae in ipsorum regno hierarchiae petierant, respondet. Quas ex tabulario vaticano descriptas hicce vulgamus.

Dilectis filiis christifidelibus insularum Iaponiae.

Paulus PP. V.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Litterae nomine christifidelium Iaponis nobis a dilectis filiis, Petro Itami Zomi, Thoma Taquino, et Francisco Fampe redditae multa de fidei catholicae progressu in istis partibus enarrarunt, quae nobis magno spirituali gaudio merito fuerunt, ac laudare non cessamus Dominum secundum multitudinem magnitudinis eius, qui, ut ex iis litteris accepimus, tantopere amplificavit numerum eorum, qui in istis partibus invocant nomen eius. Quod vero ab apostolatu nostro petitis, ut operarii ad vos mittantur, iussimus, quae opus Dei postulabat. De archiepiscopo isthic creando nondum possumus vestris votis satisfacere. Sacri enim canones multos episcopos requirunt ad provinciam constituendam, cui archiepiscopus praeficiatur; cum ita liberum, divina adspirante gratia, [erit] religionis christianae exercitium, ut multae episcopales sedes erigi possint, tunc libenter de hac re tractabimus. Seminarium vero, cum in regno Voxii episcopus constituetur, quod ut, quamprimum in Domino poterit, agatur, sedulo curavimus, erigetur, aliaque ordinabuntur, quibus istarum partium animarum saluti et divini cultus incremento consulatur. De religiosis ordinis sancti Francisci, qui ut scribitis, pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt, martyribus declarandis, committemus negotium examinandum iuxta sacrorum canonum praescriptum et sanctae romanae ecclesiae, ac quod cum Domino fieri poterit, ad Dei gloriam decernetur. Confraternitatibus sacrorum stigmatum sancti Francisci istarum partium easdem indulgentias concessimus, quibus Urbis confraternitas decorata est. De nostra vero in vos paterna caritate et studio salutis animarum vestrarum non possumus litteris, quod res est, exprimere; memoriam vestri assidue facimus in orationibus nostris vobisque virtutem Spiritus sancti precamur ad resistendum tentationibus, ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi, et accipere mereamini coronam vitae, quam Dominus solis legitime certantibus per apostolum suum repromisit. Iuvate nos [vestris] orationibus, et apostolicam benedictionem vobis iterum impartimur.

Archiv. vat. secret. Pauli V. brev. tom. XVI. fol. 172.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima Decembris, millesimo sexcentesimo decimo sexto. Pontificatus nostri anno duodecimo.

S. card. s.tae Susannae.

Monuit etiam pontifex Antonium Caietanum, archiepiscopum Capuanum, in Hispaniarum regnis legatum, ipsumque catholicum regem, ut habito inter se consilio, manus ad tantum opus impigre admoverent, eisdemque oratoribus auxilium omnemque favorem praeberent. Ne vero Voxuana ecclesia longe lateque patens sua destituta foret pastore, eundem Ludovicum ad eam regendam uti episcopum designavit, catholici tamen regis Philippi placito explorato. Id novimus ex relatione ad Urbanum VIII.

IV. Hisce litterarum fasciculis instructus ab Urbe discedens, Matritum ad aulam regis advenit hoc anno. Cuncta principi ac apostolico nuntio, qui humanitate summa ingentique gaudio oratores exceperunt, aperuit spe confisus, demandatum sibi negotium quantocius feliciterque absoluturum. Verum cum hoc tempore nuntium Matritum advenisset, post oratorum e Iaponia discessum imperatoris mandato innumeros christifideles crudeli letho affectos, ecclesias solo aequatas et evangelicos cultores exilio mulctatos, visum est regi ac nuntio, summi pontificis ac Voxuani principis postulata alio tempore complenda. Moerenti animo haec tulit Ludovicus, qui ut eos a tali consilio revocaret, multa de necessitate operarios mittendi in illam electam vineam, irrito tamen conatu, afferebat. Hinc illarum gentium salute sollicitus, anno MDCXVII. una cum sociis Iaponensibus iter in Iaponiam instituit.

V. In nova Segobia classem, omnibus necessariis instuctam, a Voxuano rege antea missam, Ludovicus invenit; non tamen in Iaponiam, sed Maniliam commigravit pervenitque anno MDCXVIII. Quibusdam quam praeterimus subortis invidorum opera difficultatibus, eidem Ludovico iterum interdictum fuit se conferendi in Iaponiam. Potuit tamen ope Francisci Galvez discalceati, Iaponum apostoli, summi pontificis litteras ad Voxuanum regem mittere, qui alteram classem Maniliam amandaverat pro eis ad suam regionem ducendis. At recruduerunt oppositiones, nec eis abire permissum fuit. Quare Ludovicus iactans super Dominum curam suam, anno MDCXXI. assumpto sibi socio Iaponensi, sacerdote franciscano, navigio mercatorum Sinensium se committens, Nangasachum anno insequenti pervenit. Mox ab ipsis mercatoribus illius urbis praesidi proditus vinculisque constrictus Omuram adducitur, ubi in teterrimum carcerem inclusus socios ibidem in agone invenit Petrum a s. Catharina ordinis praedicatorum, et Michaelem Carvaglio Iesuitam. Cuncta haec novimus ex epistola eiusdem Ludovici missa ad Urbanum VIII., hoc titulo vulgata a Dominico Collado dominicano: *fr. Ludovici Soteli minoritae, regii ad apostolicam sedem legati et regni Oxensis apostoli ac designati martyris, ad Urbanum VIII. pontificem maximum de ecclesiae Iaponicae statu relatio,* imperatoris Augusti principum electorum omniumque statuum imperii cuiuscunque ordinis lectione digna. Incipit: praemissam ss. pedum etc. et desinit: de hoc carcere Iaponio Omurensi XX. Ianuarii anno MDCXXIV. Eam penes me habeo

Venetiis italice impressam anno MDCCLX. typis Iosephi Bettinelli. Primo tamen anno MDCXXXIV. ea Matriti vulgata fuit et hoc eodem anno Parisiis et Francofurti, quam Léon Pagés in suo opere *Histoire de la Religion Chrétienne* au Japon an. 1870. Tom. II. p. 137-161 reproducit. Cetera de tanto viro expendenda erunt anno MDCXXIV., quo martyrium subiit.

VI. Haec cum pro catholica fide apud Iapones disseminanda agerent franciscani, Thomas Obicinus Novariensis, eiusdem instituti, sedulam operam impendebat, ut devios a fide catholica a saeculo V. Chaldaeos ad ecclesiae gremium adduceret. Is ortum habuit ex Riparia s. Iulii Novariensi in agro posita, et iuvenili aetate minoritis de observantia in provincia romana adscriptus, mira de sui ingenii docilitate et virtutum candore mox edidit specimina. Romae commorans totus se impendit in consequendo orientalium gentium idiomate, in quo ita profecit, ut brevi post tempore arabicae, syriacae et chaldaicae linguae haud vulgariter peritus evaserit. Emenso interim studiorum curriculo, maiorum imperio ad Palestinae loca pretioso Iesu Christi sanguine irrigata, lubenti animo advenit. Frequenter inter orientales gentes, catholicorum ac acatholicorum plausu, ob sui idiomatis peritiam, concionatoris munus obivit.

De Gubernatis tom. II. p. 117. Wadd. de Script. lit. I.

VII. A sanctae Terrae praeside guardianus coenobii Aleppi renuntiatus, familiam sibi commissam exemplo vitae ad terendam perfectionis viam excitabat, christifideles in sui ditione degentes in fidei puritate continebat, ceterosque haeretica labe pollutos qua colloquiis qua concionibus ad catholicae ecclesiae sinum pertrahere conabatur. Quare factum est, ut eius fama vulgata, Thomae Novariensis nomen ubique personaret.

VIII. Ante id tempus apud Eliam, Babylonensis ecclesiae patriarcham, aliosque archiepiscopos et episcopos sibi subiectos ardens desiderium exereverat se conformandi ad catholicam fidem, quam romana ecclesia profitetur. Huius reconciliationis causa relatum a Petro Stroza coaevo et Pauli V. summi pontificis a secretis. Contigit, inquit, ita disponente divina providentia, ut inter eos pauperes, quibus anno primo MDCV. sui pontificatus sanctissimus dominus noster Paulus V. solemni ritu pedes lavit quinta feria maioris hebdomadae, duo reperirentur Chaldaei, unus monachus, alter laicus, qui ss. apostolorum limina visitaturi paulo ante Romam venerant. Hi postea domum reversi, cum renuntiassent Eliae, Babylonis patriarchae, cuius obedientiae subiiciebantur, quanta paterni amoris significatione eos summus pontifex excepisset, eiusque nomine nonnulla munera illi attulissent, et libellum reddidissent professionis fidei, quae orientalibus ad Urbem venientibus credenda confitendaque proponitur, ipse tanta in se suosque commotus caritate, quamprimum legatos ad summum pontificem decrevit, qui ei gratias agerent, atque communem patrem ac dominum agnoscerent, et illius obedientiae subiectum se esse significarent.

Petrus Stroza proleg. disput. de dogmatibus Chaldaeorum. p. 7.

IX. Hinc ad summum pontificem brevi tempore instructa fuit a patriarcha Babylonis legatio. At cum legati vix iter ingressi in latrones incidissent, alios decernere oportuit. Hi tamen, licet multis calamitatibus afflicti, in Urbem pervenere; at frustra; perterriti enim ex auditis, quam exectabile et odiosum esset apud catholicos Nestorii nomen, ad nestorianae haeresis invidiam declinandam, ex libris abstulerunt paginas, quos ad recognoscendam fidei doctrinam, quam profitentur, et ecclesiasticos eorum ritus obtulerant, a subdolo quodam interprete neophyto, antea hebraeo, decepti; quare dimissi ab Urbe, re infecta, abierunt. Cum ita haec ex eorum reditu cognovit patriarcha... quare inito cum episcopis consilio, alium legatum mittere statuit, non tantum ut observantiae officium summo pontifici debitum praestaret, sed immo fidei rationem, quam Chaldaei profitentur, redderet, ac, si error in eorum professione reperiretur, correctionem humiliter ab eo postularet. Id munus commissum fuit Adae archimandritae, viro doctrina ac prudentia eximio, qui Romam anno tertio a discessu priorum legatorum veniens, litteras sui patriarchae, fidei professionem et commentarium, a se elucubratum, de conciliatione dogmatum Chaldaeorum cum fide catholica summo pontifici reddidit, eumque suppliciter exoravit, ut singula expenderet et eorum saluti consuleret.

X. Babylonis patriarchae litteras ad summum pontificem scri- Idem p. 4. ptas delatasque ab Adam archimandrita consulto praeterimus, de quibus Stroza, cum ex sequenti epistola pateant Chaldaeorum errores. Adiicimus quid eidem patriarchae correctionem suae fidei postulanti responderit summus pontifex.

Paulus Papa V.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Duplici affectu, laetitia atque commiseratione, nec sane levi, Idem p. 193. commoverunt caritatis nostrae viscera litterae, quas a fraternitate tua nobis reddidit dilectus filius Adam archidiaconus, ut scribis, camerae tuae patriarchalis et monachorum archimandrita, quem ad nos misisti. Laetabamur quidem summopere ex reverentia et devotione, quam profiteris summam erga sanctam beatissimi Petri principis apostolorum sedem, eoque magis, quia hoc vere christianae pietatis studium perpetuo viguisse in ecclesia tua scribis. Miserabamur autem vel potius augebamur, quod cum hac veneratione apostolicae sedis non eandem doctrinam catholicae fidei, quam ipsa profitetur, reperiebamus. Sed misericordiarum Patri Deo gratias agimus, quia te quoque vehementer commotum fuisse ob hanc diversitatem vidimus, in quo divitias ineffabilis eius clementiae agnoscimus, et peculiarem quandam erga te immensae misericordiae suae gratiam. Nam tametsi ex diligentia atque sollicitudine, qua rationem tantae discre-

pantiae exquisivisti, te valde prudentem et accuratum in pastorali tuo munere deprehenderimus, nihilominus cum nimis compertum sit, quantum referat non modo in his, quae ad fidem pertinent, sed in qualibet doctrina, quomodo quis educatus fuerit, fatendum plane videtur, totum hoc miserentis Dei opus fuisse, ut, dum omnes antecessores tui ac nationis vestrae doctores semper existimaverunt, ut dicis, se recte de fide sentire, nec ab ecclesia sancta catholica et apostolica romana in alio quam in modo loquendi differre, primus dubitare coeperis, sedulo veritatem quaesieris, nec temere tuorum responsioni, quamvis desiderio tuo congruerit, acquieveris, sed pie et sapienter nos ac sanctam hanc sedem consulere volueris. Peramanter igitur archidiaconum tuum excepimus, professionem fidei vestrae, et quo pacto tum diversa dogmata componi et ad unum sensum redigi posse existimaret, audivimus. Sed mutavit ille suam sententiam: etenim, cum nullam prorsus haberet notitiam sacrorum conciliorum, ut manifeste apparebat ex commentario, quem de hac compositione et consensu scriptum a se mandato tuo ad nos attulerat, et ex disputationibus, quas habuit satis diuturnas ac frequentes cum viris pietate ac doctrina praestantibus, quibus ut illum docerent catholicam veritatem, mandavimus, et ipse quoque ingenue fatebatur, postquam ostensum illi fuit, damnatum fuisse Nestorium a ss. patribus in concilio Ephesino ob has nefarias blasphemias, nempe, quia impie asserebat, Christum dominum nostrum fuisse purum hominem, et Verbum Dei inhabitasse in eo tanquam in templo, ita ut divinitatem et humanitatem diceret in ipso accidentaliter coniunctas et non substantialiter et hypostatice unitas, et beatissimam immaculatamque virginem Mariam hac de causa non matrem Dei, sed tantum matrem Christi appellandam; similiter duas in uno Filio fuisse personas, puri scilicet hominis ac Verbi Dei; hominem a Deo assumptum ob assumentis coniunctionem, non autem proprie, dicendum esse Deum; eguisse propitiatione, sicuti ceteri homines egent; paulatim ad pontificiam dignitatem evectum esse, et non minus pro se quam pro nobis sacrificium Deo obtulisse; a Spiritu sancto tanquam ab aliena virtute glorificatum, ac demum non aliter, quam Moyses dictus fuit Deus Pharaonis, dominum nostrum Iesum Christum existimandum esse Deum. Quibus omnibus diligenter ac sedulo recognitis, post annum elapsum et amplius, Nestorium tandem et omnes, qui cum eo haec et similia sentiunt, alacri animo damnavit et anathematizavit. Pari quoque pacto fuit illi demonstratum ex determinatione sextae synodi universalis, quae tertia est Constantinopolitana, duas esse in Christo domino voluntates ac duas operationes, sicut duae sunt in eo naturae, contrarium autem tanquam blasphemum ac haereticum a ss. patribus fuisse reprobatum, qui synodali decreto Macarium, patriarcham Antiochenum, episcopali dignitate propterea privaverunt, et a communione ecclesiae sanctae catholicae separaverunt, quia ausus fuerat impie asserere cum Theodoro, episcopo Pha-

ranitano, Sergio et Petro, episcopis Constantinopolitanis, Cyro, episcopo Alexandrino, damnatis haereticis, unam tantum esse in Christo voluntatem atque unicam operationem. Vidit similiter decretum in concilio Florentino universali a fel. record. Eugenio IV., praedecessore nostro, factum de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, cui patres omnes ecclesiae latinae et graecae pariter subscripserunt, ipso Graecorum imperatore praesente, qui ad removendum Graecorum schisma synodi universalis congregationem curaverat, et ex regia urbe Constantinopolitana in Italiam venerat. Ex quibus omnibus archidiaconus tuus, orthodoxa veritate percepta, quam ecclesia sancta, catholica, apostolica, romana docet, de altissimis mysteriis incarnationis Verbi Dei et processionis Spiritus sancti errores suos proprios atque nationis vestrae communes cognovit, quos sponte et ingenue coram dilecto filio magistro commissario officii s. inquisitionis confessus ac detestatus est, illosque auctoresque illorum Nestorium, Theodorum Mopsuestenum, Diodorum Tarsensem, Macarium Antiochenum ceterosque omnes haereticos atque haeresiarchas ab ecclesia sancta romana damnatos, cum eorum haeresibus et impietatibus abiuravit, damnavit atque anathematizavit. Et quia, venerabilis frater, a nobis efficaciter postulasti, ut tibi errores significaremus, quos in fide vestra reperiissemus illosque corrigeremus, paratum quippe te exhibebas cum archiepiscopis et episcopis, obedientiae tuae subiectis, ad correptionem suscipiendam; iusto pioque tuo desiderio satisfacere cupientes, ac simul ut adimpleremus praeceptum, quod a Domino in b. Petri persona accepimus, ut videlicet confirmaremus fratres nostros in fide, mandavimus, ut cuncta, quae dilecto filio Adae, archidiacono tuo, ostensa fuerunt, de sanctorum conciliorum decretis diligenter describerentur et in Chaldaeum idioma fideliter verterentur et ad fraternitatem tuam mitterentur. Igitur accipies cum his nostris litteris descriptionem errorum, immo blasphemiarum impii Nestorii, ut in concilio coram patribus recitatae fuerunt, cuius initium tale est: *Petrus presbyter Alexandriae notariorum primicerius dixit: habemus prae manibus reverendissimi Nestorii blasphemiarum commentarios* etc. (Haec habentur apud eundem Stroza pag. 65).

Accipies pariter epistolam a beato Cyrillo, episcopo Alexandrino, atque synodo Alexandriae convocata ad Nestorium scriptam, qua fraterne illum erroris sui admonent, atque duodecim capitibus, quid de ineffabili mysterio incarnationis tenendum catholice sit, declarant. Incipit autem sic: *cum Salvator noster aperte pronuntiet* etc. (Stroza pag. 69). Monuerat beatus Caelestinus primus, praedecessor noster, Nestorium, et de illius salute sollicitus correctionem eius curandam beato Cyrillo mandaverat ea ratione, ut nisi ad praefinitum tempus resipuisset, illum auctoritate apostolica ab ecclesiae communione separaret. Itaque Cyrillus, coacta Alexandriae synodo, epistolam, cuius exemplar tibi mittimus, scripsit. Sed Nestorius ex admonitione deterior ac magis contumax detestabiliores semper evomens

blasphemias, graviter turbas in ecclesia excitabat. Quare synodus uuiversalis Ephesi convocatur, cui Cyrillus vices Caelestini Papae gerens, auctoritate eius apostolica praefuit, in qua, recognitis examinatisque erroribus Nestorii, cum ipse noluisset sistere se concilio, unanimi patrum sententia, synodali decreto, damnatus fuit, cuius damnationis exemplum tibi quoque mittimus, quod ita incipit: *Sancta synodus dixit: cum praeter cetera* etc. (Stroza pag. 79).

Sed damnato depositoque Nestorio atque in exilium ad Lybiae deserta deportato, scriptisque suis ubique locorum concrematis, nihilominus ignis haereseos extinctus omnino non est, sed flamma tantum compressa, quae longe lateque diffusa est. Nam scintillae, unde hoc incendium initium habuerat, latitantes permanserant, scripta nempe Theodori, episcopi Mopsvesteni, qui Nestorii magister extiterat. Neque enim a patribus antea animadversa fuerunt, vel quia non satis vulgata, vel quia Theodorus ob gravissimam pugnam, quam susceperat atque sustinuerat de mysterio incarnationis adversus Apollinaristas, tantam sibi doctrinae ac pietatis famam comparavisset, ut nedum suspectus non esset, minus vero inter orthodoxos gravissimosque ecclesiae patres haberetur. Igitur haeretici, quod Nestorii nomine amplius profiteri poterant, Theodori auctoritate docere ac tueri nitebantur. Hinc temporis progressu adeo magna perturbatio exorta est in ecclesia Dei, ut post Chalcedonensem synodum, quartam videlicet universalem, iterum ss. patres coacti fuerint convenire Constantinopolim ad universale concilium, in quo Mopsuesteni dogmata recitata diligenterque animadversa et examinata, ac demum damnata et anathematizata fuerunt. Huius autem examinis atque damnationis exemplum necnon fidei sceleratum symbolum Theodori Mopsvesteni, ex actis eiusdem quintae synodi universalis descriptum, tibi mittimus, cuius initium est: *Sancta synodus dixit:* ad longum tempus... quae de Theodoro moventur, qui Mopsvestenae sanctae ecclesiae fuit episcopus etc. (Stroza pag. 95). Quibus omnibus [examinatis speramus] fore, ut satis innotescere fraternitati tuae possent errores, qui cum Nestorio atque Theodoro Mopsvesteno vobis communes sunt, et quam execrabile atque catholicae fidei contrarium sit, negare beatissimam semperque virginem Mariam esse vere matrem Dei, et in Christo duas personas ponere. Pari modo tibi mittimus decretum sextae synodi universalis Constantinopoli celebratae, quo ss. patres actione decimaoctava definierunt, eadem ratione confidendum esse, duas in Christo esse voluntates atque operationes, qua credimus, duas eius esse naturas in una eius radicantes subsistentia, uoc ulli licere aliam fidem profiteri aut docere. Incipit autem sic: *praesens sancta ac universalis synodus fideliter suscipiens* etc. (Stroza pag. 159). Ex quo non tantum quid catholice credendum sit, intelliges, verum etiam cognosces, quam graviter peccent, qui importunis interpretationibus contrariam sententiam damnatamque impietatem tueri studeut.

Postremo mittimus tibi decretum a fel. record. Eugenio IV., etiam praedecessore nostro, in synodo universali Florentiae factum, de processione Spiritus sancti, cuius initium est: *Eugenius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Laetentur caeli* etc. (Stroza pag. 188). Aperte in hoc Eugenii decreto videbis, omnes pariter latinae et graecae ecclesiae patres confessos fuisse, Spiritum sanctum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere. Et quamvis Graeci a Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dicant, non ob id tamen qui recte sentiunt, processionem hanc aliter quam ab utroque aequaliter intelligunt. Nullo autem modo dicendum, Spiritum sanctum a Patre solo procedere; hoc enim haereticum atque damnatum est. Ideo sancta romana ecclesia, omnium aliarum mater et magistra, divinitus illustrata ad evitandam nimem suspicionem huius impietatis opportune declaratura eiusmodi processionem, non addens sed exponens, posuit in symbolo illud «Filioque procedit». De incomprehensibilibus igitur mysteriis salutiferae incarnationis Verbi Dei atque aeternae processionis Spiritus sancti sic definitum fuit a ss. patribus, et ita credat oportet, quicumque profitetur catholicam fidem. Declarationes, expositiones, conciliationes omnes, quae vel contrarias sententias defendunt, vel eas ad sensum orthodoxae veritatis redigere conantur, non modo vanae ac superfluae, sed damnatae ac reprobatae. Sunt enim haereticorum commenta, quibus eorum impietatem, quam profiteri amplius manifestam non poterant, fucatam defendere conabantur. Nam sectatores Nestorii nefaria eius dogmata ex commentariis, ut diximus, Theodori Mopsuesteni, a quo virus perditissimae haeresis hauserant, et ex his quae ab eius fautoribus contra beatum Cyrillum sanctamque Ephesinam synodum scripta fuerunt, callide instaurare atque in vulgus serere studuerunt; unde magna orientis pars postmodum, infecta fuit, praecipue Chaldaei, qui hac de causa deinceps Nestoriani dicti sunt. Propterea monemus fraternitatem tuam atque efficacissime hortamur, ut Theodori Mopsuesteni scripta pariterque Diodori Tarsensis, qui cum eo pessime sentiebat, [quae] lethalis huius messis infausta semina, sicut accepimus, apud vos reperiuntur, delere, exstinguere penitusque ex vestra natione exterminare omnino studeas. Quippe Theodorus tanquam haereticus ac pessimae doctrinae auctor a ss. patribus in quinta universali synodo, ut videre poteris, secunda videlicet Constantinopolitana, damnatus est. Remoto autem hoc obstaculo facile, ut confidimus, cooperante divina gratia, catholicam veritatem contra adversariorum mendacia tueberis, praesidio auctoritatis sanctorum universalium conciliorum, quorum decreta tibi mittimus. Quibus sicut fraternitatem tuam ceterosque venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos atque eruditiores monachos et sacerdotes vestrae nationis instruere adversus haereticos curaveris, ita et reliquorum necessitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, quamplurimos libellos professionis catholicae fidei et christianae doctrinae, typis arabicis excusos, eidem Adae archidiacono

tuo perferendas ad vos dedimus. Abunde satisfecisse nos hactenus tuo desiderio credimus, venerabilis ac dilectissime frater. Habes namque a nobis certissimam doctrinam catholicae fidei et firmissima fundamenta, quibus ipsa nititur. Doce igitur tuos veritatem; adversariorum mendacia atque malitiam retorquere sufficienter poteris. Reliquum modo est, ut eodem zelo, quo veritatem cognoscere concupivisti, cures, nitaris, efficias, ut ipsam nunc vobis declaratam et patefactam ceteri quoque recipiant. Nos autem alacri animo pios labores atque conatus tuos in propagatione orthodoxae fidei semper adiuvabimus, et quo maiores progressus vestros in recta doctrina audiverimus, eo magis prompti ac parati erimus ad nostrum auxilium vobis subministrandum, sicut archidiacono tuo uberius declaravimus. A quo particulam salutiferi ligni ss. crucis Domini nostri inclusam parva cruce aurea, ornata lapidibus caelestis coloris, in maioris crucis formam, atque librum sanctorum evangeliorum, arabico idiomate typis excusum, et cum his argenteum calicem et patenam, atque thiaram ac vestes pontificales pro solemni celebratione incruenti sacrificii divinorumque officiorum, necnon alios duos libros iisdem characteribus arabicis impressos, utiles ad medicinae corporalis doctrinam, et ad intellectus acumen augendum; nam fore illos tibi valde gratos, ipse communis noster filius Adam nobis ostendit. Quae omnia fraternitati tuae ex benedictionibus s. Petri mittimus, ut signum aliquod a nobis habeas sincerae ac perfectae dilectionis, qua te in visceribus Christi complexi sumus. Quem tuum archidiaconum valde tibi commendamus, et pro peculiari nostro in eum amore, tanquam filium nobis valde carum, ut praecipue diligas, desideramus. Toto enim tempore, quo apud nos mansit, pie admodum vixit, monasticae vitae suae institutum religiose observavit, zelum veritatis agnoscendae eximium praetulit, assiduus in expeditione negotii sibi a te commissi fuit, in exponendis vestris de fide opinionibus diligens et accuratus, sed minime pervicax, in recipienda vestrorum errorum correctione docilis atque morigeratus; demum ita se in omnibus gessit, ut merito benevolentiam omnium, qui aliqua de causa cum eo egerunt, sibi conciliaverit. Quare si rem nobis gratissimam facere desideras, virtutem et probitatem ipsius omni honorificentia maiori, qua poteris, nostra causa augebis; non enim dubitamus, quin optime collocaveris, quidquid honoris et dignitatis in eum contuleris, ac praeterea debitum laboribus suis tam magnis tamque laudabilibus praemium tribues, quod maxime desideramus. Deum misericordiarum ac Patrem luminum oramus, ut opus, quod ineffabilis sua clementia coepit in te, perficere per humilitatis nostrae ministerium ad sanctissimi nominis sui gloriam ac vestrarum animarum salutem dignetur, et ex intimis nostri cordis visceribus tibi dilectisque filiis nationis vestrae, qui fidei catholicae notitiam vere et ex animo concupiscunt, benedictionem nostram apostolicam impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die sanctissimae annuntiationis beatae virginis Mariae VIII. calendas Aprilis MDCXIV. pontificatus nostri anno IX.

Petrus Stroza.

XI. Reddita summi pontificis constitutione in idioma Chaldaicum, ut in ea ob rectae suae fidei doctrinam, quam acceperat, se commendatum a pontifice Adam legisset, commentarium postea Chaldaeis oblatum statim confecit de fide catholica, et ut hanc de se conceptam opinionem magis magisque confirmaret, et ut fratres sui Chaldaei circa ss. Trinitatis et incarnationis mysteria, potissime vero adversus Nestorium et Theodorum, perduelles haereticos, quid crederent, haberent. Huic commentario praemisit satis piam ornatamque disputationem de summi pontificis primatu et de necessitate, qua omnes christifideles subiici debent eius doctrinae ac praeceptis. (Idem p. 303.)

XII. Acceptis a pontifice mox laudatis litteris, Adam archidiaconus festinanter in Babylonensem urbem iter instituit. Vix autem eo advenit, statim Elias archiepiscopos et episcopos congregavit, ut summi pontificis responsum, quod ad omnes pertineret, communiter reciperetur, et si quid ulterius necessarium esset, omnibus pariter communicatis sententiis, coniunctisque animis atque studiis exequerentur. Idem patriacha locum, inquit Stroza, synodo opportunissimum statuit civitatem Amed in media fere Mesopotamia, tempus sanctissimos natalis Domini dies. Sed convenire ante calendas martias non potuerunt. Nam cum patriarcha accersivisset custodem monasterii franciscanorum Aleppi fratrem Thomam Novariensem, ut conventui interesset pro duobus religiosis viris, qui hac de causa dati fuerant legato comites in eius ab Urbe discessu, confirmaturi postmodum certo testimonio apud sedem apostolicam, quae acta fuissent, ipse ad eos proficisci diu renuerat. Verebatur enim, ne temere impudenterque fecisse videretur, si alieno se immiscuisset negotio. Praeterea Aleppo antea egredi nolebat, quam intellexisset summi pontificis voluntatem, cui patriarcha in ipso legati reditu suum hoc desiderium per litteras significaverat, ac simul quid eum impulerat, ut hoc postularet. At urgente acrius patriarcha, custos denique obsequi coactus est. Etenim nisi ad eos properasset, contestabantur archiepiscopi, se ad proprias ecclesias redituros, atque infecta re apostolicum breve obsignatum adhuc ad summum pontificem remissuros. (Synodalia Chalden. p. 1.)

XIII. Igitur prima Martii currentis anni cunctis in urbem Amed convenientibus, sequenti die acta synodalia inchoata fuere. In synodi celebratione sequentem litteram misit ad Petrum Stroza, summi pontificis a secretis, laudatus Thomas Novariensis, qua eidem pontifici significatum voluit, quidquid in ea synodo hucusque gestum fuerat.

Illustrissimo domino Petro Strozae, ss. domini nostri a secretis, fr. Thomas Novariensis s. p. d.

Quoniam ex qua die Babylonem contendens profectus sum Aleppo, haec prima se mihi dat occasio cum testificandi meum per litteras in dominationem vestram illustrissimam officium et obsequium, tum de patriarcha Babylonico certiorem eum faciendi, nunc, opportuna favente commoditate, simul cum laeto nuntio breviter suorum laborum fructus, et quasi carptim proferam, quod temporum angustiae, et iamiam tabellarii praefestinum iter ita flagitent.

Cum ergo anno proxime elapso XVI. calendas Ianuarii Aleppo discessissem, X. calendas Ianuarii Ur Chaldaeorum, (nunc Orfam vocant) prope accessi; quo in itinere p. Petrum Metoscitam secundo ab illo patriarcha redeuntem offendi, a quo cum post mutuam salutationem, ubinam esset patriarcha quaererem, ubi Timotheus, et quo se modo res haberet; versari eos respondit Merdinum prope in deserti illius coenobio, quod Mar Bettican vocitant; tum: i porro, inquit, lepus te certo manet. Ego me leporum captandorum non venisse subiicio, nec ut ipsorum rebus me implicarem, sed chaldaicae linguae, cuius eram percupidus, ediscendae gratia; i, subiungit ille, certo lepus te manet. Si ita est, inquam, ergo facilius capietur; certo quidquid erit, officio canum fungemur. Tum discedentes atque amice officia mutua offerentes, quisque iter coeptum carpit.

Ipso natali Christi domini Orfa profecti, et post aliquot dies Merdinum versus ire coacti, ut quos commemoravi supra, inviseremus, multa vadosa loca non sine praesenti periculo, divina freti ope, praetergressus, post laboriosum dierum quatuordecim iter patriarcham adii, et ab illo atque a d. Gabriele, decano archiepiscoporum, humaniter exceptus sum, cum diceret patriarcha, dolere sibi non parum, quod eo in loco tum essemus, in quo non posset lautius et commodius hospitem excipere. Profectus erat iis dictus d. Timotheus, ut dies Domini natalitios cum grege suo duceret. Interea patriarcha priorem coenobii, ut Eliam accerseret, miserat, quem expectabat, etiam, ut cum illo natalem Christi suo more celebraret, sed intercluserant nives aditum. Itaque soli dies illos festos egimus, et ego singulos suis munusculis donavi; patriarcham praecipuo annulo aureo, eleganti arte perfecto, et in modum crucis lapillulis pretiosis distincto; d. etiam Gabrielem suo, sed pretio minori.

Quieti per tres dies degebamus et laeti, cum ecce XXIII. Ianuarii praesentis anni Merdini gubernator ad istud monasterium ianissarium, qui me et patriarcham iunctos in carcerem rapiat, mittit. Ego tunc divino quodam favore eram in sylva, cum irrupit harbarus, cuius mentem cum servus meus Franciscus [sciens] turcicam linguam intellexisset monuissetque de periculo, nocte intempesta in vetera quaedam antra abscondi monet, ibique sex dies egi. Patriarcha sequenti die a truculento milite in custodiam penes inhumane ductus

est. Sex illi dies fluxerant, cum adventat ille tandem exspectatus Elias cum duobus archiepiscopis, sacerdotibus aliquot et monachis, quorum causa antris eductus, cum ad salutandam eos venissem, ille me incredibili amoris significatione prosecutus, una cum aliis ad coenam vi coegit, et post eam cum ad eos qui aderant archiepiscopos et religiosos chaldaice verba fecisset, interiorem vestem, quam nigra tectam de more archiepiscopi gentis illius gestat, exuens, mihi donat, utque induam illam, omnino iubet: ego, inquiens Elias, vestem hanc rabbano Thomae dono, ut intelligant omnes, velle me iis omnibus obsequi, quae ille ss. domini nostri Papae nomine imperabit, utque ita faciatis omnes, imprimis volo.

In sequenti die Emetum ut equis suis veherer, curavit, ubi patriarcham expectaremus, qui post multas et graves aerumnas, in pretium denique liberationis suae sexaginta aureos persolvens, e carcere evasit. Mea quae sors futura fuisset, Deus bone, si in illos praedones captivus incidissem? Vigesimo Ianuarii monasterio egressus, ultimo eiusdem mensis Emetum veni, cumque adventum meum d. Timotheus archiepiscopus audisset, is cum universis sacerdotibus cereisque accensis ad ipsum usque primum templi vestibulum obvius mihi prodiit, et cum cantu in templum induxit, actisque suo more Deo gratiis, osculati omnes manus meas, eundem mihi quem patriarchae postea, nisi quod crucem et pastoralem baculum non praetulerunt, honorem detulere. Omnes item Chaldaei, qui Emetum incolunt, vesperi salutandi mei causa domum nostram venere, et ut manus oscularentur, quorum pars praecipua in cena mecum fuerunt, pro more gentis apparatissima; cum interim ad singula pocula pias laudes ss. domino nostro canerent, eique longam beatamque vitam adprecarentur, stantes honoris causa et capitum tegmina magno cum reverentiae argumento deponentes. Denique eo loci quam comiter habitus, audivi, demum patriarcham cum archiepiscopis tertio Februarii ad proximum pagum, nomine Ceruchiam venisse, ac post triduum propius ad Aintanur civitatem accessisse. Hic ille dum subsistit, Elias civitatem adit, ut quosdam turcas, amicos suos, muneribus ornaret. Ego interim qua ratione ista Eliae subdi posset ecclesia, animo recogitabam. Ipse vero de admittendo patriarcha Babylonico, qui legitimus ipsorum esset, deque concordia et unione nationis suae agebat. Simonem Persam, quod esset in summum pontificem bene affectus, et quod illius causa templum Hierosolymis aedificaretur, ibi relinquendum existimavi.

Magnae sunt exortae in hoc negotio et impeditae difficultates; primorum tamen eo inclinavit animus et sententia, ut patriarcha acceptaretur. Restiterunt quatuor... dumtaxat, quorum pertinacia indignatus Elias, ad patriarcham proximo sequenti luce rediit, comminatus, nisi patriarcham admitteret [sic], eos sese deserturum... ut erant promeriti. Quare statim proposita etiam anathematis, nisi pareret, poena, archiepiscopo mandat, confestim excedat

inde. Quod ille eum fecisset, magni facti sunt motus animorum et diversi inter eos, qui perstabant in excludendo patriarcha obstinati, et eos, qui templi causa Hierosolymitani et Timothei, quem summus pontifex miserat, gratia excipiendum dicebant. Ego cum ex ea dissensione, ne quid gravius exoriretur, vehementer timerem, praecipuum e sacerdotibus accersitum ad me sum hortatus, ut quoniam pontificem venerarentur, quem idem summus pontifex ad eos mittebat, ipsi ne aspernarentur. Tunc discedens, ad patriarcham quamprimum me contuli; quo discessu illi territi, et ne ego quoque eorum discordia offenderer veriti, id demum effecerunt, ut duodecim illi omnes presbyteri cum Elia de suo patriarcha admittendo, tabellis etiam consignatis, consentirent ea conditione, ut proximo Septembri Hierosolymitana illa fabrica et monasterium item, cui aedificando emendum solum destinant, perficiatur. Atque ita patriarcha civitatem eorundem rogatu cum tribus archiepiscopis et mecum ingressus, solitis et ritibus et honoribus sacram in aedem quoque deductus ab iis est.

Secunda dominica, quae prima fuit ipsis in quadragesima, nobis secunda erat, solemni ritu et pompa admissus patriarcha est, faciente Timotheo sacrum et Elia concionem habente; qua peracta, pontificali veste nostro more modoque patriarcha indutus est, indutique eodem more Elias, Ioseph et Timotheus, totidemque enim ornamentis pulcherrimis locupletata ecclesia illa est; primis quidem a Gregorio, secundis a Sixto, tertiis a camera apostolica, quartis a ss. domino nostro; eadem ratione induti sacerdotes necnon et diaconi omnes supplicationem instituerunt solemnem, concinentes patriarchae laudes; qua transacta, sede sua collocatus ille manuum oscula utriusque sexus excepit. Tum quatuor sacerdotes solium attollentes, a primo usque ingressu templi ad summum altare patriarcham cruce, quam manu gestabat, populum signantem, humeris portavere. Sacrum ergo peragitur, et postremo patriarcha omnem sexum et aetatem populi, qui aderat, sacra corporis Christi communione impertit; nec cum summo mane haec celebritas coepisset, ante serum diem completa est.

Proximo sequenti die indicta synodus primo Martii convenit, in qua post sacras preces, obseratis templi portis, sedente primo loco patriarcha, assidenteque illi a dextris Gabriele, a sinistris Elia, tum ordine suo Iosepho, Timotheo, Abrahamo et quotquot aderant, Elias (cui partes hae demandatae erant) paucis praefatis, me universi coetus nomine compellare coepit petereque, ut quae ss. dominus dominus noster ab iis expeteret, quid fieri vellet, quid imperaret, quid legato ab se ad eum misso responderet, edissererem ac explicarem. Tum ego, et monitis dominationis vestrae illustrissimae et libello summi pontificis ad patriarcham conscripto, cuius exemplum mihi p. Adamus Aleppi reliquerat, instructus, satisfeci. Primo ergo summi pontificis in patriarcham et universam eorum nationem amorem et qua humanitate legatum eorum ad se missum excepisset,

exposui; tum munera publica ac nominatim ad patriarcham ab eodem missa recensui, sed praesertim, quod cum maxime locum promerendum, et ad beneficii exagerandam seriem, singularem favorem in templo illo ab ipsis exoptatissimo Hierosolymitano, quo tamdiu fuerunt orbati, iam concesso, multis amplificavi. Subieci demum, habere eos libellum chaldaica lingua ad ipsos a ss. domino nostro destinatum, ex quo, quaenam sit suae sanctitatis voluntas, et quid ab illis optet sive expectet, facile intelligerent. Proferatur ille, respondit Elias, ut hoc sciamus. Ego ad Timotheum mihi proximum versus, illum, ut exhiberet, italice monui; quo ille dicto nonnihil, ut visus est, commotus: tu, inquit, articulos fidei modo propone; libello non est opus. Quia libellum, o Timothee, inquam ego, summus pontifex tibi, ut illum solus habeas servesque reconditum, haudquaquam dedit, sed ut cum patriarcha et synodo communicees. Demum eo res devenit, ut verbis certaremus; quod Elias cum vidisset: produc, inquit, codicem illum, Timothee; bene monet Thomas, nosque sanctissimo pontifici, nisi libellum videamus, haud respondebimus. Et inter illos quoque rixa verborum, quam meridianae orationis tempus dissolvit; coetus enim cum ea sententia, ut libellus palam legeretur, dimissus est.

Urgebat proximo die patriarcha, ut libellum proferendum curarem; ego demisse respondi, posse illum facilius Timotheum, utpote sibi subditum, ad officium cogere. Enimvero non ignoras, inquit, Timotheum civibus Emetanis carum esse, cui si molestiam ullam fecissem, illi, qui me in patriarcham suum nuper adscivere, perquam facile turbarum aliquid et tumultus ciebunt. Sane patriarcha vir est antiquae probitatis, integer vitae, iniuriarum patiens, modestiae animi et minime fucati. Timotheus libellum detinebat et munera, ac quia Emeti promiserat, se illa ecclesiae daturum, si in archiepiscopum ab eo deligeretur, vel ut Hierosolymam deferat, vel etiam ut retineat sibi, prorsus ignoro. Ego quidem atrocius in illum eo die praesens ipse sum invectus, quibus etiam minas gravissimas addidi, quamque possem graviores, cum plus illi mali quam quod minabar inferre possem. Quare ille commotus ac sibi timens, praesertim cum ad eam obiurgationem meam alia non levior accesserit Eliae, viri plane prudentissimi, cuique Timotheus archidiaconum suum, legationem ad pontificem, archiepiscopatum Emetanum, et alia debet quamplurima; is ut mihi satisfaceret, ad me adiit veniaque petita, facturum se quidquid ego imperarem recepit. Tum post amplexus mutuos, ego omnes illi officii atque amoris partes obtuli, tantum patriarchae mandata pontificis ex libello traderet, ne res coepta perturbaretur. Itaque luce proxima tertio Martii, cum post orationem solito more in templo consedissemus, ego de unione animorum atque amore coepi cum maxima omnium voluptate dicere; Timotheo praesertim placuit oratio, cuius ego diligentiam in exsequendis Romae bonis partibus legati patriae suae et patriarchae plurimum commen-

davi. Inde ad articulos fidei proponendos opportune delabar. Ut intelligam, inquam, ego, qui oratoris munus cum fide sustinere vehementer cupio, num vos iis omnibus, quae vester ad pontificem nuntius detulit, plene consentiatis, ita exordior. Creditisne, illustrissimi ac reverendissimi patres, romanam Petri sedem, in qua impraesentiarum Paulus V. pontifex maximus sedet, supremam esse christianorum omnium, cuius auctoritas tanta sit, ut quidquid in terris ligaverit, ligatum sit et in caelis, et quidquid in terra solverit, et in caelis solutum sit, cuique alii omnes obedientes esse debeant? Omnes aperto capite dixere: *naam*, id est ita; cuius in argumentum ipsi libros aliquot suos, in quibus haec omnia continerentur, proferre parati erant. Quaero ergo, benedicitisne vos cuicumque illa benedicit? et cui maledicit, maledicitis? Respondere etiam iisdem verbis. Vos quidquid illa de fide Christi domini docet et acceptat, docetis et acceptatis? Ita, inquiunt. Bene habet, inquam ego: haec generatim proposita sunto.

Nunc speciatim quaedam distincte inquiramus. Vos duas in Christo personas, an, sicut ecclesia catholica credit, unam dumtaxat admittitis? Nobis, respondit Elias, revera in hac parte imponitur, quasi duas in Christo personas esse dicamus; hoc enim fuit haeresis Nestorii, non Theodori. Quamobrem nos unam, inquit, tantum personam in Christo domino credimus. Cumque, dum prolixius rem ille totam explicat, ad vocem *Tarsopa* ventum fuisset, statuit eam verbo *Chnum*, quod arabice personam significat, respondere, nec esse *Chnumain*, quod duas denotat personas, sed tantum unam.

Inde ad gloriosae virginis vere Matris Dei rationem venimus, et Elias aperto capite stansque magna dicendi vi motuque animi: audi, inquit, rabban Thoma: nos hic confirmamus credimusque ea omnia et iis subscribimus, quae legatus noster Romae ad ss. papae pedes transegit; atque ita ulterius quaerendi de articulis omnem mihi rationem et viam interclusit. Tum Timotheus, quod res ipsi tam bene feliciterque verterat, laetus confestim pontificis libellum chaldaice et latine conscriptum offert patriarchae, qui cum osculatus reserans, primo utramque et quae initio et quae in fine posita est figuram contemplatur; deinde pontificis epistolam et nonnulla secreto cum perlegisset, postulavit Elias palam et publice altaque voce, ut legeretur. Quare oblatum sibi a patriarcha coepit ipse contenteque legere usque a principio, nonnunquam ad errores Nestorianos interspirando dicendoque *Slagforla*, id est, parcat nobis Deus. Nos non ita credimus. Defatigatus vero legendo, Timotheo tradidit, qui ad symbolum usque Theodori percurrit. Et cum ego opportunum iam esse existimarem, unum, illustrissimi et reverendissimi patres, aio, superest, plene ut sit hodie mihi planeque satisfactum. Quaero ergo, si duo sint, quos inter concordia et pax sit sancienda, num poterit, qui cum illis gerit inimicitias, pacis illius arbiter atque effector esse? Minime gentium, inquiunt illi. Ergo neque Nestorius, inquam ego,

neque Theodorus nunc inter nos foedera pacis et unionis componere possunt, quos nobis inimicos atque hostes esse non dubitatis, quos et Christo domino exosos atque a ss. patribus excommunicationis sententiae toties subiectos in conciliis oecumenicis et praesertim a a sancta sede apostolica per legatos, qui synodo aderant, anathematis iudicio damnatos. *Bello,* inquit ad hoc Timotheus, me compellans italice: potuit uno die Deus orbem condere, et tamen sex dierum opus esse voluit. Sed Gabriel episcoporum, qui aderant, antiquissimus simul et peritissimus, si haec docent Nestorius et Theodorus, quae in libello suo notat summus pontifex, et nos illis diras, inquit, imprecamur et excommunicationis, si iam illam non subiissent, poenam imponimus ac infligimus. Haec ille et similia tanto animo ardoreque, ut mihi piarum lacrymarum ex singulari gaudio copiam de tam felici rerum successu excuteret.

Atque ita statutum est, ss. domino nostro respondendum in hunc modum, se nec iis erroribus assentiri nec aliis quibuslibet in fide, quippe qui eandem plane quam pontifex omnium pater ac magister in credendo christianorum sive assentiendo, sive dissentiendo praescriberet, legem ac normam fidei perfectae sequi vellent. Hoc prorsus opus Excelsi, illustrissime domine, non vero opus humanum. Nec ulla a principio tam felicis ac prosperi eventus spes affulgebat. Nunc autem patriarcha nullum finem facit amplexandi memet singulari caritate dicendique, alia se longe maiora atque ardentius praestituros, nisi metu Turcarum, qui eos fieri dubitant italos, qui romanae uniuntur ecclesiae, prohiberentur.

Nunc expectatur modo tertia sessio, in qua eorum litterae ad ss. dominum nostrum scribantur et obsignentur, ad quod illi sese frequentibus inter se consultationibus strenue et perfecte exequendum comparant. Ego quidem, ut primum conscriptae erunt, ad illustrissimam dominationem vestram exemplum mittam, ut certius ea cognoscat, quae nunc paucis et quasi cursim delibo. Haec, ut dixi, gesta sunt hac in parte, et Deus scit, quod non mentior. Hoc postremo non omittam, Eliam, hominem, ut dixi, undequaque praestantissimum, ab archiepiscopis delectum esse, ut profectus Hierosolymam, extrinsecam monasterii habitationem coemat. Is secreto mihi dixit, velle se cum divina ope ire legatum Romam ad ss. dominum nostrum obedientiae causa patriarchae nomine, confirmandique ea omnia, quae modo peracta sunt.

Quod si ita fiet, cum Eliae auctoritas sit apud omnes magni ponderis, et nutus quasi pro imperio, spes est, futuram multo faciliorem plebeculae culturam, ut ex eorum animis omnes errorum fibrae et radices penitus, si qui id perite faciant, eruantur, evellantur et exstirpentur. Praeterea, dum ista scriberem, horae quadrans ferme elapsus est, ex quo graecus ad me monachus venit, qui cum mecum graece et turcice, ego cum illo agerem arabice, nec invicem intelligeremus, per servum meum cum illo interpretis vice colloquentem audivi,

quaerere illum, qui sim, quid agam, quid moliar, an non ego ea de causa venerim, ut Nestorianos facerem francos. Suspicor, speculatorem illum esse et linguae nostrae non imperitum; iamque astat scribenti, et me notat ac designat oculis ita, ut hacce domo hodie migrandum esse mihi iam constituam. Deus a falsis fratribus eruat me, aviculae instar laqueos aucupum et technas fugitantem. Quod ni me ss. dominus noster praesenti eripiat periculo atque liberet, actum erit. Hoc unum deerat, ut illustrissimae dominationi vestrae molestiam procreem; sed parcat, obsecro, et condoleat. Monui Eliam de puerulis pro collegio librisque Ammorii et Sixti papae; ille se praestiturum omnia large spopondit.

Narrat servus, audisse se, dum inter illos, ut fit, familiariter agit, cupere eos, ut a paschate cum Elia Aleppum proficiscar, atque inde ad Hierosolymam, tum illius, quod antea dixi, negotii gratia, tum ut quod imminet periculum devitem, atque demum ad illos redeam diutius et securius commoraturus. Ego me inutilem Iesu Christi servum scio et sanctae sedis apostolicae; sed qualis sum, nihil eorum, quae mihi ad Domini mei gloriam et animarum salutem conducibilia videntur esse, omittam unquam, etsi mihi quidem erat in optatis monasterium aliquod, in quo linguarum studio liber vacarem; verumtamen fiat voluntas Domini.

Duo sunt quae dominationi vestrae illustrissimae adfirmare vere possim. Alterum, Timotheum esse verum fidelemque ss. domini nostri papae Pauli V. discipulum, non ut erat antea Nestorii; quandoquidem in veritate praedicat verbum et verbum bonum; instat opportune et importune; arguit, obsecrat, increpat in omni patientia et doctrina, ac, ut paucis dicam, ministerium suum implet nec fructus fert exiguos. Unum hoc optandum esset, ne se rei struendae et colligendae tam esse avidum significaret. Sed nemo perfectus, nisi solus Deus. Alterum, quod adfirmare ausim, illud est, magnam esse et singularem huius gentis erga sanctam sedem apostolicam pietatem et propensionem. Quatuor prope annos ipse in oriente versatus, cum praecipuis huiusce tractus et nationibus et hominibus nonnunquam de fide disputavi; nullus, si Maronitas excipias, populus melius in pontificem affectus mihi visus est: et cum tridui ipsorum interessem ieiunio, quod in memoriam illius celebrant, quo Iona praedicante Ninivitae Deum placarunt, audivi concinentes alterno choro Emeti inter preces alias plus centum versiculis pro romano pontifice; a quibus cum quaesiissem, et [numquid] singulis annis tale quid factitarent, facere se dixerunt, quotannis idem pro sede romana apostolica et romano pontifice idemque saepe alias in celebrioribus huiusmodi temporibus. Ego Deo gratias egi, quod plures quam putaremus, haberemus amicos. Sane quam optarem, ut ss. dominus noster aliquem ex ipsa curia sua praelatum huc mitteret, qui veniens ipse in rem praesentem, ut dicitur, agnosceret, et quam sit alba regio isthaec ad messem, si cum animarum cura etiam corporibus nonnihil adiumento

suppeditare posset. Nolo illustrissimae dominationi vestrae longiora conscribendo fastidia afferre. Quare cum humili meo delato obsequio et bonorum omnium a domino Iesu Christo expectata illa et exorata abundanti copia finem facio. Emeto X. Martii MDCXVI.

XIV. Eadem synodus continuata fuit ad diem usque XXVI. eiusdem mensis hac ratione, inquit Stroza, ut singulis diebus postquam primo conventu lecta fuerunt, quae scripsit ad eos summus pontifex, et quae de erroribus Nestorii, Theodori ac Macarii ex actis conciliorum misit, mane post consuetam orationem disputaretur in ecclesia, occlusis ianuis, de unico capite ex controversiis; vesperi autem ad orationem reversi unusquisque sententiam diceret. Recognita eodem quoque pacto fuerunt omnia de fide a legato scripta Romae. Cunctis demum sedulo et accurate expensis examinatisque, rescribunt ad summum pontificem, seque eius dicto audientes profitentur, abiicientes omnia catholicae et apostolicae eius dominae [sic] contraria, a qua se nunquam discessisse, quantum ad voluntatem conantur ostendere. Litteras custode Aleppi praesente obsignant eique tradunt. Is Aleppum reversus, diligenter quaecunque acceperat, curavit ad sanctissimum dominum perferenda. (Stroza p. 2.)

XV. Hieronymi, ignotae patriae sodalis sui, opera usus, synodalia acta una cum epistola sua ad summum pontificem ita verbis expressa Aleppo misit. (Item p. 11.)

Beatissime Pater.

In rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus spectari commune adagium est. Sed hinc nimium praeceps videtur, qui intrare contendit, ubi alios cecidisse conspexerit; et vehementer infraenis vocatur, cui, alio pereunte, non incutitur timor, immo praesumptionis vitio merito notatur, dum se in aliena ingerit minime invocatus. In culpa enim eram obnoxiusque crimini, sanctissime pater, sed revera, quid criminis quidve culpae adscribendum est ei, qui non suo, sed alieno ducitur arbitrio? Veritatem enim dicam: quamprimum a Deo misericordiarum Patre caelitus mihi dono concessum est, ut ab ore sanctitatis vestrae apostolicam benedictionem, tanquam a suprema totius sane orbis maiestate procedentem reciperem; statimque ut huius sacrae missionis munus angelicique muneris edictum ad me perventurum destinaretur dirigereturve perficiendum, factum est (mirabile quidem dictu), ut ab extremis his terrarum partibus nascentisque solis finibus tantae benedictionis gratiam vimque sentirem, adeo quod nec interioribus afflatibus resistere, nec in exteriora pericula animum intendere potui, quin ad dirigentis votum in res tanti momenti me reciperem, etsi in decreto voluntatis meae hoc firmiter proposuerim et per epistolas domino Petro Strozae hinc directas, semper idem protestatus sim. Sed in veritate comperi, beatissime pater, quod Spiritus ubi vult spirat, (Item p. 4.)

et nescit homo unde veniat aut quo vadat, sicut Dominus inquit, et de animalibus dicitur: ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur. Abii igitur immaturo tempore, sed ut innui, venia dignus. Et profecto censuerim me fregisse votum, violasse propositum, praevaricasse pactum, nisi etiam altiori obtutu animadvertissem, quod verae obedientiae spiritus legem nescit, terminis non arctatur, nec suae professionis contentus angustiis, largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis. Quinimmo nisi tunc me extra tecta tulissem, et ad ardua illius hyemis tempora contra fratrum amicorumque voluntatem me ultro etiam tradidissem, sane convocatam synodum omnino frustrassem, et illorum bonam voluntatem cassam sine dubio reddidissem; et quod caput est (novo obstante primi Visir contra nostros formidabili edicto), nec tecta relinquere amplius nec portis erumpere serius valuissem. Mandaverat enim iste sub irrevocabili capitis poena, ne quis ex nostris extra Aleppi confinia exire praesumeret ac versus Persarum regnum propter imminentia bella gressus dirigere auderet omnino. Eo quod audierat (ut consulum interpretes ex ipsiusmet ore nobis retulerunt), ex nostris multos et religiosos praecipue illo abiisse, Persarumque regem ex christianorum principum consensu adiisse, et multa contra dominum suum regem machinatos fuisse. Quare misericordiarum Patri Deo gratias ago, qui feliciora principiis his tempora dedit, quam humanae mentis ratio excogitare valuerit. Sed multo magis sine intermissione ei grates infinitas rependere debemus, quia et tanti negotii media suavi suae gratiae aura temperavit, et finium sinus cumulatiori suae benedictionis dono replevit; volens tandem tot animarum agmina ad lumina surgere vitae, et complacita benignitate optatis sanctitatis vestrae annuere votis, ut a solis ortu usque ad occasum sanctae ecclesiae filios in unum congregaret, ut ibi potius ipsa tanquam oliva fructifera crescat, ubi mundus sicut arbor infructuosa decrescit. Nam adhuc habet quo crescat, donec impleatur illud: dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum; et inde quasi aurora consurgat, unde tanquam sol electa occubuit. Nam adhuc remanet, quo consurgat, ut Isaias testatur: et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini (id est ecclesia) in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Omnes enim gentes venient, et Iesum Christum ecclesiae sponsum adorabunt, ut sexto isto tempore prophetarum voces in aures ecclesiae vehementius perstrepunt. Et Turcae, et Arabes, et Mauri, et barbari, et haeretici, et schismatici et infideles omnes in unitatem sanctae fidei venient, ad montem domus Domini, quae est ecclesia, confluentes, ut omnis lingua tandem confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Non omnes tamen capiunt verbum istud, sanctissime pater, sed si mecum ex Ierusalem per mediam transissent Samariam, et paululum iuxta fontem Iacob contemplantes demorati essent, liceret utique mihi sic eos fari: vos dicitis, quia adhuc quatuor menses

sunt, et messis venit; ecce dico vobis: levate oculos vestros et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem: et qui metit mercedem accipit etc.; sexto enim mense metimus, sextum Apocalypsis signaculum aperitur, tempusque ecclesiae sextum adest; notent ergo mystica Domini verba, sacra evangelii signent mysteria, et temporum arcana mentis acumine prospiciant, si velint, secretario ibi innuente: hora autem erat quasi sexta, et invenient haec ipsa esse gloriosa sponsae Agni tempora. Sed quod ponderatione valde dignum existimamus, est, quod messis quidem vastissima invenitur, operarii autem pauci; rogare ergo Dominum messis debet ecclesia, ut mittat operarios in messem suam. Nam sancto veritatis dictante Spiritu, sine dubio factum est, sanctissime pater, ut annis iam elapsis sanctitas vestra religiosis omnibus apostolica auctoritate mandaret, ut diversa linguarum idiomata addiscerent, tanquam velit (ut optimus paterfamilias) operarios primum linguae falce aptare, deinde mercedis intuitu conducere, postea obedientiae merito in messem hanc magnam mittere. Misisti tandem, et ecce primitiarum fruges adveniunt, messisque maturae aristae de longe in aream Domini congregantur. Sicque (ut unde digressi sumus revertamur) et si oriente ecclesia ipsa occubuit, ecce nunc diebus tuis, beatissime pater, quasi aurora consurgit. Nam et Chaldaei ipsi post Iudaeorum pastores veniunt, patria voce clamantes: et venimus adorare Dominum. Convenientes igitur omnes populi in unum, et reges convenient ad Domini praesepe, ut serviant Domino, et intrantes sanctae ecclesiae romanae caulam, adorabunt enm omnes reges terrae, omnes gentes servient ei. Quia sine dubio intrabit (ut d. Pauli propheticis utar verbis) plenitudo gentium, intrabit sane, ut tandem secundum Domini promissa fiat unum ovile et unus pastor. O vere felix unitas et gloriosa societas, ubi fides una, veritas una et Christus unus omnium pastor erit in ovili uno credentium? Quasnam ergo domino nostro Iesu Christo gratias referemus, sanctissime pater, qui tot tantaque ecclesiae suae, cui tu praees, a saeculis promissa dona diebus his concessurus est? Nam dum eorum, quae hisce oculis vidi, auribus audivi ac propriis contrectavi manibus, recordor, miror, obstupesco, et excedens mente prae gaudio, opprimor lacrymis, magnae illius Apocalypsis tubae iterans voces: gaudeamus et laetemur, quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se. Nunc praeparata est Agni sponsa, ut filias in unum collectas recipiat; et praeparata est domus Domini ecclesia in vertice montium, propter diu desideratam christianorum principum concordiam et pacem; ut elevetur in proximo etiam super omnes infidelium colles, iugo Christi colla eorum submittens: et sic venient optata nuptiarum Agni solemnia, laeta scilicet Christi cum ecclesia sponsa connubia, filiarum unio, ovium congregatio, infidelium conversio, nuptiarum convocatio. Ite ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis vocate ad nuptias. O aurea tempora, cuius iam initiata principia tenemus! O desiderabiles nuptiae, quarum discumbentes iam

compelluntur intrare! Gaudeamus igitur et laetemur, quia iam nuptiarum gaudia agni Christi venerunt. Ecce prima intrat, et merito (ut in typo innui magorum) antiquissima Chaldaeorum natio, post Iudaeorum pastores, id est ecclesiae romanae praelatos, candida fidei amicta nuptiali veste, quam nunc omni adhibita diligentia dealbare curavit; uti ab exemplaribus his, quae ipsi sanctitati vestrae sacroque cardinalium senatui contemplanda mittunt, coniicere licet: digni ergo sunt, ut digniori etiam loco excipiantur. Nam Nestorium et Theodorum et omnia illorum detestanda dogmata, lecto sanctitatis vestrae libro, coram domino Elia Babylonis patriarcha in synodo suorum archiepiscoporum iuxta Tigris fluvium in civitate Amed congregata, detestabilioribus quam credi potest verbis execrati sunt. Merito igitur, relictis furibus et mactatoribus, pastorem verum et optima pascua invenient. Et quo hilari vultu quave prompta animi devotione cum sancta romana ecclesia senserint, benedicentes quidquid ipsa benedicit, et econtra maledicentes quidquid illa maledicit, et suscipientes quidquid tanquam fidei magistra ipsa docet et suscipit, fateor me enarrare non posse; quare et duplicem esse reportaturos benedictionem a sanctitate vestra non dubito. Qualem item reverentiam, devotionem et obedientiam a maiori usque ad minimum erga te, magnum huius domus patremfamilias, et illustrissimum filiorum tuorum coetum habeant, incredibile est dictu. Quali affectu, amore et caritate Agni sponsam cui coniunctus es, o sanctissime antistes, prosequantur, sine admiratione referre non possum; nam tali et me, eius inutilem servum, caritate, amore et affectu complexi sunt. Faxit Deus, ut pares eis etiam valeam aliquando rependere vices, sicut eorum devota fides, amor sincerus et prompta obedientia, quam erga sanctam catholicam et apostolicam romanam ecclesiam servant, promeretur. Verbosus nimis fui et timeo, ne benignas sanctitatis vestrae aures diu taedio affecerim. Placido ergo vultu indulge, sanctissime pater, ut peccatorem hunc tua sancta benedictione iterum benedicas. Amen.

Datum Aleppi Syriae die VII. Maii anno MDCXVI.

Sanctitatis vestrae servus humillimus
Fr. Thomas a Novaria Ord. Min.

XVI. In primis relata ab eo fuit epistola synodica patriarchae et episcoporum Chaldaeorum ad summum pontificem, in qua mira habentur de eodem Thoma. Ut fidem habeamus, en verba.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sanctitatis.
Sanctissime Pater Papa Paule quinte.

A minimo filiorum tuorum humili Elia, per gratiam Dei patriarcha Babylonis, salus. Magnum autem laborem sumpsimus super nos, Item p. 11.

o pater universalis, ob praecepta sanctitatis vestrae; et in hoc labore ostenditur multitudo caritatis, quae est nobis vobiscum. Quamquam enim a temporibus primorum patrum nostrorum erat nobis amor ad invicem, sed magis hoc tempore per filium nostrum dominum Timotheum perfectus est et habuit finem; et ostendit nobis omnia, quae a vobis attulit, et valde placuit nobis sententia vestrae sanctitatis; et etiam nos ita fatemur vobiscum. ante omnia observantes rectam confessionem duarum naturarum perfectarum in Christo, quae est deitas eius et humanitas eius; et observamus proprietates naturarum, quibus repellimus e medio confusionem, perturbationem et mutationem et variationem.

Et observamus etiam numerum personarum Trinitatis, trino modo; et unam unitatem veram et ineffabilem fatemur in uno Filio vero unius Dei Patris veritatis. Et quicunque sentit et dicit duos Christos, vel duos Filios, vel in una ex causis, vel in uno ex modis excitat quaternitatem, hunc anathematizavimus et anathematizamus, et membrum reprobum a toto corpore christianitatis reputatur a nobis. Non enim mutatum est Verbum per incarnationem, neque induxit quaternitatem super personas Trinitatis.

Ideo assentimur sententiae sanctae ecclesiae Romae, ut fateamur unam personam Verbi in Christo, tanquam arbor, quae inseritur in arbore extranèa a natura sua; et manifestum est, quod subsistentia illius praedictae arboris determinat ambas naturas; et sic credimus.

Et vocamus Mariam genitricem Dei, qui est ex Deo sine confusione naturarum, et sine mutatione proprietatum perfectarum naturarum.

Item fatemur, Spiritum sanctitatis [sanctum] procedere a Patre et a Filio tanquam ex una processione et una spiratione. Et quicunque fatetur, Filium privum esse Spiritus sanctitatis, anathema sit.

Et quicunque terminat orationem in nomine Patris et Filii et Spiritus sanctitatis, et non credit, quod in nominatione Filii deitatem et humanitatem Christi simul significet, anathèma sit.

Et quicunque confitetur, in homine simplicem [?], vel paulatim perfectum esse, vel accidentaliter et non substantialiter cum plasmatione carnis unitum ei Verbum, et esse in saeculum, anathema sit.

Et quicunque non fatetur, Christum esse Deum perfectum cum omnibus suis proprietatibus, praeter generationem activam, anathema sit.

Et quicunque non fatetur, Christum esse hominem perfectum in omnibus suis proprietatibus, praeter peccatum, anathema sit.

Ecce in his omnibus et in pluribus his assentimur ecclesiae sanctae Romae, et anathematizamus quemcunque [qui] non assentitur huic sententiae.

Et si dixeritis, Nestorium non assentiri huic sententiae, manifestum est enim, ipsum mortuum esse et non posse resurgere de sepulcro, et mutare nos a nostra sententia.

Et nos refutamus quodcunque est in libris nostris, si non con-

venit cum hac sententia. Verum nomen Nestorii adhaesit nobis, et non possumus illud reiicere, quantumvis contendamus, ut scripsimus ad vestram sanctitatem cum fide domini Timothei, etiam de hac re, ex nostris libris antiquis syriace et arabice. Et haec facta sunt per subscriptiones omnium nostrum.

Ego Elias per gratiam Dei patriarcha orientis subscripsi.

Ego imbecillis Gabriel archiepiscopus Hesno subscripsi.

Ego imbecillis Elias archiepiscopus Sehert subscripsi.

Ego imbecillis Ioseph archiepiscopus Insulae snbscripsi.

Ego humilis Timotheus archiepiscopus Ierusalem et Amed subscripsi.

Ego Abraham episcopus Vehdoufores subscripsi.

Item ego Ioannes Iesu archiepiscopus loci civitatis Van veni post congregationem et subscripsi.

Et haec omnia scripsimus coram patre Thoma vestro, et de multis aliis rebus monuimus eum, ut diceret pro nobis sanctitati vestrae, quia valde placuerunt nobis conversationes eius, et parvi et magni nostrum percussi sunt amore eius, et non satiati sunt amore eius, et propter bonos mores eius et modos pulcros eius dignus est dignitate honoris a paternitate vestra; et volumus, ipsum esse mediatorem omnium negotiorum nostrorum et vestrorum in Ierusalem et in omni loco. Et etiam nos ecce tradidimus omnia negotia nostra, quae sunt in Ierusalem, domino Timotheo, et quodcunque facit, acceptum est apud nos omnes, quia omne bonum, quod vultis facere nobiscum, in Ierusalem volumus fieri; et monebitis fratres vestros, ut multiplicent amorem erga filios nostrae professionis, sicut etiam nos diligimus eos.

At nos multo tempore permansimus et misimus Aleppum et duximus patrem Thomam ad civitatem Amed, et fecimus congregationem hanc et misimus ad sanctitatem vestram haec scripta, id est hanc epistolam et fidem domini Timothei et commentarios, quos fecit adversus verba Nestorii et Theodori, qui vidit Romae, et exemplar quo demonstrat, quomodo adhaerere fecerunt nobis inimici nostri nomen Nestorii arabice et syriace. Et si fuerit aliquid, quod non placet vobis ex his quae misimus, faciemus, ut placeat vobis, quia scimus, non fuisse contentionem unquam nec apud nos, neque apud vos adversus invicem; sed hostes nostri miserunt contra nos blasphemias ad vos. Item rogamus vos, ut ad nos mittatis bonas litteras propter professionem nostram et adventum nostrum in Indiam omni modo, quia in Ormos et in Goa et ultra valde tribulant nos scrutantes de fide, et homines nostrarum regionum non sunt periti omnes, et hac de causa tribulant eos valde, vel accipiunt ab eis pecunias et deinde demittunt eos; et unus sacerdos ex Amed civitate mortuus est propter augustias, in quas redactus ab eis fuerat; et nos omne quod faciemus mittemus in Indiam, ut etiam ibi multiplicetur laetitia in hac nostra concordia. Nunc autem Deum ro-

gamus, et Filium eius aeternum oramus, et Spiritui sanctitatis omnipotenti supplicamus, ut confirmetur sedes vestra in generationem generationum ob gloriam totius christianitatis, ut, sanctitate vestra mediante, sit nobis fiducia apud maximum pastorem Iesum Christum, cui et Patri suo et Spiritui eius sancto gloria indivisibilis in omnibus generationibus saeculorum saeculorum. Amen.

Commendamus vobis fratres nostros Maronitas interpretes, quia valde laboraverunt in hoc ministerio.

Datum in civitate Amed anno 1927. Graecorum die Veneris, VIII. mensis Martii.

Humilis Baccus Amed scriptor.

XVII. In eisdem fasciculis insertae erant et litterae patriarchae Babylonis aliorumque archiepiscoporum, quibus probantur, quae Adam legatus de fide catholica scripserat in eius ab Urbe discessu, quas proferimus.

Sanctissimo et beatissimo patri universitatis
Papae Paulo V.

Minimus filiorum tuorum Elias humilis, per gratiam Dei patriar- Idem p. 16. cha Babylonis, inserviens sedi sancti Thaddaei, et cui crediti sunt omnes greges orientalium Chaldaeorum, adorat ante pedes sanctitatis vestrae sine intermissione, et offert munera osculorum immaculatorum magno desiderio, sanctis vestris manibus habentibus claves altitudinis et profunditatis vere et exacte; et deinde tanquam pueri parvi ante patrem piissimum laudamus, et os nostrum in invocatione vestri nominis sanctificamus, et responsionem verbis vestrae paternitatis damus, et sic dicimus.

Laetitia autem infinita multiplicata est in nostris regionibus in adventu carissimi filii nostri patris Adae, legati nostri, et sic eo ipso tempore quo pervenit, subito ordinavimus eum archiepiscopum Ierusalem et Amed magnae urbis, et nominavimus eum Mar Timotheum, sicut Timotheus discipulus dilectissimus apostoli Pauli, ita et hic Timotheus discipulus papae Pauli; et honoravimus eum magnopere, quemadmodum sanctitas vestra scripsit in litteris suis; et accepimus ab eo munera cum litteris, quae misit pietas vestra, et fecimus congregationem in urbe Amed in principio dominici ieiunii. Et ipsae personae inveniebantur in congregatione nostra.

Mar Gabriel archiepiscopus Hesno.

Mar Elias archiepiscopus Amed, quam dedit propter filium suum spiritualem Mar Timotheum.

Mar Ioseph archiepiscopus Insulae.

Mar Abraham episcopus Vehdonfores cum hoc fratre mansueto et persona benedicta patre Thoma guardiano Aleppi. Et legimus epi-

stolas sanctitatis vestrae, et intelleximus recte sensum qui est in eis. Et etiam ostendit nobis Mar Timotheus sensus et intelligentias fidei, quam explicavit apud vos, et recte placuerunt nobis et acceptavimus ea. Verumtamen ex omnibus, quae fecit apud vos, haec elegimus, in quibus est utilitas eius rei, quae est inter nos et vos, et adiumentum propter nostras regiones; et hoc est exemplar eorum quibus nos omnes assentimur.

Sermo de fide catholica.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sanctitatis.

De fide catholica deque professione orthodoxa loqui volumus, fratres. Itaque proximi in domino nostro et carissimi in Iesu, spe nostra, petimus a vobis per humilitatem et mansuetudinem et obedientiam Iesu Christi, ne quis contendat extra legem contra veritatem, sed in lege pro veritate, ut coronetur. Neque enim fas est nobis contradicere Deo propter propensionem nostrae voluntatis, sed debemus subiicere nos voluntati suae pro salute animarum nostrarum; quia sicut est unus Deus Pater, et unus Filius dominus Christus, Deus super omnia, et unus Spiritus sanctus omnipotens, sic una est fides de illo, et una ecclesia sancta Romae, mater omnium ecclesiarum, et una est petra solida, in qua positi sunt ordines ecclesiastici omnium ecclesiarum a sapiente architecto, aedificatore universi. Neque enim frustra et vane dedit claves altitudinis et profunditatis Petro, fundamento ecclesiae suae; neque fortuito tradidit ipsi greges rationales, emptos sanguine suo pretioso. Et sic longa successione post Petrum accepit summum pontificatum pater noster sanctus Papa, caput sublime totius christianitatis, cum seipsum non laudasset, ut esset pontifex, sed ille, qui dixit ei: pasce mihi agnos meos, pasce mihi oves meas; et ideo etiam nos ponimus fundamenta fidei nostrae super hanc petram immobilem, et sic dicimus

De confessione unius Dei.

CAPUT I.

Itaque credimus propter hoc et etiam loquimur: credimus enim et confitemur unum Deum verum, immortalem, aeternum, non habentem principium neque finem, omnipotentem, factorem omnium visibilium et invisibilium, incomprehensibilem, habitantem in omnibus, et omnia habitant in eo; et non videtur ab hominibus, quia ex seipso absconditus est, cum eo plena sint omnia, omnia nomina non attingunt illum, omnes demonstrationes infra illum remanent, omnes scripturae de eo deficiunt: qui Moysi per revelationem demonstravit, se esse *aiia sciraiia*, id est aeternum aeternaliter, hoc est nomen

meum in aeternum; et haec est memoria mea in generationem generationum, dixit, quia non in tempore solum est, sed ante tempus, et sine principio et sine fine est; et in aeternum tempora omnia in eo includuntur, cum sit elevatus ab omni intellectu; eo quod id quod habet, semper habet, quia non erat aliquando, et modo est, sed est et futurus est; et est causa omnis entis et causa causae causarum omnium; neque cadit natura ipsius sub decem praedicamenta includentia omnes naturas. Sermo enim de nobis ostendit, ut sumus, aut supra id quod sumus, aut infra. Sermo vero de Deo non habet quod supra se vel de ipso demonstret; neque ut est, potest dici. Demonstrationes ergo infra se remanebunt, quia nullus iudicia eius penetravit, et viae eius sunt investigabiles. Quantumvis enim homines multiplicent scientiam, hic despicitur; scriptum enim est: noli nimis scire, ne mireris. Et Gregorius theologus ait: ego multa intra me cogitavi per discursum intellectus, et undique testificavi sermonem; et volens demonstrationem de hoc toto negotio accipere, nihil ex inferioribus habui, ut compararem mihi scientiam naturae divinae, licet parva similitudo inveniatur. Et Paulus praecipit, ne altiora cogitemus, quam decet cogitare, quia Deum ex suis creaturis tantum inveniunt investigatores, et non ex essentia, dum intellectus sanctorum illuminatur a Spiritu sancto, et nullus ex his comprehendit usiam Dei, sed originem usiarum, et vitae et sapientiae, quae ex summa bonitate perfectissimae essentiae effunditur super omnes substantias, bonitate sua apprehendit. Propterea dicitur de Deo, quod sit caritas, eo quod caritas est complementum omnis bonitatis, et bonum est contrarium malo, et sic malum bono. Et si dominaretur malum totale, nunquam quidquam constitueretur; sed non existit malum totale; nam cum bonum totale includat omne et quod est, et quod potest esse, privat necessario malum omni essentia. Et sic dicimus, quod bonum tribuat malo privationem perfectam. Perfecta autem privatio nihil est, et nihil non habet essentiam. Ergo valde errant dicentes, esse alium Deum malum. Et sic est essentia divina dissipans malum naturaliter, et est principium bonitatis perfectae, et causa bonorum, et effunditur in omnes essentias per suam providentiam perfectam, et in hoc ipso bono est causa omnium quae sunt; neque per vim, neque per artem, neque per calliditatem et inventiones, sed propter bonitatem naturalem dedit omnibus esse. Naturae enim spirituales excellentem eam desiderant, et homines per cogitationes, et belluae in ea per sensum existunt; plantae per virtutem plantalem et nutritivam; et inanimata per id quod sunt. Et sic invenitur in ipso existentia omnium naturarum diversarum quas creavit per bonitatem suae gratiae ineffabilis.

De Trinitate personarum divinarum.

CAPUT II.

Deus enim vocatur et est principium bonitatis et causa bonorum, et hoc bonum totale revelavit sanctis bonitatem suae essentiae, et patefecit distinctiones proprietatum personarum, Patris et Filii et Spiritus sancti; et per Filium patuit et explicatum est hoc mysterium, praecipientem baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Pater genitor, et Filius genitus, et Spiritus sanctus procedens. Pater genitor Filii, et non genitus; Filius genitus a Patre, et non genitor; Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio tanquam ab uno principio, nec genitor, nec genitus; distincti proprietatibus et personis, unum natura et essentia. Propterea omnia sunt unum in divinis, ubi non obstat relationis oppositio: reliqua enim, ut essentia, intellectus et voluntas, communia sunt tribus personis. Pater distinguitur a Filio paternitate, et Filius a Patre filiatione, et Spiritus sanctus a Patre et Filio spiratione passiva; et Pater et Filius a Spiritu sancto spiratione activa; et haec spiratio activa non constituit personam, at communis est Patri et Filio, et per eam opponuntur Spiritui sancto, oppositione originis. Et sicut sunt tres personae, sic tres subsistentiae, quae dicuntur ad invicem; et non sunt distinctae ab essentia actualiter, sed per intellectum, et Pater per intellectionem sui intellectus generat Filium. Et quia opus intellectus praecedit opus voluntatis, idcirco proprietate originis generat Filium, et dat illi omne quod habet, praeter personam paternitatis; et Spiritus sanctus procedit per modum amoris et voluntatis; et in hoc nulla est oppositio inter Patrem et Filium, quia Pater amat Filium, et Filius amat Patrem; et ab hoc amore procedit Spiritus sanctus, et vocatur spiratio activa, et proprie est actio voluntatis. Itaque spiratio activa Spiritus in Patre et in Filio est sine divisione tanquam in uno, et sic dant Spiritui sancto omne, quod habent, praeter personas, quae non communicantur ad invicem, quia ex relationibus oppositis originis existunt. Et istae tres personae proprietate personali constituuntur, et unaquaeque illarum intellectualiter per se concipitur, et Deum et substantiam et naturam confitemur supra modum factibilium. In personis autem divinis praeter proprietates una est natura, una est potentia, una voluntas, una essentia, una dominatio, una magnificentia, una possessio, unus intellectus, una mens; propterea tres personae unus Deus sunt. Tres autem dicimus in proprietatibus, non excludentes unam Deitatem; et non dicimus tres Deos, aut substantias aut naturas, sed unum Deum, unam naturam et unam substantiam. Et sic veneremur et affirmemus trine in proprietatibus, et unice in Deitate, cum sit elevatus ab omni modo demonstrationum; unde scilicet dicimus, illum esse distinctum et unitum, ex his quae sunt in sensibus, intelligamus, hoc

esse non potest. Ne mireris, inquit Basilius ad fratrem suum, si dicamus, eundem unitum et distinctum esse. Haec enim per fidem et non per demonstrationes tenere oportet, et fides a quaestione libera est; et intellectus non quiescit ab investigando, sed audet extendere se per omnia, ut Deus; et habet duas potentias, unam naturalem, alteram supernaturalem: per naturalem per syllogismum a sensibilibus potest figurare divina; et per supernaturalem non eget syllogismo, per quem sciat Deum, quando est purus et castus; at fides sufficit. Non enim dicit: quis ascendit in caelum, et descendere fecit Christum, et quis descendit in abyssum inferni, et resurgere fecit Christum a mortuis? sed tantum fide vivit. At non est unusquisque capax huius rei, propterea utimur rationibus. Itaque investigamus Deum, qui est nobis proximus, per quem vivimus, movemur et sumus, et a creaturis suis invenimus eum, qui est id quod est, immortalis, vivus et intellectualis; quia ex his tribus donis videmus creaturas existere, id est ut sint, vivant et intelligant, eo quod nihil potest esse constitutum in creaturis, cuius principium non sit apud ipsum Deum. Igitur in ipso est principium bonitatis perfectae, continentis omnes substantias per suam totalem providentiam, et in ipso est principium sapientiae intellectualis omnium creatricis, quia ipse est sapiens solus, ut testatus est Paulus; et in ipso est principium vitae vivificantis omnia, ut inquit Salomon: Spiritus tuus bonus in omnibus inhabitat. Pater ex sua praesentia est, et non ex aliqua causa, propterea ab ipso denominatur omnis paternitas, quae est in caelo et in terra. Filius est Verbum Dei et sapientia, et per ipsum creata sunt omnia; Spiritus vero sanctus est fons vitae essentiae, per quem omnia vivunt. Et istae tres Personae, eo quod sunt perfectissimae, nobis sunt unus Deus, sicut testatus est Theologus: divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operantium sunt, idem autem Deus. Nomina vero convenientia Deo toti divinitati competunt; et nomina communia de tota divinitate dicuntur; et quidquid fit per virtutem naturalis deitatis, tribuitur toti Trinitati. Et sic sumunt omnes naturae existentiam ab uno fonte abundanti essentiae aeternae in similitudine solis, qui dat singulis generibus fructum variarum arborum, gustum naturae suae sine confusione et mutatione. Et sicut sol producit splendorem, et caliditas procedit ab utroque, hoc est a sole et splendore, sic Filius generatur a Patre, et Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Non enim dicimus, unquam caliditatem procedere a sole sine splendore, nec a splendore sine sole, sed sic ordine recto dicimus, quod splendor habet modum generationis a sole, et caliditas modum processionis a sole et splendore; et sic Filius genitus, et Spiritus sanctus procedens est alio modo a modo Filii. Propterea Pater et Filius aequales sunt in spiratione activa, eo quod sunt vita et principium vitae perfectae, quia exponitur Spiritus vitae, spirituales autem, hoc est, habentes vitam. Et vita intellectualium est

ex igne et spiritu non elementari, sicut canit David: fecit angelos suos spiritus, et ministros eius ignem urentem. Et vita plantarum et ceterorum est ex igne et spiritu elementari, et ista simul evanescunt secundum scripturam: aufers spiritum eorum, et morientur, et ad terram eorum revertentur. Et intellectuales, etiamsi naturaliter vivant, attamen sunt facti et causati. Sequitur necessario quod per gratiam vivant, et non perfecte ex se et per se, ut apostolus testatus est: per quem vivimus et movemur et sumus. Etiam scriptum est: dedit eis vitam aeternam; hoc perpetuitatem gratiae indicat, quia si cohiberet suam gratiam, absit, deficeret enim perpetuitas vitae eorum. Ergo donum non succiditur, nec vita corrumpitur. Vita enim divina non sic, sed est supra omnes mutationes et accidentia et tempora et causas, et est simplex et origo omnis vitae et causa, quia simplicitatem puram habet natura divina sine compositione Deus. Propterea Spiritus sanctus non procedit pulsatione vocum nec commotione aëris; praeterea non est creatus a sapientia: ergo non est privatus persona, sed est persona perfecta et omnipotens cum Patre et Filio. Propterea Spiritus Dei est semper cum Verbo suo, et sic ex se et per se vivit semper natura divina vita simplici, sine mediatione alicuius rei, eo quod est origo omnis vitae, sicut psallit filius Isai: qui tecum est fons vitae. Spiritus autem, qui est in nobis, non habet tantum ex natura sua vitam, sed mediante aëre. Spiritus enim Dei non est sic; non enim attrahit aliquid extra se, quia non est compositus sicut nos; omne compositum, quia imperfectum, componitur, ut perficiatur. Deus enim perfectus est omnibus suis proprietatibus. Ergo motio Spiritus sancti est in se, propterea non procedit tantum ab una persona. Itaque audite, quod dixerit Filius dilectis suis: ego sum via, veritas et vita. Et: cum veniet Spiritus veritatis, ipse reget vos in omni veritate. Ergo Spiritus veritatis a veritate procedit sine contentione. Etiam dicit: ego in Patre meo, et Pater meus in me est. Et: ego et Pater meus unum sumus. Si Filius et Pater unum sunt ad invicem, et ipse est via et porta, et sine ipso nihil ingreditur ad Patrem: ergo et sine ipso nihil a Patre procedit. De Spiritu autem sancto sic dicit: de meo accipiet et renuntiabit vobis. Et: omne quod meum est, tuum est, et tuum meum est, dixit ad Patrem. Si Spiritus sanctus a suo accipiet, et ipse est aequalis Patri suo in omni possessione, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis, quis negabit, privando eum Spiritu sancto? Ecce ut Pater habet vitam in se, sic dedit Filio habere vitam in se. Ergo iuste oportet credere vere et indubitanter cum ecclesia sancta Romae, quod Spiritus sanctus procedat a Patre et Filio tanquam ab uno principio, et una spiratione activa sine dubitatione et mutatione.

De generatione aeterna Verbi Dei ex Deo Patre.

CAPUT III.

In principio erat Verbum, indicavit Ioannes. Berescith autem est vocabulum hebraicum; chaldaice principium interpretamur. Et quare dixit in principio, et non in primo? Quia primo refertur ad secundum; si est primum, necessario et secundum; si secundum, et primum. Non autem sic principium; quia si est primum, est etiam principium; non autem si est principium, est primum. Principium est hora prima diei primi, sicut etiam scripsit Moyses: in principio creavit Deus caelum et terram; sed etiam si principium sit hoc vocabulum, sed determinatum est, quia in ea incepit Deus creare creaturas. Berescith autem Ioannis non sic est principium, quia non inchoavit Deus noviter generare Filium, propterea non est determinatum, eo quod sequitur: erat Verbum; indeterminate autem quando erat. Ecce aperte sublati sunt terminus et tempus et quidditas e medio, quia ad Berescith Moseos de operibus Dei vera nobis ostendere pertinebat. Berescith autem Ioannis de generatione aeterna et incomprehensibili Dei veri de Deo vero nobis aperiebat. Et etiam dicit, quod ipsum Verbum erat apud Deum, et Deus erat ipsum Verbum. Ostendit autem nativitatem Filii essentialem a Patre essentiali, qui non est genitus, ut corpora, in loco et tempore et decisione et materia, sed sicut verbum ex anima, quod quotiescunque anima est et cogitat, necessario etiam verbum secum est; et quotiescunque verbum et anima, et omnis anima est verbalis, et omne verbum est animale. At ex anima verbum, et non ex verbo anima. Et sicut voluntas animae per verbum procedit ad manifestationem, sic voluntas latens Patris per Filium, virtutem eius et sapientiam, manifestata et patefacta caelestibus et inferioribus, sicut indicavit theologus, filius Tharsorum: sapientiam autem loquimur apud perfectos; sapientiam non huius saeculi, neque principatuum mundi huius, qui deficiunt, sed loquimur sapientiam Dei in mysterio, quae erat celata, et Deus praedestinavit eam ante saecula ad gloriam nostram. Etiam dicit, quod hoc erat in principio apud Deum. Deus enim est hoc Verbum, et apud Deum est, cum non sit aliud id, quod est; sed id quod est, est quod est apud ipsum. Varietas enim in nullo substantialiter, sed in personis est distinctio, eo quod unus est apud alium. Ecce sicut sol ex internubibus apparuit. Ibi enim Verbum apud Deum; hic vero Deus apud Deum. Ibi demonstratio apud veritatem; hic vero veritas apud veritatem. Bene divinus scriptor totum mysterium theologiae terminavit in brevitate sermonis. Et etiam dixit: omnia per ipsum, et sine ipso factum est nihil. In hoc enim *omnia* nihil reliquit, quod non est inclusum et determinatum in ipso: prosdiorismos enim includens omnia. Nihil enim est extra omnia. Ergo fidele est verbum et dignum ut credatur, quod Verbum erat in principio non determi-

nato et temporaneo: creavit Deus caelum et terram, iuxta Paulum: in ipso autem fecit saecula, et per ipsum creatum est omne quod est in caelo et in terra, omne quod videtur et non videtur. Igitur patet, omne quod est, intellectu et sapientia fit, sicut Sapiens affirmat, quod Dominus in sua sapientia posuit fundamenta terrae et constituit caelum in sua intellectione. Propterea Filius Verbum intellectus Dei vocatur a philosophis spiritualibus, eo quod intellectus est virtus rationalitatis, et rationalitas virtus animae. Et Theologus etiam affirmat: Christum esse virtutem Dei et sapientiam Dei; et Sapientia dicit de seipsa: ego ex ore Altissimi processi. Et Salomon etiam in sua sapientia magna affirmat, quod Deus sit Pater suus, et Dominus omnium dilexit eam; quia est a secretis Dei et a consiliis; et sic per Verbum Filium, sapientiam Patris omne quod est, accipit esse, et per gratiam suam magnam in principio compactionis suae, proprii generis nostri, vocavit nos et fecit nos ad imaginem et similitudinem suam; et omnis imago participat ideam in identitate nominis, etiamsi non in identitate termini. Et dum hunc gradum magnum honoris sive dignitatis suscepit genus nostrum, invidit ei satan, et traxit naturam humanam ad legem peccati, et corrupta est et maculata est effigies imaginis suae, et senuit pulcritudo eius in peccato; et cum multos medicos constituisset factor eius, nullus ex iis potuit facere, ut illa possideret sanitatem.

De secunda generatione Filii aeterni, qui incarnatus est et natus est iterum in carne.

CAPUT IV.

Quid igitur? Videns omnium factor, quod corruptum est opus manuum suarum, et fuerunt sacerdotes et levitae et prophetae, nec potuerunt vulnera eius sanare nec sublevare, misertus est eius et coepit opem ferre ei. Et quia congruebat, ut genus humanum per eum haberet renovationem, per quem acceperat esse, propterea ille qui natus est ante tempora a Patre sine matre, factus est homo in generatione temporanea, a Maria sine patre, sicut dixit Baruch: nascetur ex Virgine in Bethlehem, et exitus eius ante saecula, eo quod ei tantum conveniebat haec dispensatio. Et cum esset in forma Dei invisibilis, exinanivit seipsum, formam servi accipiens; et descendit Filius Dei Verbum a sinu Patris sui, et habitavit in ventre matris suae Mariae virginis, et sumpsit ab ea naturam humanam perfectam anima et corpore, et univit eam substantialiter suae personae, ne sagittae inimici eius in genus humanum iaciantur, et venenum aspidis, sicut antea, illud offendat. Et sic ambae naturae, divina et humana, terminatae sunt in una persona Verbi, eo quod natura humana non secum tulit personam humanam, quia non habebat subsistentiam ante unionem; propterea terminata est in persona Verbi, ut oliva syl-

vestris, quae inseritur in oliva bona, et sic subsistentia radicis primae terminat ambas naturas sine confusione, quia cum efformatione facta in ventre, impleta est Spiritu sancto et a Spiritu sancto concepta est et unita est personae Verbi substantialiter. Ac etiamsi a Spiritu sancto concepta est et eo impleta est, nihilominus Verbum incarnatum est et genitum est ex beata Maria semper virgine. Ne quis autem ponere possit in medium blasphemiam haereticam, angelus confirmavit hoc aperte, eo quod inquit: quod Spiritus sanctus superveniet, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; propter quod id quod nascetur ex te, sanctum est, et Filius Altissimi vocabitur. Quia Spiritus sanctus in dispensationibus divinis dirigit ad id quod decet intellectuales, sicut scriptum est: misisti enim Spiritum sanctum tuum de caelis tuis, et sic semitae factae sunt super terram, et didicerunt homines voluntatem tuam. Et quemadmodum est facta visitatio ad Saulum, primus impletus est Spiritu sancto impositione manus Ananiae, et cecidit ex oculis quid simile squammis, et mox coepit praedicare de Iesu, quod sit Filius Dei. Propterea post suam obedientiam determinavit et confirmavit, quod non sit ullus, qui in Spiritu Dei loquatur, et dicat quod Iesus sit anathema, neque ullus dicere potest, quod dominus est Iesus, nisi in Spiritu sancto. Propterea Spiritus sanctus coepit splendere in dispensatione Domini, et a Spiritu sancto conceptus est. Sed Verbum factum est caro, et univit naturam humanam suae personae, et sustinuit humilia cum sua carne, et natus est ex sua Matre, cum non mutatus sit aut variatus in sua natura aeterna; neque separatus est aut secessit a sinu paterno, quia illi aequalis est; non quod sua natura per conversionem caro facta est, aut conversa in totum hominem ex anima et corpore. Et neque natura illius divina principium sumpsit a Maria virgine sancta, sed naturam humanam univit suae personae, et sic in una hypostasi natus est ex beatissima Virgine. Quia Verbum per unionem substantialem caro factum est in utero purae Virginis, et ex Spiritu sancto virgo concepit iuxta annuntiationem angelicam. Igitur id quod concipitur, necesse est ut nascatur; et sic Deus Verbum appropriavit sibi nativitatem carnis ex beata et benedicta sancta virgine Maria. Propterea recto vocatur et vere est conceptrix Dei et genitrix Dei veri, qui ex Deo vero; et mater Dei, qui est super omnia.

De distinctione recta Personae.

CAPUT V.

Dicimus autem, quod essentia significat id quod est, et persona est, quae facit subsistere id quod est. Essentia autem continet principia speciei, quae definitione explicantur. Persona autem addit ad principia speciei principia individuationis. Igitur persona est substantia indivisibilis in se et incommunicabilis alteri, ita ut persona sit

subsistens in natura intellectuali in se et ex se, dum est distincta actualiter a natura, quam ipsa facit subsistere. At in divinis non sic, sed substantia et essentia et similia, quae non dicuntur ad invicem, tribus personis sunt communia. Et quia ponitur relatio opposita originis, propterea actualiter distinguuntur hypostases a se invicem et non ab essentia, quae est communis personis divinis. In his autem creatis substantia est communis essentiae et subsistentiae et personae, quia hae omnes sunt substantia. Essentia autem est substantia, quae declaratur per genus et differentiam; subsistentia est substantia, quae ultimo constituit res, ut sint extra suas causas; persona autem est substantia, per quam aliquid stat per se et ex se, dum est distinctum ab omni alio. Essentia enim in Paulo est animal rationale. Subsistentia est id, per quod ultimo est extra suas causas. Persona autem est id, per quod existit incommunicabiliter. Paulus enim non communicat cum Petro, sicut si quis dicat: ego, tu, Paulus, distincti sumus ab invicem. Ego autem personam meam ostendo, quae facit subsistere meam naturam; nisi ego essem, natura mea non subsisteret. Et sicut tu et Petrus facitis unusquisque subsistere naturam ne cadat, propterea dicimus in unitate Christi naturas personae et non personas naturarum, ut si quis dicat: anima mea, corpus meum, natura mea. Eodem modo puta de singulis personis. Et etiam operationes animae et corporis praedicantur ad invicem, et operationes utriusque praedicantur de persona, ut illud Samsonis: moriatur anima mea cum Philistiim. Patet enim animam non mori. Et ecce dicitur de illa mors corporis metaphorice, et fuerunt etiam mortui, qui mortui sunt in morte Samsonis, qui est persona, plures quam mortui sunt in vita eius. Ecce etiam dicitur mors de persona, quia illius sunt anima et corpus, eo quod ipsa est quae terminat ea. Itaque fratres, qui vult relinquere omnes haereses et conformare se orthodoxe in fide catholica, sic debet considerare duas naturas unitas, Dei et hominis, cum vult perfecte tribuere omnes proprietates et actus personae Verbi, tam sublimia et alta, quae habet natura divina, quam infima et vilia, quae habet natura humana, et sic liberatur ab omni fictione falsa. Si autem corpus et anima, quae sunt composita ad tempus, et per mortem iterum dissolvitur illorum compositio, sic terminat persona omne quod habet, sicut supra ostendimus, quanto magis persona Verbi, quae neque per mortem amisit suum? Anima enim reliquit corpus; at Verbum per unionem substantialem non recessit neque a corpore neque ab anima. Quod enim assumpsit, non amisit, nec amittet. Sic enim omnis possessio perfecta utriusque naturae invariabilis in suis proprietatibus, est propria personae Verbi. Ex his quae diximus patet, quod Filius Christus totus est Deus, et totus est homo sine variatione naturarum.

De duabus voluntatibus et duabus operationibus in Christo.

CAPUT VI.

Omnis, qui fatetur unum Filium, eget reciprocatione proprietatum Dei et hominis, quia quemadmodum habet duas naturas perfectas, sic duas operationes, duas voluntates et duos intellectus, eo quod naturae deitatis et humanitatis non mutatae sunt per unionem substantialem. Sequitur etiam, proprietates earum conservari in eis sine mutatione. Praeterea dicimus, in Verbo esse duas voluntates, divinam scilicet, quae est communis aliis personis divinis, et humanam, quam proprie habebat, eo quod ipse solus et non aliae personae terminabat naturam humanam. Idipsum aperte ostendit Dominus noster dicens Patri suo: fac a me transire calicem istum. Et mox: at non mea, sed tua voluntas sit. Hisce verbis aperte demonstravit se habere duas voluntates. Quando enim dixit: non sit voluntas mea, non poterat loqui nisi de humana tantum voluntate, quam ipse solus habebat. Quando autem dixit: sit voluntas tua, patet ipsum loquutum esse de divina, quae actu erat in tribus personis, eo quod non erat neque opposita alteri personae oppositione originis; ut enim diximus superius, omnia sunt unum in divinis, ubi non obstat relationis oppositio. Et quemadmodum habet duas voluntates, sic et duas operationes, quia ea quae habent unam operationem, necessario et unam naturam. Ex duabus naturis dissimilibus non potest procedere una operatio. At virtutes et voluntates Dei et hominis non per se et ex se singulae in natura sua divisibiliter et separabiliter operabantur, sed ordine ad invicem agebant sua naturalia, sicut naturae ordinatae erant sine confusione et divisione, quia unus erat a quo fiebant. Sicut culter in igne comburit et incidit, incisio autem est ferri, et combustio ignis, et incisio est aliud, et combustio aliud, et ab uno ambae fiunt naturae. Et sic in Filio admirationis Iesu reperiuntur duae operationes, ordinatae ineffabili admiratione.

Datum in civitate Amed anno 1927. Alexand. Praec. mense benedicto Martio die Sabbati 9. per abiectum presbyterum Abdelchad.

Humilis Elias per gratiam serviens sedi sancti Thaddaei orientis.
Humilis Timotheus archiepiscopus Ierusalem.
Humilis Gabriel.
Humilis Ioseph.
Humilis Elias.
E cubiculo patriarchali orationes et benedictiones concedantur vobis.

XVIII. Postremo ab eisdem patribus Amed coactis scriptum missum fuit ad summum pontificem hoc titulo:

Sermo contra haereses dissentientes a veritate Ecclesiae Catholicae Romae.

Nestorius ait, Iesum Christum esse hominem simplicem. Et videtur etiam asserere duos filios ex tota doctrina sua, unum assumptum, alium assumentem, unum latentem, alium patentem, unum habitationem, alium habitatorem, et tanquam per societatem, ipsam unionem substantialem divinitati et humanitati includit. Propterea sic contra eum dicimus: si enim vere est unio ad duo, necessario duo sunt; at unus est solus Christus; in unione enim substantiali et vera inconfusae permanserunt naturae; nam etsi ex alio et alio constitutus est Christus, at non est alius et alius. Omne compositum ex partibus imperfectis componitur; ideo patitur mutationem accidentium. Non ita unitas Christi (absit); ex duabus enim naturis perfectis constituitur unitis substantialiter; propterea est supra omnes mutationes et accidentia; natura enim divina incommutabilis est, ut scriptum est: ego sum Deus et non mutor; et etiam natura humana similiter ex se et in se existeret, nisi a persona divina assumeretur, tanquam magis hypostasis terminaretur. At id, quod est proprium Verbo, non est commune Trinitati, etiamsi tres personae mysterium incarnationis sint operatae, sed Verbum solum incarnatum est et homo factum in unitate personae, non naturae. Si unus est Filius, ergo et una persona; non enim possunt duo hypostases existere simul in uno. Propter hoc testatum est Verbum de unitate suae personae, quae terminat duas naturas dicens: amen, amen dico vobis, quod veniet hora et nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, et hi qui audient, vivent. Et demonstrans unam hypostasim indivisibilem terminantem duas naturas, iterum dixit, quod sit ipse Filius hominis: non admiremini, quod veniet hora, cum omnes qui sunt in sepulcris audient voces eius et egredientur.

Etiam dicit Nestorius, infans Domini et Dominus infantis. At non sic: hic enim necessario ingreditur relatio ad aliquid et dividit in duo, sed statim caro, caro Domini, statim anima, anima Domini, statim infans, infans Domini, et sine praepositione *daleth*, quae est apud Chaldaeos signum relativi.

Etiam dicit de sacramentis vivificantibus, corpore et sanguine hominis simplicis sine Deo nutriri nos. Absit; verum enim corpus Dei manducamus, sed Dei incarnati; vere sanguinem hominis bibimus, sed hominis Dei; vere corpore et sanguine hominis reficimur, at hominis, qui fuit in anima vivens et in spiritu vivificans: illius hominis, quem vocavit Daniel vitam Dei dicens: quod inspicietis vitam Dei ambulantem super terram, et non intelligetis, quia in similitudine hominis ambulabit super terram; illius hominis qui dixit: ego sum panis, qui de caelo descendi; illius hominis, qui promisit se ascendere ad regionem, in qua erat prius; illius hominis, qui dixit: nemo ascendit ad caelum, nisi Filius hominis, qui de caelo descendit.

Non enim unquam manducamus id sine Deo; absit. Si Filius vera est sapientia Patris secundum theologos: ergo scriptum est de sapientia, quod aedificavit domum, hoc est ecclesiam, et constituit in ea septem columnas, hoc est septem sacramenta dominica, quae recipit ecclesia catholica Romae, de qua specialiter dictum est hoc, quod sit fundamentum verum et mater ecclesiarum; et etiam mactavit suum sacrificium, et commiscuit vinum suum, et praeparavit mensas suas, hoc est corpus et sanguinem Domini. Igitur hoc corpore et sanguine Filii, sapientiae Patris, proculdubio nutrimur.

Etiam distinguit nomina dominica, quod Iesus sit humanitatis, et Dominus divinitatis et Christus divinitatis et humanitatis. Sed non ita: si enim naturae non possunt dividere unitatem Christi, quanto minus nomina, quae sunt extra naturas? Sed omnia nomina dominica cum naturis et proprietatibus una persona Verbi terminat, ut dictum est. Scriptum est etiam in Isaia: ego vivo, ait Dominus, et mihi incurvabitur omne genu. Et apostolus concludit: in nomine Iesu omne genu flectatur. Ergo Iesus est verus Deus, et non homo simplex. Audi quid dicat ad Patrem: Pater, clarifica nomen tuum; et vox audita est de caelo: clarificavi, et iterum clarificabo. Propterea iterum dixit: quia Pater est, qui me clarificat. Et scriptum est: gloriam meam alteri non dabo. Ergo non est alter a Deo Iesus Christus; sed ipsemet est Deus, qui operatur divina et humana, quia eiusdem sunt ambo, eiusdem est nativitas ante tempora, et eiusdem est nativitas temporalis: idem Filius Dei, et idem Filius Mariae: est unum quid cum Patre, et unum quid cum matre: is qui iacet in praesepio, et eo plenum est caelum et terra; ipse est infans qui crescebat statura; ipse est senex dierum, quem vidit Daniel in revelatione: ipse est splendor a Patre, et resplenduit etiam a domo David, sicut prophetavit Ieremias: ipse est qui laboravit, et dat requiem defessis: is est, qui esurivit et satiat esurientes: ipse est, qui sitivit et habet aquam vitae: is est, qui passus est et ipse est impassibilis: ipse est, qui mortuus est et vivificavit etiam mortuos: ipse in calvario et ipse super thronum gloriae: in carne eius sunt infixi clavi et lancea, et sanguis stillabat super membra eius: et qui non comprehenditur, includitur in sinu: ipse, qui descendit ad inferiora terrae, et ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris sui. Igitur fratres, ne admiremini neque perturbemini audientes haec vocabula de uno Filio, sicut fecerunt multi deficientes a veritate, ponentes divisionem in unitate indivisibili, quae existit in una hypostasi, varie vocabula confundentes, quae de illo praedicantur, et iuxta duas naturas non similes, quas habet, quia hae naturae postulant proprietates necessario. Praeterea aliquando divine, aliquando humane operatur; aliquando divina de homine, aliquando humana de Deo dicuntur in una subsistentia Verbi. Idcirco omnis, qui sollicite non amplectitur hoc dogma, nunquam liberatur a seductione obscura haeresum. Igitur debemus fugere a vocibus blasphemis et audire fidem rectam Iesu Christi, qui substantialiter erat perfectus et

rectus; et non per accidens iustificatus est et perfectus iuxta opinionem haereticorum. Absurdum enim est, fratres, ut quis cogitet de illo qui a Spiritu sancto conceptus est, et Spiritu sancto impletus est, dum est in ventre materno, egere sacrificiis, ut pro se offerret, et sic paulatim perficeretur et dignus fieret dignitate pontificia. Peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, sicut ipse testatus est: quis ex vobis potest me arguere de peccato? Ideo dictum est illi a Deo per Davidem: tu es sacerdos in aeternum. Et Apostolus vocat eum Filium perfectum et aeternum. Itaque patet, nullum esse in creatis, cuius dignitas pontificia in aeternum durat; nec in rationalibus, qui habeat perfectionem totalem, nec in hoc saeculo, nec in illo futuro, sicut dixit quidam theologus, quod perfectio huius novi saeculi, quam docent scripturae et patres asserunt, non sit in comparatione perfectionis completae Dei, sed in comparatione carentiae et defectus et compositionis saeculi huius in comparatione ad illud saeculum spirituale. Si enim in saeculo novo ita proficiuntur sancti, ut non sit sumere gratiam, nec dare gloriam, nec solvere, neque praestare gratiarum actionem ob perfectionem illorum, deficit igitur ratio, ut sint sine necessitate completae; nulla est enim perfectio completa, sed soli naturae divinae, quae dat perfecte et non deficit. Ita Iesus Christus non est perfectus eo quod accipit, ut sancti, perfecte, sed eo quod perfecte dat, ut Deus. Non enim surrexit inter natos mulierum maior filio Zachariae, et clamat: egeo a te baptizari; neque ullus est perfectior Ioanne minori, qui in suo beresith tetigit occulta ante saecula, et patefecit abscondita divina; et testatur nos omnes accepisse a plenitudine eius. Ex hoc necessario sequitur, ut Iesus Christus dominus gloriae substantialiter et proprie sit perfectus in aeternum.

Etiam dicit Nestorius, tanquam in templo divinitatem in humanitate inhabitare accidentaliter et non substantialiter, et Christum esse hominem simplicem, idcirco non vocari Mariam virginem sanctam Dei genitricem, sicut nec matrem Moysis appellari matrem Dei, eo quod vocatus est filius eius Deus. Et haec blasphemia scelere est plena, eo quod Moyses non est filius Dei, sed filius Amram; et sequitur necessario esse illius a quo natus est. Christus enim est Dei Filius, propterea Deus est. Anne audistis legem per Moysem datam esse; veritatem autem et gratiam per Iesum Christum existere. Moyses enim metaphorice nominatus est Deus Pharaonis, unius porsopae. Christus autem non nuncupatus est, sed est Deus super omnia: Deus magnus, inquit Paulus. Et alibi esse multos deos multosque dominos; sed nobis unus est Deus Pater, per quem omnia, et nos per ipsum; et unus est dominus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. Igitur inanis est haec opinio existimare Christum esse hominem deiferum, aut non perfectum deitate, sed in parte plusquam alii sancti. Quidam theologus sic dixit: divinitatem Christi non esse partem neque totum. At Apostolus indicavit, quod Filius Dei Iesus

Christus non erat *est* et *non*; sed *est* erat in ipso: propterea non est Deus in Christo dubitanter; sed Deus in natura est Christus, eo quod habitaverit in eo plenitudo divinitatis corporaliter, ut dixit Apostolus; hoc est non solum spiritualiter habitavit Deus in Christo per gratiam, sicut in uno sancto, sed etiam corporaliter in illius corpore, quod erat substantialiter unitum personae divinae. Et sic dicas: Apostolus dixit plenitudinem divinitatis, et non specialiter Deum Verbum, et hoc sequitur tres personas, propterea impossibile est. Parce mihi: audi Filium dilectum quid dicat: Pater meus, qui in me habitat, ipse facit haec opera. Modo certum est, nullum accidens aut mutationem esse in natura divina; sed est sicut erit, et erit sicut est. Igitur essentialiter habitat in ipso Pater, et ex hoc necesse est, ut Spiritus sanctus ex eo procedat tanquam ex Patre; et ipse habet substantialiter corpus naturae suae humanae, et sic in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et si forte non sufficit tibi hoc, audi, dicam aliud clarius. Apostolus enim sollicitudine magna in epistola ad Colossenses agens de plenitudine divinitatis et humanitatis Christi, quomodo existant in una hypostasi indivisibili et indistincta, propterea sic dicit: ille qui est similitudo Dei invisibilis [sic!] quae de sua divinitate ostendunt. Et mox de sua humanitate dicit, quod ipse est caput corporis ecclesiae qui est principium et primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, et in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Modo vero in ipso capite corporis ecclesiae inhabitat omnis plenitudo cum donis, quae sunt in ea, sive quae sunt in caelo sive in terra; at non sine divinitate sua, sed cum divinitate sua, eo quod prius affirmaverit ipsum esse imaginem Dei invisibilis, et inde mox in ipso inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, hoc est non sine humanitate, sed cum sua humanitate, nec spiritualiter tantum, sed etiam corporaliter. Ibi enim corpus corporatum secum tulit imaginem Dei invisibilis ad communicationem plenitudinis eius. Hic enim invisibilis communicavit corpori in sua plenitudine; et volens Apostolus congregare duas plenitudines in una hypostasi, iterum praecipit Colossensibus et dicit: expoliate veterem hominem cum omnibus suis actibus, et induimini novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum, ubi non est gentilis et iudaeus, nec circumcisio et praeputium, nec barbarus et scytha, servus et liber; sed omnia et omnibus Christus. Hic enim terminatur, quod scriptum est: Deus omnia et in omnibus; et tota haec plenitudo et perfectio completa eius, qui omne in omnibus perficit.

Deprecatio auctoris.

Accensus est calamus et charta in igne tuo Jesu, intellectus intellectuum rationabilium, et defatigatus est et quievit subtilis intellectus ab investigando mysteria tua ineffabilia. Inflammati sunt

oculi et debilitati digiti, et permanserunt ab affigurando tuas similitudines, quae non assimilantur, cum non sit praeter te aliquid, per quod comprehendaris. Propterea concitatum est cor meum super calamum, et volo effringere eum, qui me decepit, et gratis me defatigavit in frequentia scripturarum atramentalium, et non perduxit me ad portum terminorum tuorum interminatorum. Sed tu omnipotens educ me tuo rete a profundo ignorantiae ad portum gratiarum tuarum et sim tua pars. Amen.

Oppositio contra dogmata Theodorica.

Theodorus dixit, stultitiam dicere, post resurrectionem sufflantem Dominum nostrum in suos discipulos dedisse eis Spiritum sanctum, aliter frustra diceretur eis: manete in civitate Ierusalem, donec induamini virtute ab alto. Nos enim dicimus, illam esse magnam stultitiam, ut quis ponat terminum et tempus et limites personis divinis simplicibus. Ecce enim Filius a Spiritu sancto conceptus est, et in suo baptismo descendit super eum Spiritus sanctus sicut corpus columbae; et certum est, quod non accepit de novo Spiritum sanctum, quasi non haberet. Propterea credimus et fatemur, vere apostolos accepisse Spiritum sanctum a domino nostro Iesu Christo ante passionem, et post resurrectionem suam ante ascensionem, et post ascensionem suam per donum dignitatum. Ante passionem enim cum ordinavit eos ministros et misit eos binos binos, et dedit eis potestatem super spiritus immundos expellendos. Et hoc aperte demonstravit Dominus, cum eos misit, asserens eis: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquetur in vobis; non enim dixit: loquetur pro vobis, sed in vobis. Et sic post resurrectionem suam insufflavit in eos, et acceperunt Spiritum sanctum et virtutem dimittendi peccata. Etiam ante ascensionem extendit manus suas super eos et benedixit eis, id est et consolabatur eos promissione Paracliti dicens: ego orabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, quod interpretatum est Spiritus consolationis, ut consolaretur illorum tristitiam. Et volens magis confirmare eos dixit: est in vobis et habitat apud vos; non enim dixit: apud vos habitat tantummodo, sed et in vobis est, ostendens per hoc, quod sit unus quem accepistis antea et quem accipietis postea. At divisiones gratiarum distinctae sunt, sed unus est Spiritus; et sic apostoli per descensum Paracliti susceperunt consolationem et spem rectam.

Etiam affirmat, quando dixit Thomas: dominus meus et Deus meus, Christo, non dixisse ei, ac si ipse esset dominus eius et Deus eius, sed clarificasse Deum propter opus mirabile, quod vidit in sua resurrectione. At respondit aperte Thomas et dixit: dominus meus et Deus meus; per hanc distinctionem ei clare ostendit tantum Christo dixisse: dominus meus et Deus meus. Nisi enim adesset haec dictio, forte aliquis dubitare de hoc posset.

Etiam de eo quod dixit Simon in actibus apostolorum: poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine domini Iesu, dicit hoc nomen non esse Dei, sed hominis Iesu; et quia ab eo inventus est baptismus, nuncupatur suo nomine, et habet distinctum sensum ab eo, quod praecipit Dominus baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. At neque haec opinio vera est; nomen enim pertinet ad communitatem (non autem impedit personas divinas) praeter personam genitoris et geniti, et processionem activam et productionem. Propterea dum aliquis dicit in nomine Patris, commemorat implicite tres personas divinas, in nomine Filii, aut in nomine Spiritus sancti tres personas invocat. Non enim praecipit Dominus baptizari in nominibus Patris, Filii et Spiritus sancti pluraliter, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti singulariter, quia unus est Deus, sicut dixit Filius: Pater clarifica nomen tuum; et etiam dicit: est Pater, qui me clarificat. Ecce enim unum nomen praedicatur de ambobus, quis non est oppositio relationis. Etiam dixit: Paraclitum Spiritum sanctum mittet Pater in nomine meo, et sic in nomine Filii etiam Spiritus sanctus mittitur a Patre. Ergo nullo modo distinguitur baptismus collatus per sermonem Simonis, qui praecepit in nomine domini Christi, ab eo, quo praecipit Dominus noster baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Illud enim, quod praecepit Simon baptizari in nomine domini Iesu, hoc est, ut obtemperent praecepto domini Iesu, et baptizentur baptismo, quem docuit; quia neque ignorabat Simon id, quod praecipit Dominus, baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Etiam negat prophetias factas esse de Christo. O homo! quid respondès Iacob? qui prophetavit de Christo nascituro de semine Iudae, qui aperte dicit: non peribit sceptrum e Iuda, et dux a pedibus eius, donec veniat cuius est venire, et ipsum expectabunt gentes. Et Daniel affirmat de hoc dicens ad suos: veniet et sui non cognoscent eum, et dixit: non possum explicare de illo, quid sit, sed in spiritu secretum de illo dicam. Etiam Philippus inveniens Nathanael sic ei dixit: quem scripsit Moyses in lege et in prophetis invenimus Iesum, filium Ioseph a Nazareth. Et clarius Iesus docuit Lucam et Cleopham, incipiens a Moyse et prophetis interpretari illis de seipso. Breve mihi iam tempus est enarrare de singulis prophetis, quomodo de illo prophetaverunt, et quomodo completa sunt de ipso verba eorum: non enim dico, quia prophetaverunt de ipso; venit, sed quia venturus erat, prophetaverunt de illo.

Etiam dicit, quod Deus Verbum non substantialiter ex Virgine natus est, sed associatus est cum eo, qui est ex substantia Virginis, propterea omnino non decet vocari matrem Dei, sed Christi tantum. Et exponens verbum Domini dicentis: Pater, qui in me habitat, facit opera haec; hoc confirmat, ab homine Iesu dictum esse ad Patrem Deum. Hoc est: ego ex natura mea humana non possum quidquam facere, sed habitat in me Filius unigenitus, et vere Pater in ipso est;

propterea ipse facit haec opera. Non sic: si enim homo templum est tantum divinitatis iuxta sermonem tuum, quare non dixit: ille qui in me habitat, haec opera facit? sed Pater meus, qui in me habitat, aperte dixit. Hoc ostendit de una hypostasi, quae terminat ambas naturas unius Filii; et quemadmodum Deus Pater huius unius Filii est, sic est etiam Maria mater huius unius Filii. Et si, ut dixisti, homo est habitatio divinitatis, et habitat in ipso Pater, sicut et habitat in ipso Filius: ergo frustra diceretur: Verbum caro factum est; quod absurdum est.

Etiam dicit: humanitas est tanquam forma, qua complet similitudinem illius, quod non est praesens. Bene dicis: illius quod non est praesens, ore proprio iudicaris, quia humanitas Christi non est forma illius, quod non est praesens, sed illius, qui est praesens; propterea homo est imago plena ab idea, quae est Deus, et sic idea complectitur imaginem, et ambae fusae sunt in una formula, quae est persona Verbi, et in una sphaera splendescit gloria ambarum; et sic una adoratione adorantur simul, non tanquam forma vacua a sua idea, et formatur ab alio, quod non est suum. Ecce enim dictum est a domino Deo: venite, faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, quae est apud Adam novum, [et] opere completum est. Itaque omnis imago, quae habet similitudinem perfectam suae ideae, non [est] imago simplex, sed ipsamet idea, sicut philosophi asserunt.

Etiam Theodorus de Christo dicit, quod Spiritus sanctus ducebat eum ad decentia semper, et egebat ab illo habere virtutem, qua adversa vinceret, et purus et iustus videretur. Non sic, si Verbum substantialiter univit naturam humanam suae personae: ergo in ipso est omnis operatio perfecta, quia singulae personae divinae sunt ex se et in se perfectae, et non egent cooperatione alterius ad perficienda sua opera, quia persona removet omnem imperfectionem ab eo, quod terminat, et sic subsistit in se et ex se sine necessitate, et si inveniatur in aliquo imperfectio, ibi non praedicatur persona. Ecce enim homo componitur ex duabus rebus, hoc est corpore et anima, et unumquodque illarum habet operationes distinctas; at non potest anima perficere suas operationes sine corpore, nec corpus sine anima; propterea non praedicatur persona nec de anima nec de corpore; et dum copulantur ad invicem, tunc terminantur ab una persona necessario, et sic producunt suas actiones in actum, et existunt una perfectione et una connexione compositae. In divinis non sic, sed unaquaeque persona est perfecte Deus, et natura perfecta, et usia perfecta; propterea sunt tres personae unus Deus, et illa unitas indivisibilis, quam habent ad invicem, non est ut auxilium sumant et virtutem ad perficiendas suas operationes, sed naturaliter sunt unitae inter se sine confusione, quia una est natura illarum, una potestas, una virtus, una essentia, una maiestas, una fortitudo; et non est una maior, altera minor, neque prior, neque posterior, propterea unus Deus sunt. Et sic Spiritus sanctus non adhaerebat Filio propter necessitatem ipsius Filii, sed propter unitatem naturae.

Etiam interpretatur id, quod dixit Dominus custodienti suum sermonem: ego et Pater meus veniemus et mansionem apud eum faciemus; dixit, hoc non potest esse iuxta carnem, ut possit facere mansionem apud singulos sanctos; propterea adfirmabat hoc tantum convenire Filio Verbo. Nos enim dicimus, quod duae naturae unitae substantialiter non dividunt unitatem unius Filii. Et etiam perversa videtur interpretatio huius rei. Si enim homo causa filii est filius, filius, inquam, non filii, sed patris: ergo etiam Filius Verbum causa hominis est filius matris. Si enim illum, qui non est participans in generatione aeterna, nisi causa unionis hypostaticae in generatione temporali, vocas et est Filius Dei, quanto magis ille, qui est particeps unionis hypostaticae in generatione temporali vocandus et debet esse vere filius Mariae? Et si dicas, non comprehensus est Deus in ventre virginis, etiam hoc nos tecum confitemur. At non est comprehensus, quia non habet limites, non quod pars aliqua eius unita sit homini, sicut tu fateris, sed perfecte in tota sua comprehensibilitate humanatus est. Et sic humanitas cum tota incarnatione deificata est. Propterea credimus vere, quod faciat mansionem cum suo Patre apud unumquemque sanctorum, quemadmodum et cum corpore eius sit in caelo, in ecclesia reperitur in sacramento Altaris, et singuli sumptores sumunt totum corpus perfectum et non particulam, et ipse est, qui est in caelo et in terra. Anne et ego assero? Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris sui explicavit mysterium suae incarnationis dicens: nemo ascendit in caelum, nisi Filius hominis, qui de caelo descendit. Igitur quomodo descendit de caelo, qui in ventre efformatus est? Et etiam dixit: videbitis Filium hominis ascendentem in regionem, in qua erat prius. In qua regione erat prius (quatenus Filius hominis) nisi in vulva virginali? At propter unionem suam hypostaticam cum persona Verbi praedicantur de illo divina. Et si homo ille secundum te est simplex homo, expone nobis, quae sunt ista mirabilia, quae de ipso dicuntur. Sed hic multi intellectus phantasmata passi sunt, et aberraverunt a vero, volentes figurare Deum similitudinibus, et non potuerunt. Propterea beabo eum, qui illuminatus est in eius sapientia, et comprehendit scientiam illam sublimiorem omnibus scientiis, quae est nutrix puerorum in Christo, in quo sunt absconditi thesauri sapientiae et scientiae. Iesus collectus et simplex in parte et in toto, fac me dignum tuis misericordiis aeternis, per quas hoc omne ad esse adduxisti. Nos enim in congregatione nostra assensi sumus huic sententiae domini Timothei nostri, et anathematizavimus et anathematizamus omnem, qui dixit vel dicit vel dicturus erit similes blasphemias.

Datum in civitate Amed anno Graecorum 1927 mense Martio die veneris XV. per abiectum presbyterum Abdelchad.

Sequuntur subscriptiones ut superius.

XIX. Absoluta synodo quaedam carmina composita fuerunt in laudem summi pontificis a Gabriele, archiepiscopo Chaldaeorum seniore, de quibus idem Stroza. Interim pervetustus erat inter Chaldaeos ritus preces Deo fundendi pro summo pontifice ac sancta ecclesia romana. Id enim ab ipsis Chaldaeis accepit laudatus Thomas Novariensis; nam cum ipse interesset orationibus tempore ieiunii, ut ipsi dicunt, Ionae in ecclesia Amed, et saepe audivisset nomen papae repetitum, ab eis qua ratione id agerent, efflagitavit. Illi hanc orandi consuetudinem vetustissimam esse responderunt, studio fortasse Abdiesu Assyriorum patriarchae, a Pio IV. ordinati. Cetera anno insequenti absolvemus.

Idem p. 53 et seq.

XX. Impiorum manibus aliquot fratres vitam commutarunt cum morte. Ac primo quidem Alphonsus a Solitudine laicus, Olmedi in Castella Veteri ortus; in provincia discalceatorum fratrum s. Iosephi solemnia vota primum emisit, mox divisa provincia, alterae s. Pauli eiusdem instituti se adscripsit; anno MDXCIX. ad insulas Philippinas missus, valetudinarium erexit in oppido de Naya, in Camarinensium provincia, ubi summa cum pietate infirmorum curam agebat. Maiorum suorum iussu ad alterum valetudinarium de Bagatao destinatus, ibidem ab irrumpentibus Mauris Mindanais captus navique impositus, manibus subinde abscissis, in aquis immersus est die XXVIII. Novembris. Miro fidei zelo Mahometis superstitionem arguebat.

Alphonsus a Solitudine m. Martinez lib. I. p. 146.

XXI. In pago s. Catharinae, agmine facto a paganis, Mexicum petens, sagitta confossus, cecidit Petrus Guttierez, eiusdem instituti sacerdos, dum egressus cum signo Christi crucifixi pacis verba dicere incipiebat. Eodem loco lancea confixus fuit et Ferdinandus de Tovar, societatis Iesu sacerdos.

Petrus Guttierez et Ferdinandus de Tovar mm. Corduba histor. soc. Iesu part. 6. p 74

XXII. In vitae discrimen hoc anno inciderunt christiani Constantinopolitanam urbem incolentes: nam ob enatam ex quibusdam falsis suspicionibus commotionem, sacerdotes maxime insimulabantur velut exploratores Hispaniarum regis, quia a fide deviis absolutionem impertirent, turcis baptismatis sacramentum conferrent, servosque fugientes exciperent et in christianorum terras remitterent. Hinc imperatoris mandato capitis poenam insequenti anno subiit Ioannes Baptista a Monte Barochio, picenus franciscanus de observantia; sex vero Iesuitae exilii leges tulere; duo tamen ex illis Perae, ut prius, permanere veniam obtinuerunt.

Spondanus ad hunc an. n. 4. Monum. prov. Marchiae.

XXIII. Post innumeros exantlatos labores aetatis suae anno centesimo obiit die XVII. Maii in conventu observantium, Guamagnae in Peruviano regno, Hieronymus de los Nidos, Alburquerqui in Extremadura natus. Din apud incolas illius regionis concionatoris munus obivit, et verbo ac virtutis exemplo multos ad ecclesiae sinum adduxit; provinciae minister renuntiatus, commissam sibi familiam animi mansuetudine ad alacriter terendam religiosae perfectionis viam alliciebat; pane et aqua contentus ac pedester provinciam, licet peraspe-

Hieronymus de los Nidos. Hueber ad diem 17 Maii.

ram et inaccessam, lustrabat, nihil remittens de consueta vivendi ratione, quamvis extra coenobia versaretur. Vultus post sui obitum roseam induit venustatem.

XXIV. In coenobio s. Francisci Moutiliae, provinciae Granatensis, raptus est die V. Iunii Christophorus de Benca̧la sacerdos, qui spreto a suis oblato coniugio, florenti in aetate franciscalium habitum induit in humili conversorum, ut aiunt, statu; verum cum litteris instructus foret, superiorum mandato sacerdotale munus suscepit. Quia vetera ex animis odia facile extinguebat et inimicos feliciter inter se devinciebat; hinc missus ad urbem Bucalanciae, patriam suam, ut dissidia inter cives componeret, ubi brevi post tempore primaevam induxit tranquillitatem; iure igitur angelus pacis vocabatur. Ante sui mortem anno decimo arduum votum emisit, efficiendi quod magis perfectum esset, et quod promisit inculpate complevit. In coenobio s. Francisci de Monte, eiusdem provinciae, obiit Petrus Marquez, item sacerdos et fundator conventus s. Iacobi de Porcuna; saeviebat in corpus ieiuniis cruentisque flagellis; ecstasum dono a Deo illustratus non semel a terra elevabatur.

Christophorus de Bencala. De Torres p. 310.

Petrus Marquez. Idem ibid.

XXV. Obdormivit in Domino in conventu s. Francisci de Logrono, provinciae Burgensis, Ioannes de Iesu, alias Forrecilla, in disseminando Dei verbo assiduus. In hoc ministerio peragendo nudatis pedibus incedebat una manu tenens vexillum, cui picta erat Deiparae imago, altera campanulam, ut populum ad audiendas conciones advocaret. Saepe de laudibus immaculatae Virginis conceptionis mira dicebat auctorque fuit, ut ubique ferme locorum sodalitates sub eius invocatione erigerentur; multorum deviorum corda ad poenitentiam inflexit et miraculorum gloria floruit. Die XXIII. Decembris obiit in conventu s. Francisci Pompelonae, eiusdem provinciae, Bernardinus de Aquero, variorum coenobiorum et illius provinciae praeses. Asperrimam vitam assidue duxit et divinis contemplationibus vacans, non semel nitenti splendore circumfusus adparuit. Prae suae virtutis fama sancti nomen obtinuit.

Bernardinus de Aquero. Mon. prov.

XXVI. Bartholomaeus Raposo sacerdos occubuit in coenobio s. Francisci de Guimares in provincia Portugalliae. Commendabatur prae ferventi oratione iugique Christi passi meditatione. Ieiuniis et asperitatibus corpus domabat, infirmis pauperibusque sedulam curam praestabat.

Bartholomaeus Raposo. De Experanza tom. I. p. 175.

XXVII. Die XVI. Decembris quievit in conventu Assumptionis Graecensis, in provincia Austriae, Martinus Glades, pietate ac religiosae vitae exemplis cumulatus; provincialatus munus sibi demandatum summa prudentia ac vigilantia explevit; Ferdinando, archiduci Austriae, eiusque coniugi ob eximiam sanctimoniam adeo erat acceptus, ut eum in cellula ad mortem decumbentem visitaverint ac recreaverint.

Martinus Glades, Greiderer tom. I p. 760, n. 128.

XXVIII. Obedientiae merito missus a praeside coenobii s. Francisci Montiscarotti, in provincia Marchiae, ad proximum oppidum

s. Marcelli, occubuit Franciscus de Montecicardo, eximiae virtutis sacerdos; inter cunctorum luctus in coenobii ecclesiam inlatus, finitimi etiam incolae eius funus honestarunt.

Franciscus a Montecicardo. Mon. prov.

XXIX. Vigesimo aetatis anno nondum absoluto, mortalitatis sarcinam deposuit in conventu de Naga sive Novae Caceres, apud insulas Philippinas, Didacus a Conceptione clericus, apud Belgas ortus. Ne a grassantibus haeresibus macularetur, parentum voluntate missus in Hispaniam cum catholicis copiis ad insulas Philippinas advenit anno MDCIX. Inter discalceatos fratres cooptatus, vix emissa professione, tam asperum vitae genus arripuit, ut maiorum suorum imperio coactus fuerit corporis austeritates relaxare. Occultos tamen agendi modos adinvenit ad fraenandam carnis petulantiam; toto enim ferme corpore amictus erat asperrimo ad instar vestis cilicio; quare undique vulneribus sauciatus, sensim valetudinem amisit frustratisque remediis vitam perdidit; angelus puritate multa a daemone sustinuit contra castitatem; obedientia interim, paupertate iugique oratione praestans fuit. Maniliae in eisdem Insulis centesimo secundo aetatis anno obiit Ioannes Pauper, nobili genere de Gardo natus in Fano s. Luciferi, in ditione Hispalensi; militarem vitam sequutus cum Michaele Lopez da Lagaspi designato gubernatore illarum insularum eo advenit. Anno MDLXXX. omnium primus discalceatis se addixit, votaque nuncupavit in humili laicorum statu. Infidelium salutem sitiens, in Iaponiam primum, mox in Sinensium imperium penetravit, at morbo correptus, Maniliam invitus repetiit; ab ipso tyrocinio ad mortem usque multis poenalitatibus corpus maceravit. Praeter mordax cilicium diris se caedebat flagellis, et saepe ieiunus duos et aliquando tres dies transigebat.

Didacus a Conceptione. Martinez lib. I. p. 142.

Ioannes Pauper. Idem ibid. p. 155. Annal. min. ad an. 1596. n. 2.

XXX. Matriti in conventu s. Bernardini provinciae eorundem fratrum s. Iosephi requiem accepit Antonius Abulensis, magno in pretio ob eximium suae vitae candorem habitus a Philippo III. Hispaniarum rege, qui eius consuetudine et familiaritate delectabatur. Integras fere noctes ferventibus precibus incumbebat; licet grandaevae aetatis, nudis pedibus incedebat; idipsum et praestitit cum provinciam sibi commissam lustraret. Varias infracto prorsus animo subiit a daemone infestationes, quem ad maiora ipsi inferenda provocabat.

Antonius Abulensis. Mon. prov.

XXXI. Decessit in conventu Rosarii Villaeregalis, provinciae s. Ioannis Baptistae discalceatorum, Andreas Vela laicus, germanus fratris Antonii a Segura item laici et Christophori a Segura sacerdotis. De priori acta scripsit Ioannes a s. Maria part. I. lib. 2. cap. 15. et 16. in chronicis provinciae s. Iosephi; de altero Antonius Panes in chronicis provinciae s. Ioannis Baptistae. Ambo eximiis virtutibus floruere, quibus illectus Andreas discalceatis se addixit anno aetatis suae trigesimo septimo. Ad quaeque pro amore Dei sustinenda paratus erat; portarii munus obiens a furenti viro gravem alapam accepit, mox exemplum magistri sui Iesu sequutus, genibus flexis alteram maxillam ei praebuit dicens: percute etiam istam pro amore Dei.

Andreas Vela. Panes part. I. lib. III. cap. 30 et seqq.

Haec proferens vir Dei, altera alapa percussus fuit; pactum interim inierat cum sodali suo, invicem saevis flagellis cruciari, duris colaphis caedi, ignominiis et contumeliis affici. Brevi sopori se dabat super nudam tabulam, ut caelestia recoleret; etiam flagris corpus domabat. Die II. Februarii occubuit in conventu s. Ioannis Baptistae Ripae Valentiae Petrus Granell item laicus, qui licet inter eosdem discalceatos pauco tempore vixerit, modestia tamen, mansuetudine, humilitate vitaeque austeritate enituit. Mortis suae tempus praedixit et post sui occasum veste alba indutum adparuisse cuidam viro pio, crucem auream in pectore gestantem, eidemque dixisse tradunt: nunc ex hac mortali vita discedo, et ad alteram gloriam proficiscor.

Petrus Granell. idem ibid. p. 36.

XXXII. Die XXIX. Octobris obiit in conventu Messanae, in Sicilia, Seraphinus, natus in oppido Francoforti, dioecesis Syracusanae, de quo inter praetermissos ad diem XXII. Iulii solum nomen habent Bollandistae, eumque Messanensem faciunt. Iuvenis lubricam vitam et praedonum mores sequutus armisque instructus, metum ubique ingerebat; quod vitae genus usque ad annum trigesimum septimum tenuit. At divina gratia excitatus, coepit anteactae vitae facinora lacrymis, suspiriis et ieiuniis expiare. Sciens autem in Monte, vulgo Rossomano, quosdam pios viros de tertio fratrum minorum ordine ad instar eremitarum inter austeritates dies ducere, statuit in corde suo ad eos convolare festinus. Domum paternam repetens, germano cuncta sua cessit, et a mundanis sollicitudinibus expeditus, eorundem habitum impetravit, assumpto fratris Onifares nomine. A loci moderatore cellulam a ceteris remotiorem deterioremque impetravit, ubi de nocte vigiliis et precibus vacans, corpus diris etiam flagellis caedebat; nudis incedebat pedibus humique stratus brevi tempore quiescebat; die quo sacro Christi corpore se reficiebat, nullum, nisi afforet gravis necessitas, verbum proferebat.

Seraphinus a Francoforte. Mazzara tom. X. p. 361.

XXXIII. Cum autem aliqui ex eisdem eremitis ad laxiorem vitam devenissent, et instituto dimisso, uxores subinde ducerent, minister provinciae Siciliae minorum de observantia mandato anno MDLXXX. lato eisdem iussit, ut tria religionis vota emitterent, vel in unum ex probatis franciscalium religionibus ingrederentur. Quae audiens Onifares, post annos decem inter eos absolutos ad fratrum reformatorum Panormitani conventus adveniens, ab illius praeside habitum obtinuit. Onifares nomen in Seraphinum commutavit; emissa professione, maximis mox emicuit virtutibus et corporis mortificationem haud remisit, sed auxit quinimmo: spectaculum factus omnimodae poenalitatis. Asperrimum cilicium deferebat etiam cum alimonia pro fratribus quaereret; de nocte catena ferrea revinctus saepe in oratione elevabatur; daemonis fraudes detegit, variis modis vel sub specie Christi Iesu vel Deiparae virginis se illi praebentis; in eos etiam potestatem a Deo obtinuit eosque a corporibus eiiciebat; tandem caelo quam terra dignior raptus est aetatis suae anno septuagesimo.

XXXIV. In conventu s. Francisci Aesii, in provincia Picena

reformatorum, obiit die XXVI. Augusti Clemens ab Asculo, plurimum commendatus ob iugem sui corporis macerationem; eius funus honestarunt cuiusvis ordinis cives.

Clemens ab Asculo. Mon. prov.

XXXV. Bergomi, in provincia Brixiensi, occubuit Mansuetus a Ponte, oppido dioecesis Brixiensis, laicus capucinus, vir hominum memoria dignus, qui nonaginta annos numerans, horum sexaginta sex non sine virtutis fama in religione transegit. Epidemico morbo contracto in xenodochio s. Gothardi, urbis Utinensis, morientium militum confessiones excipiens, obiit Clemens a s. Daniele, qui resignato illius cathedralis ecclesiae canonicatu, ad capucinos transiit tyrociniumque inchoavit in eorundem Urbis coenobio; in Venetam provinciam translatus multa suae sanctitatis specimina edidit; prophetia etiam enituit. In coenobio Bononiae vitam absolvit Eugenius a Petra Rubea sacerdos; qui concionatoris munus precibus ac ieiuniis diu exegit tanto animarum foenore, ut multi anteactam in sceleribus vitam exsecrati, copiosis lacrymarum imbribus ad poenitentiam convertebantur. In componendis dissidiis inter cives et erat praestans, mss. reliquit *volumina plurima sermonum et concionum de tempore.* Occubuit in conventu Forosempronii in provincia Marchiae, Ludovicus Bononiensis sacerdos, patientia insignis in caecitate diu ferenda. Orationi et contemplationi addictus acerbissimam Iesu Christi passionem alta mente et in lacrymis effusus recolebat. Maxclerrae, in provincia s. Angeli, mundo valedixit Matthaeus Anglonensis concionator, lector, novitiorum magister, suae provinciae administer ac commissarius generalis. Tantae erat humilitatis, ut quidquid boni vel mali ei contingeret, illud omne in sui contemptum converteret. Hinc contumeliis ac iniuriis aliquando affectus, non mediocris laetitiae signa edebat. Sacrum multa pietate offerebat, ita ut adstantes suae devotionis participes efficeret.

Mansuetus a Ponte. De Pise tom. III. p. 175.

Clemens a S. Daniele Idem ibid. p. 178.

Eugenius a Petra Rubea. Idem ibid. p. 182.

Ludovicus Bononiensis. Idem ibid. p. 185.

Matthaeus Anglonensis. Idem ibid. p. 186.

XXXVI. Turonensi in conventu e vita migravit Constantinus nobili genere in Anglia natus. Cum per aetatem licuit, sacrum presbyteratum, Elisabetha regina catholicae religionis infesta, suscepit. Sed antequam primum sacrum ageret, Londini a praetore coniectus in carcerem, desiderium quantocius illud peragendi adimplere minime valuit. Septem erant in eo carcere eiusdem passionis socii, quibus quo poterat sacramenta conferebat. Ob suae familiae splendorem ita sibi carceris praefecti affectum conciliaverat, ut simulans se pluribus obnoxium infirmitatibus, ab eodem, ut de uno in alium locum transferretur, facile obtineret. Hac occasione arrepta, singulis tum poenitentiae tum eucharistiae sacramenta ministrabat fideique mysteria explanabat.

Constantinus Anglus. Idem p. 188.

XXXVII. Dum haec ageret cunctorum suique solatio, lictor mittitur in carcerem, ut innocentem sacerdotem catenis revinctum ad praetorem adduceret mortis sententiam subeundi causa. At Deo aliter disponente, lata ipsius praetoris sententia, exilio tantum mulctatus est. Itaque exulare iussus, ante suum egressum, germanum fratrem

haeresi infectum ad catholicam fidem convertit. Maxime tamen doluit; quod martyrio minime dignatus fuerit. Navim itaque conscendit et ex Anglia Romam advenit. Ea in urbe spiritus fervori indulgens, novas sibi semper indicebat corporis mortificationes, ieiuniis se affligens flagrisque se dilanians.

XXXVIII. Capucinorum de Urbe conventum subinde petens, cum votum de illorum profitendo instituto provinciae vicario aperuisset, mox inter novitios ab eomet adscriptus fuit. Qua pietate probationis annum expleverit, innotuit et Gregorio XIII. pontifici, qui prae ardente zelo, quo propagandae religionis catholicae flagrabat, eum in Angliam ad haereticorum conversionem destinaverat. Verum cum eo tempore calviniana haeresis intestino bello totam armaverat Galliam, ideo in eam regionem a pontifice mittitur ad pietatem fidemque erigendam. Urbem Parisiensem ingressus, in sectarios milites incidit, a quibus captus et exspoliatus, multis dirisque flagellis afficitur. Eadem die ab ipsis in odium religionis ter virgis caesus et dilaniatus fuit. Cuncta laetus patientia summa sustinuit, martyrii tamen spe frustratus. Nomen Deiparae invocans pie decessit in aetate grandaeva.

XXXIX. Spiritum Deo reddidit in Toletano conventu, provinciae Castellae, Alphonsus a Castellar clericus, humilitate, puritate et externa sensuum compositione commendatus. Hyemali tempore eleemosynam pro fratribus petens, inter nivem et glaciem absque sandaliis incedebat. In conventu Ilerdensi, in provincia Catalauniae, obiit Marianus a Sardinia laicus, virtutum laude insignis, quem etiam gratia curationum, ecstasis, prophetiae atque signorum donis decorare dignatus est Deus. In coenobio Messanae, provinciae Siciliae, sancte occubuit Paulus Sulmonensis ex minoritis reformatis, iam commissarius ordinis, qui aliqua statuit pro bono regimine sororum clarissarum, et controversiam composuit inter observantium et reformatorum procuratores generales. Eius acta notarunt Petrus a Panormo in suo *paradiso serafico*, et tom. 2. pag. 277. Dominicus a s. Epiphanio in opere *Apruzzo Aquilano sacro*.

Alphonsus a Castellar. Idem ibid. p. 192

Marianus a Sardinia Idem ibid.

Annal. min. an. 1612 n. 2.

XL. Ex sororibus clarissis caelestem gloriam obtinuit die Februarii XXVI. in monasterio Dominae nostrae de Gratia, oppidi de Torram dioecesis Eborensis, in provincia Portugalliae, Maria de Praesepe. Ab adolescentia orationis et lacrymarum dono enituit. Praestans erat in obedientia, quam ceterarum virtutum dominam appellabat. Illius monasterii abbatissae officium summa prudentia implevit. Hymnum *te Deum laudamus* recitans, miro fulgore circumfusa, decessit. In monasterio Flamengas de Alcantara, dioecesis Ulyssiponensis, obiit die XIX. Martii Maria de s. Hieronymo. Castitatis perpetuae votum emisit, ne parentum voluntati cederet eam ad nubendum impellentium. Monasterium ingressa iuge bellum inter carnem et spiritum invicta sustinuit. Amore Dei flagrabat et caelestia recolebat suavitate summa. Post mortem eius corpus suaviter olevit. Die XXXI. eiusdem mensis praenuntiato sui obitus die, occubuit in monasterio de Spe Abrantii

Maria de Praesepe. Agiol. Lusit. ad diem 26 Februarii.

Maria de s. Hieronymo. Ibid. ad diem 19 Martii.

laudatae provinciae Maria Magdalena de Resurrectione, corporis macerationi assidua. Nusquam carnes comedit, cilicio et flagellis et quotidianis ferme ieiuniis membra domabat. Maria Magdalena de Resurrectione. Ibid. ad diem 31 Martii.

XLI. In monasterio Villae Comitis, eiusdem Portugalliae provinciae, obiit die XI. Aprilis Agnes de Angelis, virgo innocentiae vitae decorata. Caritate eximia mysteria divina incarnationis recolebat; prae enim intenso erga puerum Iesum amore, haud a lacrymis se continere valebat. Die V. Aprilis in monasterio tertii ordinis de Remediis Bragae obitus occurrit Philippae de Iesu, quae a tyrocinio multis austeritatibus corpus afflixit; tantae erat humilitatis, ut nunquam adduci potuerit ad abbatissae munus suscipiendum. Quievit in monasterio tertii ordinis Angriae, in Insula Terzeira, Maria Baptista ibidem nata; quae tanto in Christum Iesum sponsum affectu exornabatur, ut ei sibi adparenti dixerit: *sive viva sive mortua, semper tibi sponsus ero.* Nudis pedibus incedebat, fune membra stringebat, et carni infixam crucem gerebat absconditam. Agnes de Angelis. Ibid. ad diem 11 Aprilis. Philippa a Iesu. Ibid. ad diem 5 Aprilis. Maria Baptista. Ibid. ad diem 19 Aprilis.

XLII. Belvisii in monasterio s. Ioannis de poenitentia, in provincia Angelorum, die II. Februarii obiit Leonora de s. Paulo; carnis petulantiam fraenabat cilicio et flagellis; in ss. mm. Ursulae et sociarum honorem integro anno molestum ieiunium instituit, singulisque totius anni diebus persolvebat officium ss. nominis Iesu; quae Dei sunt iugiter recoluit, licet variis officiis occupata. Rapta est in monasterio s. Clarae de Gazalla, eiusdem provinciae, die XVI. Martii Isabella de s. Iacobo, in regno Lusitaniae nata; humilitatis spiritu exornata viliora monasterii munia semper obivit; ferculum pro pauperibus quotidie parabat eisque largiebatur caritate summa; in excolendis virtutibus familiaritatem inivit cum Anna a s. Raphaele ibidem professa, virgo spectatissimae perfectionis. Leonora de s. Paulo. De Guadalupe p. 605. Isabella de s. Iacobo. Idem p. 571.

XLIII. Ponimus velut suo loco quae narrat Lucas Waddingus de Maria a Galbes, defuncta hoc anno in monasterio s. Clarae Pontis Veteris, in provincia s. Iacobi; Maria a Galbes alias a s. Antonio, quae raro et hoc praesertim tempore, exemplo admirabili, annis ferme quinque incognita sub viri habitu humiliter, pie et devote inservivit fratribus recollectis coenobii s. Antonii de Popula, absque ulla suspicione sexus feminei aut querela. Anno vigesimo secundo aetatis re propalata Stephano de Guadramiro tyronum magistro, per ministrum s. Iacobi provinciae in hoc introducta est monasterium, ubi virtutibus, piis operibus et sanctitate insignis decessit anno MDCXVI. die XXX. Octobris. Haec notamus dumtaxat, alia diffusius explicaturi, si praesto essent illius provinciae monumenta. Maria a Galbes. Annal. min. ad an. 1510 n. 27.

XLIV. In monasterio Tordesillarum, in provincia Conceptionis, in Domino obdormivit Ioanna de Ordaz, omni virtutum genere cumulata; continuo timore et tremore suam operabatur spiritualem salutem; eidem tamen revelavit Dominus, se illi semper gratia sua adfuturum, ne in lethale peccatum incideret. His anditis, maiori quo antea studio ad sectandam virtutem incensa fuit. Ioanna de Ordaz. Monum. prov.

Maria de Sambuca. Mazzara tom. IX. p. 312.

XLV. In ecclesia s. Mariae de Iesu Panormi fratrum reformatorum, provinciae Siciliae, sepulcrum nacta est Maria, orta in oppido de Sambuca, Agrigentinae dioecesis, die XXVI. Septembris defuncta; tenella in aetate sacrum audiens, meruit in hostia consecrata Iesum intueri formam praeseferentem pulcherrimi infantis; rei novitate perculsa, inclamans, in sinum aviae suae se coniecit eventumque narravit; ex tunc coepit multis quam antea clarere virtutibus, modestia nimirum, verecundia et caritate in Deum et proximum; maiorum suorum voluntati cedens, anno XV. aetatis invita nupsit Philippo Raia, ex quo filios suscipiens, eos in Dei timore enutrivit. Post annos quindecim defuncto coniuge, una cum matre sua nomine Onophria, habitum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia obtinuit; ut autem Deo intimius deservirent, una simul advenerunt in aedem haud longe ab urbe Panormitana, caelestibus contemplandis accommodam, ubi ambae vigiliis et ieiuniis assiduam operam dabant; at mater in gravem incidens infirmitatem, valetudinis recuperandae gratia Panormum delata fuit ab eadem filia Maria; verum recrudescente morbo, Iesu et Mariae nomina ingeminans, obiit in osculo Domini, fama suae sanctitatis relicta.

XLVI. Orbata parente, illico advolavit ad primaevum solitudinis locum, ubi moderatore suae conscientiae Antonio a Nicosia, inter reformatos fratres viro probatae vitae, ad tantum perfectionem devenit, ut in daemonis invidiam inciderit. Multum enim ab ipso saepe, precibus die ac nocte vacans, non solum verbis, clamore, opprobriis et contumeliis vexabatur, verum etiam ad illi metum ingerendum sub specie lethiferi immanisque serpentis adparebat; eam tamen Deus multoties recreabat sui et Deiparae virginis visionibus; aliqua in vita etiam post sui obitum edidit miracula.

Bonaventura Cittadini. Annal. min. ad an. 1576 n. 42.

XLVII. Sexagesimo quinto aetatis anno pie obiit in urbe Interamnensi, provinciae Umbriae, Bonaventura ex nobili familia Cittadini anno MDLI. orta; a pueritia ad excolendam pietatem incensa, multis virtutibus innocentem animam exornabat; eius agendi rationem commendabat fovebatque Carolus Borromaeus, cardinalis et archiepiscopus Mediolanensis, qui Interamna transiens, ut in Urbem se conferret, domi suae hospitabatur. Tunc enim ad terendam perfectionis viam eidem aperiebat sacroque Christi corpore propriis manibus eam reficiebat; animarum salutem sitiens annos numerans vigintiquinque eiusdem s. Caroli consilio congregationem nobilium sub ordinarii cura instituit, quarum studio erat singulis festivis diebus vel in principe templo, vel in altero b. Virginis de Platea, puellas aliasque mulieres in christiana fide et in bonis moribus erudire. Decem ad id operis delectae fuerunt, ad instar sororum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia habitu amictae, quae tamen non monasterium sed proprias domus incolebant; ipsa vero ceteris praesidebat. Pro recto sodalitatis regimine quasdam leges eximia pietate refertas condiderunt idem s. Carolus Borromaeus, Evangelista de Ca-

nobio capucinus et p. Alphonsus a Cremona, fratrum carmelitarum discalceatorum, moderator coenobii s. Valentini urbis Interamnensis ac laudatae fundatricis e sacris confessionibus.

XLVIII. Ex eo tempore multis emicuit virtutibus; praeter assidua ferme ieiunia, cilicio flagrisque corpus domabat, lacrymis perfusa Iesu Christi agones recolebat, et pro ardenti quo aestuabat erga ss. eucharistiae sacramentum amore, plures per diem horas ante sacrum altare flexis genibus orans insumebat. Assisium interim crebro ad perlustranda seraphici parentis sacella et de mense Augusti ad lucrandam indulgentiam in ecclesia s. Mariae de Portiuncula, quolibet ferme anno petebat. Fulgineum adveniens, familiaritate et colloquio fruebatur Paulae a s. Ursula, quae ibidem virginum collegium a s. Ursula nuncupatum erexerat.

XLIX. Expletis in moderanda illarum mulierum sodalitate annis triginta, mandatum accepit a laudato p. Alphonso a Cremona, confessario suo, ne de cetero eisdem mulieribus praeesset, nec eas christianam fidem doceret, nec postremo aliis nisi fratibus capucinis arcana suae conscientiae aperiret. Illius imperio illico cedens, precibus rebusque supernis recolendis unice assiduam operam navavit, ex quibus unionis cum Deo donum assequuta, a cunctis quae mundi erant soluta, pati et contemni pro Christo peroptabat, ac in humilitatis viam impigre incedebat. Hinc tot cumulata virtutibus die XVI. Iulii animam sponso suo reddidit, omnibus ecclesiae sacramentis refecta. Carmelitarum sororum habitu induta, tumulum accepit in cathedrali ecclesia in sepulcro maiorum suorum; eius funus honestarunt cuiusvis ordinis cives, ipsius sanctimoniam commendantes. Bonaventurae acta scripserunt Alphonsus a Cremona, eius confessarius, Anna Maria a Iesu carmelitana, neptis eius, et Gaspar Cittadini, iuris utriusque doctor.

L. Viri docti et decedunt. Mortis suae praescius occubuit mense Octobri in coenobio s. Mariae de Iesu Messanae, in provincia Siciliae, Paulus a Sulmona summa doctrina praeditus. Quo regis utriusque ditionis theologus et commissarius generalis cismontanae familiae, nusquam adduci potuit, ut episcopale munus ecclesiae Puteolanae a Philippo III. catholico ei oblatum susciperet. Scripsit tractatum adversus rempublicam venetam pro romanae ecclesiae libertate. Drepani, in eadem provincia, obiit die IX. Ianuarii Michael Burgius, ibidem nobili genere natus; tertii ordinis fratrum claustralium institutum professus, ob sui in rebus agendis prudentiam, dexteritatem et virtutes quater suae provinciae regimen subire coactus est. Reliquit sequentia mss. nimirum *vitam venerab. fr. Iacobi Eugubini, tertii ordinis claustralium s. Francisci in Sicilia reformatoris, cuius fuerat discipulus et socius; historiam suae provinciae una cum vitis suorum alumnorum, doctrina et sanctitate illustrium;* postremo *epistolas de piis divinisque rebus ad amicos.* Cuncta haec asservantur apud suos in conventu Drepani. Obiit forte et hoc anno Hieronymus Acceptus sive Accettus ex Urceis No-

Sbaral. lit. M.

Dominicus a s. Eugenio aprut. Aquilan. tom. II. p. 276.

Sbaral. et Wadd. lit. B. vis Brixiani agri oppido, quem suum faciunt plures ex pp. praedicatorum instituto scriptores apud Echardum tom. 2; at non recte. Romae erat socius ac commissarius ordinis reformatorum ac s. officii inquisitionis qualificator. Hoc tempore delectum fuisse episcopum Fundanum, sed morte praeventum non obtinuisse, scribit Cozzaridus in Scriptor. Brixian. biblioth. part. 1. Bergomi typis Cominis Venturae anno MDC. vulgavit *expositionem quaestionum Scoti in praedicamenta Aristotelis.* Scripsit etiam *de privilegiis ac iuribus civitatis Brixianae aliquot libros et tractatus theologiae symbolicae, scholasticae et mysticae* Vespasiano Gonzagae duci Sablonetae nuncupatos.

LI. Minoritae de observantia litteris illustres et obiere. Die XIII. Sbaral. et Wadd. lit. D. Annal. min. ad an. 1598. Augusti in conventu s. Mariae de Iesu Caesaraugustae patriae suae migravit e vita Didacus Murillo lector, definitor ac provinciae Aragoniae minister. Praeter a nobis suis in locis notata, Barcinone hoc anno typis Sebastiani Matenad vulgavit *historiam de fundatione sacelli b. Mariae virginis Caesaraugustani et de excellentiis urbis Caesaraugustanae; de vita, itineribus, miraculis b. Iacobi Apostoli, et de iis quae in Hispania gessit, deque vitis aliorum ss. ad dictam urbem spectantium.* Apud Petrum Corbate Caesaraugustae edidit *sacram poesim una cum vita s. Eustachii* versu hispano. Eius est *opus fundationis capellae b. Virginis Pellerii.* Auctor exstitit insignis sui temporis Dei praeco. Annal. min. ad an. 1610. Matriti decessit Ioannes Carrillo ex provincia Aragonensi, qui varia scripsit et edidit. Composuit etiam *tractatum viae crucis.*

LII. Aetatis anno sexagesimo tertio Mantuae raptus est Franciscus Wadd. et Sbaral. lit. F. de Pitignanis, Aretii in Tuscia natus, iam definitor generalis, Ferdinandi I. Hetruriae ducis theologus, Francisci Gonzagae, Mantuae episcopi item theologus et concionator egregius. Scripsit *summam theologiae speculativae et moralis, ac commentaria scholastica in tertium et quartum sententiarum libros Ioannis Scoti,* in quatuor partes distributam. Prima et secunda pars prodierunt Venetiis anno MDLXXXI. typis Ioannis Guerilii; pars tertia apud eundem typographum prodiit anno MDCXVIII. et eodem anno vulgata fuit etiam pars quarta. Eius *practica criminalis canonica* Perusii primum prodiit anno MDCIX. apud Augustos; *libros octo physicorum* sub nomine Scoti emisit itidem Venetiis per Guerilium anno MDCXVII. Hilarion Sacchetus Florentinus eiusdem instituti. *Expositionem Bartholomaei Braudulini minoritae in regulam fratrum minorum* iterum typis commisit anno MDXCIV. Florentiae. Prelo Iacobi Violati Venetiis anno MDCXV. edidit *commentaria litteraria in Genesim* methodo scholastica concinnata. Anno MDCVI. vulgatam fuisse eius *expositionem* 1. et 2. libri Posteriorum, tradit Antonius Terrinca pag. 199. Edita etiam fuit anno MDCVI. eius *expositio in formalitatem Antonii Syrrecti.* Aemilius Vezosi Aretinus in eius laudem hoc carmen elucubravit:

Quem Deus et qualem Patrem demisit ab astris
Explicat ut veterum dogmata sancta patrum?
Fallor? an exortus nostro alter Scotus in orbe
Subtili ingenio iudicioque gravi est?
Quam docte Franciscus agit, quam disserit alte
De nato unigena bisgenitoque Deo?
Quam bene virtutes aperit mortalibus aegris,
Quae summi reserant aurea claustra poli?
Quam facile septem tetigit mysteria sacra,
Quae Patri aequaevus Filius instituit?
Aretina igitur tali se iactet alumno
Terra, armis quondam divitiisque potens.
Hinc magno superum regi pro munere tanto
Ingentes gratias nocte dieque ferat.

LIII. Fatis etiam cessit Thomas Graius Aberdonensis, natione Scotus nobilique genere natus ex matre Elisa Dempestera. Sacris litteris ac philosophicis disciplinis valde instructus erat. Patriae sui ordinis coenobio aliquando praefuit. Cum autem religionis causa in Galliam fugam capere coactus fuisset, Rothomagi occubuit aetatis suae anno LXXXVII. Anno vero aetatis CXXXVII. eum obiisse scribit Thomas Dempsterus in hist. eccles. Scotorum lib. 7. cap. 606. hisce verbis: anno MDCXVI. *aetatis suae CXXXVII. vivaci adhuc memoria ac stomacho habili, nec visu inefficaci, nulla corporis parte nisi pedibus in tanto senio debilitatus*. Sequentia eum scripsisse commemorat, nimirum *admonitiones ad novatores* lib. 1., *in universam Aristotelis philosophiam, et concordiam d. Thomae et Scoti* lib. 1., et alia. Decessit etiam Petrus Mathias Hispanus definitor, custos, visitator et minister provinciae discalceatorum s. Gregorii Insularum Philippinarum. Episcopus ecclesiae Cebuensis primo renuntiatus fuit; at postea eius curae commissa fuit ecclesia Cacerensis; ast non in ecclesia cathedrali, sed in ecclesia fratrum sui ordinis laudatae urbis, dormitionis requiem accepit, magna suae sanctitatis opinione relicta. Licet episcopus, instituti tamen austeritates nunquam dimisit; vigiliis enim, ieiuniis et flagris corpus macerabat. Zelo animarum ductus ad Insulas Philippinas advenit, ubi qua concionibus qua pastoralibus curis usus, multos Indos ad humanitatem ac ad fidei veritatem adduxit. Maniliae *orationem* habuit in exequiis Margaritae Austriacae, Hispaniarum reginae, ibidem anno MDCXII. impressam. In archivo eiusdem provinciae mss. adservatur eius *relatio* authentica actuum ven. martyris Moluccensis fr. Sebastiani a s. Ioseph provinciae s. Pauli.

Sbaral. lit. T.

Martinez lib. I. p. 136.

LIV. Alii multi eximiae doctrinae minorum de observantia institutum illustrabant. Pinciae typis Ioannis Rueda Alphonsus de Castillo, provinciae immaculatae Conceptionis, hispanice edidit *compendium rationum dulcium et efficacium, quibus peccator postulat a Deo misericordiam*. Alphonsus Toletanus Hispali vulgavit *concionem de immaculata conceptione virginis Mariae* Ossunae habitam. Eadem in urbe Bernardinus ab Angelis patrio idiomate hispano prelo commisit *tractatus et conciones de immaculata conceptione virginis Mariae* tom. 2. Romae typis Andrea Fei edidit italice Dominicus a Monteleone, forte

Sbaral. lit. A.

Idem ibid.

Idem lit. B.

ex provincia romana, *tractatum de statu viduali*. Franciscus de Soriano, Granatensis provinciae, per Martinum Fernandez edidit Granatae *pa-*
Sbaral. lit. I. *negyrim de immaculata conceptione Virginis*. Ioannes Blancona, Toletanus Gallus, vulgavit Parisiis apud Adrianum Taupinart ex italica in gallicam linguam a se translatas *fr. Seraphini Radii ord. praedicat. vitas*
Idem ibid. *ss. et bb. eiusdem ordinis*. Pinciae Ioannes de la Custa Lusitanus vul-
Idem ibid. gavit *quadragesimam sermonum in honorem virginis Mariae*. Ioannes Terrones hispanus, provinciae s. Iacobi, typis Martini Fernandez Gra-
Wadd. et Sbaral. lit. L. natae edidit *concionem de immaculata conceptione virginis Mariae*. Ludovicus Miranda ex eadem provincia edidit apud Susannam Munez Sa-
Sbaral. lit. M. lamanticae *instructorium seu doctrinam spiritualem pro novitiis*. Michael Avellanus hispanus, provinciae Carthaginensis, a sacris confessionibus vener. Margaritae Austriacae, Granatae edidit *declarationem in solemniis urbis Granatensis pro epithalamio immaculatae conceptionis b. v. Ma-*
Wadd. et Sbaral. lit. N. *riae*. Antuerpiae Nicolaus Gazzaeus prelo vulgavit *historiam boni et mali Adam*, et Atrebatum *historiam sacram per sermones varios* titulo
Sbaral. lit. N. *mens intenta Deo* etc. Nicolaus Hasius Belga e latino in belgicum idioma transtulit vulgavitque Coloniae *libellum asceticum*, cui titulus est: *ignitum cum Deo colloquium Geralci Daventriensis canonici regula-*
Wadd. et Sbaral. lit. A. *ris s. Augustini*. Taurini Angelus Hallensis, qui idem est ac Angelus Elli Mediolanensis, typis edidit *rosarium* seu *instructorium sacerdotum*
Wadd. lit. A. *et clericorum*. Antonius Paschalis hispanus, provinciae Valentiae, vulga-
Idem lit. B. vit in ea urbe *de philocosmia spirituali partes tres*. Bonaventura Iacsenius Anglus, suae provinciae Anglicanae restitutae definitor et praeses collegii Anglo-Duaceni, qui plura pro fide catholica tuenda sustinuit, Mechliniae prelo commisit librum inscriptum *manuductio ad palatium veritatis*, ubi erudite ac perspicue in viam veritatis errantes
Idem lit. I. reducit. Ioseph Brunus venetus, provinciae s. Antonii, diu incola custodiae Terrae Sanctae, solatio catholicorum Venetiis edidit *reductorium Hierosolymitanum*. In hoc opere agitur de omnibus ad sanctam civitatem spectantibus, nimirum *numerus locorum fratrum divi Francisci de observantia*. Eadem in urbe typis Ioannis Baptistae Bonsad vulgavit sequentia hoc titulo *admirabilis devotio sanctuariorum quamplurium, multitudo praecipuarum reliquiarum, copia indulgentiarum a diversis summis pontificibus concessarum*, ac postremo *generosa condonatio privilegiorum multorum*, quibus gaudent et guardianus et fratres sacri Montis Sion. Anno MDCXXV. erat guardianus conventus Constantinopolitani, pro quo litteras dedit sub die XXIV. Ianuarii ad summum
Idem lit. P. pontificem Urbanum VIII. Philippus ex nobili familia de Ayala hispanus, provinciae Castellae, sacrae theologiae professor, minister et sancti officii consultor scripsit hispanice circa quaestionem, quomodo sit praedicandum aut loquendum publice *de mysterio conceptionis immaculatae virginis Mariae* post decretum de hac re latum a Paulo V. Item scripsit *sermonem de eadem conceptione*; utrumque opus typis edidit Toleti apud Bernardinum Gusmanum. Sunt etiam eius *commentaria in*
Sbaral lit. I. *regulam fratrum minorum*. Parisiis Iulianus Moncenau Gallus patria

lingua vulgavit *conciones de sanctis et eorum regina* tom. 2. Florebat et hoc tempore inter observantes magni nominis vir Marius a Calasio, cuius acta breviter descripsit Lucas Waddingus eiusdem instituti tum in primo volumine suae *concordantiae sacrorum bibliorum hebraicorum*, tum in syllabo scriptorum ordinis. Haec sunt de eo verba. Wadd. lit. M. *Marius a Calasio, ita cognominatus ab oppido nativo, quod inter* Sannitum Montana non longe distat ab Aquila civitate Bernardini Senensis funere notissima, humili sed honesto genere natus, adolescens d. Francisci instituto nomen dedit. Expletis non sine fructu tyrocinio, artium liberalium et theologiae curriculis, addiscendae linguae hebraicae eiusque percipiendis et enodandis mysteriis totus incubuit. Tantos in hoc studii genere fecit profectus, ut eum generalem in Urbe sacri idiomatis magistrum instituerit, doctorisque privilegiis et titulo sui sodalitii viris inassueto et pene interdicto decoraverit fel. mem. pontifex Paulus V., bonarum litterarum optimus parens; cuius rei honorificum exstat vestigium in bibliotheca Vaticana, ex ea parte quae noviter adiecta est Sixtinae, in qua inter cetera tanti pontificis egregia monumenta illud pennicillo et litteris exprimitur, quod Marium hunc ex nostra familia aliosque tum praedicatorii ordinis, tum alterius generis doctos hebraei idiomatis in Urbe creaverit et foverit professores. Multos habuit hic et erudivit ex diversis provinciis adventantes discipulos in aede d. Petri in Monte Aureo, quam aliquandiu rexit et postea in Aracaelitana. Eo totum eius tendere desiderium, eo propendere videbatur affectus, ut uberior et frequentior fieret huius linguae notitia, quam ille pleniorem, quam familiari sermone explicare poterat, continuo quadraginta et plurium annorum labore adeptus est. Tempus nullum, nec quod in fratrum triclinio necessariae refectioni supererat, absque lectione praetermittebat, nec absque codiculo quoquam hebraeo in populum vel in campos exibat. Facilem habuit accessum ad Paulum V., cui in minoribus familiaris erat et a confessionibus. Scripsit *grammaticam linguae hebraicae addiscendae perutilem, et canones generales linguae sanctae.* Opus vulgavit Romae prelo Stephani Paulini.

LV. Ex discalceatis fratribus doctrina florebat Ioseph a s. Maria hispanus, provinciae s. Gabrielis ac aliarum provinciarum ss. Iosephi et Pauli commissarius visitator; Matriti prelo viduae Alphonsi Martini vulgavit vernacule *tractatum apologeticum de usu et frequentia ss. eucharistiae,* et alterum *tractatum de modo audiendi sacrum.* Hieronymus Ramirez de Arellano hispanus, provinciae s. Gabrielis, iam concionator apostolicus edidit Compluti typis Iusti Sanchez *Stroma,* sive *pios commentarios in caput XIII. Ioannis evangelistae,* praedicatoribus satis accommodum. Vir trium linguarum peritus multae et variae lectionis opus vulgavit, in cuius praefatione alterum *opus de republica hebraea* promisit, si vita suppeteret; incertum est, an illud praestiterit. Compluti et hoc anno Ildephonsus de Pozzuolo, eiusdem provinciae, edidit quaestionem theologicam *utrum cuncti fideles Christiparae Ma-*

Wadd. et Sbaral. lit. I.

Idem lit. H.

riae ave *dicentes, eo ipso illam ab originali culpae labe immunem protestentur.*

LVI. Inter minoritas conventuales doctrinae fama micabat Ludovicus Brunus Setinus, provinciae Romanae, antea monachus cassinensis; Ticini edidit nuncupavitque Iacobo Montanario generali ministro *disputationes duas de principio individuationis et de mundi origine.* Silvester Bartoluccius Assisius Perusii prelo Caesaris Scaccioppi vulgavit opus, cui titulus *brevis et compendiosa declaratio regulae fratrum minorum eiusque praeceptorum, lingua vernacula ad novitiorum simpliciumque utilitatem accommodata.*

Sbaral. lit. L. — Idem lit. S.

LVII. Suos et habuere viros doctos capucini fratres. Iacobus Burdigalensis provinciae Aquitaniae, sed patria Constantiensis in Normannia, iuvenis annorum XXIII. Parisiis vulgavit *concordantiam breviarii romani,* in qua continentur omnes materiae praedicabiles in solo breviario contentae. Romualdus Taurinas, missionarius apostolicus ac theologicis studiis instructus, scripsit *disputationum theologicarum libros duos, adnotationes in sacram scripturam* tom. 3, *et manuale praecipuarum controversiarum catholicae fidei ad usum et commoditatem missionariorum* tom. 2, Vercellis hoc anno impressum. Brixiae apud Franciscum Marchettum Theodorus Brixiensis concionator prelo commisit a se italice scripta *monita necessaria pro diversis statibus personarum collecta ex concionibus p. Hyacinthi Casalensis.* Archangelus du Puy, natus in oppido s. Baldomeri apud Foresianes, vir potens opere et sermone, variisque in suo instituto muneribus praeclare functus, edidit gallice *historiam b. virginis Mariae de Gros nuncupatae prope Agatham* cuius imago prodigialis praecipue colitur in eorum ecclesia. Brixiae apud Franciscum Marchettum Hyacinthus a Casale, Montisferrati in Italia ex nobili familia de Natta ortus, vulgavit patrio idiomate *documenta utilia et necessaria pro diversis hominum statibus.* Iosephus le Clerc Parisinus, generis nobilitate, doctrinae praestantia animique pietate ornatus, Pictavii apud Franciscum Lucam edidit duobus tomis partitam *introductionem ad vitam spiritualem per facilem quandam orationis methodum pro omni anima devota et religiosa.*

Idem lit. I. — Idem lit. T. — Idem lit. T. — Wadd. lit. A. — Idem. lit. H. — Wadd. et Sbaral. lit. I.

LVIII. Marius Orpinellus de Monte Georgio Picenus, minorita conventualis, iam regens collegii s. Bonaventurae de Urbe, renuntiatus fuit hoc anno episcopus Montisalti; obiit tamen, antequam possessionem acciperet. Ex theatro Bonasii delectus est hoc anno eiusdem instituti episcopus Zacynthi vulgo *Zante* Michael de Varolis Brixiensis. Munus generalis inquisitoris contra haereticam pravitatem pro urbe Pisana consequutus est magister Ioannes Maria de Tholomaeis Auximensis.

Franchinius in bibliosoph. p. 126.

LIX. Defuncto in suburbio Neapolitano die IV. Aprilis, aetatis suae anno LXV. ineunte, Pompeio Arigonio s. r. ecclesiae cardinali, archiepiscopo Neapolitano, qui minorum observantium ordinis inde ab anno MDCIV. protector erat, id munus, non expectata ministri generalis postulatione, illico delatum fuit cardinali Fabritio Varallo, sequenti pontificio brevi vulgato.

Chronol. ord. tom. III. part. II. n. 38.

Dilecto filio nostro Fabritio tit. s. Augustini presbytero s. r. e. cardinali Varallo nuncupato.

Paulus PP. V.

Dilecte fili noster salutem etc. Cum per obitum bo. mem. Pompei presbyteri cardinalis Arigonii nuncupati, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia etc. nuncupatorum, dum vixit, apud nos et apostolicam sedem protectoris, nuper extra romanam curiam defuncti, ordo praedictus protectore destitutus remanserit: nos de tuae circumspectionis singulari providentia, doctrina et religionis zelo plurimum in Domino confisi, ac sperantes, quod si ordo huiusmodi sub protectione tua militaverit, ob eximias virtutes tuas plurimum commodi et ornamenti suscepturus sit; Idcirco motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, te, qui et fratrum ordinis servorum b. Mariae virginis apud nos et sedem eandem protector deputatus existis, praedicti ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, illiusque religiosorum et domorum ac regularium locorum quorumcunque apud nos et dictam sedem, protectorem eum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus et oneribus solitis et consuetis, et quibus alii ante te primodicti ordinis protectores usi sunt, ac uti quomodolibet potuerunt seu etiam debuerunt, ad tui vitam tenore praesentium facimus et deputamus. Volumus autem, et tibi in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut primodicti ordinis superiorum auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures, et propterea, cum ipsi superiores eorum officii debito satisfecerint ac gubernio et regimini subditorum sufficienter incubuerint, tunc in negotiis religiosorum primodicti ordinis te non immisceas; quando autem vel ab ipsis superioribus requisitus fueris, ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in iisdem negotiis exerceas: tunc id libere facere possis; sed quoad potueris per te ipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quando opus fuerit, in eiusdem negotiis seu causis, loco notarii, aliquo ex regularibus primodicti ordinis. Mandantes propterea praefatis superioribus et aliis religiosis quibuscunque primodicti ordinis, etiam in virtute sanctae obedientiae, ut te, in eorum protectorem, iuxta tenorem praesentium recipientes, ea qua debent reverentia prosequantur. Contrariis quibuscunque non obstantibus. Ceterum te in Domino hortamur, ut huiusmodi protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem aeternum praemium, et a nobis condignam laudem valeas promereri.

Regestr. famil. ultramont. vol. II. fol. 483.

Datum Romae apud s. Petrum die 19 mensis Aprilis anno 1616, pontificatus nostri anno undecimo.

LX. Summi pontificis voluntate: *Cum ecclesia*, die XXI. Decembris Irenaeus Brasavola Ferrariensis, commissarius curiae minorum observantium, delectus est episcopus Castrensis in Hetruria, et illius munus commissum Petro a Spoleto eiusdem instituti. Ad ecclesiam Nepesinam et Sutrinam promotus est die XVIII. Maii Dionysius de Martinis provinciae Umbriae, a confessionibus sanctitatis suae. Scribit Petrus Antonius Venetus in fastis seraphicis hoc anno Didacum Fernandez de Angulo, pro-regem Sardiniae et archiepiscopum Calaritanum, translatum fuisse ad ecclesiam Abulensem in Hispania. Ex Hyacintho Sbaralea novimus, delectum fuisse et hoc anno Claudium a Lobanes episcopum Andrevillae in Graecia.

Sbaral. in catal. episc. ordinis.

LXI. Committit summus pontifex Ferdinando archiepiscopo Coloniensi: *Litteras*. XIV. calendas Iulii, ut coenobia Andernacense et Novesiense, in sua dioecesi posita et a fratribus conventualibus occupata, aliis regularibus cedantur. Altero autem diplomate idem pontifex: *Cum sicut*, die XIII. Februarii iubet, ut coenobium s. Nicolai Andernacense fratribus observantibus, Novesiense vero patribus iesuitis tradatur. Attamen pro iisdem observantibus piorum impensis de novo erectum fuit coenobium sub invocatione Immaculatae Conceptionis in eadem Novesii urbe. Incolitur a XX fratribus.

Conv. Andernacensis.

Conv. Novesiensis. Mon. prov.

LXII. In oppido Tungrensi dioecesis Leodiensis, in provincia Germaniae Inferioris, incepit esse pro eisdem fratribus coenobium penes aedem beatae Virginis, ubi pauperes peregrini excipiebantur. Primum novae fabricae posuit fundamentum die XIX. Aprilis pientissima virgo Mathildis Schreoz, quae etiam multa contulit ad totius fabricae structuram. Anno MDCXXX. eadem virgo lapidem benedictum iecit in novae ecclesiae molitione. Henricus Sylvius, suffraganeus episcopi Leodiensis, die XVI. Octobris anno MDCXXXIX. ecclesiam coenobii solemniter consecravit.

Conv. Tungrensis. Mon. prov.

LXIII. Florentius Conrius, iam archiepiscopus Tuamensis in Hibernia, minorita de observantia, munificentia Philippi III, regis catholici, instruxit hoc tempore Lovanii collegium titulo s. Antonii Patavini, ubi posuit sodales suos, ut eorundem laboribus restitueretur catholica fides apud Hibernos pene labefactata, quod feliciter obtinuerunt sequentibus annis. Lapis tamen fundamentalis exstruendae ecclesiae anno sequenti positus fuit, uti inscriptio tabulae lapideae incisa prodit:

Annal. min. ad an. 1609. n. 66.

Coll. Lovanii.

Maziere Brady. The Episcopal succession. Rome 1876.

IN HONOREM
D. O. M.
SERENISSIMI PRINCIPES
ALBERTUS ET ISABELLA
ARCHIDUCES AUSTRIAE
DUCES BURGUNDIAE
PRINCIPES BELGARUM
ECCLESIAE HUIUS ANTONIO DE PADUA
SACRAE LAPIDEM
ANGULAREM
FRATRIBUS MINORIBUS
HYBERNIS POSUERUNT
VII. IDUS MAII MDCXVII.

LXIV. Belgarum principum favore immissi sunt fratres recollecti provinciae Flandriae in conventum s. Iosephi, prope oppidum Givetense, Leodiensis dioecesis, a fratribus capucinis derelictum. Incolitur ab undecim fratribus. Conv. Givetensis Mon. prov.

LXV. Pacatis haereticorum tumultibu, sexordium sumpsit in eadem provincia conventus apud Castrum Ducale, prope oppidum Ramberti Curiae, dioecesis Tullensis in Lotharingia. Id novimus ex hoc monumento. *D. O. M. B. M. V. s. Francisco et s. Martino, Henrico II. duce Lotharingiae fundatore, r. p. Desiderius de Reims, abbas de Insula, hunc primarium lapidem posuit anno MDCXVI. IX. Augusti.* Coenobii fundationem procuravit fr. Christophorus Conart cum sociis Pontio clerico, Ioanne Reginaldo et Iacobo Laaufforge, Henrici II. Lotharingiae ducis a sacris confessionibus. Conv. Ramberti. Annal. min. ad an 1568. n. 94.

LXVI. Indulget summus pontifex: *Piis christifidelium*, die XIV. Octobris, ut Seraphinus de Cruce Gallus recollectus locum sibi oblatum de Montelimar ab Alophio de Vignacourt, magno magistro et consiliario hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani, recipiat pro excitando ibidem coenobio. Conv. de Montelimar.

LXVII. Approbat idem pontifex: *Exponi nobis*, die X. Iulii emptionem factam aedis positae in meditullio urbis Assisii, ubi lucem aspexerat seraphicus Pater, pro erigendo fratrum observantium coenobio. Hinc die XVII. Septembris, indicta solemni supplicatione, a cathedrali s. Rufini illatus fuit primus lapis a summo pontifice benedictus pro nova ecclesia ibi erigenda, in quo haec erant incisa verba: Conv. Assisn.

IN HONOREM DEI ET BEATISSIMAE VIRGINIS ET PATRIS NOSTRI SERAPHICI FRANCISCI ET OMNIUM SANCTORUM ORDINIS IPSIUS, PAULUS PAPA V. BENEDIXIT HANC PETRAM FUNDAMENTALEM HUIUS ECCLESIAE. ANNO SALUTIS MDCXVI. DIE XX. AUGUSTI, INSTANTE FRATRE ANTONIO DE TREIO, VICARIO GENERALI TOTIUS DICTI ORDINIS.

Ecclesia ad perfectionem adducta, sequens monumentum in ea positum fuit.

PHILIPPUS III. HISPANIARUM REX
PRECIBUS FRATRIS ANTONII DE TREIO
GENERALIS ORDINIS DIVI FRANCISCI
NUNC EPISCOPI CARTHAGINENSIS
EIUSDEM DIVI DOMUS IN TEMPLUM ERIGI IUSSIT
A. D. MDCXVI.

LXVIII. Licet haec vera sint, non cuncta tamen ad totius novi operis molitionem suppeditavit idem Philippus; nam plures alii urbis benefactores suas impensas contulerunt. (Antonius ab Urbeveteri p. 150.)

LXIX. Obvenit fratribus reformatis provinciae s. Bernardini conventus sub invocatione s. Annae penes oppidum Borbonae, dioecesis Reatinae, eleemosynis universitatis loci erectus. Ab eis anno MDCXXXV. dimissus, confecto instrumento die XXI. Septembris anno MDCXXXVII. cessit fratribus de observantia. (Conv. Borbonae. Mon. prov.)

LXX. In provincia Romana iidem fratres occuparunt conventum s. Ioannis Baptistae prope oppidum Pilei, Anagniae dioecesis, sub ditione familiae Colonna, inter Urbis cives perantiquae, cuius fundationem procuraverat Philippus Colonna, unus loci dominus. Agente Ioanne Baptista Lavelli de Acuto, ecclesia de novo excitata fuit illius universitatis impensis. (Conv. Pilei. Mon. prov.)

LXXI. Quaedam indulget pontifex: *Exponi nobis,* die XXIX. Ianuarii, iisdem fratribus degentibus in coenobio s. Mariae Constantinopolis intra moenia oppidi Corigliani, Rossanensis dioecesis in provincia Calabriae Cosentiae. (Conv. Corigliani.)

LXXII. Ab anno MDLXXXV. dimiserant moniales clarissae monasterium s. Laurentii positum in urbe Salernitana, in provincia Principatus. Cum autem postea a perditae vitae hominibus incoleretur, s. c. episcoporum et regularium die VI. Decembris currentis anni mandato, iidem fratres illud occuparunt, Laurentio a Montecorvino custode. Aedes coenobio adnexae occupatae fuerunt a Matthaeo Cavasilice Perittri, domino urbis Salernitanae. (Conv. Salerni. Mon. prov.)

LXXIII. Sigismundus Gambacorta, episcopus Thelesiensis, primum hoc anno lapidem posuit pro constructione eorundem fratrum reformatorum coenobii, prope oppidum Guardiae suae dioecesis in provincia Terrae Laboris. Aedificium incolarum sumptibus erectum fuit sub invocatione s. Francisci. In provincia Genuensi obtinuerunt conventum s. Francisci Portus-Veneris, dioecesis Genuensis, piis largitionibus fundatum. (Conv. Guardiae. Antonius a Nola p. 247.) (Conv. Portus-Veneris. Mon. prov.)

LXXIV. Redierunt hoc tempore fratres minores conventuales in coenobium Annuntiationis Deiparae, urbis Pardubicensis, dioecesis Reginae Gradecensis in provincia Bohemiae, a lutheranis et hussitis communem causam facientibus pulsi. Eorum reditum curavit d. Sebastianus Reiskevitz, capitaneus landatae urbis. (Conv. Pardubicensis. Greiderer. tom. I. p. 793. n. 382.)

LXXV. Fratres de tertio ordine claustralium admiserunt conventum ultra milliare ab urbe Velitris, in provincia Romana erectum.

Cum autem christifidelibus haud esset accommodus, eo relicto, anno MDCXXXI. se contulerunt in alterum sub invocatione s. Apolloniae v. et m. intra moenia urbis, probante sub die XIII. Iulii Urbano VIII. summo pontifice. Conv. Velitris. Bordonius p. 390.

LXXVI. Capucini etiam fratres sua domicilia obtinuerunt. In provincia Bononia conventum Concordiae, dioecesis Regiensis; in provincia s. Angeli conventum Irciae; in provincia Syracusana conventum Caimenae; in provincia Anterioris Austriae conventum Biberaci, dioecesis Constantiensis; in provincia Rhenana conventum Wagheuseli, dioecesis Spirensis; in provincia Vallonica conventum Senegiae, dioecesis Cameracensis; in provincia Parisiensi conventum Colomerici, dioecesis Meldensis; in provincia Turonensi conventum s. Aniani, dioecesis Bituricensis, et conventum Iuliodum, dioecesis Pictaviensis; in provincia Normanniae conventum Constantiae et conventum Falesiae, dioecesis Sagiensis; in provincia Britanniae conventum Sabulae, dioecesis Luconensis; in provincia Sabaudiae conventum Salanchiae, dioecesis Genevensis et conventum s. Iuliani eiusdem dioecesis; in provincia s. Ludovici conventum s. Spiritus, dioecesis Uticensis, et conventum s. Torpeti, dioecesis Foroiuliensis; in provincia Tolosana conventum Ruthenarum, Salviae et Serviani, dioecesis Alensis; in provincia Aquitania conventum Gordani, dioecesis Carducensis, et conventum Medux in eremo dioecesis Tarbensis; in provincia Valentiae conventum Murciae. Ex albo Michaelis a Iugio.

LXXVII. Pro monialibus clarissis erectum fuit monasterium s. Ioannis de Ponte del Gada insulae s. Michaelis, quae est una ex Azoriis insulis in America: *In supremo militantis*, XII. calendas Iulii. Monast. de Ponte del Gada.

LXXVIII. Relicto a clarissis monasterio s. Sebastiani Bivonae in dioecesi Agrigentina, provinciae Siciliae, satis pervetusto, se contulerunt ad alterum s. Pauli titulo ibidem, antea erectum pro incolatu sodalium societatis Iesu, quod dimiserant. Ibidem degunt XLV moniales. Monast. Bivonae. Pirrus, tom. II p. 749.

LXXIX. In urbe Praenestina, provinciae Romanae, eisdem sororibus obvenit monasterium sub invocatione s. Clarae. Loci possessionem ratam habuit pontifex vulgata constitutione: *Debitum pastoralis*, V. idus Decembris. Monast. Praenestis.

LXXX. Expensis Isabellae Clarae Eugeniae, Philippi II. Hispaniarum regis filiae, Alberti archiducis Austriae et Brabantiae ducis uxoris, erectum fuit Bruxellis monasterium sororum Annuntiationis Deiparae. Ibidem incolas immisit Andreas a Soto, commissarius generalis in provinciis Belgicis, quas transtulit e monasterio Antuerpiensi eiusdem instituti. A sui fundatione septem, temporis vero decursu quinquaginta numerabantur sorores. Monasterium paret ministro provinciae Germaniae Inferioris. Monast. Bruxellis. Mon. prov.

LXXXI. Summi pontificis voluntate immissae fuerunt moniales capucinae in monasterium s. Petri m. Terrae Coloniae, Vicentinae dioecesis, piorum facultatibus aedificatum: *In supereminenti*, die XIII. Monast. Coloniae.

Ianuarii; item eis cessit monasterium Placentiae, cuius fundationem ratum habet idem pontifex: *Debitum,* IX. calendas Novembris.

Monast. Placentiae.

LXXXII. Aliqua statuit et indulget summus pontifex. Innovat mandata suorum praedecessorum circa mysterium immaculatae conceptionis b. Mariae virginis: *Regis pacifici,* die VI. Iulii; committit Octavio episcopo Forosempronensi, in regno Portugalliae pontificiis debitorum collectori, ut introducat aliquot moniales in monasterium Ulyssiponense ordinis s. Clarae illud reformandi causa: *Inter cetera,* die XXX. Ianuarii; committit episcopo Angrensi, ut inducat moniales clarissas in monasterium oppidi della Braia in insula Terzeira, quod duobus abhinc annis una cum pago ferme corruerat, iam instauratum impensis Philippi III. Hispaniarum regis: *Nomine,* die III. Novembris; committit episcopo Viennensi, ut fratres coenobii eiusdem urbis recipiant pecuniam trium millium tallerorum eis relictam a Maria, comitissa de Helfrid, pro reparatione earundem aedium, onere celebrandi in perpetuum certum missarum numerum: *Exponi nobis,* die XVIII. Iunii; committit episcopo Laudensi, ut binas moniales clarissas monasterii Lauden. transferat ad informandum in bonis moribus in alterum monasterium eiusdem instituti, oppidi Codogni, suae dioecesis, anno elapso erectum: *Sacri apostolatus,* Die XIII. Ianuarii; eligit Tiberium de Montenovo ministrum provinciae Marchiae minorum conventualium: *Cum sicut,* die XIV. Maii; indulget, ut moniales monasterii tertii ordinis de Serula, Toletanae dioecesis, regulam sororum conceptionistarum profiteantur sub regimine minoritarum de observantia: *Piis personarum,* die V. Martii; ut Franciscus de Alderete ex minoritis de observantia recipere valeat redditum quolibet anno ducentorum ducatorum, ei legatum a Didaco de Alderete germano suo, s. Iacobi de Spata equite: *Exponi nobis,* die XXVIII. Aprilis; ut Bartholomaeus de Assisio conventualis, iam minister provinciarum Umbriae ac Thraciae, et olim a secretis generalis ordinis, fruatur summa quingentorum scutorum ei a christifidelibus largita: *Religionis zelus,* die XVIII. Iunii; ut moniales clarissae s. Cosimati de Urbe sibi imponant censum mille scutorum supra bona stabilia pro perficiendo novo monasterii dormitorio: *Exponi nobis,* die I. Iulii.

LXXXIII. Erigit summus pontifex confraternitatem ss. nominis Iesu in ecclesia conventualium s. Marini, Feretranae dioecesis: *Cum sicut,* die XXV. Iunii; confraternitatem s. Rochi in ecclesia eius nominis loci de Aidori, Hieracen. dioecesis: *Cum sicut,* die II. Octobris.

LXXXIV. Cetera novimus ex indiculo bullarii Petri de Alva. De differentia habitus servanda a fratribus s. Ioannis de Deo: *Ex iniuncto,* die XVIII. Aprilis; beneficium conceptionis in ecclesia s. Laurentii Valentin.: *Dignum,* IV. idus Maii; confraternitas conceptionis in ecclesia ss. Viti et Modesti Vicentin.: *De salute,* nonis Augusti; pro archiconfraternitate stigmatum s. p. n. Francisci de Urbe: *Ex iniuncto,* calendis Februarii; monasterium s. Sebastiani Ariminen. vendit aliqua bona: *Ex iniuncto,* IV. idus Februarii; confraternitas in conventu

de Pescheira Lamacen.: *De salute*, idibus Septembris; altare conceptionis in ecclesia civitatis Florentin.: *Vitae ac morum*, V. calendas Iulii; capellania in ecclesia s. Francisci Matritan.: *Dignum*, nonis Augusti; pro monialibus tertii ordinis Aversan.: *Ex iniuncto*, pridie calendas Iulii; circa aliqua bona monialium clarissarum Neapolitan.: *Ex iniuncto*, XVI. calendas Septembris; pro monialibus s. Ioannis Novi ac del Castello Cremonen.: *Ex iniuncto*, XVI. calendas Iulii; confraternitas in ecclesia s. Francisci de Merida locatan. in Indiis: *Illius vices*, calendis Decembris; circa receptionem habitus saecularium decretum: *Religionis vestrae*, die XXVI. Septembris; circa fabricam conventuum ordinis: *Cum in aedificandis*, die XXVI. Septembris.

LXXXV. Hoc anno s. c. super negotia episcoporum ac regularium sequens tulit decretum circa sorores de tertio ordine. *Sacra congregatio cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum ad tollendas omnes contentiones inter episcopos et superiores regularium super immunitate et exemptione tertiariarum quae in privatis domibus degunt*, vulgo bizoche, *seu quovis alio modo et nomine nuncupatarum, in primis et ante omnia in memoriam* revocat ea quae sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum in eandem sententiam respondit, videlicet: Chronol. ordinis tom. I. part. II. p. 139.

I. S. congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum saepius respondit, minime posse *sacerdotes regulares mulierum tertii ordinis, quas de poenitentia* vel bizochas vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab ordinario approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas.

II. Quemadmodum nec posse illis sacrosanctum eucharistiae sacramentum in die paschatis resurrectionis ss. Domini nostri Iesu Christi administrare.

III. Verum quoad sepulturam atque alia privilegia fratres tertiarios, mantellatos, corrigiatos, aliosque similes ita demum ordinis, cuius tertiae regulae habitum assumpserunt, privilegiis potiri et ab ordinarii iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent; et mulieres virginalem seu coelibem aut castam vidualem, expresso voto et sub dicto habitu, vitam traduxerint, quemadmodum cavetur constitutione concilii Lateranensis sub Leone X. quae habetur sess. XI. in fine. Hoc autem voto mulierum alia duo, scilicet paupertatis et obedientiae nequaquam includi, quinimmo huiusmodi mulieres, si vitam vidualem aut coelibem simpliciter expresseque voverint, etiam in consanguineorum aut affinium suorum, aut propriis domibus vel seorsim habitantes, supradictis privilegiis ordinis, cuius tertiae regulae habitum deferunt, exemptioneque ab ordinarii iurisdictione frui debere, ut idem Leo postea declaravit constitutione edita die I. Martii MDXVIII.

IV. An autem praedictae qualitates in huiusmodi tertiariis concurrant, ordinarii loci esse iudicium.

V. Praeterea, si contingat aliquas ex praedictis tertiariis sine se-

pulturae, electione decedere, eas sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cuius habitum assumpserunt, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit.

VI. Superioribus autem regularibus sufficienti facultate ad id a sede apostolica suffultis, capucinis exceptis, licere mulieres ad huiusmodi habitum recipere atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas et recipiendas esse, nisi probitae vitae ac bonis moribus praeditas, atque in aetate saltem quadraginta annorum constitutas, quae de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris quam cum consanguineis vel affinibus, in primo tantum gradu sibi coniunctis, cohabitent et ab ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de praedictis, praevio examine diligenti, sibi constiterit.

VII. Verum in huiusmodi habitu concedendo et respective deferendo omnino a velo super caput, quod *superiectum* vocant, a pectorali, quod vulgo dicitur *sottogola*, et a *patientia* abstinendum esse; quinimmo eas, quae supradicta tria vel aliquod ipsorum deferre deprehensae fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab ordinariis locorum compellendas esse decernit.

VIII. Supradictis vero decretis mulieres tertii ordinis, quae collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimmo eas dispositioni constitutionis Pii papae V. editae Romae MDLXVI. IV. calendas Iulii, quae incipit: *Circa pastoralis* etc. penitus subiacere expresse declarat, non obstantibus etc.

Datum Romae etc.

Loco ✝ sigilli.

Antonius card. Saulius
episcopus Theatinus, secretarius.

Agiol. Lusit. ad diem. 10 Aprilis.

LXXXVI. Die X. Aprilis solemni apparatu ac multorum christifidelium concursu corpus Andreae de Vega tertiarii, defuncti in conventu s. Catharinae extra moenia Scalllais, provinciae Portugalliae, illatum fuit in sacellum s. Antonii nobiliorique quam antea arcae marmoreae occlusum. Translationis causa originem duxit ex crebris signis, quae ad eius tumulum eveniebant.

De Esperanza tom. I. p. 496.

LXXXVII. Hoc etiam tempore Aloisius a Cruce, guardianus coenobii conceptionis Matoziahos, eiusdem provinciae, corpus occlusit in arca deaurata venerabilis viri Ioannis a Pavona, ibidem anno MDVI. magno suae sanctitatis nomine relicto, hisce verbis in ea incisis:

OSSA BEATI P. FR. IOANNIS A PAVONA HINC TRANSLATA ANNO MDCXVI.

Eius acta plures notarunt, de quibus Arturus ad diem VI. Septembris.

LXXXVIII. Scribit Pirrus, summi pontificis venia senatum Netinensem dono dedisse serenissimo duci Parmensi manum partemque brachii s. Conradi Placentini, quae in argenteis thecis Netini adservabantur magnaque pietate colebantur. Pirrus tom. I. p. 641.

LXXXIX. Coronidis loco hic ponimus, quae de insigni s. Antonii Patavini prodigio narrat Corrada, cuius verba mutuamur. Circa Batriam, inquit, urbem s. Salvatoris Brasiliae primariam, accidit, quod insignis neophytus nomine Antonius, etsi tabe consumptus, irrepserat in vicinam sylvam, ut herbam nescio quam salubrem exquireret. Ibi defectus viribus, corruit semianimis. Dum aegre animam trahit, iacenti et morienti visus adesse vir gravi et liberali aspectu, franciscanorum indutus tunica, qui fonticulum indicans occulta scatebra in proximo subsilientem iubebat ex eo ut biberet. Evanuit momento species. Aeger sensibus redditus, et fontem vidit, et in eius haustu convaluit. Non tamen in ea curatione virtus monstrati fontis exhausta. Re vulgata, fit ad saluberrimam aquae venam aegrotorum ingens concursus. Omnes valetudinem recipiunt. Nulli fuit dubium, quia auctor prodigii esset magnus ille Antonius, quem nos a loco humili Patavinum dicimus. Ab eo tempore inditum novo fonti nomen, quem post illud tempus indigenae fontem s. Antonii appellaverunt. Corrada hist. societ. Iesu part. VI. p. 83.

ARGUMENTUM

Synodalia Chaldaeorum acta missa a Thoma Novariensi expendit summus pontifex. Eius epistolam ad Eliam Babylonis patriarcham simulque fidei formulam ab eo emittendam eidem Thomae Novariensi commendat. Martyres, confessores, virgines occumbunt. Aedes pro fratrum et sororum incolatu multiplicantur. Viri docti decedunt et florent. Summi pontificis favores recensentur.

I. Magna animi laetitia accepit pontifex synodalia acta Chaldaeorum in urbe Amed congregatorum, eidem missa a Thoma Obicino Novariensi, franciscano de observantia. Cum illa ad examen revocasset pontifex, sequentem epistolam amoris plenam ad Eliam patriarcham Babylonis dedit.

Paulus Papa V.

Vener. fr. Eliae patriarchae Babylonis sal. et apost. benedictionem.

Repleti sumus consolatione, superabundamus gaudio, quod tamdiu desideratum responsum litteris nostris, a te dilecto communi filio Adae, tunc tuae camerae patriarchalis archidiacono, legato tuo datis, tandem accepimus. Primum quidem toto nostri cordis affectu Deo misericordiarum et Patri totius consolationis gratias agimus, quia et ex litteris tuis et ex his, quae diligenter et accurate nobis scripsit dilectus filius pius ac religiosus Dei servus Thomas Novariensis, ordinis seraphici patris Francisci frater, qui mandato nostro ex Aleppo veniens Amed interfuit synodo a fraternitate tua cum venerabilibus fratribus archiepiscopis, obedientiae tuae subiectis, habitae, vidimus, vestram pietatem, venerationem, cultum, devotionem, observantiam erga sanctam b. Petri sedem, non modo conservatam, sed mirifice auctam esse. Praecipue cor nostrum valde laetatum est ex testimonio, quo declarare voluistis, quam amanter et ex animo receperitis doctrinam catholicae fidei ab hac sancta sede, nobis in ea nullis nostris meritis praesidentibus, nuper vobis traditam, cum vos, ut scribis, legatum tuum hac potissimum de causa post eius ad vos reditum cum nostris litteris, ordinatum a te, archiepiscopum decreveritis communi consilio nominandum Timotheum, ut sicut per humilitatem nostram renovatur nunc in apostolica sede nomen doctoris gentium, sic eius dilectissimi discipuli nomen in Adam apud vos renovaretur, et hoc symbolo doctoris ac discipuli alacritas recipiendi et necessitas retinendi sanam doctrinam in vobis demonstraretur. Hoc autem tanto maiori quidem

Stroza synod. pag. 65.

iucunditate atque laetitia nos affecit, quanto idipsum reipsa laudabiliter praestatis, dum post expositionem vestrae de fide sententiae singillatim a vobis factam ex conformitate, ut arbitramini, et consensu cum sancta romana catholica et apostolica ecclesia dicitis; quod si est aliquid in ea, quod vobis non placeat, facietis ut placet.

Laudamus sane vos plurimum ac firma fiducia, executuros opere, quod scripto polliciti estis; vos admonebimus quod indigere correctione aut saltem declaratione videtur in vestra synodo epistola; ut conformis et consona sit omni ex parte, sicut desideratis, vestra fidei professio cum catholica veritate, quam sancta romana ecclesia, omnium aliarum mater et magistra, docet et profitetur.

Perversum damnatumque dogma Nestorii atque Theodori Mopsuesteni, ut ss. patres in quinta universali synodo nos docuerunt, totum in hoc consistebat, ut ambigua falsaque significatione vocis *personae*, redargutiones sapientium declinarent, simplicium mentes deciperent. Propterea ipsi oretenus unitatem personae in Christo Domino recipientes, divisionem nihilominus inter divinam naturam et naturam humanam ponebant. Unamquamque enim naturam esse cum sua propria subsistentia pessime affirmabant, sicut videre potuistis ex actis eiusdem quintae synodi ad vos missis. Magna itaque cautione opus est in usu vocis *personae*, quando de damnato Nestoriano dogmate agitur; suspectum autem admodum est eius significatum, eoque magis, quod facile cum commento vocis *personae* abunde reprobato confunditur. Igitur cum vos dicatis in synodali epistola ad nos missa: *obedientes sumus sententiae ecclesiae sanctae romanae, quia confitemur unam personam Verbi in Christo, sicut arbor, quae inseritur cum alia arbore aliena a natura sua*; illud dictum *confitemur unam personam Verbi in Christo* redditur valde suspectum ex verbis sequentibus, scilicet *sicut arbor, quae inseritur cum alia arbore aliena a natura sua*: nam ex comparatione hac facile inferri potest, reperiri in Christo duas substantias cum duabus naturis, cum utraque arbor, et quae inseritur et altera in qua illa insita est, habeant quodammodo propriam subsistentiam; et hoc pacto in pessimum damnatissimumque dogma Nestorii et Theodori incideretur, qui perverse subdoleque unitatem personae cum duabus subsistentiis in Christo Domino nostro ponebant.

Multo quoque gravior adhuc evadit suspicio, quia affirmatis hanc, quam modo confitemini *personae* unitatem in Christo, eandem credidisse ac professos semper; ita ut asseratis, nullam unquam fuisse inter nos dissensionem. Sic enim scribitis: *scimus non fuisse unquam contentionem neque apud nos neque apud vos adversus invicem, sed hostes nostri miserunt contra nos blasphemias apud vos.* Plane credimus vos ita scripsisse studio conciliandae maioris et constantioris benevolentiae atque caritatis inter nos. Verum res se aliter habet. Ecclesia namque sancta catholica apostolica romana vestrum de dispensatione Verbi Dei incarnati dogma Nestorianum esse aperte declaravit ipsum-

que damnavit, eaque de causa vos separatos esse ab ea universus christianus orbis novit. Et ipse Adam post diuturnam continuamque unius anni et amplius disputationem, hoc ipsum confessus est agnitosque errores alacriter abiuravit et anathematizavit, atque insuper magna cum pietatis et doctrinae suae laude libellum eruditissimum de orthodoxa fide, et sermonem adversus haereses dissidentes a veritate sanctae romanae ecclesiae postea composuit. Quibus scripturis a vobis postmodum in synodo receptis et approbatis, vos quoque subscripsistis. Dum itaque confitentes unam personam Verbi in Christo affirmatis, eodem modo semper hanc personae unitatem intellexisse, suspectam admodum facitis vestram fidei confessionem. Nam manifestum est, vos ante reditum venerabilis fratris archiepiscopi Timothei, non unam *personam* idest unam subsistentiam, sicuti nos, sed unam personam, ut Nestorius et Theodorus impie ac perverse commenti sunt, in Christo Domino posuisse.

Oportet igitur; si desideratis, ut proculdubio nobis persuademus, vere, rite ac fideliter vos ad sanctam romanam ecclesiam matrem vestram adiungere et ab ipsa in gremio suo, ut vehementer optat, amanter recipi, duo faciatis. Primum, ut disertis, claris et apertis verbis confiteamini, unam esse in Christo Deo et homine cum duabus naturis *subsistentiam* et illam esse divinam; quam unitatem *subsistentiae et personae* credere profiteamini ad sensum sanctae romanae catholicae et apostolicae ecclesiae, sicuti etiam quod beatissima virgo vere sit mater Dei.

Alterum quod facere debetis est, ut declaretis agnovisse errores, quibus implicati longo tempore habiti estis Nestoriani, ideoque anathematizavisse Nestorium et Theodorum omnesque alios haereticos a ss. patribus damnatos, praecipue in Ephesina, Chalcedonensi et quinta et sexta universalibus synodis. Quorum perditorum haereticorum nomina et doctrinam necesse est, ut ex vestris libris abradatis, nosque de his omnibus per authentica documenta in scriptis certiores faciatis. Quae omnia cum perfeceritis, ut confidimus, firma et constituta erit vestra cum sancta romana ecclesia unitas atque communio. Tunc omnia amoris et caritatis officia vobis alacriores promptioresque praestabimus, optatum sacellum in ecclesia s. Sepulcri Redemptoris nostri Hierosolymis commodius obtinebitis, et difficultates, quas in Indiis patiuntur homines nationis vestrae, removebuntur. Nam cum intellexit clarissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex potentissimus, vos coniunctos nobiscum esse et sanctae apostolicae sedi vere obedientes, nullo pacto permittet vobis detrimentum aut iniuriam inferri, praesertim a nobis hac de re efficacissime requisitus.

Ut autem cuncta quae necessaria sunt, rite et facile exsequi valeatis, dedimus eidem dilecto filio religioso ac prudenti viro Thomae, franciscanae familiae fratri sacerdoti, tui ac tuorum amantissimo, certam formulam, ex qua professionem fidei et damnatorum haeretico-

rum anathematizationem conscribatis et ad nos mittatis. Ipse pro sua pietate atque prudentia diligenter omnia vobis declarabit de nostro desiderio. Quare illi eandem prorsus fidem adhibeatis, venerabilis frater, quam si nos loquentes, audires. Ceterum fraternitatem tuam amantissime hortamur et instantissime requirimus, ut quemadmodum eximius zelus tuae pietatis et sacerdotalis tua prudentia nobis pollicetur, ad Dei gloriam et commissi curae tuae gregis salutem tuamque veram laudem et peculiare nostrum solatium, sanctum hoc negotium perficere cum auxilio divino studeas, certus quod praeterquam quod acceperis uberem mercedem tuorum pastoralium laborum ab aeterno Patrefamilias, nostram quoque tibi caritatem ita tibi devinxeris, et semper desideraturi simus occasionem ratificandi tibi actuis in omnibus, quae cum Domino poterimus, ut reipsa experieris. Dilectum filium Thomam venientem iterum ad vos fraternitati tuae commendatum ex se satis esse scimus, nihilominus tibi ex animo et quam diligentissime commendamus et benedictionem nostram apostolicam tibi ac ceteris venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, monachis et clero cunctisque christifidelibus obedientiae tuae subiectis peramanter impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum die festo eius solemnitatis sub annulo piscatoris III. calendas Iulii MDCXVII. pontificatus nostri anno tertio decimo.

Petrus Stroza.

II. Ad eundem patriarcham Babylonis hanc quam subiicimus professionis fidei formulam ope laudati Thomae idem pontifex misit.

Ad omnipotentis Dei laudem et ad perpetuam rei memoriam.

Infrascriptam professionem fidei facit reverendissimus dominus Elias patriarcha Babylonis cum archiepiscopis et episcopis nationis Chaldaeorum, qui obedientiae suae subiecti sunt, ut coniuncti perpetuo, firmiter ac stabiliter cum sancta romana, apostolica, catholica ecclesia permaneant sicut semper ex animo desideraverunt. Propter quam causam miserunt superioribus annis eorum fidem ad sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum, dominum Paulum divina providentia papam V., ut eam recognosceret, illosque moneret, si aliquis in ea error aut recessus esset a recta fide, quam ecclesia sancta romana docet, omnium aliarum mater et magistra. Idem pag. 76.

Responso autem semel atque iterum accepto a ss. patre, ac iuxta eius paternam admonitionem damnatis detestatisque erroribus, quorum causa hactenus Chaldaei appellati fuerant Nestoriani, et ut separati ac disiuncti a communione sanctae romanae ecclesiae apostolicae universaliter habiti, catholicam orthodoxamque Christi fidem in hunc qui sequitur modum profitentur, videlicet:

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti unius Dei.

Ego Elias, per misericordiam Dei humilis patriarcha Babylonis, toto corde credo et ore confiteor, quod unus est Deus verus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis et aeternus, Pater scilicet, Filius et Spiritus sanctus unus in essentia, trinus in personis. Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus sanctus a Patre Filioque aeternaliter procedens, non simul a duobus principiis aut duabus spirationibus, sed ab utroque tanquam ab uno principio, et unica spiratione. Pater non est Filius aut Spiritus sanctus; Filius non est Pater aut Spiritus sanctus; Spiritus sanctus non est Pater aut Filius, sed Pater tantum est Pater, Filius tantum Filius est, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Nullus alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine aut superat potestate, sed absque initio semper est et sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, coaequales, coomnipotentes et coaeterni. Hae tres personae sunt unus Deus, non tres Dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus creator visibilium omnium et invisibilium, corporalium et spiritualium. Qui quando voluit universas condidit creaturas sua bonitate, quas et valde bonas voluit. Et ideo reprobo et anathematizo omnes haereses et haereticos scientes et docentes contraria.

Firmiter etiam credo et profiteor, quod unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis, semper cum Patre et Spiritu sancto existens, in plenitudine temporis, quam divinae misericordiae consilium inscrutabile disposuit, ut nos a peccato Adae et ceterarum culparum nostrarum sordibus mundaret, et a morte et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto in immaculato utero beatissimae Mariae semper virginis, ac veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet et animam rationalem in unitate personae, idest subsistentiae divinae, tanta unitate, ut unus et idem Christus sit Deus et homo, Dei filius et hominis filius, ita quod una natura non confunditur cum altera, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in persona atque subsistentia omnino una, sint duae perfectae naturae, divina scilicet et humana, salvis earundem proprietatibus; duae voluntates et duae operationes, ita ut Christus sit tantum unus; et sicut formam servi non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo; Deus per id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum; et per id quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, quod Samaritanae aquam sitienti in vitam aeternam promisit, quod Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitavit. Homo per id quod esurivit, sitivit, fatigatus est, in ligno crucis clavis affixus est. Unus et idem secundum divinitatem, aequalis aeterno Patri, immortalis, impassibilis; secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis et passibilis.

Insuper firmiter credo et praedico, eundem Dei filium incarnatum, vere natum esse ex Maria semper virgine, et ideo ipsam virginem fateor veram Dei matrem atque genitricem. Item vere passum, vere mortuum et sepultum, vere cum anima descendisse ad inferos ad liberandas animas ss. patrum, quae in limbo detinebantur, alligato insatiabili homicida; subinde vero ex mortuis resurrexisse, et per quadraginta dies apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad caelos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris et venturum esse in fine saeculorum ad iudicandos vivos et mortuos.

Ideoque cum sancta romana ecclesia firmiter teneo et credo, symbolum fidei a trecentis decem et octo patribus in concilio Nicaeno et a centum quinquaginta in concilio Constantinopolitano traditum ac semper in ecclesia usque modo inviolate custoditum, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Item amplector, suscipio et approbo sacrosanctam synodum Nicaenam primam trecentorum decem et octo patrum, et profiteor ac sequor quidquid illa decrevit, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit et maxime impiam haeresim Arianorum cum ipso auctore Ario, qui affirmare ausus est, Filium Dei non esse ab aeterno ex ipsa Patris substantia genitum, sed ex tempore atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, suscipio et approbo sacram synodum Ephesinam primam ducentorum patrum, et credo quidquid illa decrevit et reprobo quidquid illa reprobavit, et maxime impiam haeresim Nestorianam cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in Christo constituens asserebat, non esse a Verbo Dei carnem assumptam in unitate subsistentiae et personae, sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, et Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem Deiferum, nec beatam Mariam eius genitricem dicendam esse Deiparam, sed Christiparam, ipsumque Nestorium ob tam impias blasphemias praecipue damno et anathematizo.

Item amplector, suscipio et approbo sanctam synodum Chalcedonensem sexcentorum triginta patrum, quartam in ordine universalium synodorum, et credo et sequor quidquid illa decrevit, ac reprobo et damno quidquid illa reprobavit ac damnavit, et maxime impiam haeresim Eutychetis et Dioscori Alexandrini, cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem Verbi cum carne duas integras, perfectas, inconfusas et impermixtas naturas cum unitate hypostasis sive personae. Et reprobo secundam synodum Ephesinam, immo potius latrocinium, quod factione eiusdem Dioscori, occiso Flaviano episcopo Constantinopolitano, legatis summi pontificis fugatis et episcopis ceteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam haeresim impie confirmavit.

Item amplector, suscipio et approbo synodum Constantinopolitanam secundam centum sexaginta quinque patrum, quintam in eodem ordine universalium synodorum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit, et maxime detestabiles errores ac blasphemias non ferendas in mysterium ineffabile incarnationis Verbi Dei a Theodoro Mopsuesteno prolatas, et in eadem synodo cum scelerato eiusdem Theodori symbolo recensitas atque damnatas; quem Theodorum Mopsuestenum damno et anathematizo, in omnibus adhaerens ss. patrum sententiae contra ipsum in eadem synodo latae.

Item amplector, suscipio et approbo synodum Constantinopolitanam tertiam ducentorum octoginta novem patrum, sextam in eodem ordine, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit, et maxime impiam Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarii ac Theodorii, qui unam tantum in Christo voluntatem et operationem statuentes, unam quoque dumtaxat naturam cum Eutychianis asserere conabantur.

Item amplector, suscipio et approbo sanctam synodum Florentinam amplius quam centum et quadraginta patrum, et credo quidquid illa decrevit de processione Spiritus sancti a Patre et Filio, de consecratione panis azimi vel fermentati, de purgatorio et beatitudine animarum, de primatu summi pontificis romani, necnon de sacramentis et libris canonicis, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit atque damnavit.

Praeterea amplector, suscipio et approbo quaecunque alia concilia, quae recipit et approbat sacrosancta catholica et apostolica romana ecclesia, et maxime sanctam oecumenicam generalem synodum Tridentinam novissime celebratam, ac damno et reprobo omnes haereses et auctores earundem, quas et quos reprobat et damnat dicta sancta catholica et apostolica romana ecclesia.

Necnon quidquid illa tenet et docet cum omni devotione et reverentia suscipio et amplector.

Illos quoque doctores et sanctos patres, quos eadem romana ecclesia approbat, reverenter suscipio.

Teneo et confiteor, sanctam apostolicam sedem, et romanum pon-

tificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum romanum pontificem successorem esse beati, principis apostolorum et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae esse caput, et omnium christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, cuius ecclesiae unitatem tantam faciendam esse affirmo, ut nullos extra eandem ecclesiam catholicam existentes aeternae vitae participes fieri posse confiteor.

Insuper promitto, me tanquam obedientiae filium ordinationibus, praeceptis, censuris ac iussionibus ss. domini nostri d. Pauli, divina providentia papae V., et successorum suorum romanorum pontificum, canonice intrantium et sedi apostolicae semper et fideliter obtemperaturum.

Hanc vero catholicam fidem, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram inviolatamque usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Elias patriarcha Babylonis spondeo, voveo ac iuro, ac Deo gratias ago, qui per suam misericordiam, lumine suae claritatis, errores in quibus hactenus versati sumus et ex quibus Nestoriani fuimus habiti, mihi detegere dignatus est. Quos iterum damno et detestor et cum auctoribus eorum Nestorio atque Theodoro anathematizo atque reiicio, daboque operam, quantum in me erit, ut nomina et doctrina eorum ex nostris libris aboleantur et rescindantur.

III. Postremum vulgamus litteram, qua idem pontifex Thomae Novariensi iubet, ut ad eundem Eliam patriarcham cum superius expositis scriptis iterum redeat. Eam sic inscribit Petrus Stroza: *epistola ss. d. n. ad Thomam Novariensem ordinis franciscanorum observantium Aleppi Syriae commorantem.*

Paulus Papa V.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Litterae tuae Aleppi post tuum ex synodo a venerabili fratre Elia Babylonis patriarcha habita reditum, magno nos in Domino solatio affecerunt, cum successus tam desiderati negotii narratione, tum specimine pietatis, prudentiae et diligentiae tuae, quod occasione tam gravi nobis sane laudabile admodum praebuisti. Cuncta diligenter consideravimus, quae de alacritate, studio ac zelo patriarchae et archiepiscoporum scripsisti in amplexanda communione sanctae romanae ecclesiae. Litteras synodicas aliaque scripta, ab ipsis in synodo composita, a te per dilectum filium pium ac religiosum virum Hieronymum, ordinis tui fratrem tuumque socium, missa vidimus. Communicavimus cuncta cum venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinali- Idem p. 85.

bus congregationis sancti officii, de quorum consilio litteras ad eundem patriarcham Babylonis cum quadam formula professionis fidei deferendas a te, tibi mittimus. Ex ipsarum exemplo facile intelliges, quid facias oportet. Igitur quamprimum et quam commodius fieri poterit, iter cum benedictione nostra, quam tibi peramanter mittimus, ad Babylonis patriarcham suscipies. Eademque diligentia, qua hactenus laudabiliter fecisti, nos de omnibus certiores facies. Nos interea tui semper in nostris orationibus memores erimus. Benedicat tibi Dominus.

Datum Romae apud s. Petrum die festo eius solemnitatis sub annulo piscatoris III. calendas Iulii MDCXVII. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Petrus Stroza.

IV. Alacri animo pontificis mandato obtemperavit Thomas, et Amed adveniens cuncta patribus, qui eum maxima comitate exceperunt, aperuit. Tunc illi romanae ecclesiae iudicio humiliter se submittentes, natio pene innumera singulari Dei gratia Christo reconciliata fuit. Elias autem Chaldaeorum patriarcha die XXVI. Maii decurrentis anni e vita migravit in ecclesiae catholicae communione, sicut patet ex sepulcrali Mosulana inscriptione relata a Iosepho Aloysio Assemano.

Commentarium Hist. patriarchar. Chaldaeor. p. 232.

V. Quoniam vero ipsi chaldaicae nationis episcopi saepe exoraverant romanum pontificem pro consequendo oratorio in urbe Hierosolymitana, ubi sacra operarentur iuxta eorum ritum, ideo, accedente summi pontificis voluntate, praeses minoritarum de observantia custodiae locorum sanctorum eisdem cessit sacellum s. Mariae Magdalenae, ubi Christus dominus post sui resurrectionem eidem adparuit. Ea tamen conditione attribuit eis locum laudatus praeses, ut in catholicae fidei professione permanerent, alias iterum iuris foret franciscanorum. Quibusdam transactis annis, cum a fide catholica defecissent, locus ut antea fratribus minoritis obvenit.

Cassini religioni di Terra Santa p. 246.

VI. Iaponensium ecclesiam proprio sanguine purpurarunt hoc anno aliquot discalceati fratres. Arimae die XXXI. Martii post diuturnam captivitatem martyrii coronam pro Christi fide disseminanda promeruit Apollinaris, illarum regionum commissarius generalis. Defuncti corpus in altum mare proiectum est. Nullam de eo mentionem facit Dominicus Martinez in historia mm. Iaponensium.

Apollinaris m. Solerius lib. 17. cap. 8. § 149.

VII. Vomurae in eodem Iaponiae regno non die XII. ut scribit Waddingus, sed XXII. Maii capite obtruncato martyr evasit Petrus ab Ascensione, aliis ab Assumptione, in oppido Cuerva, dioecesis Toletanae ortus. Adolescens professionem emisit inter discalceatos provinciae s. Iosephi. Anno MDC. ad Insulas Philippinas et anno MDCVII. in Iaponiam dilatandi evangelii causa advenit. Decem annorum spatio, licet saeviente in christianos persecutione, multos labores sustinuit

Petrus ab Assumptione m. Martinez lib. 3. p. 180. Wadd. in syllabo mm.

ut christifideles in fidei confessione contineret aliosque infideles Iesu Christo pareret. Licet id occulte ageret, vix tamen Vomurae gubernatori, qui a fide defecerat, innotuit, carceribus includitur die VIII. Aprilis. In eo ergastulo *varias epistolas* scripsit, in eius vita vulgatas a Ioanne a s. Antonio. De eo sicut et de ceteris aliis LII martyribus, qui ab anno MDCXVII. usque ad annum MDCXXXII. in Iaponia pro Christo passi sunt ex diversis religiosorum ordinibus, habetur decretum s. r. congregat., quo patet, constare de veritate eorundem mm. ex parte tyranni hisce verbis expressum. *Proposito per eminentiss. et reverendiss. dominum card. Azzolinum ponentem in sacr. rit. congr. ordinaria seu particulari ex dispensatione apostolica dubio; an constet de martyrio ex parte tyranni, in casu et ad effectum, de quo agitur in causa praedictorum servorum Dei; eadem sac. congreg. auditis votis dominor. consultorum in duabus praeteritis congregationibus habitis die XXVII. Ianuarii MDCLXXXV. et XXX. Augusti MDCLXXXVI. audito pariter rev. d. fidei promotore in voce et in scriptis discussoque praedicto dubio, censuit constare de martyrio ex parte tyranni, si sanctiss. d. nostro placuerit. Die XXV. Ianuarii MDCLXXXVII.*

Ioannes a s. Antonio. Chron. prov. tom. 2. lib. 2.

Et facta de praedictis sanctissimo relatione sanctitas sua benigne annuit die III. Februarii MDCLXXXVII.

A. card. Cybo.

Loco † sigilli.

BERNARDINUS CASALIUS s. r. c. secret.

VIII. Hoc tempore item a Iaponibus comprehensi in insula Goto et Vomuram deducti, vinculis etiam constricti fuerunt Petrus Machadus iesuita et Ioannes Baptista a Martinez nuncupatus. Illuc ingressi, laudatum Petrum ab Assumptione invenerunt, qui teste Cordara, ut Machadum aspexit venientem, assurgens processit obviam novo hospiti ac sodali, eum amantissime complexus est. Hic invicem ad eius pedes se abiecit. Certatum utrinque humilitate et caritate tanta, ut id custodes carceris mirari satis non possent. Ambo deinde beatae necis expectatione laeti, maximas Numini gratias persolverunt persistiteruntque hoc habitu mentis a die pentecostes ad secundam usque feriam post festum ss. Trinitatis, quae suprema lux ambobus et aditus ad beatam immortalitatem fuit. Quibus in squalenti ergastulo gaudiis p. Machadus afflueret, intelligi potest ex eius litteris ad societatis sacerdotem conscriptis: o summam, inquit, Dei benignitatem, qui tam leves famulorum suorum aerumnas tantis praemiis vel in hac mortali vita compensat! Hoc tibi, carissime pater, confirmare possum, nullas rerum caducarum delicias, nullos honorum gradus, ac ne omnia quidem in unum collecta orbis terrarum imperia tanti esse, ut has catenas illis mutatas velim. Unum timeo, unum doleo, si leviore

Petrus Machadus et socius mm. Martinez lib. 3 p. 180. Cordara Hist. societ. Iesu part. 6. lib 2. p. 119.

quam pro votis meis cruciatu defungar. Iam dies quadragesimus est, cum totius corporis acerrimo dolore torqueor quem parit carceris in media palude positi crassus aer et soli putris atque uliginosi graveolentia. Ita increvit dolor, nullam ut quietis capere partem possim. Id vero in maximis Dei beneficiis numero tantaque animi pace fruor, nihil ut me angat praeter peccata mea. Nunc nunc demum assequi mihi videor vim illius apostolicae vocis: cum infirmor tunc potens sum. Hoc porro totum quantum quantulum est roboris et gaudii, divinum esse munus et immerenti datum prorsus video sentioque. In me ac per me nihil, in eo et cum eo possum omnia. Iugum Christi suave est, quia quod est oneris, ipse perfert seque imbecillitati nostrae accommodat, nec premi nos tentarique patitur supra id, quod possumus. Sic ille XII. calendas Iunii. Alias duas in eandem fere sententiam litteras ad alios dedit ex eadem custodia.

IX. Affuit interim expectatus diu nuntius sententiam mortis ad utrumque perferens. Ea audita dici vix potest quibus beati viri laetitiis incesseriut. Affirmabat franciscanus, ex quo pedem in ergastulum intulisset, id unum se a Deo flagitasse, ut mori pro Christo posset. Machadus vero tres sibi fortunatos in omni vita illuxisse aiebat dies: primum quo fuerat in societate adscriptus, alterum quo datus in custodiam, tertium hunc ipsum quo dictam in se capitis sententiam acceperat. Nec tenere se potuit, quin ad rectorem sociorum scriberet in haec verba: modo mihi felix faustuque nuntius beatae mortis obeundae allatus est, mei compos non sum prae gaudio, quia pro Iesu meo morior, cui vitam hanc do dedoque libentissime, daturus alias mille si adessent. Ago illi gratias immortales, quod servum indignissimum tanto beneficio cumulet. Ah! quam me piget pudetque tot eius in me beneficiis tam parum hactenus respondisse! Quam laetor, quod meam illi saltem moriendo probare fidem possum. Haec scribebat Machadus, eadem cum socio triumphi franciscano piis sermonibus agitabat. Reliquum eius diei ambo pie admodum transegerunt, partim divinis laudibus concinendis, partim mundanda per sacram confessionem conscientia.

X. Sub vesperam carcere eductos ingens populi multitudo prosecuta est ad collem, altero ab urbe distantem lapide, supplicio destinatum. Procedebant felices victimae effigiem Christi e cruce pendentis elata gestantes manu; sermone autem modo ad neophitos modo ad ethnicos converso, illos ad retinendam, hos ad complectendam fidem hortabantur. Sane ab omnibus audiri voces, inter crebra comitantium suspiria planctusque non poterant. Cerni tamen poterat alacritas eminens in ipso vultu, quam admirantes ethnici exclamabant, omnino hanc veram esse religionem necesse est, quae mori sic homines docet. Ut ventum est ad collem, effusi ambo sunt in mutuos amplexus gratulationesque incredibili hilaritate. Tum salute multa christianos circum undique collacrymantes impertiti, cum ad eos p. Petrus ab Ascensione uberius verba fecisset, alter ab altero pau-

lum dirempti sunt, procideruntque in genua supplices. Fuit pius neophytus, qui tegetes utrique substernere conabatur, in quibus decentius caderent. Verum illi terram terrae deberi aientes, genua in nuda humo fixerunt, sublatisque in caelum oculis et manibus, cervicem acinaci barbaro praebuerunt. Caput franciscano primus ictus abscidit. P. Machadus collo dimidia parte secto corruerat. Erexit se rursum in genua Iesum ac Mariam inclamans et feliciorem ictum expectavit. Carnifex et suo errore et populi convicio attonitus, alium acinacem corripuit trepide, novum intulit vulnus, nec tamen nisi ferro tertium impacto immotum precantemque obtruncavit. Eo aspectu erupit lamentabilis piorum clamor et undique in sancta corpora est factus impetus deosculantium beatos artus et aliquid ad venerationem decerpentium. Represso aegre populo, sepulta sunt sacra pignora et locus pariete circumstructo clausus, ne clam auferrentur.

XI. Nangasachana in urbe capitis poenam subiit die XVII. Maii in odium christianae fidei Thomas Iaponensis, tertio ordini s. Francisci de poenitentia adscriptus. Eodem martyrii genere occubuerunt in civitate de Yendo alii quatuor Iapones christifideles, socii p. Didaci a s. Francisco, qui eidem opem ferebant in divini verbi praedicatione et in neophitorum institutione. Quadriennio vitam durissimam duxerunt in illius urbis teterrima custodia, fame, siti et nuditate afflicti. Non autem eadem die singuli caesi fuerunt; unus enim Aloysius nomine vitam dedit pro Christo die IV. Februarii; die XVIII. Martii Thomas catechista; die X. Decembris Laurentius de Suquan; postremus autem Vincentius nuncupatus incerto mense martyr evasit. Martyr item occubuit die XII. Iulii eiusdem anni Thomas Geraldinus ex avita comitum Desmoniae prosapia. Ab adolescentia multis virtutibus exornatus nomen dedit minorum instituto. Studiorum curriculum in Hispania absolvit; at suorum salutem sitiens Hiberniam repetiit, ubi occulto per Monomiam et Logeniam pastoribus orbatam tam divini verbi pabulo, tum sacrorum administratione discurrens, christifidelium animos ad fidei constantiam erigebat. Quadriennio post ab haereticis captus et Dublinum adductus, carceribus mancipatur, ubi aerumnis confectus in Domino suaviter obdormivit. In eodem regno palmam martyrii accepit Nicolaus de Boyl, suspensus bubularumque nervis afflictus ob primatus summi pontificis et catholicae fidei defensionem.

Thomas Iaponus m. Sbaral. lit. I

Aloisius et socii mm. Iaponenses Martinez lib. 3. p. 178.

Thomas Geraldinus m. Broudinus de martyr. Hiber. p. 499

Nicolaus de Boyl m. Hueber ad diem 15 Ianuarii.

XII. Constantinopoli martyr occubuit incerta die Ioannis Baptista Benincasa a Montebarachio, filius observantium provinciae Picenae; a suis in eandem metropolim missus, munus exegit vicarii patriarchalis, et ob ingens studium dilatandae fidei et speciatim ob alacrem laborem redimendi captivos, a turcis comprehensus eorundem manibus strangulatus est, Iesu Christi nomen ingeminans. In Fani coenobio tyronibus sacra eloquia explanavit et guardiani officium explevit.

Ioannes Baptista Benincasa mart. Gasparini in mon. prov.

XIII. Obitus sui hora revelata fratribus, e vita migravit in con-

ventu de Lumbang, provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum, Ioannes Baptista de Moya, antea sacerdos et parochus dioecesis Toletanae in Hispania, multis virtutibus clarus; ieiuniis enim, vigiliis ac flagellis etiam eo tempore corpus macerabat. Pro pauperibus alendis peregrinisque excipiendis domum suam assidue paratam habebat. Quae sunt mundi fastidiens, habitum fratrum discalceatorum obtinuit in provincia s. Iosephi. Evangelii disseminandi causa Philippinas Insulas petiit ac postremo Iaponiam, ubi concionibus et vitae exemplo multos illius regionis incolas ad fidei lumen adduxit. Cum haec feliciter ageret, anno MDCXIV. imperatoris Iaponiorum iussu una cum ceteris sodalibus exilio mulctatus Maniliam advenit. Licet laboribus et aetate gravatus, corporis tamen poenalitates invicto animo ad mortem usque sustinuit.

Ioannes Baptista de Moya. Martinez lib. I. p. 137.

XIV. In coenobio s. Didaci Almagverensis, provinciae discalceatorum s. Iosephi, vivere desiit die XXIX. Maii Christophorus a Regibus, sacerdos intemeratae vitae, assiduae orationis miraeque abstinentiae. In meridiana refectione tres, in coena vero duos aquae haustus sumebat; quadragesimali tempore vix aquam in mensa pauperrima ac tenui capiebat. Septem asperrimis ciliciis et catena ferrea corpus edomabat. Aliquando pueri Iesu et Virginis Deiparae visione recreabatur. Claruit prophetia et miraculorum gloria in vita et post mortem. Tumulum accepit separato a fratrum defunctorum loco.

Christophorus a Regibus. Mon. prov.

XV. S. Gabrielis provinciam eorundem fratrum beato fine illustravit Franciscus a s. Iacobo, ortus ex nobili familia de Treio in oppido Fregenal de la Sierra, dioecesis Pacis Iuliae in Extremadura. Pietate litterisque instructus ab avo suo, comes datus est cuidam mercatori Peruvianum regnum petenti. Verum saeculi vanitatibus valedicens, anno suae aetatis XXIII. clericali militiae nomen dare decrevit. Voti compos factus ab episcopo Venetiolae et sacerdotali dignitate decoratus, primum a secretis, subinde vero parochiale munus ab eodem episcopo obtinuit. In hoc postremo obeundo officio sollicitus, vigilantia vitaeque exemplo fideles sibi concreditos pascebat. Corporis vires reficiebat solo pane herbisque sylvestribus.

Franciscus a s. Iacobo. Mazzara tom. 12. p. 204.

XVI. Mortificationis virtute dives, Spiritus sancti ductu votum emisit Deo famulari in fratrum discalceatorum instituto. Quae ut perficeret, in Hispaniam adire decrevit. Ne propositum episcopo revelaret, dixit ei sibi fore necessarium Hispaniam repetere, ut negotiis animae germanae suae consuleret. Annuit episcopus et cito discessit. Longi itineris incommoda laetus sustinuit, et in Hispaniam adveniens, sacra s. Iacobi Compostellani et b. Virginis de Guadalupe loca nudis pedibus detectoque semper capite lustravit pietate summa. Domum suam adveniens, expensa germanae voluntate, eam inter moniales clarissas immisit. Ut autem ipse Deo intimius adhaereret, quae supererant partim pauperibus partimque piis legatis impendit, et placito fratrum discalceatorum in ordinem admissus, in coenobio Oiensi tyrocinium inchoavit.

XVII. Religionis tunica amictus, illico multis virtutibus exornatus adparuit. Ea erat humilitate, ut viliora quaeque munera hilariter expleret. Ligna humeris suis imposita a sylva ad coenobium deferebat, coquinae vasa abstergebat, et urbis vias circuibat ostiatim panem pro fratribus mendicans. Dei amore mire exardescebat, caelestibus enim meditationibus noctu ac die detentus, non semel visus fuit extra se factus, vivida luce circumfusus oculisque in caelum defixis. Vix emissa professione, deviorum saluti sedulum operam navavit, quibus occurrens, monita ad cavenda peccata. ad Deum puro corde diligendum, et ad sacramenta digne suscipienda mira eloquii suavitate dabat. Sacrum prae intenso caritatis ardore inter lacrymas et suspiria duas aliquando tres horas insumens praestabat, unde qui aderant commoti vel a peccatorum coeno vel ad maiora prosequenda virtutum charismata excitabantur.

XVIII. Haec licet inculpate vir Dei expleret, ipsum tamen a spiritu levitatis duci penes suos invaluit opinio. Hinc minister provinciae eum ab Oiensi coenobio amovit misitque ad alterum s. Mariae Alburquerqui pene inaccessum ac ab hominum frequentia semotum. Dure se habebat in eum guardianus illique cavit, ne saeculares alloqueretur, nec cum fratribus verba faceret et a sacro peragendo abstineret, nisi unius horae spatio illud absolveret. Paruit in cunctis vir Dei et veritus, ne tempore sibi adsignato missam expleret, a celebrando continuit. At relaxato spiritus sui fervore, longas traducebat horas cum dilecto suo, dum una cum suis sacro Christi corpori reficiebatur.

XIX. Binis annis eius probata fuit in adversis constantia. Multa enim tum a suis tum ab aliis opprobria et animadversiones aequo animo sustinuit, et in genua provolutus, gratias tanquam pro accepto beneficio tum maioribus tum inferioribus referebat. Ecclesiam interim petens, pro eisdem preces fundebat Deumque exorabat, ut molestiora sibi concederet perferenda. Quae et alia multa cum innotuissent provinciae praesidi, ab anteactis mandatis solutus veniam obtinuit et celebrandi sacrum aliaque ad christi fidelium salutem peragendi. Attamen ad humilitatis lucrum sibi comparandum, ad ea quae praestabat, socii sui placitum antea exquirebat. Hinc hac illac discurrens, qua choreas dissolvebat, qua inter cives simultates componebat, qua perditas mulieres a turpi quaestu avocabat, et qua demum nomen Dei blasphemantes, os terrae iungens, ad ipsum laudandum impellebat. Consiliorum dono interim a Deo auctus, multi ad eum confluebant, ut eius mentem in rebus agendis explorarent; alios autem epistolarum ope ad sectandam pietatem impense fovebat.

XX. Deiparam virginem a puero summo coluit affectu. Anno MDCIX. orans ante imaginem eiusdem beatae Virginis de Guadalupe et ecstasim passus, ab eamet mandatum accepit, ut quibus valeret modis eius Immaculatae conceptionis mysterium propagaret, tueretur ac publice de eo praedicaret. Quae ut facilius assequeretur, quaedam

eidem ex sacris litteris deprompta ad tanti mysterii propagandi accommoda ipsa revelavit. Sacrarum litterarum oracula haec fuerunt nimirum ex psalmo XVIII. *Caeli enarrant gloriam Dei* etc. v. 6. *In sole posuit tabernaculum suum:* et psalm. XLV. *Deus noster refugium* etc. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Integrum psalmum LXXXVI; ex Iob III. v. 9. *Expectet lucem et non videat nec ortum surgentis aurorae.* Ex ecclesiastico XXIV. v. 14. *Ab initio et ante saecula creata sum.* Ex proverbiis VIII. v. 22. *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram.* Ex evangelio Matthaei I. v. 16. *De qua natus est Iesus.*

XXI. Altera die beata Virgo eidem adparens annulum argenteum affabre elaboratum in eius digitum immisit, imposuitque eius collo etiam argenteum numisma, in quo caelata erat beatae Virginis imago draconem pede conterentis. Plura beneficia obtinuisse christifideles huius annuli contactu, qui adservatur in ecclesia coenobii de Brozas, tradunt.

XXII. Mira haec animi sui humilitate accepit vir Dei. Ut autem Virginis mandata sollicite obsecundaret, omni studio suae immaculatae conceptionis mysterium promovit. Ab eo initium accepit eam honorandi illis verbis: *benedicta sit sancta et immaculata conceptio sanctae Mariae virginis,* quae etiam nostro tempore in infidelium ore resonare audimus. Interim quatuor millia exemplaria edi curavit ac ubique disseminavit illius carminis idiomate hispanico ab eo sic concinnati:

Todo il mondo en general
A vozes Reyna escogida;
Diga, che sois concebida
Sin peccado original.

XXIII. Ut ad optatum finem mandatum Virginis adduceret, Philippi III. Hispaniarum regis favore, cuius familiaritate fruebatur, usus est ab eo tempore, quo a pientissima Margarita ab Austria, eiusdem regis uxore, expetitus fuerat pro suae conscientiae solatio. Matritum igitur semel et iterum advenit regem deprecans, ut immaculatae Virginis conceptionis causam quantocius apud summum pontificem ageret. Rem etiam insimul procurarunt penes regem d. Matthaeus Vasquez de Lecca, archidiaconus illius cathedralis ecclesiae et d. Bernardus de Toro sacerdos. Quibus votis benevole rex annuens, eis tradidit litterarum fasciculos ad summum pontificem deferendos. Verum Franciscus noster non multo post valido morbo correptus, medicorum iudicio ad suam provinciam remeare iussus est et in conventu de Brozas sancte occubuit die VIII. Decembris, sacro immaculatae conceptionis Deiparae, quam impense colebat. Alii autem duo Romam petiere, apud summum pontificem de hac re acturi. Multa vivus et mortuus miracula edidit, de quibus ex monumentis provinciae Mazzara.

XXIV. Praeter carmen, scripsit etiam *favores a beata Virgine de* Sbaral. lit. F. *Guadalupe acceptos,* cuius operis varia fragmenta vulgavit Ioannes a

Trinitate part. 1. chron. prov. lib. 3. cap. 42. In coenobio fratrum Hieronyminorum vulgo *Gerolimini*, provinciae Extremadurae, titulo *de Guadalupe sacro* mss. extat *de vita interiori* ab eo scripta iussu p. Petri Roderici de Lerina confessarii sui.

XXV. Apud ecclesiam clarissarum ducatus Gandiae in Hispania tumulum accepit Pacificus Guisius laicus, ortus in urbe Turritana provinciae Sardiniae, quem ob eximiam suam sanctitatem Carolus Borgia, prorex eiusdem Insulae, secum in Gandiam adduxerat; is licet invitus domi suae diversabatur. Singulari humilitate miraque corporis mortificatione exornabatur. Prophetiae interim ac miraculorum donis cumulatus erat.

Pacificus Guisius. Mon. prov.

XXVI. Micante ad pectus sidere, abiit ad Dominum in conventu Limano Ioannes de Novarette, Granatae in Hispania ortus, diversus ab altero eiusdem nominis, defunctus in coenobio s. Francisci Pontisveteris, provinciae s. Iacobi, circa annum MDXXVIII., de quo Gonzaga ex Marco Ulyssiponensi. Sexaginta annos inter minores de observantia diversatus, vitam duxit cum Christo absconditam inter multas corporis poenalitates. Cibaria sibi subtrahebat eaque pauperibus erogabat. Humilitatis et observantiae spiritu erga ss. eucharistiae sacramentum ductus, raro sacrum peragebat. Dirum interim cum daemone certamen sustinuit, eum ad carnalia explenda multifarie alliciente, quem tamen divinae gratiae praesidio devincebat. In eodem coenobio et occubuit Bernardus de Gamorra, vir eximiae humilitatis et pietatis. Prae animi sui puritate angeli nomen penes omnes obtinuit.

Ioannes de Novarette. Corduba in vita s. Francis. Solani p. 353. Gonzaga in prov. s. Iacobi conv. 15.

Bernardus de Gamorra. Idem in vita s. Franc. Solani.

XXVII. Emeritae in provincia Iucatanica die V. Iulii sanctis operibus cumulatus quievit Michael, Limae natus, socius laboris in instituendis, Indis illius provinciae Ludovici de Landa, iam episcopi ecclesiae Iucatanensis et Cozumelensis, de quo nos suo loco egimus. Indorum sermone usus multa scripsit, ut facilius populares ad fidei veritatem prosequendam induceret. Eius sunt *de sanctis aliisque pro totius anni temporibus sermones*. Quadraginta annos insumpsit in conficiendo dictionario idiomate Mayo vel Iucatheco, sex voluminibus partito. In provinciam Castellae adveniens munus a secretis obiit Alphonsi de Ponce, commissarii generalis Novae Hispaniae, et eo tempore tractatum scripsit *de amplitudine Novae Hispaniae*. Anno MDXCII. repetiit Iucatanicam regionem cum aliis sodalibus eo adductis a Paulo Maldonato, item Indiarum commissario. Istius provinciae minister renuntiatus, subditos sibi commissos pietate, vigilantia et adhortationibus fovebat. Eum ob eximiam humanitatem et caritatem Indi luxerunt. In eadem provincia e vita hoc tempore migravit Franciscus Luzano hispanus, vir summae austeritatis et assiduae orationis, cui operam dabat flexis genibus. Diu novitiorum curam egit.

Michael a Lima Lopez p. 513. Annal. min. ad ann. 1579. n. 86. 87.

Fanciscus Lozano. Idem ibid.

XXVIII. Matriti adhuc commendatur memoria Petri Lupi, ibidem defuncti die XVII. Decembris, qui ortus ex illustri familia principum de Medina Sidonia, virtutum sanctimonia minorum observantium

Petrus Lupus Hoeber ad diem 17 Decembris.

institutum nobilitavit. Saepe infantem Iesum a Deipara eidem oblatum in ulnas recipiens, miras ecstases patiebatur. Miraculorum gloria etiam inclaruit.

Didacus a s. Francisco De Torres p. 317.

XXIX. Caelestia et petivit Didacus a s. Francisco Ubedae in provincia Granatensi, ex avita familia equitum de Molina natus. A iuventute honoris gratia deservit aulae Caroli V. imperatoris. Maiorum suorum voluntate uxorem duxit lectissimam feminam Mariam item de Molina, nobilem aeque ac praedivitem. Vix initis nuptiis, tale fuit amborum consilium, ut amorem Dei inter se foverent. Subinde quae mundi sunt despicientes, Maria in monasterio clarissarum s. Nicasii Ubedae, Didacus vero Matriti in conventu discalceatorum, provinciae s. Iosephi, vota solemnia nuncuparunt. Non multo post idem Didacus Ubedum se conferens Mariam in eodem monasterio invisit, ubi ambo per sacra spiritualis vitae colloquia sese vicaria relatione satiarunt, oculis tamen utriusque semper in terram defixis. Varias litteras pietatis plenas sibi invicem reddebant; notatu digna est ea, quam ad eam misit Didacus, in qua eius obitum praedixit eventurum cum abbatissae munus gereret, sicut de facto evenit.

XXX. Superiorum venia discalceatorum familiam dimisit, ut inter observantes provinciae Granatensis cooptaretur. Coenobium s. Francisci de Monte in urbe Montiliae incoluit, ubi aliquo tempore familiaritatem habuit cum insigni sanctitatis viro Francisco Solano, Americanae regionis apostolo. Ut autem caelestibus vacaret meditationibus in eremitorium s. Mariae de Angelis, prope idem coenobium positum, sese occuluit, dies noctesque ducens in fame, siti, nuditate ac flagellis. Asperrima lorica lumbos stringebat, nudisque semper pedibus incedebat. Aliquando pueri Iesu visione recreatus fuit. Iis invidens daemon multas viro Dei paravit insidias. Quadam nocte de more ferventer orans, pulsato illius eremitorii ostio flentem mulierem audivit dicentem sibi, ut errata via eam benevolus exciperet. At repulsam passa iterum ab eo petiit, ut saltem sibi ostenderet, qua via incedendum foret. Cum eius voto nec annuisset vir Dei, tanta tunc carnis petulantia affectus fuit, ut ad eam refraenandam dira flagellatione ei opus fuerit. Ex tunc tantus strepitus invasit aures fratrum, ut ipsi arbitrarentur montanum locum cito ruiturum. Cum ad senectam aetatem pervenisset et in instituto tum guardiani tum ministri suae provinciae officia exacte explevisset, cum sanctitatis fama in laudato Montiliae coenobio dilecto suo animam reddidit.

Blasius de Fresno. Mon. prov.

XXXI. Die XVII. Februarii abiit ad Dominum in conventu s. Stephani de los Olmos, provinciae Burgensis, Blasius de Fresno sacerdos, diu variis infirmitatibus afflictus, quas tamen laeto animo semper sustinuit. Morti proximus vivida luce circumfusus fuit, et oculis in caelum elatis, inter divinas laudes placide occubuit.

XXXII. Expleto aetatis suae anno octogesimo primo, sublatus est die XXVII. Maii Andreas a s. Maria Lusitanus anno MDLXXXVIII. electus episcopus ecclesiae Cochinensis. Ea in urbe gymnasium ge-

nerale instituit et cathedralem ecclesiam s. Thomae apostoli a fundamentis erexit. Anno mox elapso, dimisso episcopali regimine, inter sodales suos minoritas coenobii s. Francisci Goae diversatus humillimam bonisque operibus refertam vitam duxit. Tumulum a se paratum in sacello s. Andreae laudati coenobii accepit hisce verbis incisis: *A qui iaz fr. Andre bispo q. fos de Cochin.*

Andreas a s. Maria. Agiol. Lusit. ad diem 27 Mau. Annal. min ad ann. 1588 n 22

XXXIII. In coenobio s. Francisci Transtiberim de Urbe die XV. Novembris Bartholomaeus Cambi, a Saluthio dictus, oppido dioecesis Aretinae in Tuscia, parentibus Iacobo et Camilla anno MDLVIII. die III. Aprilis natus. Saepe eius mater ad Montem Alverniae se conferens, Deum ferventer exorabat, ut sibi filium concederet, Deo qui ipsi in semphico instituto deserviret. Voti compos facta, Gratiam in memoriam cuiusdam avunculi sui filium nominatum voluit in baptismate. Id autem non sine Dei dispositione factum putandum est, cum postea inter franciscanos fratres vas gratiae evasisset.

Bartholomaeus a Saluthio. Mezzana tom. II. p. 205

XXXIV. A puero mirum ostendit ad litteras addiscendas propensionem. Etenim aetatis suae anno XIII. vel XIV. a parente suo ad gregis custodiam destinatus, cum quadam die aliquot consanguineos litteris incumbentes vidisset, summo et ipse mox desiderio eas litteras addiscendi flagravit. Quod et egit ope cuiusdam rustici, nomine Paulini, qui et grammaticae et musicae operam dederat a sua adolescentia. Iuvenis dexteritatem demiratus, idem Paulinus parentes acriter arguebat, quod filium, facilitate ingenii donatum, in gregis custodiam destinassent. Hinc empto sibi Psalterio ex quibusdam denariis furtive a matre allatis, tantum ope laudati Paulini in litteris profecit, ut et ipsi parentes a gregis custodia amoverint eumque cuidam presbytero, pro eo erudiendo commendaverint. Brevi post tempore grammaticalibus praeceptis imbutus, nomen dare decrevit alicui regulari instituto. Quare saepius ad coenobium s. Mariae de Saxo ordinis praedicatorum, prope Bibienam, se conferebat, eorundem religionis habitum suppliciter petens. Cum autem eis hoc tempore interdictum esset iuvenes inter eos adscribi, consilio Paulini praedicti ad fratres observantes coenobii sacri Montis Alverniae convolans, tanto spiritus fervore tantaque humilitate eorundem habitum postulavit, ut, licet reluctante quodam primario illius aedis incola, tamen in provinciali comitio anno MDLXXV. Prati coacto voti compos efficitur. Die igitur XXVIII. Aprilis, comitibus patre, duobus fratribus et matre, quae usque ad Arnum flumen sequuta est eum, cum lacrymis studens illum a proposito religionis ingrediendae revocare; at frustra; ad coenobium Alverniae Montis pervenit, ubi consuetis ritibus habitu seraphico indutus, Bartholomaei sibi nomen imposuit.

XXXV. In tyrocinio spectatissimos religiosae perfectionis moderatores habuit, sub quorum disciplina mire in virtutibus profecit, et felici qua praeditus erat memoria, brevi post tempore divi apostoli Pauli epistolas alta mente retinuit. Ob aëris inclementiam vocis in-

cturam passus, eum ab instituto expellendum non pauci ex sodalibus putabant. Attamen anno suae probationis expleto, solemnem professionem emisit. Humaniores subinde litteras didicit in conventu Deiparae s. Romani, eiusdem provinciae; philosophicis autem et theologicis disciplinis incubuit in conventu s. Mariae Angelorum Assisii. Prae sua sanctitate et doctrina munus concionatoris summo audientium plausu obivit, diaconatus ordine vix initiatus, et haud expleto studiorum curriculo Romae e rostris dixit in ecclesia s. Mariae de Planctu. Nullo magistro linguam hebraicam et graecam perfecte callebat.

XXXVI. Tantis tum naturae tum gratiae donis cumulatus, maiorum iussu philosophiae primum in sua provincia, mox magisterium sacrae theologiae obtinuit et prosequutus est in conventu Montis Alverniae, Perusiae ac Romae. Licet autem in erudiendis tyronibus occupatus, verbum tamen Dei sedulus disseminabat. At vento scientiarum inflatus et poesi illectus, in vanitates incidens, amatoria carmina condebat, haecque notis musicis aliquando concinebat in coenobio Aracaelitano de Urbe.

XXXVII. Neapolim evangelizandi causa in ecclesia s. Mariae Novae se conferens, singula sua in cella Aracaelitani coenobii reliquit. Tunc accidit, ut Clemens VIII. summus pontifex visitationem apostolicam in eo coenobio per se agens, citharam aliaque religioso viro indecora in ea invenerit. Doluit de his pontifex, et rem videndam commisit apostolicis visitatoribus. Cuncta innotuit Bartholomaeo. Quare ut summi pontificis animadversiones declinaret, institutum dimittit fugitque apostata. Hac illac discurrens, omnibus latuit duobus annis, donec a Francisco de Falbona propinquo suo Genuae inventus, ad religionis gremium adductus est. At facti poenitens, humiliter incedebat, exemplo aedificare incipiens quod antea malis artibus diruerat. Ex tunc dimissis etiam sandaliis, nudis pedibus incedebat. Interim profanis ad pruriendas aures eliminatis, solidis tantum sacrarum scripturarum et fratrum testimoniis conciones suas condire statuit.

XXXVIII. Superiorum mandato iterum ad conventum Alverniae Montis, ut tyronibus franciscanis praeesset, destinatur. Ut primum eo pervenit, non immemor suae professionis ibidem emissae, intime doluit, se Deo non praestasse quod voverat, seraphicoque igne succendi se sensit ad emendandus anteactae vitae lubes. Ad id facilius assequendum, ad Deiparae praesidium confugit, et instituta Lauretana peregrinatione, eam pietate summa deprecatus est, ut a Deo opem sibi misericorditer imploraret, ne a concepto proposito deficeret. Multa in itinere a parentibus et a fratribus convicia, opprobria et irrisiones aequo animo pertulit, quibus innotuerat eius anteactae vitae ratio.

XXXIX. Tali tantoque spiritus fervore dives, Alverniae Montem rediit, vitam ducens eremitarum more. Nudae tabulae erant pro

lectulo; singulis diebus ieiunabat, semel tantum in die pane et aqua contentus. Orationi unice incumbebat et lacrymarum imbre sui cordis duritiem emolliebat. In oratorium sacrorum stigmatum ingressus, Deum exoravit, ut eius menti lumen infunderet, et suae caritatis flammam in eius cor immitteret. Aliquando tanto divinae dilectionis igne exardescebat, ut suspiria vocesque dulcissimas emitteret et Iesu Christi nomen ingeminans, prae caritatis magnitudine et patratorum culparum dolore mori pene videretur.

XL. Cum autem franciscalium reformatorum familia hoc tempore floreret, impense inter eos cooptari cupiebat idem Bartholomaeus. At non facile votis suis cesserunt maiores, immo plurimi refragrabantur, putantes eum et in hoc negotio a spiritus levitate duci. Tandem eorum instituto adscriptus fuit in conventu Fesulano. Tunc novo quasi spiritu indutus, multis poenalitatibus corpus macerabat, et animarum salvandarum zelo accensus, ad Verbum Dei disseminandum assiduam operam navabat. Solo eius aspectu peccatorum corda concutiebat; amictus enim erat habitu vili variisque segmentis consuto, poenitentia ferme attritus et sinistra interim manu crucem deferens videbatur. Non semel binas magnas cruces, alteram pro socio, pro se postremam gestare solebat, quamque post concionem baiulans, per cuncta quae transibat loca, clamore implebat vias dicens: *poenitentiam agite, quia Christus Iesus pro nobis mortuus est.*

XLI. Nulla fuit Italiae civitas, quin ipse magno auditorum numero divina eloquia annuntiaverit. Eum et viri principes, cardinales et episcopi non modo postulavere, ut conciones in suis ditionibus haberet, verum et eis interfuere. Quinimmo et ipsi summi pontifices Clemens VIII. et Paulus V., licet aliquando ob ingenii sui in dicendo libertatem obiurgatum, in Urbe concionatorem voluere. Vix autem enarrari potest, quot devios prae suae eloquentiae praestantia ad bonam frugem reduxerit, quotque ad sectandam pietatem incenderit.

XLII. Non pauca edidisse in vita miracula vel crucis signo, vel nominis Dei invocatione, vel precibus Deo fusis tradunt. Inclaruit etiam prophetiae dono, et saepe extra se factus, sacris canticis futura mala enuntiabat. Verum licet ab aliquibus haec haberentur velut divinitus inspirata, non defuerunt tamen multi, qui ea non recte interpretantes, eum ad summum pontificem insimulatent. Hinc summi pontificis Clementis VIII. et administri generalis ordinis iussu anno MDCVII. ad coenobium s. Francisci Transtiberim de Urbe missus, ibidem reliquum ferme vitae suae tempus in fornace tribulationis probatus transegit. Etenim poenis censurisque statutis cautum illi fuit, ne litteras scriberet nec reciperet, nec aliquem alloqueretur, sed unico sacrum perageret, ac cum fratribus divina persolveret. Cuncta haec impigre praestabat servus Dei; verum superno lumine motus, sacros cantus elata voce emittebat, quare velut inobsequens denuntiatus, a sacro celebrando interdicitur. Mira tunc pietate sin-

gulis diebus missam audiebat; divinoque Christi corpore se reficiebat ac assiduis vigiliis ac precibus operam dabat.

XLIII. Alterum mandatum et Dei servus accepit se conferendi ad coenobium s. Petri in Monte Aureo de Urbe. Eo vix accitus, in superiori illius coenobii horto eremum sibi sub invocatione s. Mariae Magdalenae poenitentis aptavit, ubi caelestia recolebat, corpus caedens flagris ad sanguinis usque effusionem. Tranquillam vitam septem vel octo mensibus ibidem egit, donec ad coenobium s. Francisci Transtiberim iterum missus, valido morbo tentari coepit, adstantibus dicens sui obitus diem iam imminere. Carmina divini amoris plena iugiter decantabat, et in lacrymas effusus, *Iesu mi dulcissime*, aiebat, *mi Iesu, amor meus*. Praecipua pietate sacramentis ecclesiae recreatus, animam efflavit die XVII. Novembris anno aetatis suae LX. Defuncti corpus honestatum fuit a s. r. e. cardinalibus, Urbis optimatibus et a christifidelibus cuiusvis ordinis. Interim summus pontifex Paulus V. mandavit cardinali Ioanni Garcias Millino, Urbis vicario, ut cellam viri Dei sigillo muniret, et corpus, quod per tridnum insepultum remanserat, summo mane in communi fratrum tumulo conderetur. Anno MDCXXI. venia Gregorii XV. pontificis refossum, illatum fuit in sepulcrum honorifice instructum impensis Odoardi cardinalis Farnesii prope sacellum s. Antonii Patavini, ubi in eius sculpta effigie appositum fuit hoc monumentum.

DEO TRINO UNI.

SEDENTE GREGORIO XV. PONTIFICE MAXIMO OPTIMO PIAE MEMORIAE PATRIS FRATRIS BARTHOLOMAEI A SALUTHIO ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM REFORMATORUM, CUIUS CORPUS OB EXIMIAM VIRI PROBITATEM HOC SEPARAT MONUMENTUM. CONDIDIT ODOARDUS CARDINALIS FARNESIUS ANNO SALUTIS MDCXXI.

XLIV. Post viri Dei obitum nonnulla evenisse ad eius sepulcrum signa notant vitae suae scriptores. Inita quoque acta fuerunt pro eius assequenda canonizatione, Leone ab Arincia inter reformatos postulatore. Verum vulgato Urbani VIII. decreto, res haud ulterius processit. Eius vitam scripserunt: Franciscus Maria Cugianus, alias Corgianus a s. Gregorio Canapensis, quae Romae in conventu s. Petri in Ianiculo mss. adservatur; item et Sanctorius Melphiensis, quae custoditur Romae in bibliotheca Casanatensi cod. manusc. XX. VI. 29., ex quo suam legendam hausit Mazzara, Petrus Tognoletto Panormitanus aliique.

XLV. Italico idiomate multas opellas concinnavit idem Bartholomaeus ad fovendam pietatem apprime utiles, quae in duo volumina collecta Venetiis anno MDCXXXIX. typis Marci Pinammi prodierunt. Ante id tempus singula tamen variis in locis seorsim prelo commissa fuere. In altero volumine venetae editionis hi tractatus continentur, nimirum *lux* sive *speculum animae — hortus orationis — testamentum*

animae — paradisus contemplationis — inventiones amoris, pars prima et secunda — schola divini amoris — amorosus discipulus — vir scrupulosus — epistolae spirituales — alphabetum divini amoris. In postremo volumine exstant *septem tubae spirituales — confortatio peccatoris — cor animae — salutationes devotae ad Christum infantulum et Mariam virginem — amator Iesu Christi — porta salutis — vita animae — pratulum divini amoris — musa spiritualis.* Ceterum *inventiones amoris* Coloniae anno MDCX. prodierunt. Venetiis anno MDCXIV. apud Petrum Combi vulgatum fuit *Canticum super salutationem angelicam.* Venetiis item anno MCXXI. typis Baretiis italice impressa sunt opera *septem tubae spirituales, confortatio peccatoris* carmine vario, *et cor animae.* Haec Duaci anno MDCXXVIII. prelo commissa in anglicum idioma translata fuerunt a Georgio a s. Gulielmo minorita. *Septem tubas et inventiones amoris divini* in gallicum idioma transtulit Carolus Ionya cum auctoris magna laude. Venetiis anno MDCXXVI. prelo Gerardi et Iosephi Imberti prodiit *amator Iesu Christi in ss. eucharistia cum epistola* ad provincias Belgicas franciscani ordinis, cum *miraculis de ss. sacramento, soliloquiis, rhytmis, et canticis.* Opusculum *lucis animae* in varias linguas translatum est, ex gallico latinum reddidit Dionysius Dulkenius Carthusianus. Coloniae anno MDCXXVII. alterum vulgatum fuit hoc titulo: *porta salutis poenitenti animae patefacta,* quod latine fecit et eodem hoc anno edidit Ioachimus Miechelius Monachii per H. H. Ioan. Herisus. Typis Cabullinis Romae lucem aspexit *exercitium devotissimum b. Virgini faciendum* una cum *epistolis.* Anno MDCXXXI. Asculi italice prodiit *speculum confessionis in compendium redactum.* Scripsit etiam *trilogium mysticum* quinque tractatibus divisum, cum *expositione orationis dominicae*, quod hispanice reddidit vulgavitque anno MDCXCVI. Matriti Franciscus Salvator, et Martinez Cordubensis. Maraccius in sua bibliotheca Mariana sequentia ei etiam attribuit, nimirum *declarationem salutationis angelicae, inventiones amoris erga Virginem* (quod forte idem est ac *inventiones amoris divini*), *carmina de mysteriis ss. rosarii, carmina ad eandem Virginem*, et *super septem psalmos poenitentiales beatae virginis Mariae.*

XLVI. Ex tertio fratrum saecularium de poenitentia instituto aliqui decedunt. In urbe Paternensi, provinciae s. Bernardini recollectorum, obiit Spiritus Giraudus vir valde pius, qui diu precibus vacabat in ecclesia fratrum illius civitatis. Multa ad pauperum inopiam levandam erogabat, et humilitate maxima exornabatur. Ad tantae sanctitatis opinionem penes omnes devenerat, ut eius tunica, qua vivens in poenitentiae signum amictus erat, post sui mortem a christifidelibus suum funus honestantibus in frusta redacta fuerit pro eorum explenda pietate. Spiritus Giraudus. Monum. prov.

XLVII. In eadem fratrum provincia migravit e vita Antonius du Pont, item tertiarius, nobili ac praediviti genere natus in urbe Bolenae. Licet uxorem haberet, veritus haud fuit palam habitum tertii ordinis et cingulum canapeum ad lumbos gestare, crucemque recol- Antonius du Pont. Monum. prov.

lectorum in publicis supplicationibus deferre. Eius caritas mira prorsus in egenos effulsit, quorum numerum inscriptum habebat, ut necessaria suppeditaret. Pro eis stragula domi adservabat, et singulo anno ineunte hyeme egenis familiis distribuebat. Quotidie interim paratum habebat obsonium pro pauperibus infirmis. Si vero regio illa rerum egestate premeretur, tunc Antonius ad praesidem coenobii, quod suis sumptibus ferme erexerat, accedens, rogabat eum, ut indigenis et alienigenis, qui eo affluebant, ab eo missa largirentur obsonia.

XLVIII. Nec tantum propriis sumptibus, sed et alienis ab eo emendicatis egenis subministrabat. Multa in iis explendis sustinuit opprobria. Ut cetera praetereamus, cum una die a quodam divite pro Dei amore eleemosynam pro indigentibus postularet, mox ille eius pietatem irridens dixit, ut de bonis suis eos aleret nec aliis importunus esset. Tunc extenso pallio obiurganti respondit: ela frater, perge; tua verba sunt mihi lapides pretiosi. Caritate erga Deum et vulneratus erat, et pati et contemni pro Christo peroptabat. Cunctis de more devotissime sacris ecclesiae sacramentis refectus pie occubuit non modo egenorum et sodalium suorum, sed et totius urbis Bolenae luctu ac moerore. In eius tumulo sequens epitaphium incisum fuit: Hic iacet nobilis Antonius du Pont, frater tertii ordinis s. Francisci, qui ut moriens viveret, vixit ut moriturus.

XLIX. In fratrum capucinorum familia desideratus est Blasius a Calatahierone, dioecesis Syracusanae, in saeculo sacerdotali dignitate inaugnratus. In instituto praestans fuit humilitate, abstinentia animique benignitate. Tanto crucis amore afficiebatur, ut noctis tempore pluribus horis ad instar crucis brachia distenderet. In Urbini coenobio, provinciae Marchiae, vita cessit Antonius a Piagnano laicus; cuncta maiorum iussa tanquam caelestia oracula excipiebat, et licet decrepita in aetate nunquam tamen adduci potuit, ut vel modicum quid de solita austeritate remitteret. Tumulum accepit in ecclesia coenobii Montis Falconii, in provincia Umbriae, Agapitus a Castello Ritaldio item laicus, ecstasum dono a Deo cumulatus tum in fundendis precibus tum in audienda spirituali lectione in communi mensa. Histeniensi in conventu provinciae s. Angeli obiit Franciscus Sipontinus sacerdos, puritatis nitore insignitus. Licet variis infirmitatibus afflictus, carnem tamen ciliciis et quotidianis flagellationibus edomabat. Luceriae, in eadem provincia, raptus est Urbanus a Monte Corvino sacerdos, silentii custos eximius; nunquam enim illud solvit, sed integre semper servavit.

Blasius a Calatahierone. De Pise tom. III p. 199. *Antonius a Piagnano. Idem p. 203.* *Agapitus a Castello Ritaldio. Idem ibid.* *Franciscus Sipontinus. Idem p. 204.* *Urbanus a Monte Corvino. Idem p. 206.*

L. Die XI. Iulii occubuit in conventu immaculatae Conceptionis Neapolis Dominicus a Fratta Maiori, sacerdos ac novitiorum magister; toto fere anni curriculo solo pane et aqua reficiebatur; lacera interim veste semper amictus fuit. Theani, in laudata provincia, die XXV. Novembris rapuit Deus Andream a Solofra laicum, paupertatis et obedientiae virtute commendatum. Breve sibi tempus ad quietem prae-

Dominicus a Fratta Maiori. Idem ibid. *Andreas a Solofra. Idem p. 207.*

finiebat, ut piis precibus potissimum erga Deiparam vacaret. Non raro futurarum rerum successus praenuntiavit. In provincia Bononiensi obiit Ioannes a s. Secundo sacerdos, vir a Deo plerisque donis cohonestatus, orationis nimirum, mortificationis et insignis pietatis in beatam Virginem, cui aliquando benignissime se ostendit. Instante morte ineffabili coepit laetitia perfundi. Mense Decembri Oriolae, in provincia Valentiae, occubuit Archangelus a Lotharingia item sacerdos ac concionator, qui multis austeritatibus carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis. In nuda tabula quiescebat, diris se caedebat flagellis et per nivem et glaciem nudis pedibus incedebat. In provincia Parisiensi obiit Augustinus Descales sacerdos, unus ex primis, qui Italis capucinis se addixit anno MDLXXV. in Galliarum regno. Emicuit in eo humilitatis et caritatis spiritus. Sacrum peragebat reverentia summa ac ferventi pietate. Pagum peragrans iuxta Parisiensem urbem ab haereticis diris verberibus et flagris saturatus fuit; cuncta tamen invicto animo sustinuit. Vitae cursum complevit Petrus Quinquiniacensis, concionator et minister provinciae Lugdunensis, quam administravit exemplo magis quam verbo. Eo in munere fratres quosque etiam novitios obvians aperto capite salutabat. Inter orandum mira animi suavitate exornabatur, ita ut sodales ab oratione nisi forti agitatione concussum eum revocare haud valerent. In conventu Avenionensi raptus est Seraphinus, nobili genere ea in urbe natus, qui saeculi voluptatibus indulgens, tandem anno aetatis suae trigesimo quinto ad meliora vocatus a Deo, capucinorum habitum induit. Ut primum sacro illo amictu contectum se vidit, eodem momento novum induit spiritum. Vix enim annus probationis auspicatus saepe noctes agebat insomnes, ut eas in gratiis Deo agendis insumeret ob vocationis beneficium, cuius se omnino indignum humili semper animo fatebatur. Antequam vota Deo nuncuparet, plusquam tria aureorum millia in pauperes erogavit. Post emissam professionem bellum suo corpori indixit, quietem et cibum eidem subtrahebat, plerumque vero solo pane et aqua contentus erat. Praeterea ardua quaeque et aspera ob Iesu Christi amorem sibi perferenda praestiterat. Vigiliis igitur, inedia ac flagellis etc. cum pene viribus consumptus esset, lectulo impositus, oculis in crucifixum defixis inter divinas laudes Deo suo reddidit spiritum.

Ioannes a s. Secundo. Idem p. 209.

Archangelus a Lotharingia. Idem p. 210.

Augustinus Descales. Idem p. 211.

Petrus Quinquiniacensis. Idem p. 213.

Seraphinus Avenionensis. Idem p. 215.

LI. Sancto fine quieverunt etiam aliquot virgines. In monasterio s. Elisabeth de Iesu Arevali in provincia Conceptionis, die XVII. Decembris obiit Ioanna a Sylva ex tertio sororum ordine, quae florenti in aetate saeculi vanitatibus aliquando adhaesit; at facti poenitens, vultum foedavit et ad expianda crimina in laudatum monasterium convolavit. Ex tunc corpus multis verberibus caedens terram sanguine rigabat, brachia et collum circulis ferreis stringebat. Crucem asperis clavorum aculeis compositam super nudos humeros sibi imponebat. Hora post mediam noctem tertia e lectulo surgens, precibus operam dabat ad meridiem usque. Solo pane et aqua totius anni partem re-

Ioanna a Sylva Mon. prov.

ficiebatur. Pauperem impenso quotidie cibo alnit perpetuo eiusque pedes saepe deosculabatur. Varios postremo egenos festivis Deiparae diebus cibo potuque recreabat.

Anna Faulhaberin. Hueber ad diem 17. Martii.

LII. Memingae in Suevia, hora qua praedixerat, cursum vitae complevit die XVII. Martii Anna Faulhaberin, item tertio sororum ordini adscripta. Paulo ante sui obitum Christi Iesu visione recreata, haec verba hilari vultu protulit: *Parate locum Domino; nam ecce sponsus meus venit.* Dilecti sui passionem iugibus lacrymis recolebat et quae ipse in corpore sustinuit, illa in corde per aliquot annos experta est.

Clara a Cathania. Mazzara tom. VI. p. 443.

LIII. Die ultima Iunii vix illis *Maria mater gratiae, mater misericordiae* expletis obdormivit in Domino Clara, Isabella in saeculo, Cathaniae in Sicilia nobili genere nata; de ea Bollandistae ad diem XVIII. Aprilis solum nomen habent. Parentum volnntati obsequens invita iuvenem aeque nobilem ac divitem despopondit. Mundanas vanitates aliquandiu adamavit; at divino lumine perfusa, pietatis exercitia mox explere coepit. Viro orbata in iuvenili aetate magis magisque in prosequendis virtutibus intensa fuit. Hinc inito consilio cum duabus mulieribus tertiariis probatae vitae, invitis parentibus et et familiaribus, paternam domum relinquens ad Alicatae urbem simili earum habitu amicta se contulit cum illis, Clarae nomine assumpto. Comparata ibidem extra civitatem domo, singulae ieiuniis, vigiliis et austeritatibus sedulam operam navabant, ac de fructu manuum suarum sic victitabant. Annis permultis ibi mansit. Cum autem eius sanctitatis fama ubique vulgata esset magnique apud omnes habita fuisset, ut hominum laudes effugeret, Panormum advenit, et non longe a fratrum reformatorum coenobio una cum altera sorore tertiaria pauperrimum domicilium obtinuit. Surgentibus de nocte fratribus ad persolvendas preces, et ipsa surgebat divinis contemplationibus vacans usque mane; inde ecclesiam fratrum petens, sacro Christi corpore reficiebatur miro caritatis ardore. Dilecti sui agones alta mente lacrymis saepius perfusa recolebat. Prophetiae ac miraculorum gloria floruit. Tumulum accepit in ecclesia coenobii s. Mariae de Iesu Panormi. Vitae acta descripsit Petrus a Panormo ex strictiori observantia. In eadem urbe Panormitana pie obiit die I. Augusti Francisca de Amodei, ibidem nobilibus orta parentibus, quae iuvenili in aetate in monasterium Pietatis sororum de ordine praedicatorum adveniens, multis virtutibus florebat. Post aliquot annos ob adversam valetudinem se contulit in monasterium tertii ordinis de poenitentia eiusdem urbis, in quo pluribus emicuit meritis atque prodigiis.

Francisca de Amodei. Mon. prov.

Antonia Accardino. Mazzara tom. XII. p. 1.

LIV. In ecclesia coenobii s. Viti Clusorum eiusdem provinciae dormitionis requiem accepit die I. Decembris Antonia Accardino item ex tertio ordine. Asperam tunicam absque interiori indusio semper gestavit, nudis incedebat pedibus, nunquam carnem edit et vinum potavit. Iugiter orationibus incumbebat, in quibus multa a Deo obtinuit, cui et secreta caelestia revelavit. Sui obitus tempore anditi fuerunt Angelorum concentus.

LV. Ulyssipone in monasterio Dominae nostrae de Quietudine die VII. Ianuarii piis operibus cumulata abiit ad Dominum Isabella de Sanctis clarissa, una ex ceteris sororibus, quae ex Belgio ob haereticorum tumultus fugam capiens Ulyssiponem anno MDLXXXI. advenit. Inculpatam et virtutibus semper refertam vitam duxit. Ipsius corpus una cum aliis Belgis sororibus arcae inclusum suavem odorem spirasse tradunt. Acta eius scripsit Martha a Iesu, illius monasterii abbatissa.

Isabella de Sanctis. Agiol. Lusit. ad diem 7. Ianuarii.

LVI. Sanctitatis opinione penes sorores clarissas monasterii Graecensis, provinciae Austriae, assequuta, vitam cum morte commutavit die XXVI. Ianuarii Anna Langastin, ut aiunt conversa, tanta morum innocentia exornata, ut Deum nec in statu saeculari nec regulari moderatoris suae conscientiae testimonio lethaliter offenderit. Vix octennis in instituto vixit. Hinc brevi consummata, multa meritorum copiosorum tempora explevit. Altera eius soror eiusdem monasterii Anna Hallerin variis virtutibus dives fuit. Speciali pietate s. Ursulam prosequebatur. Morti proxima eius praesentia recreata adstantibus dixit: *nunc attendite! date spatium, en s.. Ursula accedit me salutatum.* Et his prolutis die VI. Octobris spiritum dilecto suo placide reddidit.

Anna Langastin. Greiderer tom I. p. 468. n. 334.

Anna Hallerin. Idem ibid.

LVII. Novae aedes pro iisdem sororibus parantur. Universitatis impensis exstitit pro monialibus clarissis monasterium s. Antonii titulo in villa del Priego, provinciae Granatensis, redditibus locupletatum a ducissa Ossunae. Ad hoc moderandum missae fuerunt e monasterio s. Clarae Ossunae Maria Enriquez, germana laudatae ducissae uti abatissa, Ioanna del Priego, Isabella de s. Petro et Agnes de s. Michaele. Incolitur a LIV sororibus, quae moderantur a ministro provinciae.

Monast. del Priego. De Torres p. 484.

LVIII. Hoc anno moniales de tertio ordine monasterii s. Elisabeth de Gordo Iuela, in provincia Cantabriae, quae ab anno MDLXII. privatam vitam ducebant, solemnem professionem emiserunt et clausurae legibus sese addixerunt. Illud suis impensis erexit Michael de Olirendo, eques s. Iacobi. In eo numerantur XXVIII sorores, quarum curam gerit illius provinciae minister.

Monast. de Gordo. Mon. prov.

LVIX. Adprobat summus pontifex fundationem monasterii sororum de tertio ordine, congregationis Gallicanae, in urbe Tolosana sub invocatione ss. Ludovici et Elisabeth, studio Isabellae de Romillon et Franciscae de Bertelier piorum eleemosynis erectum: *Alias,* die XXI. Februarii. Subest ministro observantium provinciae Aquitaniae.

Monast. Tolosae.

LX. Indulget idem pontifex: *Exponi nobis,* die XII. Decembris, ut Ulyssipone, in provincia Portugalliae, excitetur pro monialibus clarissis monasterium Montis Calvarii titulo (vide Regesta.), et alterum pro eisdem sororibus in oppido de Aveyro, dioecesis Conimbricensis: *Debitum pastoralis*, IX. calendas Decembris.

Monast. Ulyssipone.

Monast. de Aveyro.

LXI. Solemni indicta supplicatione, moniales clarissae die VII. Novembris intrarunt in monasterium Lugdunense, provinciae s. Bo-

Monast. Lugduni. Gallia hist. tom. IV. p. 314. Fodere p. 270.

naventurae hoc tempore ad perfectionem adductum. D. de Villars, praeses curiae Lugdunensis, quingentas supra mille argenti libras in fundo coemendo inpendit, et D. Bardet, pius sacerdos, eis domum exiguam cum sacello s. Magdalenae sacro, cuius erat rector, suppeditavit. Brevi post tempore constructam ecclesiam die I. Maii MDCXXII. sub invocatione s. Clarae solemniter consecravit Dionysius Simon de Marquemont, archiepiscopus Lugdunensis.

Monast. Maiori-Gloviense. Greiderer tom. I. p. 876. n. 140.

LXII. Monasterium clarissarum s. Crucis Maiori-Gloviense, ab anno MDLXI. ministro provinciae Bohemiae subiectum, monialium voluntate temporis decursu cessit ordinario loci. Hoc praesenti anno Wenceslaus Zialeski, minister provinciae Bohemiae, opera archiducis Caroli, episcopi Wratislaviensis, eas ad suum regimen addnxit. Anno MDCXXVIII. decreto capituli generalis in Urbe coacti ob monialium inobedientiam a patribus dimissum fuit.

Monast. Perusii. Mon. prov.

LXIII. Napoleon, episcopus Perusinus, in provincia Umbriae, die II. Iunii duodeviginti virginibus sacrum capucinorum habitum donavit in sua cathedrali ecclesia, easque solemniter induxit in novum monasterium, prope urbis portam s. Petri erectum, quod pro viginti sororibus continendis in propria aede optaverat pientissimus d. Ioannes Baptista Pentini. Theodora Catrarni et Urbana Ottavi, moniales item capucinae alterius monasterii eiusdem urbis, ad illud moderandum advenerunt. Etiam Vicentiae alterum locum obtinuerant, de quo summus pontifex diploma vulgavit: *Debitum*, die XII. Ianuarii.

Monast. Vicentiae.

Casimirus a Roma p. 139.

LXIV. Ab anno MDLX. fratres minores observantes provinciae Romanae incoluerant coenobium s. Rochi titulo, quod in suburbio oppidi Farnesii, dioecesis tunc Castrensis, pro eis erexerat Iulia Acquaviva, uxor Petri Bertoldi, illius oppidi domini. Cum autem Francisca Farnesia, monialis clarissa professa in monasterio s. Laurentii Panis Pernae de Urbe, desiderium aperuisset parenti suo Mario pro novo ibidem instruendo monasterio, ut arctius Deo adhaereret, tunc ille votis filiae satisfacere volens, petiit et obtinuit ab Antonio Marzer, illius provinciae ministro, laudatum s. Rochi conventum pro filiae suae incolatu, addita tamen lege, ut quantocius aliam aedem pro suis sodalibus in eodem oppido instrueret. Cuncta haec adprobavit s. congregatio regularium sequenti rescripto die 9. Iunii eiusdem anni edito: "Sacra congregatio... petitam monasterii erectionem concedi posse arbitratur, dummodo ordinarii curae et iurisdictioni in omnibus et per omnia sit subiectum. Redditus annui 400 saltem scutatorum monetae romanae, in bonis stabilibus non feudalibus... et ab omni fidei commisso alioque quocunque onere prorsus liberis, eidem monasterio assignentur. Numerus monialium sit quatuordecim, ex quibus sex pro hac vice gratis recipiantur, reliquae vero usque ad numerum quatuordecim ducentorum scutorum monetae romanae summam, dotis nomine, monasterio pendant; eius vero successoribus tres duntaxat intra eundem numerum habitum regularem gratis pariter suscepturas nominandi ius et facultas reservetur. Violantes et Virginia prae-

P. Hieronym. Romani Compend. literar. et decretor. s. congreg. regular. *Cod. vatic. ottobon.* 123. p. 369.

dicti monasterii, respective soror et neptis, monasterii s. Elisabeth Amerini, nec non duae eiusdem monasterii filiae ac aliae, maturae aetatis, monasterii s. Laurentii in Pane et Perna de Urbe, eiusdem ordinis s. Clarae moniales in monasterio huiusmodi erigendo, ac in locum quinque ex dictis sex, quae gratis hac prima vice sunt recipiendae, pro monasterii erigendi directione illiusque monialium instructione perpetuo transferantur, ita ut Violantes hoc primo, Virginia vero secundo triennio, ad monasterii erigendi abbatisatum, dummodo qualitatibus a concilio Tridentino ad id requisitis praeditae sint, assumantur. Translatio vero quinque monialium huiusmodi consanguineis gravibusque matronis comitantibus fiat [et] ab uno monasterio ad aliud, absque diverticulo, recta tendeatur. Nullibi pernoctetur nisi causa hospitii idque apud personas honestas, ac [si] praedictae moniales transferendae eidem translationi consentiant... Summus pontifex haec ipsa rata habuit: *Ad ea,* die XXVI. Augusti. Ipsae vero virgines primum anno sequenti die IX. Maii ad illum conventum sub titulo s. Mariae Gratiarum translatae fuerunt. Marina Farnesiana interim eodem anno 1618 pie vita decessit.

LXV. Cum coenobium pro fratribus quatuordecim continendis instrueretur, ipsi hospitabantur sacraque operabantur in ecclesia eiusdem loci proxima. Tandem cunctis de more paratis, novum coenobium sub invocatione s. Rochi incoluerunt. Ecclesia coenobii, antea s. Magno episcopo et martyri sacra, nomen s. Rochi obtinuit. Brevi edito die IV. Septembris summus pontifex e veteri ecclesia ad hanc transtulit indulgentiam plenariam concessam a Pio IV. die XV. Iulii anno MDLXII. pro die festivitatis s. Rochi. Conv. Farnesii. Idem p. 144.

LXVI. Civium aliorumque piorum impensis incepit esse in eadem provincia alterum coenobium eorundem fratrum, intra moenia urbis Aquaependentis dioecesis Urbisvetan. aptatum in aede, quam vendiderat Alexander ex comitibus Sfortiae, Segniae dux. In parvo oratorio ibidem erecto omnium primus hoc anno die XIX. Martii sacrum egit vicarius foraneus, qui eos admisit in loci possessionem. At cum oratorium propter sui angustiam paucos christifideles caperet, parochialem ecclesiam s. Ioannis coenobio proximam sponte sua fratribus cessit Mutius Giannetti, ipsius ecclesiae rector, subinde a s. Iosepho nuncupatam. Haec et alia novimus ex constitutione Urbani papae VIII. quam subiicimus. Conv. Aquaependentis. Idem p. 1.

Urbanus Episcopus

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Urbevetan. in spiritualibus generali salutem et apostolicam benedictionem.

Decet providum universalis ecclesiae pastorem, cuius fidei christianae plebis cura et salus divinitus commissa est, ad ea libenter inten-

dere, per quae christifidelium quorumlibet piis et salubribus operibus addictorum ac Altissimo sub suavi religionis iugo famulantium devotio peramplius excitetur, ac monasteria et alia regularia loca ubique propagentur, ac cum Dei honore et animarum salute divinique cultus augmento spiritualibus ac salubribus proficiant incrementis.

Cum itaque parochialis ecclesia s. Ioannis, terrae Aquaependentis Urbevetan. dioecesis, quae, sicut accepimus, de iure patronatus laicorum, videlicet dilecti filii moderni Segniae ducis ex fundatione vel dotatione existit, per liberam resignationem dilecti filii Mutii Giannetti, nuper ipsius ecclesiae rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte, ad effectum tamen infrascriptum factam et per nos admissam, vacaverit et vacet ad praesens; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum, ministri et definitorum provincialium ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum, provinciae romanae, petitio continebat, superioribus annis quondam Alexander, ex comitibus Sfortiae dum vixit Segniae dux, vineae Domini et religionis divinique cultus propagationi locum et occasionem praebere desiderans, quasdam aedes in dicta terra sitas suisque notissimis confinibus circumscriptas, ad se legitime spectantes, cum omnibus illarum membris et pertinentiis tunc existentibus ministro et definitoribus provincialibus ordinis praedicti, domum regularem dicti ordinis in dicta terra construere et aedificare volentibus vendiderit; ipsique minister et definitores aedes praedictas, tam pro religionis et bonorum operum augmento, quam pro illac transeuntium et inibi hospitio excipiendorum eiusdem ordinis fratrum commoditate et solatio, in satis commodam domus regularis formam reduxerint, ac in illa pro divini cultus et bonorum operum in eadem terra, quae iam alioquin non levi personarum ecclesiasticarum penuria laborare dignoscitur, incremento ac spirituali illius incolarum consolationi conventum duodecim vitae ac morum castitate commendabilium eiusdem ordinis fratrum, qui hactenus sua exemplari vita, sacris concionibus et crebra sacramentorum ecclesiasticorum ministratione non mediocrem in vinea Domini progressum fecerunt, instituerint et introduxerint, et hucusque non minori laude ac pietate quam cura et solertia foverint et manutenuerint; conventus vero huiusmodi ex eo, quod in domo regulari praefata nulla ecclesia, in qua divina officia celebrari possint, sed una tantum admodum arcta et angusta paucarumque personarum capax, ac propter sui angustiam divinis officiis in ea celebrandis minus apta, et ab iis promptuarie constructa capella reperitur, non leve incommodum praesentiscant, ipsiusque terrae populus, cuius paucissimas personas capella huiusmodi propter sui angustiam capere potest, spirituali consolatione, quam, si divina officia, quae in capella huiusmodi dietim celebrantur, in ampliori ecclesia peragi possent, ex eorum auditione perciperet, destituatur, ac propterea summopere expediat, ut dicta parochialis ecclesia, quae aedibus praefatis contigua

existit, ministro et definitoribus provincialibus ordinis et provinciae huiusmodi, pro domus regularis praedictae seu illius conventus ecclesia perpetuo, ut infra, concedatur et assignetur; et, sicut eadem petitio subiungebat, si ab eadem ecclesia huiusmodi, quae viginti domus seu familias vel circiter dumtaxat sub sua cura et parochia habet, prioris perpetua in ea tituli et denominationis rectoris suppressione et extinctione, cura animarum dilectorum filiorum illius parochianorum, qui numerum quadraginta non excedunt, ad aliam viciniorem et commodiorem dictae terrae ecclesiam, arbitrio tuo, transferretur, eademque ecclesia s. Ioannis, titulo et denominatione rectoris in ea perpetuo sic, ut praefertur, suppressis et extinctis, ministro et definitoribus praefatis praedictae domus regularis ecclesia concederetur et assignaretur, ac tum demum omnia et singula illius fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta pro perpetua ecclesiae s. Ioannis huiusmodi, ac illius sacristiae et ornamentorum ac paramentorum ecclesiasticorum, necnon tam sacrae quam profanae supellectilis manutentione aliisque pro tempore occurrentibus necessitatibus ipsi ecclesiae s. Ioannis, seu illius operae sive fabricae similiter perpetuo applicarentur et appropriarentur, aliaque infrascripta fierent et ordinarentur, proculdubio conventus domus regularis huiusmodi ad ferventiori pietatis ac religionis studio et affectu capessendam animarum salutis curam, illique magis sedulo insistendum, ipsius vero terrae populus ad perpetuam devotionem et alia religiosa et pia opera et exercitia longe verius incitaretur, et spirituali tam conventus domus regularis praefatae quam populi huiusmodi consolationi animarumque saluti divinique cultus in dicta terra augmento peropportuna ratione consuleretur, quare pro parte modernorum ministri ac definitorum provincialium, ordinis et provinciae huiusmodi, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur, qui devotionis christifidelium quorumlibet ac divini cultus augmentum, nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, quique hodie praefato nuntio omnia et singula praefatae ecclesiae s. Ioannis et illi annexorum et pertinentiarum quarumcunque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta non tamen incerta, per eum quoad vixerit percipienda, loco pensionis annuae per alias nostras litteras reservavimus, concessimus et assignavimus, prout in illis plenius continetur, ministrum et definitores provinciales eorum singulos praefatos a quibusvis excommunicationis harum serie absolventes et absolutum fore censentes, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis ad id qui fuerint evocandi, ac verificato prius coram te, quod dictum ius patronatus ex fundatione vel dotatione huiusmodi existat, ut praefertur, ex nunc ecclesia s. Ioannis huiusmodi, cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut moderni minister et

definitores provinciales huiusmodi asserunt, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscunque personae, seu per similem resignationem dicti Mutii vel cuiusvis alterius de illa in romana curia vel extra eam, et coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem fel. record. Ioannis pp. XXII. praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii quavis auctoritate collati, non tamen per obitum vacet, et si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranen. statuta concilii ad sedem praefatam legitime devoluta, ipsaque ecclesia s. Ioannis dispositioni apostolicae specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter ius quaesitum: et dilecti filii moderni Segniae ducis, dictae ecclesiae patroni unici, ad hoc accedat assensus: titulum, denominationem et essentiam rectoris auctoritate nostra perpetuo supprimas et extinguas, ac ab illa omnimodam curam animarum parochianorum huiusmodi, ac officia et onera parochialia illi quomodolibet incumbentia illorumque ius et exercitium universum dicta auctoritate perpetuo abdices; sicque abdicata, una cum emolumentis incertis ex pede altaris et curae animarum huiusmodi exercitio provenientibus, ad aliam viciniorem et commodiorem dictae terrae parochialem ecclesiam arbitrio tuo, ita quod parochiani ipsius ecclesiae s. Ioannis huiusmodi nunc et pro tempore existentes deinceps in perpetuum ad ecclesiam, ad quam curam animarum huiusmodi sic transferri contigerit, tanquam propriam eorum parochialem ecclesiam pro missis et aliis divinis officiis audiendis, ac sacramentis ecclesiasticis percipiendis, tanquam veri, certi et indubitati illius parochiani accedere, ipsiusque rectorem tanquam verum et proprium parochum recognoscere et observare, ac illi debitam obedientiam exhibere, ac iura parochialia solita et consueta praestare debeant et teneantur, dummodo dilecti filii moderni rectoris eiusdem ecclesiae vicinioris ad hoc accedat assensus, etiam perpetuo dicta auctoritate transferas; dictam vero ecclesiam s. Ioannis ab huiusmodi cura, officio et oneribus parochialibus huiusmodi liberam et exemptam cum sanctorum sacris reliquiis et omnibus et singulis paramentis et ornamentis, calicibus, crucibus, candelabris, campanis, libris, vasis, universisque aliis supellectilibus tam sacris quam profanis etiam auro et argento conflatis et aliis quibuscunque rebus in ecclesia s. Ioannis huiusmodi ad praesens existentibus, et ad illius usum comparatis, modernis ministro et definitoribus praefatis pro domus regularibus praefatae ecclesia itidem perpetuo, dummodo dicti moderni ducis pariter ad hoc accedat assensus, eadem auctoritate nostra concedas et assignes; et omnia et singula illius ac annexorum eorundem fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta universa in quibuscunque rebus consistentia, non tamen incerta praefata, quae sub praesenti applicatione minime comprehensa esse intel-

liguntur, pro perpetua ipsius ecclesiae s. Ioannis, ac illius sacristiae et ornamentorum ac paramentorum ecclesiasticorum, nec non tam sacrae quam profanae supellectilis manutentione aliisque pro tempore occurrentibus necessitatibus ipsius ecclesiae s. Ioannis, seu illius operae vel fabricae, ita quod liceat modernis ac pro tempore existentibus ministro et definitoribus provincialibus provinciae et ordinis praefatorum seu priori et conventui domus regularis praefatae corporalem, veram, realem et actualem possessionem per se vel alium seu alios eorum, ac sacristiae et fabricae ecclesiae domus regularis huiusmodi nominibus propria auctoritate ex nunc apprehendere et apprehensa perpetuo retinere, ac demptis incertis huiusmodi, reliquos omnes et singulos illorum fructus inde provenientes, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, cessante illorum reservatione huiusmodi, per procuratorem aut syndacos suos, non autem per seipsos, exigere, recuperare et arrendare, ac in dicta ecclesia s. Ioannis illiusque sacristiae ac paramentorum ecclesiasticorum, sacraeque et profanae supellectilis eiusdem sacristiae et domus regularis fabricae, non autem in victus et vestitum fratrum dicti ordinis usus convertere, dioecesani loci vel cuiuvis alterius licentia desuper minime requisita, ex nunc prout ex tunc dicta reservatio cessaverit, expresso dicti Mutii ad hoc accedente consensu, similiter perpetuo applices et appropries; et insuper ex nunc dicta domus regularis fratres pro tempore existentes ad missas et exequias ac alia omnia et singula onera in dicta ecclesia s. Ioannis reliquerunt pro animarum salute et refrigerio celebrari et adimpleri solita in ipsa ecclesia s. Ioannis celebrare et adimplere, seu celebrari et adimpleri facere debere, ac ad id teneri et obligatos esse et fore; praesentes quoque litteras semper et perpetuo validas et efficaces. Non obstantibus etc. Volumus autem, quod tu non prius procedas ad exemptionem praesentium, quam conventus et fratres dictae domus regularis nunc existentes suo et eorum successorum nominibus valide et perpetuo se obligaverint de celebrando et adimplendo, seu celebrari et adimpleri faciendo a die executionis praesentium in antea in perpetuum in dicta ecclesia s. Ioannis missarum et exequiarum, omniaque et singula alia onera hactenus in ea celebrari et adimpleri solita, ita ut si in celebratione vel adimplemento huiusmodi in toto vel in parte deficiant, in ea parte in qua defecerint, tam ipsi quam idem nuntius, si defectu huiusmodi in eius vita succedat, ad restitutionem fructuum ex dicta ecclesia s. Ioannis interim perceptorum omnino respective obligati existant, quod applicationi et appropriationi fructuum ad favorem sacristiae et fabricae huiusmodi, ut supra loco facto, ex tunc deinceps conventus et fratres domus praefatae pro tempore existentes, quoties ad id requisiti fuerint, teneantur tibi, seu pro tempore existenti ordinario loci, rationem reddere, illos in usum, in quem ut supra applicati fuerant, vere et realiter conversos fuisse, et ad id omnibus iuris et facti remediis opportunis, etiam executive proce-

dendo, quibuscunque privilegiis et exemptionibus a iurisdictione ordinarii, eis forsan concessis et deinceps concedendis non obstantibus, cogi et compelli possint et debeant.

Datum in arce Gandulfi dioecesis Albanensis anno incarnationis dominicae MDCXXXIII. VI. calendas Maii, pontificatus nostri anno X.

Conv. Spultorii. Monum. Prov.
Conv. Liburni. Monum. Prov.

LXVII. Iidem fratres provinciae s. Bernardini, in regno Neapolitano, incoluerunt coenobium titulo s. Pamphili, erectum incolarum sumptibus prope oppidum Spultorii Pinnensis dioecesis. Amoeno in loco die XXV. Martii iacta fuerunt fundamenta coenobii pro iisdem fratribus in urbe Liburni, provinciae Tusciae. Ante hoc tempus aliqui fratres domum in eadem urbe incolebant ad negotia gerenda pro locis Terrae Sanctae, cuius commissarius ibidem residebat et peregrini Palestinam petentes hospitabantur. Ecclesia anno MDCXXX. consecrata fuit immaculatae conceptionis Deiparae titulo a d. Scipione Pannocchieschi, Pisarum antistite; inhabitatur a X fratribus.

Conv. de Tiva. Conv. de Mama. Lopez p. 471.

LXVIII. Alphonsus de Regibus, minister provinciae de Iucatan, in coenobium album admisit domus doctrinales de Tiya, et de Mama, et singulo in coenobio praesidem constituit et familiam destinavit.

Conv. Portus s. Mariae.
Conv. de Ieste. Panes tom. I. p. 118.

LXIX. Pro fratribus discalceatis bina coenobia posita fuerunt, alterum in portu maritimo s. Mariae, Hispalensis dioecesis provinciae s. Gabrielis, fundationem poscentibus clero saeculari ac Emmanuele Philiberto, classis praefecto Philippi III. Hispaniarum regis, quam probavit summus pontifex: *Ex pastoralis*, die I. Decembris. Postremum erectum fuit incolarum sumptibus in eremitorio oppidi de Ieste, dioecesis Carthaginensis, in provincia s. Ioannis Baptistae, immaculatae conceptionis titulo.

Conv. Perginii. Greiderer tom. II. p. 199. n. 28.

LXX. Reformati fratres quaedam domicilia obtinuerunt. In provincia Tridentina placito sacrae congregationis episcoporum et regularium data fuit opera fundationi conventus titulo s. Francisci in oppido Perginii, dioecesis Foltriensis, sub ditione episcopi Tridentini. Primum lapidem posuit, mandato Caroli Madrutii, cardinalis et episcopi Tridentini, Hieronymus a Roccabruna, cathedralis ecclesiae archidiaconus. Coenobii fundum subministravit d. Iacobus de Prato. Sunt litterae laudati cardinalis quibus fundandi coenobii venia conceditur. Verum non reformati, sed observantes provinciae Venetae aedem incoluere usque ad annum MDCXXXIX., quo illis conventus obvenit.

Conv. Callii.
Conv. Montisrisi. Mon. prov.

LXXI. In provincia Marchiae indulget pontifex: *Exponi nobis*, die V. Octobris, ut iidem fratres coenobium erigant penes oratorium s. Andreae, urbis Calliensis, eis oblatum a confratribus qui ibidem spiritualia exercitia operabatur. Incolitur a XV fratribus. In ecclesia impense colitur effigies ss. Crucifixi, elaborata a fratre Innocentio a Clusio sacerdote siculo. Conventus s. Bernardini prope oppidum Montisrisi, Theatin. dioecesis, erectus anno MCDLX. pro observantibus provinciae s. Angeli, hoc tempore datus fuit eisdem fratribus et provinciae.

In provincia s. Nicolai in regno Neapolitano admiserunt coenobium sub invocatione s. Bernardini prope Barium, excitatum piorum eleemosynis. Bina coenobia iidem fratres admiserunt in provincia Siciliae, nimirum s. Papiui prope urbem Milarum, et s. Mariae de Iesu iuxta oppidum Philadelphiae, s. Fratello, dioecesis Messanensis.

Conv. Barii. Monum. prov.

Conv. Milarum et Philadelphiae Monum. prov.

LXII. Recollecti fratres provinciae s. Bernardini domicilium sibi posuerunt in urbe Villaefranchae in extremitate Occitaniae sub archiepiscopatu Avenionensi. Eo suos immisit Antonius Fouques provinciae administer. Incolitur a X fratribus et nomen s. Annae praesefert. Sedem etiam posuerunt in conventu s. Michaelis Aramonis provinciae et dioecesis Visensis civium sumptibus aedificato pro X fratribus.

Conv. Villaefranchae. Monum. prov.

Conv. Aramonis. Mon. prov.

LXXIII. Minoritae conventuales recipiunt in provincia Romana conventum s. Sebastiani prope castrum Ceccani, erectum venia d. Philippi Colonna oppidi comitis. Primus in eo praeses fuit Sixtus Constantinus Alatrinus. Non multo post illud ob loci angustiam et alimentorum penuriam dimiserunt. Redierunt tamen anno MDCXXXVIII. eis erogata ab universitate loci quadam eleemosyna. Franciscus Antonius Righini conventualis in sua tabula topographica inter suppressos enumerat. Etiam anno MCCCXLV. minoritae ibidem sedem posuerant, dimisere tamen ob bellorum tumultus. In urbe Placentina provinciae Bononiensis erectum fuit pro eisdem fratribus conventualibus reformatis coenobium sub invocatione s. Margaritae, cuius fundationem probavit summus pontifex: *In supremo*, III. nonas Februarii. Franciscus Maria Banami Carrariensis, eiusdem instituti, suorum nomine possessionem accepit conventus s. Francisci apud urbem Carrariam, provinciae Tusciae, erecti in praedio ei donato a quodam Thoma Sarti, illius loci incola. Anno MDCXXVIII. fratribus de observantia obvenit.

Conv. Ceccani. Tuoli p. 179.

Conv. Placentiae.

Conv. Carrariae. Monum. prov.

LXXIV. Consalvus Boveda, archiepiscopus Aquilanus, concessit fratri Hieronymo Ferello de Sturcula aedem s. Caroli, in sua civitate positam pro incolatu sodalium suorum de tertio ordine claustralium. Hoc nostro tempore inter suppressos numeratur. Studio fratris Bonhomii Marsalensis eis etiam obvenit coenobium s. Mariae Gratiarum Marsalae in Sicilia civitatis ex tribus, Frinacriae promontoriis, quae ad ora maritima Lybiam respicit. Aliqua a veritate dissona scribit Pirrus, nimirum laudatum Bonhomium loci possessionem obtinuisse die XIX. Aprilis in dominica palmarum cum Pascha haud excedat diem XXV. eiusdem mensis. Addit praeterea illud iuris sui fecisse nomine Sanctorii Pecorella, vicarii generalis sui instituti, cum anno mox elapso e vita migraverit et eo in munere illico suffectus fuerit Matthaeus de Montefano Picenus. Ceterum summus pontifex ecclesiae coenobii indulgentiam plenariam et altare privilegiatum concessit. Quaedam etiam ibidem coluntur sacrae reliquiae s. Rosaliae virginis Panormitanae.

Conv. Aquilae. Bordonius p. 394.

Conv. Marsalae. Idem p. 434. Pirrus tom. I. p. 885.

LXXV. Capucini fratres recipiunt in provincia Bononiae con-

Ex albo Michaelis a Tugio. ventum in Agro Caesenatico, in provincia Tusciae conventum Mugelli dioecesis Fesulanae, in provincia Lucaniae conventum Castelionis dioecesis Salernitanae, conventum Laurae dioecesis Policastrensis, et conventum Perdifumi nullius dioecesis; in provincia Rhegiensi conventum Crotoni; in provincia Cosentiae conventum Strongoli, in provincia Panormitana conventum Parthenici dioecesis Mazariensis, in provincia Tyrolensi conventum Enniae dioecesis Tridentinae, in provincia Styriae conventum Tergesti, in provincia Coloniensi conventum Dusseldorpii dioecesis Coloniensis, in provincia Normanniae conventum Abrincarum, in provincia Britanniae conventum Crussiliae dioecesis Luconiensis, in provincia Sabaudiae conventum Rupexis dioecesis Genevensis, in provincia Burgundiae conventum Pesmae dioecesis Bisuntinensis, in provincia Aquitaniae conventum Lingonii dioecesis Bazutensis, in provincia Insulensi conventum Malbodii dioecesis Cameracensis. Hoc anno etiam Sigismundus rex Poloniae apud s. sedem institit, ut fratres capucini in eius regnum mittantur, cui summus pontifex sequentibus respondit:

Paulus PP. V.

Carissime in Christo fili noster salutem etc.

Archiv. Vat. secret. Pauli V. brev. ann. XII. De pio tuo desiderio introducendi in regnum tuum ordinem dilectorum filiorum fratrum capucinorum certiores facti a maiestate tua litteris, quas nobis reddidit dilectus filius pius ac religiosus Valerianus Magnus, eiusdem ordinis frater, et ex ipsius sermone magnum sane solatium in Domino coepimus. Ut eidem Valeriano respondimus; agitur serio de hoc negotio in generali capitulo, anno sequenti celebrando, et quanto fieri poterit curabitur, ut tibi satisfiat. Pietatem ac prudentiam, qua simul Dei cultum, et subiectorum tibi populorum salutem quaeris, summopere laudamus et maiestatis tuae retributionem a Domino pro religiosi tui zeli merito ex animo precamur, et benedictionem nostram apostolicam peramanter impartimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem VI. Cal. Iunii 1617 Pontificatus duodecimo.

LXXVI. Inter eos doctrina eximii occubuerunt. Primus sese offert Augustinus a Viguera, Genuensis provinciae vicarius, vir doctus et pius; sequentia mss. reliquit, quae adservantur in conventu immaculatae Conceptionis Genuae, nimirum *lectiones XXXVII. super visionem scalae Iacob* Genesis XXVIII., *commentaria scripturalia et moralia in Threnos Ieremiae* tom. I. in-4., *conceptus scripturales et morales super Missus est* tom. I. in-4., *conciones ab adventu usque ad septuagesimam* tom. I. in-4. Panormi in Sicilia obiit Stephanus a Gombolato item Genuensis, theologus et contra haereticos fervidus concionator apostolicus, cuius est opus mss. hoc titulo *liber controversiarum catholicae fidei.*

(Sbaral. lit. A. — Idem lit. S.)

Saluthii dierum plenus raptus est Stephanus Teudensis ex provincia Genuensi, qui fidei zelo et sanctimonia praestans scripsit *contra haereses et alia ad fidelium instructionem*, at perierunt. Gennae occubuit Valerianus a Pinarolo Pedemontanus et Genuensis provinciae praeses. Opus mss. reliquit *de origine, institutione et progressu missionis capucinorum in Subalpinis.* A maris tempestate submersus occubuit et Massiliae humatus fuit die II. Augusti Hieronymus Arelatensis, ex illustri Laurentiorum familia ortus, sed Mediolanensi provinciae aggregatus, vir opere et sermone admirabilis. Prae sui humilitate archiepiscopatum Arelatensem, Ebredunensem et Aquensem ab Henrico IV. Galliarum rege sibi oblatos recusavit. Ob eius mortem multi ingemuerunt, multaeque ecclesiae etiam metropolitanae Aquensis, Arelatensis, Tolosana, Massiliensis et Arausicana eius parentalia celebrarunt. Emicuit inter eas episcopus Arausicanus, qui de eo funebrem orationem habuit illud usurpans: *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Reliquit mss. *volumina quatuor concionum et sermonum et volumen unum in sacram scripturam.* Idem lit. V. De Pise tom. III. p. 219. Sbaral. lit. H.

LXXVII. Tumulum nactus est in conventu s. Francisci Transtiberim de Urbe Antonius Pactensis Siculus ex reformatorum familia, octies custos Vallis Mazariae, commissarius et visitator apostolicus provinciae Terrae Laboris, et singularium nota virtutum insignis. Scripsit italice ediditque Venetiis anno MDCXV. typis Ioannis Guarigli *considerationes et expositiones super omnia praecepta regulae* s. Francisci, collectas ex doctrina summorum pontificum graviumque doctorum et expositorum eiusdem regulae, qui ad nostra usque tempora scripserunt. In quibus copiose declarantur dubia omnia et difficultates, quae occurrere possunt circa observantiam praedictae regulae. Opus non solum utile, sed et necessarium omnibus eiusdem instituti fratribus et illud profiteri volentibus piisque personis erga s. Franciscum propensis. Ea in urbe vulgati et fuerunt hoc anno eius *sermones de purgatorio, inferno et Hierusalem triumphante,* quos inscripsit *viridarium concionatorum.* Non est autem eius opus *ingressus facilis et securus ad paradisum*, sed Antonii Pandet Galli, Lugduni anno MDCXLIV. editum. Wadd. et Sbaral. lit. A.

LXXVIII. Guardianus conventus Curiensis discalceatorum, provinciae s. Gabrielis, die ultima Ianuarii occubuit Alvarus de Roxas, locus in montibus Asturiae a s. Maria et a s. Petro dictus. A parentibus generis nobilitate praestantibus in frequentissimam universitatem Salamanticensem et Lecinensem missus, doctoris lauream in iure canonico obtinuit. In cathedrali Curiensi magisterii munus obivit, ecclesiasticis beneficiis interim auctus. Multa sanctimoniae vitae specimina edidit; attamen non semel repulsam passus est, ut fratribus discalceatis sese adscriberet. Tandem anno aetatis suae quadragesimo primo inter eos admissus asperrimum vivendi genus, quod arripuerat, sustinuit ad annum usque sexagesimum tertium, quo obiit. Eius funus celebravit collegium canonicorum urbis Curiensis, honestatum etiam Mazzara tom. I. p. 387. Wadd. et Sbaral. lit. A.

ab utriusque sexus christifidelibus suam probitatem testantibus. Scripsit *commentarium in apocalypsim s. Ioannis, commentarium in caput VII. Danielis et commentarium in caput IV. Zachariae*, quae in unum tomum congesta mss. adservantur in coenobio Dominae nostrae de Luce, oppidi de Brozas.

Wadd. et Sbaral. lit. F. De Gubernatis tom. I. p. 242

LXXIX. Inter minores de observantia desideratus est Franciscus de Sosa Hispanus, tumulatus in coenobio Matritensi. Nobilibus parentibus Toleti lucem aspexit et florenti in aetate nomen dedit minorum ordini in provincia s. Iacobi. Ingenii docilitate exornatus, humana et divina magnae doctrinae laude et didicit et docuit in academia Salamanticensi. Definitoris et ministri provincialis in sua aliisque, in provinciis commissarii visitatoris, ordinis a secretis atque in ultramontana familia vicarii generalis muneribus praeclare functus est. Anno MDC. in comitio romano totius ordinis praeses renuntiatus, commissam sibi familiam prudentia, vigilantia, morum suavitate animique constantia gubernavit. Hinc nullis parcens laboribus, Austriae, Saxoniae, Hungariae, Germaniae, Belgii et Galliarum provincias, etiam cum vitae discrimine ob haereticorum furorem, lustravit, ut fratrum capitulis praesto esset. Suo officio cessurus Toleti generalem conventum anno MDCVI. indixit. Ab ordinis onere vix solutus episcopus Canariensi ecclesiae primo praeficitur, mox vero ad Uxamensem ac postremo ad Segobiensem cathedram destinatur. Dum postremae ecclesiae praesidebat, designatus fuit a Philippo III. Hispaniarum rege ad Paulum V. summum pontificem eius orator, ut controversiam circa immaculatam Deiparae conceptionem dignaretur definire; at eo morte praevento anno MDCXVIII. idem munus obtinuit Antonius a Treio, eiusdem instituti et provinciae et ordinis iam vicarius generalis. Varia et quidem docte idiomate hispanico scripsit. Salamanticae prelo Ioannis Fernandez anno MDXCVI. edidit *expositionem in constitutionem Clementis VIII. de largitione munerum, quam Diana auream appellat*. Sequentes tractatus et scripsit, nimirum *mysterium conceptionis Virginis esse definibile; informationem circa statum huius controversiae ad Philippum III. Hispaniarum regem; responsionem ad orationem doctoris Mexiae de la Cerda* de hoc eodem argumento; *encomia et decora eiusdem conceptionis; censuram seu iudicium circa librum venerabilis sororis Ioannae a Cruce*. Hic tractatus italice editus fuit Venetiis anno MDCXXI. initio IV. partis chronicor. s. Francisci a Bartholomaeo Cimarella eiusdem instituti. Scripsit interim *regulam seu professionem fratrum tertii ordinis non obligare illos ad peccatum mortale; institutum hoc seu sodalitium esse vere ordinem, non vero confraternitatem; non esse multiplicandas religiones in Hispania*. Putat Sbaralea, eundem esse *sermonem ad Hispaniarum regem de ingressu fratrum capucinorum*, de quo Daza lib. de stigm. s. Francisci cap. 2. Eius est etiam alter hoc titulo *responsio ad duos tractatus emissos pro republica Veneta Pauli V. mandatis et censuris olim refragante*. Ambrosius Corduba ex hispanico in italicum idioma transtulit vulgavitque Neapoli anno MDCVII.

Omnia haec prodierunt anno MDCXXIII. Salamanticae typis Antonii Vasquez. Anno MDCXXXI. Matriti editus fuit *tractatus de iis, ad quae obligantur episcopi ex regularibus assumpti*. Interim scripsit *de iurisdictione et optimo genere procedendi in causis regularium libros sex ad Clementem VIII. papam*, quae mss. asservantur in bibliotheca Vaticana cod. 5512. Postremo scripsit de *theologia nonnulla et apologiam pro regularibus* valde eruditam, quam refert Daza part. IV. chron. ord. lib. 3. pag. 280.

LXXX. Vivere etiam desiit Archangelus Gualterus, non in oppido Cievae, ut Pirrus scribit, sed in oppido Gualterii, ex quo cognomen accepit, ortus. Dictus est etiam Messanensis, quia illud oppidum prope urbem Messanensem obviat. Ab honestis parentibus pie enutritus, humanioribus litteris bonos mores adiunxit. Franciscalium de observantia provinciae Siciliae habitum induit, absolutoque studiorum curriculo per omnia ordinis munia ascendens, tandem anno MDCVI. Toleti supremam sui instituti praefecturam obtinuit. Ordinis decorem studuit. Scripsit enim *statuta pro regulari observantia, decreta pro fratribus tertii ordinis claustralium reformatis, epistolas diversas*, quarum *altera ad fratres provinciarum Italiae, altera pro concordia inter fratres de observantia conventuales et minimos*. Morum integritate conspicuus, summis pontificibus, regibus omnibusque carus fuit. Anno MDCXI. Montisregalis archiepiscopus inauguratus in ecclesia moderanda mitissimi pastoris partes adimplere curavit, quibus amorem et venerationem sibi conciliavit. Lites et iurgia inter archiepiscopos et monachos ordinis s. Benedicti decretis apostolicis munitus composuit, pacemque inter utrosque solidavit. Erga pauperes liberalis omnia in eorum beneficium erogavit, ideoque regulari paupertate dives Panormi in conventu s. Mariae Angelorum die IX. Decembris inter suorum ulnas ac lacrymas occubuit, a pietate virtutumque ornamento laudatus. Iacet in sacrario eiusdem coenobii, in cuius marmoreo sepulcro sequentia obviant: *Illustrissimo et reverendissimo fratri Archangelo Gualterio Messanensi ordinis minorum regularis observantiae s. Francisci per omnes fere religionis gradus ad summum generalatus apicem assumpto et ecclesiae Montis Regalis archiepiscopo creato omnium virtutum cumulo insignito religiosissime etiam mortuo reverendus frater Aegidius a Nicosia huius provinciae minister ob maximam in eum observantiam hoc sepulcrum construi curavit. Obiit anno salutis MDCXVII. die vero IX. Decembris.*

Pirrus tom. I. p. 475. Mongitore bibliot. Sicula in append. II. p. 7. Sbaral. lit. A.

LXXXI. Vitae suae item cursum complevit Didacus de Arze, Matritensis provinciae Carthaginensis ab anno MDXCV. minister, postea a sacris confessionibus et a consiliis d. Ferdinandi Ruitz de Castro, comitis de Lemos, regni Neapolitani proregis. In omni litterarum genere eruditus fuit promotor ac fautor studiosorum sedulus et in colligendis libris ornandisque bibliothecis percupidus. In coenobio Murciano suae provinciae cumulatissimam optimis scientiarum libris bibliothecam instruxit. Concionatoris etiam munus magna cum laude

Wadd. et Sbaral. lit. D.

obivit. Anno MDCXIV. ad regendam ecclesiam Cassanensem in Calabria promotus fuit, et hoc anno ad ecclesiam Tudensem in Gallaecia translatus occubuit. Varia scripsit. In primis eruditum opus composuit pro intelligendis difficilioribus sacrae scripturae locis, quod inscripsit *Aegyptus spoliata*, quia reconditas gentilium et humanarum artium doctrinas quasi e manibus praeripuit, et ad sacras perfecte assequendas aptavit. Suae provinciae praeses misit *opusculum sive epistolam diffusam apologeticam ad fratres sibi subditos circa qualitatem vestimentorum.* In eo docte disserit de saccini habitus usu apud antiquos patres, de eius mystica significatione et utilitate ac de minorum professionis congruitate, in quam rem plurima ex ss. patribus congerit argumenta. Haec duo opera mss. adservantur in eodem conventu Murciano. Aliud opus *apologeticum* titulo *Roma sancta* prodiit anno MDCI. Neapoli hispanico idiomate. In hoc opere Urbem vindicat ab haereticorum calumniis, demonstrans nonnisi lividis haereticorum et iniquorum eam obiici inquinamentis foedatam; bonorum autem virorum libere absque pravo affectu indicantium conspectui adparere pulcris piisque notis commendabilem. *Miscellanea pro sermonibus conficiendis* a festo pentecostes usque ad nativitatem Domini vulgata fuit primo anno MDC. Matriti, et postea anno MDCVI. Murciae. Anno MDCVI. editi fuerunt Murciae typis Didaci de Turre *sermones pro adventu et sermones pro sanctis.* Conchae anno MDCI. prelo commissi fuerunt eius *discursus praedicabiles in antiphonam Salve Regina.* Per Augustinum Martinez anno MDCVII. editus fuit *sermo diffusus de cruce Christi* et *bono latrone.* Hispali anno MDCVIII. lucem aspexit *sermo de nativitate Virginis.* In eadem urbe anno MDCVIII. prelo mandavit *sermonem de sacris stigmatibus s. Francisci.* Eius *opusculum de utilitate et antiquitate bibliothecarum* mss. servatur in bibliotheca conventus s. Mariae de Salcedo, et in altera comitis ducis Olivarum. In bibliotheca conventus s. Didaci Pinciani mss. exstat eius latina *collatio pro electione ministri generalis.* In tomo 1. miscellaneorum promittitur ab eomet auctore *dialogus pro christiano pictore* sive *de veritate et decore picturarum ecclesiasticarum, et quinquaginta locorum sacrae scripturae.* At incertum, si praestiterit.

LXXXII. Neapoli in sacello s. Iacobi Piceni tumulum obtinuit Idem lit. I. Ioannes a Carthagena hispanus, qui antea inter sodales societatis Iesu adscriptus, habitum induit fratrum de observantia in provincia Conceptionis. Romam missus diu incola fuit conventus s. Petri in Ianiculo, ubi publice sacra dogmata miro auditorum lucro explanavit. Magni habitus est a Paulo V. summo pontifice ob eius gravia et erudita in rebus theologicis responsa. Ipsius etiam iussu Neapolim advenit ad componenda quaedam negotia regem inter et ipsum pontificem. Praestanti doctrina exornatus scripsit *homilias sacras catholicas et morales de religionis christianae arcanis* in tres tomos. In eorum primo agit *de sanctissima Trinitate et Christo Salvatore;* in altero *de arcanis Deiparae virginis et s. Ioseph* in duas partes diviso. In prima

tractat *de sanctissimae Virginis conceptione, nativitate, annuntiatione, visitatione, partu et virginitate.* Altera pars *reliqua eiusdem Virginis eiusque sponsi Ioseph encomia, cultum et admiranda* complectitur. Postremus tomus idem prosequitur argumentum. Anno MDCIX. Venetiis typis Patricii Castrucci prodiit 1. tomus; tom. 2. et 3. Romae anno MDCXI. et anno MDCXIV. Antuerpiae etiam anno MDCXXII. prelo Ioannis Keerbergii cuncta haec prodierunt in folio magno. Romae anno MDCVII. typis datus fuit *in quartum sententiarum tomus primus*, in quo *de sacramentis in genere ac de instrumentali eorum efficacia diserte et copiose pertractatur.* Ea in Urbe et eodem anno prodiit tomus primus, in novem libros divisus, *pro ecclesiastica libertate et potestate tuenda adversus iniustas Venetorum leges eiusdem ecclesiasticae libertatis laesivas et contra perniciosos errores quorundam, qui praedictas leges tueri contendunt.* Utrumque nuncupavit Paulo V. summo pontifici. Ex typographia Camerae apostolicae anno MDCIX. vulgatum fuit in quatuor libros divisum *propugnaculum catholicum de iure belli romani pontificis adversus ecclesiae iura violantes.* Eodem anno Romae, apud Alphonsum Ciacconem, edidit *disputationes in universa christianae religionis arcana.* Venetiis anno MDCXVIII. prodiit *praxis orationis mentalis.* Romae ibidem anno MDC..... editus fuit *tractatus de praedestinatione.* Antuerpiae anno MDCXX. et postea Coloniae anno MDCXLV. prelo commissum fuit opus *de ortu, progressu et viris illustribus ordinis Montis Carmeli.* Id opus e latino in hispanicum idioma translatum Hispali anno MDCXXIII. prodiisse scribit Waddingus *in Hieronymo Paucorvo.* Sequentia postremo etiam scripsit nimirum *homiliarum de statu pontificio et cardinalitio tomum unum* nondum vulgatum; item *de vita Christi Domini ac de gestis sanctorum meditationes*, nisi forte idem sit ac illud *de oratione mentali;* postremo *disputationem insignem* scripsit *contra latentem usurum* ad Paulum V. pontificem.

LXXXIII. Mediolani obiit vir doctus Angelus ab Ello, theologiae scholasticae et moralis professor, cuius est *speculum spirituale vitae humanae per modum dialogi inter magistrum et discipulum*, editum anno MDCVIII. Brixiae et Placentiae, prodiit etiam ante id tempus; successive autem multis in locis vulgatum fuit. Anno MDCXXV. Romae lucem aspexit italico idiomate. Scripsit *tabulas veritatum religionis catholicae*, quas Parisiis anno MDCXLV. a se in linguam gallicam translatas vulgavit M. I. Saulnier, a secretis principis Condaei. Magno insumpto labore elaboravit etiam *quatuor indices copiosissimos* super totidem volumina Pelbarti Temesvariensis franciscani. Cum autem Angelus ab Ello idem sit ac Angelus Hallensis, quod Waddingus immerito distinguit, ideo idem Angelus scripsit etiam *rosarium confessorum* editum Cremonae anno MDXCIV. *Rosarium magnum sacerdotum et clericorum* Taurini prelo commissum fuit anno MDCXVI. Hac in urbe apud haeredes Ioannis Dominici anno MDCXXXVII. vulgatum fuit eius *commentarium in prosam sive sequentiam mortuorum.* Wadd, Sbaral. Argelati. lit. A.

LXXXIV. Quievit die XXII. Septembris Maria de Antigua Ga- Sbaral. lit. M.

zallae in Baetica, patre Pacensi et matre Lusitana orta. Primis suae pueritiae annis habitum sororum fratrum praedicatorum induit, deinde monialibus tertio ordinis s. Francisci adscripta, maiorem suae vitae partem in Machenae oppido inculpate vixit. Subinde inter discalceatas sorores b. Mariae de Mercede cooptata in coenobio Lorae prope Baetim occubuit. Fertur nescisse legere et scribere, at Dei gratia illustratam composuisse tomum magnum, mira doctrina refertum, hoc titulo *lux religiosorum ac animarum spiritualium* sive *documenta quamplurіa spiritualia* sibi a Deo dictata, omnibus ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus utriusque sexus valde necessaria. Prodiit primo Hispali anno MDCLXXVIII. in folio, tum Barcinone anno MDCXCVII. et anno MDCCXX.

LXXXV. Ex ordine minorum de observantia multi doctrina eximii florebant. Hieronymus Zarate, provinciae s. Evangelii sacerdos, socius Francisci Vasquez, Coronado et Ioannis de Onate in perlustrando Novo Mexico, Philippi III. Hispaniarum regis nomine, hispanice scripsit *relacion del ano MDCXVII. de las expediciones al Nuevo Megico.* Alteram etiam relationem hoc titulo scripsit *relacion de todas las cosas que se han visto y sabiao en el Nuevo Megico a si por mar y tierra desae el ano MDXXXVIII. hasta MDCXXVI.* Postremam misit anno MDCXXIV. ad generalem ministrum Bernardinum de Senis. Claudius Picquet, Gallus Divionensis, Lugduni edidit suam *descriptionem provinciae s. Bonaventurae seu Burgundiae fratrum minorum regularis observantiae ac coenobiorum eiusdem initium et progressus.* Alteram editionem vulgavit anno MDCXXI. Turnoni typis Claudii Michaelis. Haec aucta est *tractatulo iuris domicilii* concessi fratribus recollectis et quibusdam notis in errata eius, qui hanc descriptionem in prima editione impugnare tentaverat. Non conveniunt omnino circa res huius provinciae ea quae scripsit vulgavitque anno MDCXIX. Iacobus Fodereus eiusdem instituti ac provinciae. Cornelius Ghirardelli sacrae theologiae lector, philosophus et astronomus haud ignobilis, scripsit et vulgavit *sermones astrologicos anno MDCXVII. diversarumque rerum.* Typis Ioannis Remz Malacae Franciscus de Fraxino, vulgo del Fresno, sacrae theologiae doctor, vulgavit *orationem in obitu d. Ioannis de Moscoso, antistitis Malacitani,* in urbe Urcesana habitam. Ioannes Baptista Canotus sive Carotus de Melphia, provinciae romanae, Romae edidit latine *lectiones XXXIII. in caput I. Iob habitas ab eo in Urbe in aede Aracaeli ad populum* typis Spadae apud Stephanum Paulinum.

Beristain lit. Z. — Wadd. lit. C. — Sbaral. lit. C. — Idem lit. F. — Wadd. et Sbaral. lit. I.

LXXXVI. Bartholomaeus Cimarellus ex oppido Corinaldi, dioecesis Senogalliensis, in provincia Picena, philosophus a theologus eximius, edidit Venetiis prelo Ioannis Guerili *controversiarum Ioannis Badae sodalis sui quartam partem* in tomos quatuor divisam. In epistola operi praefixa missa Francisco Gonzaga, olim ministro generali ordinis et episcopo Mantuano, scribit se parare *octo tomos historiae ordinis minorum,* quos eo defuncto absolvit et edidit Waddingus. De eo sic habet idem Waddingus: vir vere religiosus magnique zeli erga sui in-

Wadd. et Sbaral. lit. B.

stituti decorem, cui ego magnam meorum studiorum partem debeo,
quippe quamprimum audivit me annalium minorum opus aggressum,
in Urbem venit mecum collaturus opemque omnem et subsidium,
quod posset praestare promisit; et quidem lustratis per aliquot Ita-
liae regiones praecipuis ordinis archivis, vel ad me duxit, vel misit
pleraque documenta. Utinam et hoc tempore sodales mei idipsum erga
me egissent ad facilius scribenda rerum nostrarum commentaria! An- Sbaral. lit. A.
dreas Peruzzinus ab Urceano oppido, non in agro Brixiano, ut scribit
Sbaralea, sed in dioecesi Fanensi posito, composuit et edidit Floren-
tiae typis Vincentii Columbatii opus hoc titulo *ecclesiae iubar omnes
adversariorum tenebras, immunitatem clericorum et potestatem Christi ac
papae offendentes procul abigens* ad Paulum V. pontificem. Ulyssipone
typis Petri Craesbeck Laurentius Portel, provinciae Algarbiorum, edi- Idem lit. L.
dit *exhortationes monasticas*. Ludovicus Fundoni hispanus. Valentiae Sbaral. lit. ead.
prelo Chrysostomi Garriz vulgavit scriptum *de praeparatione ad com-
munionem ac praesentiam sacramentalem*. Petrus Correa Lusitanus Mau- Idem lit. P.
rensis, veteri oppido in Baetica natus, edidit *sermonem de s. Francis-
co*. Vallisoleti apud Hieronymum Murillo et Matriti typis Ludovici
Sanchez hoc eodem anno prodiit ab Antonio Daza hispano provinciae Wadd. et Sbaral. lit. A.
Conceptionis, concinnata *historia de Stigmatibus s. Francisci ex ter denis
summorum pontificum diplomatibus et plurium auctorum libris*. Ex hispano
in latinum eam transtulit vulgavitque Florentiae anno MDCXXI. Da-
niel de Pactis eiusdem instituti. Benedictus Cinquanta Mediolanensis, Wadd. lit. B.
iam suae provinciae minister, typis commisit *repraesentationem resurre-
ctionis Christi*. Hispali per Alphonsum Bonitez vulgavit Franciscus Idem lit. F.
Morenus, provinciae Angelorum, *tomos duos de conceptione b. Mariae
virginis*.

LXXXVII. Marius a Calasio, provinciae s. Bernardini, Romae ty- Annal. min. ad ann. 1616.
pis Stephani Paulini edidit *dictionarium hebraicum*. Caesaraugustae
hoc anno et insequenti prelo Petri de Cabarte Ioannes Franciscus Wadd. lit. I.
Collantes, natus in oppido Belchiti provinciae Aragonensis, vulgavit
*tomos tres sermonum de verbis Domini, super montem Sion constituti, pro
concionibus adventus et quadragesimae*. Neapoli apud Tarquinium Lon-
gum edidit Laurentius Fasanus, provinciae Terrae Laboris, *lumen* Idem lit. L.
agonizantium, idest *tractatum de adiuvandis infirmis ad pie moriendum*.
Typis Petri de la Court Burdigalae Stephanus Materre Gallus pro- Idem lit. S.
vinciae Aquitaniae edidit *catechismum lingua cantabrica*. Aurelius Sa- Idem lit. A.
bellius a Stia Casentinus, guardianus conventus Alverniae, Perusiae
edidit *dialogum brevem de Monte Alverniae*.

LXXXVIII. Fratres reformati viros doctos et habuere hoc anno. Sbaral. lit. B.
Bonagratia a Varena, oppido ad ripam lacus Larii nunc Comensis sito,
dioecesis Novocomiensis in provincia Mediolanensi, vulgavit Medio-
lani typis Bidelli *vitam Francisci Panigarolae*. Anno MDCXXI. forte
iterum edita fuit una cum *expositione canticorum Salomonis, memoriali
et oratorio medicinae spiritualis*. Cherubinus Bellus Siculus, ortus in op- Idem lit. C. Wadd. et Sbaral. lit. T.
pido Terraenovae, poesi italica peritus, typis commisit *idilium pasto-*

rale. Thomas a s. Agatha, oppido provinciae Marchiae, scripsit et edidit Urbini prelo Bartholomaei et Simonis Ragusei *regulas breves et faciles cantus ecclesiastici.* Italice quoque vulgavit *tractatum brevem de sancta paupertate;* latine vero scripsit *rituale pro monialibus induendis.* Iacobus Polius, Germanus recollectus provinciae Coloniae, hac in urbe prelo mandavit typis Ioannis Kinki *compendium speculi disciplinae ad novitios a s. Bonaventura editi*, addito *speculo status religiosi et mundani ex s. Bernardo atque schemate religiosorum aenea lamina.*

Wadd. lit. I.

LXXXIX. Iis accedunt et discalceati fratres Michael de Talavera Novae Granatae in Nova Hispania natus, qui discalceatorum fratrum habitum anno MDLXXXI. suscepit in provincia s. Gregorii Insularum Philippinarum, ubi virtutibus ac doctrina clarus, multa pie et erudite scripsit. Maniliae edidit *enchiridion conscientiae* idiomate hispanico et tegalo, ab eruditis valde commendatum. Sequentia item egregia volumina lingua tegala scripsit, nimirum *figurarum sacrae scripturae in laudem ss.* tom. 1. *moralitatum et exemplorum* tom. 2. *sacrae paginae ac ss. patrum* tom. 1. *mariale seu conciones de purissima Virgine.* Antonius a Martyribus sive de los Martyres, provinciae s. Iosephi, hispanice edidit librum titulo *reliquiarum animae.* Ioannes a Trinitate in oppido Calzadae, dioecesis Abulensis provinciae s. Gabrielis, ortus vulgavit hispanice *tractatum circa casus, qui in ordine minorum solent reservari ministris provincialibus sive generalibus*, quem hoc anno Parisiis a se latine redditum edidit Ioannes de la Haye, eius sodalis et discipulus.

Sbaral. lit. M. Martinez lib. I. p. 178.

Wadd. lit. A.

Idem lit. I.

XC. Capucinorum ordinem viri docti etiam illustrabant. Caeciestinus Bergomas ex vetusta Coloneorum prosapia natus, italice scripsit et Bergomi vulgavit apud Valerium Venturam secundam partem *historiae quadripartitae urbis Bergomensis et sui districtus.* Prima pars lucem aspexit anno sequenti Brixiae prelo Sabii. Zacharias Boverius Saluthiensis, eximius theologus praesertim in fidei controversiis, Lugduni typis Horatii Cardon vulgavit *demonstrationes symbolorum verae et falsae religionis adversus praecipuos ac vigentes catholicae religionis hostes, atheistas, iudaeos, haereticos, praesertim lutheranos et calvinistas* in duos tomos distributas. Prae sua in scribendo venustate quidam versu lusit:

Idem lit. C.

Idem lit. Z.

> Restituit Latio veteris miracula linguae
> Et potis est unus cum Cicerone loqui.

Ioannes Franciscus Bourdemare, Gallus Normannus provinciae Parisiensis, qui in Brasilia plures Indos Christo regeneravit et Philippo III. catholico regi summe acceptus, scripsit et Matriti vulgavit *relationem de populis Brasiliensibus et de aliis pluribus rebus ad mores et ritus illarum regionum spectantibus.* Auctor decessit anno sequenti. Caroli Martini typis Tornaci vulgavit Rhemigius de Beauvais Belga *XX. libros de s. Maria Magdalena* sub titulo *Magdalena*, ab eo ligato sermone concinnatos. Michael de Cervantes Hispalensis ex tertio sae-

Sbaral. lit. I.

Idem lit. R.

Idem lit. M.

cularium s. Francisci instituto Beaciae apud Ioannem Baptistam Montoyam prelo edidit *erudita galatea.*

XCI. Seqnnntur viri docti ex minoritis conventualibus. Patavii prelo Laurentii Pasquali vulgati fnerunt ab Hieronymo Hasteo a Portnnaone, Verulanae ecclesiae in Latio episcopo, eius *commentarii in l. diffamari cap. de ingen. et manum. — L. Si contendat ff. de fideiuss. — L. Aurelius § centum ff. de liber. Legat. — L. Ut nemo invitus agere vel accus. tene. c. eod. tit. — Sive de 4. primis iuris emendativi principiis, a quibus id ius universum pendet.* Marcus Antonius Cappellus Acestinns elaboravit *constitutiones pro reformatis conventualibus cum Silvestro Bartolucci Assisiate.* Ioannes Baptista Chiodinus a Montemilone Picenus Conegliani typis Marci Cluseri italice edidit *diadema spirituale solemnitatum et virtutum beatissimae virginis Mariae.* Item Venetiis apud fratres Dei vulgavit opus inscriptum *pupillae philosophiae Aristotelis metheororum et parvorum naturalium cum lucidissimis quaestionibus ad sententiam Scoti libros decem.* Opus nnncupavit d. Marco Antonio Burghesio, Pauli V. nepoti, principi Snlmonensi. Iisdemque typis edidit *lumen doctrinae Scoti.* Idem lit. H. Idem lit. A. Wadd. et Sbaral. lit. I.

XCII. Iidem fratres habuerunt hoc anno in Urbe generale comitium, ubi praeside Marcello cardinali Lantes: *Cum sicut,* die XI. Maii totius ordinis moderatorem salutarunt Iacobum Montanari Balneocavallensem, actu vicarium generalem. In munere procuratoris generalis confirmatus fuit Bonaventura Pontieri de Carpanzano in Calabria, anno MDCXIV. primo electus. Idem minister generalis, vir doctrina magnus et pietate, strenue laboravit, ut quaque ex parte omnibusque modis *vita communis* in ordine firmaretur, et multa constituit et scripsit. Provinciarum enim perlnstratione instituta, varias epistolas ad id operis misit ad fratres. Omnium primam Patavii edidit die VI. Octobris, quae sic incipit: *Nella vanità* etc. ea in urbe cusam typis Ioannis Martini, et Florentiae anno MDCXX. per Petrum Ceconcellum; alteram Messanae die XI. Ianuarii anno MDCXVIII. et ibidem impressam, inde Arimini ac postremo Neapoli, incipitque: *Poichè è piaciuto a Dio* etc; aliam datam Brincolae in Provincia die XIX. Maii MDCXIX. Monterici vulgatam hoc anno, nimirum: *essendo giunto* etc. Italice adiecit *alfabeto spirituale di s. Bonaventura con alcuni avvertimenti ed esercizi spirituali cavati da diversi autori,* et tandem *alcuni avvisi et documenti per bene allevare i novitii.* Hoc eodem anno idibns Ianuarii ex Colonia datam ibique impressam scripsit cnius initium est: *Quemadmodum anno proxime* etc. In ea adiecit leges *pro reformatione studiorum.* Postremam typis commissam Viennae Austriae, datam Pragae die III. Iunii anno MDCXXII. ad suos misit quae incipit: *Visum est Spiritui sancto* etc. Benoffi p. 286. Idem de procurator. p. 37. Sbaral. lit. I.

XCIII. Minoritae de observantia episcopalem dignitatem obtinnerunt. Die XVI. Ianuarii ex Ughell. tom. I. col. 585 electus est episcopus Cassensis Ioannes Irenaeus Brassavolus nobilis Ferrariensis; die XIII. Martii destinatus est ad ecclesias Ravellensem et Scalensem in regno Terrinca p. 100.

Neapolitano *Michael Romanus*, quem Terrinca Florentinum, cod. manuscript. Bibliot. Vallicellanae 4. 23. tamen dicit Romanum, et Basilicae Lateranen. poenitentiarium; ex nobili senatoria familia Bonsia. Eius erat germanus frater Ioannes Bonsius episcopus Biterrensis et eleemosynarius reginae christianissimae, cui anno MDCXV. die ultima Iunii solemni ritu datus est a pontifice pileus purpureus et die XX. Iulii titulus s. Clementis papae et martyris. Die XXVI. Iunii promotus est ad ecclesiam Firmiensem in Graecia *Petrus Pitorque*. Scribit Laurentius de Fasano eum natum in urbe Taranti provinciae s. Nicolai, commissam eidem etiam fuisse ecclesiam Milensem, et in eadem provincia s. Nicolai varias ecclesias regularium et saecularium consecrasse. Sub eadem die Didacus Altamiranus, commissarius generalis Peruviani regni, obtinuit episcopatum ecclesiae Novae Carthaginis in Indiis occiduis. Item sub eadem die *Laurentius* de Tavora, iam episcopus Funcalensis in insula Maderae, translatus est ad ecclesiam Ehrensem sub archiepiscopatu Eborensi in Portugallia. *Petrus Gonzalez* de Mendoza, archiepiscopus Granatensis, transfertur ad archiepiscopatum Caesaraugustanum. Die XIV. Decembris ad Indiarum praefecturam apud regem catholicum assumptus est ab Antonio de Treio vicario generali ordinis, Ioannes Venido, provinciae immaculatae Conceptionis alumnus.

De Fasano p. 133.

XCIV. Aliqua lubet summus pontifex. Iubet ne capucini monialium curam gerant: *Sacri apostolatus*, die XI. Augusti; ut vicarius generalis capucinorum officium suum prosequatur ad sexennium: *In supremo* die XXIX. Octobris; ut iidem capucini in publicis supplicationibus propriam crucem deferant: *Pastoralis officii*, die XII. Octobris; ne extrahantur libri e bibliotheca conventus s. Francisci Bergomen. minorum conventualium: *Conservationi*, die II. Ianuarii; similia iubet pro bibliotheca eorundem fratrum conventus Mediolani: *Conservationi*, die II. Ianuarii; iubet, ne aliis mutuentur paramenta sacra ecclesiae conventus hospitalis s. Didaci Neapoli minorum de observantia: *Conservationi*, die XXVI. Augusti. Hoc coenobium fratribus nunc vacuum est et ecclesia deservit saeculari presbytero animarum curam gerenti. Subiicit ordinario monasterium s. Clarae Tolosae: *Ex debito*, die X. Martii; committit episcopo Dertusano, ut aliquot moniales clarissas mittat ad reformandum monasterium eiusdem urbis ex consensu ministri observantium provinciae Valentiae: *Cum sicut*, die XX. Martii; indulget, ut fratres conventuales recitare valeant semel in mense die non impedito officium s. p. Francisci: *Domini nostri*, die XX. Martii; ut fratres conventuales reformati conventus b. Mariae de Miraculis Urbis in restauratione domus impendant centum scutata, eis relicta a Camilla Rota, cum onere celebrandi ter centum missas una tantum vice: *Exponi nobis*, die XXII. Maii; ut fratres reformati conventus s. Bonaventurae Tusculi legatum recipiant eis relictum a quodam Angelo Feraro pro necessitatibus eiusdem conventus: *Exponi nobis*, die II. Septembris; confirmat statuta archiconfraternitatis passionis Do-

mini erectae in ecclesiis capucinorum Coloniae: *Pias*, die XVI. Decembris, et eidem indulgentias largitur: *Ad agendam*, die XXIII. Novembris; erigit confraternitatem Conceptionis in parochiali ecclesia s. Nicolai terrae Cervinarae, Beneventanae dioecesis: *Cum sicut*, die XI. Martii; confraternitatem ss. Angelorum Custodum in ecclesia conventualium oppidi Insulae, Cavallicensis dioecesis: *Cum sicut*, die XVIII. Iulii; confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis in terra Itallari, Squillacensis dioecesis: *Cum sicut*, die IX. Decembris.

XCV. In generali congregatione s. romanae et universalis inquisitionis habita die XXXI. Augusti coram summo pontifice apud montem Quirinalem cautum fuit, ne in actis publicis adseratur, beatissimam Mariam virginem fuisse conceptam in peccato originali. Decreti verba proferimus. Ex bull. Cherubini tom. 4. p. 11.

Sanctissimus dominus noster post longam et maturam discussionem, auditis votis illustrissimorum ac reverendissimorum dd. cardinalium, contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, re mature ac diligenter perpensa, provide considerans, quod, quamvis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super conceptione beatissimae virginis Mariae pro submovendis inter christifideles scandalis, rixis et contentionibus edita, a sancta Tridentina synodo innovata, et deinde in alia constitutione sanctae mem. Pii V. super eadem re, quas similiter sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus et adiectionibus poenarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi et etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra velut erronea aut haeretica damnetur;

§ 1. Nihilominus ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quod eadem beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia et dissentiones:

§ 2. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit et praecipit ac praesentis decreti virtute mandat et praecipit omnibus et singulis, cuiusvis ordinis et instituti, regularibus et aliis quibuscunque, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis aut dignitatis tam ecclesiasticae quam saecularis, etiamsi specialis, specifica et individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a sancta sede apostolica fuerit definitus, vel per sanctitatem suam et sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali.

§ 3. Contrafacientes autem eadem sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere et subiecit censuris et poenis contentis in su-

praedictis constitutionibus suorum praedecessorum et sua, ipso facto incurrendis.

§ 4. Per huiusmodi tamen provisionem sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quod supra disposita.

§ 5. Ulterius sub eisdem censuris et poenis mandans, quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in actibus praedictis publicis asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.

§ 6. Insuper voluit et expresse mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictae constitutiones firmae et illaesae remaneant et exacte observentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset.

§ 7. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus et aliis omnibus in contrarium facientibus etc.

Andreas de Pettinis
sanctae romanae et univeralis inquisitionis notarius.

XCVI. Alterum etiam editum fuit decretum a s. rituum congregatione, quo adsignatur praecedentia inter fratres ordinis minorum de observantia, reformatos discalceatosque; cuius verba vulgamus. *Pro parte procuratoris generalis* ordinis minorum observantiae sacrae rituum congregationi expositum fuit, quod, cum in pluribus locis et civitatibus orbis inveniantur duo et aliquando plura monasteria eiusdem ordinis minorum regularis observantiae, et in publicis et privatis processionibus circa modum praecedendi dubitetur, in quo loco incedere debeant fratres monasterii novissime fundati in eodem loco seu civitate, an in ultimo loco, ut aliqui opinantur, iuxta tempus fundationis sui monasterii, disiuncti et separati a fratribus eiusdem ordinis antiquioribus, qui ab antiquo monasterium habuerunt in eodem loco seu civitate, vel potius uniti et coniuncti cum fratribus eiusdem ordinis incedere et procedere in publicis et privatis processionibus debeant. Audita relatione ill. et rev. cardinalis de Monte, cui haec causa commissa fuerat, eadem s. congregatio respondit et declaravit iuxta constitutionem fel. rec. Gregorii XIII. quae incipit: *Exposcit,* praecedentiam dudum esse ordini, qui prius in loco monasterium habuit, et non tantum illi monasterio, ita ut in loco illo per fundationem primi monasterii aequiparetur anterioribus eiusdem, sed etiam cuilibet alii posterius fundato eiusdem ordinis. Idem quoque servandum, quando praecedentia competit ex quasi possessione et iure praecedendi in terminis dictae constitutionis; et quando concurrant ad processiones tam publicas quam privatas omnes eiusdem ordinis fratres uniti et non divisim, debere praecedere, ita ut post crucem fratres

Matritensis in bullar. tom. I. p. 489.

strictioris observantiae sive discalceati seu recollecti vel reformati initium immediate incedant et post illos fratres de observantia dicti, si iuxta regularia ordinis statuta vel ex quasi possessione et iure praecedendi praecedentiam habeant. Alioquin in praecedentia servetur etiam inter eiusdem ordinis fratres anterioritas fundationis monasterii cuiuscunque. Neque monasteria alterius ordinis debere neque posse impedire frui dicto iure praecedendi, neque ordinem incedendi pervertere; et ita in causa praedicta eadem s. c. declaravit et servari mandavit.

Datum Romae die III. Iunii MDCXVII.

M. Masc. episc. Hostiensis card. Gallus.

Loco ✠ sigilli.

XCVII. Die XIV. Iulii reserato marmoreo tumulo venerabilis sororis Clarae Ariminensis anno MCCCXLVI. cum ingenti sanctitatis opinione defunctae in monasterio s. Mariae angelorum eiusdem urbis, inventum fuit eius corpus aspero cilicio gravique lorica contectum, manus insuper et collum obductos habens circulis ferreis. Rei veritatem comprobarunt Bernardinus de Benedictis a castro Durantis, vicarius generalis Ariminensis, aliique vocati testes, quam in publicis tabulis exhibuit Ioannes Maria Baffonus, publicus notarius. *Annal. min. ad ann. 1346. n. 22.*

XCVIII. Hoc anno Ludovicus XIII. Galliarum rex, favore Caroli cardinalis Madrutii, episcopi Tridentini, consequutus est a Franceschino de Ravenna, guardiano coenobii Ripensis minorum de observantia, provinciae s. Antonii Venetiarum, binas reliquias b. Pacifici Ripensis, quem suum facit nobilis et avita familia de Riccamboni. *Greiderer tom. II. p. 317. n. 60*

XCIX. Litteris datis die IV. Septembris Parisiis apud coenobium s. Mathurini, Iacobus Montanari, minister generalis conventualium, reliquiam capitis s. Rochi Arelate Duacum misit ad sui ordinis conventum, ubi crebris floret prodigiis, quae civium impensis argentea theca deaurata occlusa solemniter circumfertur in festivo s. Rochi die. *Arturus ad diem 16. Augusti § 12*

C. Fortuito Patavii incensa magna copia nitrati pulveris intra arcem adhaerentem publico aedificio, quod Mallium vocant, ingens non solum illius sed etiam vicinarum aedium strages fuit. In eo excidio vitam quinquaginta personae amiserunt; laesi vero longe plures. Inter ceteros ruina illa Franciscum Antonium, filium Bernardini Fursani et Petrinae de Montefelice, trium annorum puerulum, oppressit, qui inter lapidum congeriem super sex ulnas delituit duabus horis. Erutum e loco filium, quem obiisse pater putaverat, detulit ipse ad gradus altaris s. Antonii Patavini, ubi eius corpus quiescit, et emissa ferventi prece, vivum filium obtinuit et domum bene valentem adduxit. Similia obtinuit d. Anna Taliapetra a Beato pro filia sua Marietta, trienni puella, sub eisdem ruinis deprehensa, ab omnibus habita ut mor- *Acta ss. ad diem 13. Iunii p. 760 n. 58.*

tua. De utroque eventu publici confecti fuerunt processus in urbe Pataviae.

CI. Dominus Parayso, incola urbis Tutellensis, filium quadriennem habens lateris dolore afflictum, ut eum imposuit super tumulum Gerardini a Santa, defuncti in conventu s. Francisci, eiusdem urbis, illico filius sanitatem recuperavit, et sanus domum repetiit. Miraculi veritatem litteris comprobavit Ioannes Morales, alumnus provinciae Burgensis.

Mon. prov.

CII. Ludovicus XIII. Galliarum rex, exempla sequutus Henrici IV. parentis sui, de mense Augusto cardinali Rapisvealto, duci Nivernensi aliisque pietate et auctoritate viris curam subventionis Terrae Sanctae commisit, praecipiens, ut toto regno pecunia colligeretur tum pro restauratione tum pro ornamento sacrorum locorum.

Spondanus ad hunc ann. n. 3.

CIII. Magna catholicos inter et armenos Hierosolymis orta est dissensio. Cum enim Armenis aliisque nationibus antiquo tempore indultum fuisset candelam ponere circa sanctam unctionis petram in sero veneris, accendendam tamen ac extinguendam a sacrista minorita de observantia, conventus s. Sepulcri, iidem Armeni spiritu novitatis ducti, quodam sero suam candelam eo loci accenderunt. Res delata fuit a fratribus ad Mahumetem Bassianum, urbis gubernatorem, ut pro iustitia sententiam proferret. Dum causa agitaretur, multi polliciti sunt pro veritate se testimonium dicturos. Prae ceteris sese obtulit quidam senex iacobita, nomine Ioannes Seti, qui iurejurando publice adfirmabat, in sancto sepulcro nunquam aliquem ex nationibus orientalibus candelas accendisse et extinxisse in sero veneris praeter laudatum sacristam. Haec ut rescivit Gregorius Armenus, patriarcha Hierosymitanus, vir dolo et malitia plenus, statim accersit eundem iacobitam, pecunia corrupit, illum inducens ad falsum testimonium coram iudice dicendum. Quod et praestitit libenter. Licet autem reclamantibus fratribus ad oratores christianorum principum Constantinopoli degentes, et idem Gregorius exilio et Armenorum interpres capite mulctati fuissent a Turcarum imperatore, nihilominus iudicibus et praecipuis civitatis pecunia corruptis, se ab exilio et interpretem a morte liberarunt, et persolutis octo mille argenteis, candelas ad sacram unctionis petram accendere et extinguere eisdem Armenis indultum fuit.

Quaresmius tom. II. p. 495.

ARGUMENTUM

Fratres capucini et observantes habent generale comitium. Angliae observantium provincia instauratur. Antonius a Treio minorita de observantia, episcopus Carthaginensis, Philippi III. catholici regis nomine apud summum pontificem legati munus explet pro definienda controversia immaculatae conceptionis Deiparae. Varii de hoc mysterio edunt opera. Viri docti notantur. Martyres, viri Dei ac virgines occumbunt. Aedes pro sororibus et fratribus excitantur. Virtutibus et miraculis floret Laurentius a Brundusio capucinus. Summi pontificis mandata recensentur.

I. Fratres capucini in comitio celebrato in conventu s. Bonaventurae de Urbe, supremum ordinis regimen demandarunt Clementi a Noto; procuratoris autem generalis officium Hieronymo a Castroferrettorum. Patrum decreto erectae fuerunt de novo quatuor provinciae, Styriae nimirum, Bohemiae, Castellae et Sabaudiae. Aliae vero duae, nimirum Lugdunensis a comitatu Burgundiae et Genuensis a Pedemontana divisae fuerunt. Iidem decreverunt mittere in Congium aliquot fratres, virtute ac prudentia exornatos, ab ipso rege postulatos. De Pise tom. III. p. 231.

II. Sunt etiam litterae Francisci cardinalis Barberini, quibus summi pontificis nomine eisdem capucinis varia privilegia concedit in peragendis missionibus in regnis Scotiae et Hiberniae. *Paulus divina providentia V. pont. max.* praesente ill. et rev. d. card. Barberino, protectore Scotiae et vice-protectore Hiberniae, missionem patrum capucinorum s. Francisci Assisiatis in Maiorem Britanniam et omnes eius insulas, quae ad Angliam, Scotiam et Hiberniam reduci communiter solent, amplecti visceribus apostolicis ad maiorem Dei gloriam et salutem periclitantium dignatus est. Nec non eius propagandae studio (ne quid eis a necessariis deesse posset) vivae vocis oraculo largiri placuit suae sanctitati omnim. communicationem cum privilegiis et favoribus universis cum ord. s. Benedicti, s. Francisci, Dominici, soc. Iesu aliisque religiosis quibuslibet aut seminariorum alumnis, qui sunt vel erunt posthac in partibus illis. Insuper quoad praecepta regulae in habitu ceterisque observantiis, ut, quando necessarium est iudicio prudentis viri ac timoratae conscientiae, liceat eis praetermittere illa similiter, quando in partibus illis commorabuntur; demum gratiis, favoribus ac privilegiis a sede apostolica datis generatim aut speciatim ordini suo prout in usu probataque sunt, frui, quoties erit opus. Unde ill. et rev. d. card. praefectus ad faciendam

huius rei fidem praesentibus manum sigillumque suum *apponere dignatus est hac die XXIX. Maii anno Domini MDCXVIII.*

Loco ✝ Sigilli.

Cardinalis Barberinus.

III. Fratres quoque minores de observantia hoc anno indixerunt sua comitia Salmanticae celebranda, quae promoturus summus pontifex amplas largitur indulgentias:

Paulus PP. V.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Meritis licet imparibus in domo Domini dispensatores constituti, thesaurum dominicum divinitus nobis commissum sic nos dispensare convenit, prout christifidelium animorum saluti conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum igitur capitulum generale fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia celebrandum sit, et illius celebratio in conventu ecclesiae s. Francisci Salmanticensis, eiusdem ordinis, in vigilia et festivitatibus pentecostes hoc praesenti anno 1618 sit decreta et instituta, ad ipsamque civitatem et ipsius capituli generalis celebrationem multi viri, zelo religionis pleni, ac scientia et morum probitate praediti a quibusvis mundi partibus, praedicti ordinis professores, favente Domino sint accessuri: nos felici dicti capituli directioni et christifidelium animarum saluti paterna caritate prospicere volentes cupientesque, ut ipsi christifideles ad ecclesias eiusdem ordinis visitandas eo promptiores reddantur, quo ex hoc uberius dono caelestis gratiae conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui in resurrectionis dominicae et pentecostes festivitatibus, ac singulis diebus infra octavas earundem festivitatum pentecostes ecclesias domorum, conventuum et monasteriorum, eiusdem ordinis s. Francisci de observantia, tam virorum quam mulierum, tam in Italia quam alibi locorum, citra et ultra montes, et in quibusvis mundi partibus constitutas devote visitaverint, et ibi pias preces ad salvatorem nostrum Iesum Christum eiusque gloriosissimam virginem Mariam pro suae sanctae catholicae ecclesiae, huius sanctae sedis apostolicae ac totius illius populi christiani defensione ac principum christianorum concordia, nec non felici praedicti capituli celebratione effunderint, quo die praedictum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, ac etiam, qui durante actuali celebratione dicti capituli ecclesiam praedictam sancti Fran-

cisci Salmanticensis devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Ceterum quia difficile foret, praesentes litteras ad singula quaeque loca opportuna deferri, volumus quod earundem transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 29 Ianuarii anni 1618, pontificatus nostri anno 13.

S. Cardinalis sanctae Susannae.

IV. Itaque comitia habita sunt die II. Iunii in coenobio s. Francisci Salmanticae praeside Antonio Caietano, archiepiscopo Capuano et nuntio apostolico apud catholicum regem, a summo pontifice electo: *Cum sicut*, die XXI. Februarii, in quibus minister generalis ordinis renuntiatus est Benignus a Genua, provinciae Siciliae, iam ordinis a secretis et definitor generalis, ab eodem pontifice in officio confirmatus: *Cum sicut*, die VIII. Augusti. Commissarii generalis munus cismontanae familiae consequutus est Ioannes Venido, provinciae immaculatae Conceptionis, in regali curia Indiarum generalis commissarius; definitores autem perpetui pro utraque familia delecti fuerunt Antonius a Treio, provinciae s. Iacobi, et pro ultramontana Evangelista a Gabiano, iam commissarius generalis, qui hoc anno fatis cessit; et procurator generalis in curia romana Bernardinus a Moncalvo, provinciae s. Didaci, et commissarius ordinis in eadem curia Ioannetius Nino, provinciae s. Iacobi. Chronol. seraph. tom. I. p. 550.

V. Pro ultramontana familia definitoris generalis officium obtinuit Gregorius Petrocha, provinciae s. Antonii Venetiarum, Gregorius de Rasina, provinciae Tusciae, Ioannes Baptista de Montecorvino, provinciae Principatus, Bonaventura a Brundusio, provinciae s. Nicolai, Benedictus Cinquanta, provinciae Mediolanensis et Andreas de Semitecolis, provinciae Candiae. Pro cismontana familia id munus consequuti sunt: Bonaventura de Monroy, provinciae s. Iacobi, Didacus de Barrasa, provinciae Castellae, Henricus Sedulius, provinciae Germaniae Inferioris, Franciscus le Roy, provinciae Franciae, Ioannes Clerici, provinciae Turoniae Pictaviensis et Ioseph Bergaique, provinciae Coloniae. Procurator generalis reformatorum in curia romana institutus est Angelus a Carpineto, provinciae Romanae; guardianus et commissarius Terrae Sanctae Franciscus Dulcedo, provinciae Genuae, et guardianus Constantinopolitanus Ioseph de Venetis, provinciae s. Antonii.

VI. In hoc capitulo edita sunt sequentia decreta: 1. " Cum divinum officium ex regulae nostrae praescripto secundum ordinem sanctae romanae ecclesiae faciendum sit, decernitur: ut omnes imposterum tum fratres tum etiam moniales illud iuxta Clementis VIII. reformationem recitare teneantur; et provinciales ministri diligenter curent, ut in quolibet suae provinciae conventu nullus brevarii, missalis ac ritualis usus communiter habeatur, quam eius, quod iuxta dictam reformationem editum est. Officia propria nostri ordinis ea dumtaxat recitare permittantur, quae novissime recognita ex concessione ss. d. papae Pauli V. in lucem prodierunt „.

2. " Ab officio divino in choro celebrando nemini abesse liceat; quare si deinceps aliquis fratrum, etiamsi provinciae pater exstiterit, legitime non impeditus divinis officiis non interfuerit, suffragiorum iura per triennium careat et gravius pro negligentiae modo superiorum arbitratu puniatur. Excipiuntur tamen ab hoc decreto lectores et praedicatores actuales, quibus suis indultis et exemptionibus frui licere volumus „.

3. " Ut proprietatis occasio a fratribus penitus auferatur, guardianis per sanctam obedientiam praecipitur sub poena privationis sui officii ac vocis activae et passivae in perpetuum, ut fratribus sibi subditis necessaria praebeant; vestimenta vero tempore opportuno eisdem provideant, quae sint ex panno uniformi et cordellato si fieri poterit, nec ullo modo pannum vel pecunias, nec aliquid aliud indumentorum vice sub eisdem poenis tradere audeant „.

4. " Camisiarum lini et sudariorum usus detestabilis, regulae puritati contrarius totque constitutionibus iam vetitus, uuno etiam stricte prohibetur, statutum romanum ex anno MDCXII. cum poenis ibidem appositis confirmantes. Calceamenta vero nullo tempore ferre absque superioris licentia liceat; qui autem extra hiemale tempus, etiam de superiorum facultate, calceatus incesserit, nullo in ordine officio fungi poterit, cum communitatem sequi minime valeat „.

5. " Revocantur statuta quoad non equitandum, praecipientes stricte, ut omnia, quae in nostris generalibus constitutionibus cauta sunt, sub poenis in iisdem contentis observentur „.

6. " Mortuorum spolia fideliter per superiores locales et discretos in inventariis referantur, nec ex eis quidquam sibi retinere aut aliis distribuere, sub poena superiorum arbitrio infligenda, audeant; sed dictum inventarium quamcitius ministro provinciali mittant, qui etiam sibi ex iis aliquid appropriare caveat, sed prout ei iuxta paternam caritatem videbitur, in fratrum utilitatem omnia distribuat et exactissime de eisdem vel ministro generali vel provinciae visitatori postea rationem reddere teneatur. De libris vero disponat iuxta ea, quae in capitulo romano MDCXII. sancita sunt „.

7. " Decernitur, lectores canonum seu casuum conscientiae, dum actu munus suum exercent, si alias theologiam legerint, artium lectores praecedere debere; si autem etiam ipsi artes publice docuè-

rint, vel alicubi praedicaverint, inter se ipsos praecedant pro eorum in ordine antiquitate. At si nec artium lector nec praedicator sit, artium actuali lectori locum cedat, nisi alio titulo ipsum praecedere debeat „.

8. " Declaratur, commissarium visitatorem provincialem non habere in electione ministri provincialis, custodis ac definitorum votum electivum, quemadmodum habent minister et commissarius generalis, quorum vota verum numerum efficiunt. Qui autem sibi ipsi in electionibus votum praebent, voce activa et passiva perpetuo priventur „.

9. " Nullus deinceps minister provincialis, etiam de pleno consensu patrum suae provinciae, destinare possit aliquem ex aliena provincia fratrem, vel in suamet provincia incorporatum, ante completum suae incorporationis decennium, pro commissario ad capitulum vel congregationem generalem, ut ministri vel custodis suffragia deferat „.

10. " Ad tollendas circa titulorum formam varios abusus sancitur, ne quis frater deinceps alteri, cuiuscunque gradus existat, litteras scribere audeat sub alicuius tituli forma, sed absolute scribat p. fratri N. si sit sacerdos, addendo post eius nomen, patriam, officium ac gradum; si vere cui diriguntur litterae sit clericus vel laicus, scribantur fratri N.; et si quis aliter scribere praesumpserit, suffragiorum iure per triennium careat ac aliis afficiatur poenis superiorum arbitrio, exceptis tamen rr. pp. ministro et commissario generali „.

11. " Confirmatur statutum congregationis romanae MDCXV. contra laicos, qui absque facultate rmi p. ministri generalis sacros ordines susceperint; etsi aliquis post dictum tempus absque speciali concessione ss. d. ad aliquem ordinem promotus sit ac coronam deferat, iniungimus ministris provincialibus sub poena privationis sui officii, ut infra unius mensis spatium ei coronam auferre faciant ac laicali deputent officio, nec ullo modo permittant eum ordinis munia exercere, vel una cum clericis in choro divina officia persolvere „.

12. " Quoniam ob malam bonorum immobilium administrationem nostri ordinis sanctimonialium, nonnulla monasteria in dies ingentibus affici calamitatibus intelligimus, ideo tanto volentes damno pro viribus occurrere, praecipitur ministris provincialibus sub poena privationis sui officii et actuum legitimorum in perpetuum, ut quae de ipsorum bonorum recognitione inventariis, locationibus, reditibus ac aliis quamplurimis ad id spectantibus in capitulo Vallisoleti MDXCIII. decreta sunt, inviolabiliter servent; et si abbatissae seu quaevis monasteriorum praefectae et aliae ipsorum bonorum administratrices renuerint superioribus vel iis, quos ipsi deputaverint, singulis annis accepti et expensi ac totius administrationis rationem reddere, statim suo priventur officio et suffragiorum iure perpetuo careant „.

VII. In eodem capitulo die sexta Iunii unanimi patrum con-

sensu ius patronatus domus, in qua sanctus pater noster Franciscus natus fuit, illustri Hispaniarum regi collatum est sequenti instrumentis publico:

Philippo III. Hispaniarum regi catholico,
piissimo, invictissimo.

Fr. Benignus a Genua, totius ordinis fratrum minorum seraphici patris nostri s. Francisci generalis minister et servus. Patres eiusdem religionis in pleno definitorio utrinsque familiae cismontanae [scilicet] et ultramontanae, in hoc sacro Salmanticensi provinciae sancti Iacobi conventu, in generali capitulo legitime congregati de communi omnium assensu, post humilem et debitam reverentiam, salutem in eo, qui vera est omnium salus.

Regesta ultramont. famil. vol. II. fol. 247.

Cum nihil sit Deo regi regum gratitudine gratius, atque christianis regibus, qui utique bonorum pauperum non indigent, quidquam grato animo iucundius exhiberi queat, etsi omnibus iuxta Apostoli dictum teneamur, humile praesertim obsequium nostrum erga illos convertimus, quorum eximia in ordinem nostrum beneficia pietatisque opera frequentius experimur. Cum tanta ergo sit vestrae maiestatis in Deum pietas et de servulis suis fratribus minoribus benemerendi voluntas, ut vix in toto orbe, quo seraphicus noster ordo mirabiliter diffunditur, aliqua reperiatur provincia vel domus, quin a liberalissimis vestrae maiestatis eleemosynis munificentissimisque donis decorata reperiatur: acceptabile siquidem Domino et maiestati vestrae carum fore existimavimus, si de voluntate ac devotione nostra aliquale praeberemus indicium, et, quod operibus non valemus, humiles saltem eidem rependeremus gratias. Sane cum domus, qua beatissimus pater noster pauperum patriarcha Franciscus natus atque per viginti duos fere annos commoratus est, a saecularibus eiusdem domus possessoribus ad annum 1615 usque inhabitaretur, vestraque maiestas, cuius viscera erga patrem nostrum indies magis ac magis effervescunt, supplicationibus fratris Antonii a Treio, tunc totius ordinis nostri generalis, nunc autem ad Carthaginensem ecclesiam promoti inclinata, domum ipsam suis sumptibus emendam, ac ex ea templum ad honorem beatissimi patris subque conversionis ipsius titulo construendum mandavit; quod cum iam fere perfectum conspiciamus, vestram maiestatem supplices exoramus, quatenus eiusdem templi patronatum, quem in nostrae humilis servitutis signum toto cordis affectu offerimus, excipere, nosque dictum templum et ordinem regia auctoritate ac potestate fovere, protegere, atque defendere perpetuo non dedignetur. Nos autem, qui nostri totiusque religionis nomine in templo praefato maiorem missam cum oratione quotidie pro vestra maiestate dicendam pollicemur, privatis uniuscuiusque orationibus divinam pro eadem, eiusdem quoque [illustri consorte] mise-

ricordiam assiduc deprecari nullatenus deerimus, [item pro] regali prole et regni conservatione.

Datum Salmanticae die 6 Iunii anno 1618.

VIII. Ab anno MDXXXV. florentissima minorum de observantia Angliae provincia Henrici VIII. tyrannide fratribus vacua, instaurari incepit eorundem sodalium labore. Prae ceteris suam impendit operam Ioannes Germingus Anglus, missionarius, ante restauratam provinciam custos, qui sua industria pro fratribus anglicanis collegium in urbe Duacensi, et pro sororibus tertii ordinis item anglicanis monasterium Bruxellis, Neoportum inde translatum, e fundamentis erexit. Cum collegium instrueretur, in Iprensi conventu tyrocinium inchoavit cum altero socio Franciscus Duvemport a s. Clara item Anglus, primus in ordine ad restituendam provinciam alumnus, laudati collegii postea lector primarius et emeritus. Huius collegii erectionem probavit hoc anno in capitulo Salmanticensi Benignus a Genua generalis minister his verbis: Fr. Benignus a Genua, totius ordinis minorum generalis minister et servus, et definitores familiae cismontanae pro inchoanda restauratione provinciae Angliae, olim inter nos et apud nos inter omnes provincias celebris, acceptandam duximus et recipimus locum seminarii habendi pro fratribus dictae nationis in universitate Duacena.

Annal. min. ad an. 1535. n. 1.

Collegium Duaci. Monast. Bruxellense.

IX. Ut haec innotuerunt, statim eis adhaesit Hieronymus Pickford sacerdos aliique ex aliis provinciis; item Bonaventura Iacsenius ex provincia Brabantiae, primus definitor provinciae Angliae et collegii praeses; Nicolaus Dayus ex provincia Conceptionis, sacrae theologiae lector; Franciscus Bell, linguae hebraicae peritus et primus restitutae Scotiae provinciae administer, et Ioannes Bullaker, qui ambo pro Christi fidei confessione sanguinem fuderunt. Cuncta haec novimus ab eodem Francisco Davemport a s. Clara in opere Duaci anno MDCLXIV. pag. 56. vulgato hoc titulo *manuale missionariorum* seu *commentaria super nobiliores quaestiones regulae s. Francisci ad missionarios spectantes.*

X. Licet a pontifice satis provisum lata constitutione: *Rex pacificus,* sub die XVI. Iulii anni MDCXVI. et decreto sacrae inquisitionis die XII. Septembris elapsi anni circa immaculatum Deiparae conceptum, attamen recruduerunt in Hispaniarum regnis aliquorum aemulatorum contentiones, qui eam aliquando foedatam fuisse ex originali peccato non absque christifidelium scandalo adfirmabant. Ut hinc malo occurreret pientissimus Philippus III., qui summo obsequio eam sub eo titulo prosequebatur, accitis doctissimis viris, quid in hac re agendum foret expetivit ab eis. Cum autem omnium votum in eo esset, ut plenum hoc negotium ad summum pontificem mitteretur, hinc actum est de instruenda ad eum legatione alicui viro insigni demandanda.

Annal. min. an. 1616. et 1617.

Wadd. in legatione ad pontificem pro immaculata concept. p. 12.

XI. Anno praeterito ad id operis designatus fuerat Franciscus

Ibid. p. 23.

de Sosa, iam ordinis minister generalis et episcopus Segobiensis, strenuus tanti mysterii propugnator; at morte praeventus, eius loco successit Antonius de Treio, vix absoluto vicarii generalis ordinis officio. Ut autem haec debito honore Antonius praestaret, idem Philippus eum delegit Carthaginensis ecclesiae episcopum, quem pontifex die IX. Iulii probavit. Is autem in re tanti momenti non aliud pluris existimavit quam ut virum quempiam doctrina, pietate et in rebus tractandis industria et gratia praecellentem socium haberet. Inter tot gravissimos patres, qui comitiis interfuerunt doctrina praestantes, Lucam Waddingum, iuvenem annorum XXX. et cumulata virtute dignum elegit, qui studentium magistri et sacrae theologiae lectoris munere in celebri Salmanticensi academia fungebatur, graecis interim erat et hebraicis litteris apprime eruditus.

XII. Ambo Urbem die XVI. Decembris appulsi, et eadem die Ibid. p. 29. salutato prius pontifice osculo pedum, nihil cum eo actum est de controversia Deiparae immaculatae conceptionis. Per id temporis orator ad germani fratris sui Gabrielis a Treio cardinalis domum onm Waddingo se collegit, in eaque mansit, quamdiu Urbem incoluit. Cum autem huiusce legationis opus esset theologicum et theologicis rationibus vindicandum, laudatus orator Lucam in studiorum partem et in intima rerum consilia vocavit commisitque illi tractatus magis necessarios inscribendos. Paruit ille, et magno adhibito in perlustrandis bibliothecis de Urbe labore, tanta doctrina et ponderum ratione legationem suam scriptis exornavit, ut a doctis viris ac Deiparae devotis avide sua peculiari volumine scripta expeterentur.

XIII. Die XIX. eiusdem mensis Antonius ad aulam pontificiam adveniens, commissum sibi a rege catholico munus pontifici ritu solemni aperuit. Praeter litterarum fasciculum academiarum, praesulum et religiosorum utriusque regni Lusitaniae et Hispaniarum, Philippi regis epistolam eidem tradidit, qua exorabatur pontificem, ut immaculatae Deiparae virginis conceptionis controversiam suo iudicio falli nescio dirimeret. En regis verba.

Sanctissime Pater.

Ita expedit quieti christianae reipublicae, ut extinguantur scandala, quae proveniunt ex diversitate sentiendi circa mysterium purissimae conceptionis Dominae nostrae, ut omnino compellar ad destinandum sanctitati vestrae extraordinarium meum super hac re oratorem, episcopum Carthaginensem, ut in ea curia assistat et vestrae beatitudini omnia circa hanc rem particulariter repraesentet, ac instas urgentesque proponat, quae exstant rationes, ut digneris huius controversiae decisionem tantopere necessariam exhibere. Supplico s. v. ut integram ei adhibendo fidem in omnibus quae meo nomine in hoc negotio dixerit, complaceat illum benigne audire et praedictam decidere controversiam ea brevitate, quam et res ipsa expostulat,

et de sancto et pio tuo zelo expectatur. Eum etiam honorare et aestimare velit vestra beatitudo, tanquam peculiarem meum oratorem, et secundum quod ipse propter multas et praeclaras animi dotes meretur. Ille s. v. plene de omnibus informabit, eius proinde relationi atque iis, quae cardinalis Boria referet, me remitto. Dominus noster sanctissimam personam beatitudinis vestrae in bonum et prosperum conservet regimen sanctae universalis ecclesiae.

Datae apud s. Laurentium XXIV. Septembris anno MDCXVIII.

Propria manu haec ipse rex subiunxit verba.

Non possum in hac re non esse importunus apud s. v.; spero tamen tibi non futurum molestum in re tanti obsequii et Dei et sanctissimae eius Genitricis.

Sanctitatis vestrae devotus admodum et humilis filius D. Philippus, Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae, utriusque Siciliae, Hierusalem, Portugalliae, Navarrae, Indiarumque, qui sanctos admodum tuos pedes et manus exosculatur.

Rex.
Ex mandato domini nostri regis:
Antonius de Arosteqni Secretarius.

Quae audiens pontifex, catholici regis in virginis Deiparae immaculatae conceptionis pietatem summe commendavit, et benignitate peculiari oratorem alloquens, negotium hoc matura deliberatione indigere professus est, proximo tamen tempore expensurum.

XIV. Alias sibi a rege concreditas litteras ceteris hoc ordine consignandas curavit.

D. Philippus, Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae etc.

Reverende admodum in Christo pater cardinalis Burghesi, mihi care et valde dilecte amice.

Episcopus Carthaginensis in illam proficiscitur curiam, ut oratoris mei extraordinarii fungatur munere et instet apud sanctissimum dominum, ut velit mysterium purissimae conceptionis Dominae nostrae aperire. Et licet ego de hoc ipso scribam suae beatitudini, idemque humiliter et ea quam rei gravitas exposcit instantia flagitem cardinalique de Boria commendem, ut meo nomine ille etiam omnia, quae expedierint media adiiciat, ut tollantur scandala et incommoda, quae ex diversis his opinionibus oriuntur, et praecipue illa, quae novissime constat evenisse ex decreto a sua sanctitate promulgato, propterea quod minus efficax sit remedium quam sperabatur, et credibile sit quod, dum sua beatitudo bene perceperit iustas Ibid. p. 32.

efficacesque rationes quae offeruntur et in promptu sunt, dignabitur nobis declarare hoc mysterium; nihilominus volui, ut tibi etiam tua sit pars in causa tanti obsequii et honoris Dei nostri et gloriosae eiusdem Genitricis, et te affectuosius deprecari, sicut et deprecor, ut suae beatitudinis animum ad hoc disponas ea cura et sollicitudine, qua ego te hoc facturum confido, et sicut ipsius rei qualitas exigit ad bonum et quietem christianae reipublicae. Omnia particularius intelliges per cardinalem Boriam et praedictum episcopum, quem honorabis et existimabis, quemadmodum per semetipsum et multas praeclarasque animi dotes meretur, in quo mihi singulariter complacebis. Et sit, reverende admodum cardinalis, mi valde dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela et protectione.

Datum Matriti IX. Septembris anno MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arosteoni Secretarius.

D. Philippus Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae, utriusque Siciliae etc.

Reverende admodum in Christo pater cardinalis Gallo, sacri cardinalium collegii decane, mihi valde care et dilecte amice.

XV. Dum episcopum Carthaginensem in illam destino curiam, ut mei oratoris extraordinarii fungatur munere, et instet apud suam sanctitatem circa declarandum mysterium purissimae conceptionis Dominae nostrae, propter ipsius negotii gravitatem et molem, et quia tantopere expedit quieti christianae reipublicae et concordiae religionum et omnium fidelium ac Dei Genitricis devotorum, qui hac opinionum contrarietate scandalizantur, volui etiam te affectuose rogare, sicut et rogo, ut causam hanc tibi commendatam habeas et cures, quantum ad te attinuerit, eam dirigere ad desideratum finem. Praeterquam enim, quod ad ita faciendum obligeris ex ratione tuae dignitatis, singulariter mihi in hoc complacebis. Et benigne exaudire et magnopere honorare velis praenominatum episcopum, ita etenim et illius persona et multae praeclaraeque dotes merentur. Et sit, reverende admodum cardinalis, mi valde dilecte amice, Dominus noster in tua continua tutela et protectione.

Ibid. p. 33.

Datum Matriti IX. Octobris anno MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arosteoni Secretarius.

D. Philippus Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae etc.

Reverende admodum in Christo pater, cardinalis de Boria et Velasco, mihi care et valde dilecte amice.

XVI. Episcopum Carthaginensem (per quem hanc accipies epistolam) in illam curiam mitto ad obeundam legationem extraordinariam apud suam beatitudinem, ut velit declarare mysterium purissimae conceptionis Dominae nostrae, et sic cessent scandala, quae eveniunt in populo christiano ex opinionum diversitate, et quae ultimo agnita sunt per decretum suae beatitudinis; cum non fuerit efficax illud remedium, quod a suo pio et sancto zelo sperabatur in re tanti momenti. Et quamvis probe norim, quod, perspecta rei gravitate et magna convenientia, ut hoc declaretur mysterium, sollicite et diligenter, quantum in te fuerit, adiuvabis episcopum, ut suae beatitudini vivaciter repraesentet prementes urgentesque rationes, ut hoc fiat (de quibus ille bene est instructus et quas tibi referet cum iis quae offeruntur) tamen hoc tibi volui iniungere, sicut iniungo, quod ei assistas et adsis eumque adiuves in omnibus, quae expedierint, eo affectu, quem ego mihi de te promitto. Familiarius circa haec cum eo communicato et cum animadverte de iis, quae tibi videbuntur expedire, ut fiant, eo tempore et occasione, quibus hoc expediendum sit negotium. Omnia adiunge media, quae fuerint necessaria, meo etiam nomine pete a quibus expedierit ad bonam negotii directionem, ut similiter instent apud suam sanctitatem (est enim causa haec omnibus communis), certiores eos reddens, mihi valde placiturum, quod eorum quilibet per se et quantum potuerit, adiuvet et promoveat opus hoc tam sanctum, in Dei obsequium et bonum christianae reipublicae. Honora etiam et existima valde ipsum episcopum, sicut meretur propter suam virtutem, sapientiam et laudabilem zelum, quo pergit ad hoc negotium peragendum. De his omnibus maximopere gaudebo. Ad suam beatitudinem in episcopi commendationem et auctoritatem litteras dedi, quarum exemplar hic tibi mitto. Et sit, reverende in Christo pater cardinalis de Boria et Velasco, mihi valde care et valde dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela et protectione.

Datum apud s. Laurentium XXIV. Septembris anno MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arostegni Secretarius.

D. Philippus Dei gratia rex Castellae etc.

Reverende admodum in Christo pater, cardinalis de Treio, mihi valde care et dilecte amice.

XVII. Quamvis iam perspectum habeas quot, quantae et quam iustae se offerant rationes, ut sua sanctitas velit, sicut desideratur, Ibid. p. 35.

mysterium aperire purissimae conceptionis Dominae nostrae, et episcopus Carthaginensis frater tuus, (quem in illam mitto curiam, ut pro me legatione fungatur extraordinaria et ut hoc solum postulet) in particulari te de omnibus informabit. Attamen has ad te volui dare litteras, ut magnopere tibi iniungam, sicut et iniungo, ut eum adiuves et dirigas in hoc negotio ea sollicitudine et cura, quam rei gravitas expostulat, alliciendo et disponendo suam beatitudinem, ut hoc mysterium declaret, ad hoc ut multa cessent inconvenientia, quae sequuntur ex opinionum contrarietate et praecipue, quae novissime visa sunt post decretum, quod sua beatitudo emisit, propterea quod non tam efficax fuerit remedium, sicut sperabatur ex sancto et pio suo zelo et reipublicae expediebat christianae. Ita ego suae beatudini scribo, hoc ab eo efficaciter flagitans, sicut tibi tuus referet frater. Scripsi etiam cardinali Boriae, ut eum adiuvet ad efficaciter et sollicite meo nomine instandum in hoc, et similiter ceteris cardinalibus, sicut ipse percipies. Ad omnia, quae pro viribus feceris, ut bene dirigatur et breviter expediatur hoc negotium, magnopere gaudebo. Et sit, reverende cardinalis, mi valde et dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela et protectione.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arosteghi Secretarius.

D. Philippus Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragouiae etc.

Reverende in Christo pater cardinalis Aquine, mihi valde care et dilecte amice.

XVIII. Quia tanti res est emolumenti, ut sua sanctitas declaret (quod tantopere convenit et desideratur) mysterium purissimae conceptionis Dominae nostrae, ad quietem christianae reipublicae et concordiam religionum et pacem omnium fidelium et devotorum Dominae nostrae Dei genitricis, qui per contrarietatem opinionum scandalizantur, ex qua magna resultant inconvenientia consideratione digna, mitto in illam curiam episcopum Carthaginensem, ut legatione fungatur extraordinaria, apud suam beatitudinem, et efficaciter super hoc apud eam instet. Et quamvis sim certus, quod cum affectu et promptitudine adiuvabis, ut dirigatur hoc opus ad bonum qui intenditur finem, (ad hoc enim teneris propter tuam dignitatem et plures quae in te concurrunt rationes); verumtamen volui te affectuosius rogare, quod et facio, ut coneris pro viribus disponere suam beatitudinem, ut declarationem hanc emittat ea brevitate, quam rei gravitas expostulat, et negotium hoc promoveas et dirigas, sicut de tuo bono zelo in causa, quae tantopere in Dei et gloriosae suae Matris vergit obsequium, mihi promitto. Magna mihi erit in hoc complacentia, et quod

Ibid. p. 36.

circa haec benigne audire velis praedictum episcopum, qui plene de negotio hoc est instructus, et eum magnopere honores, secundum quod meretur per semetipsum et multas egregiasque dotes. Et sit reverende cardinalis, mi valde et dilecte amice, Dominus noster in tui continua tutela et protectione.

Datum Matriti IX. Octobris anno MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arosteoni Secretarius.

XIX. Sunt etiam pro eadem controversia eiusdem regis epistolae datae ad suos proreges et ministros Italiae, scilicet ad ducem Ursaonem, Neapolitani regni moderatorem, ad comitem de Castro, Siciliae principem, et ad ducem de Feria, Mediolanensis status gubernatorem, similibus verbis fere expressae. Unam prae ceteris scriptam ad proregem Neapoli degentem ponimus.

Illustris dux noster cognate.

Episcopum Carthaginensem Romam mitto, ut meus sit orator extraordinarius, et instet apud d. papam de declarando mysterio purissimae conceptionis Dominae nostrae. Et quia ad meliorem directionem huius negotii conveniet, quod ex omnibus partibus contutetur, petendo hoc idem a sua sanctitate (causa namque est generalis et quae tantopere expedit quieti christianae reipublicae et ad cavenda scandala et inconvenientia, quae sequuntur vel oriuntur ex diversis opinationibus, praecipue quae nuperrime prodierunt ex decreto suae beatitudinis, quia non erat illud, quod sperabatur efficax remedium, de qua re Romam scribo quae conveniunt) iniungo tibi magnopere, quod si tuo pro hoc negotio indiguerit auxilio et assistentia, haec ei in omnibus, quae offerentur et ille advertet, exhibeas eo affectu et cura, quae rei gravitas expostulat. Familiarem etiam te exhibeto praedicto episcopo, quo tibi scribat, quod fuerit [ad] haec necessarium, et praecipue eo tempore, quo negotium hoc fuerit perficiendum, in quo gratum mihi exhibebis obsequium. Ibid. p. 37.

Datum apud s. Laurentium XXIV. Septembris anno MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Antonius de Arosteoni Secretarius.

XX. Scripsit interim ad id operis alias litteras ad suos oratores in Italia, nimirum apud Genuenses et Venetos; in Germania apud imperatorem; in Bohemia apud Ferdinandum regem; in Gallia apud regem christianissimum; in Flandria apud archiducem Albertum, ut

multiplicatis precibus controversiam praedictam definire summus pontifex dignaretur. Bina exemplaria vulgamus, cum cetera iis sint consona.

Rex.

Comes de Onate, mihi affinis a consiliis et in Germania orator.

Episcopus Carthaginensis Romam proficiscitur, ut meus sit ibidem
Ibid. p. 38. orator extraordinarius et instet apud sanctissimum dominum de declarando mysterio purissimae conceptionis Dominae nostrae. Et quia ad bonam directionem huius negotii expediret, quod omnes principes et respublicae illud foveant et adiuvent, idem a sua sanctitate petentes; est enim omnibus communis haec causa et tendens in quietem christianae reipublicae et ad excusanda scandala et inconvenientia, quae oriuntur ex diversitate opinandi, et quae nuper constiterunt ex decreto, quod sanctissimus dominus edidit, quia non erat adeo efficax remedium, sicut sperabatur; tibi iniungo, ut meo nomine eas adhibeas cum imperatore diligentias, quae convenire videbuntur, ut statim efficaciter in hac ipsa conformitate scribat suae beatitudini, et suo legato in Urbe praescribat, ut imperatoris nomine omnia semper apponat media et praestet officia, quae convenerint et in hoc cum praedicto concurrat episcopo, ut familiariter et libere ei revelet omnia huic rei necessaria et tempus et occasionem, in quo media haec sint applicanda.

Apud s. Laurentium XVI. Septembris MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Ioannes de Cirica Secretarius.

Rex.

Comes de Onate, mihi affinis a consiliis et in Germania legate.

Praeter illa, quae per alias litteras hoc ipso die datas tibi prae-
Ibid. p. 39. scripsi, ut agas apud imperatorem, ut scriberet suae sanctitati circa declarandum mysterium Conceptionis, ad quod Romam mitto extraordinarium meum oratorem, episcopum Carthaginensem, expediet etiam, ut eisdem utaris diligentiis apud regem Ferdinandum et archiducem Maximilianum, ut pro viribus adiuvent etiam hoc nostrum intentum, quibus poterunt viis; causa etenim haec est generalis, et quae conducit quieti christianae reipublicae. In hoc mihi te scriviturum agnosce.

Apud s. Laurentium XVI. Septembris MDCXVIII.

Ego Rex.
Ex praecepto suae maiestatis:
Ioannes de Cirica Secretarius.

XXI. Postrema occurrit epistola serenissimorum Austriae archiducum ad pontificem missa, quae supplici prece expetebat, ut de eodem mysterio definitionem emitteret.

Sanctissime Pater.

Quae regis catholici in Deiparam pietas impulit, ut a sanctitate vestra litteris suis expeteret, quatenus illa auctoritatis suae decreto Conceptionis immaculatae mysterium asserere dignaretur, eadem nos devincti, regis precibus nostras quoque coniungere partium nostrarum esse credidimus, quibus maxime in votis est, tantae Virginis cultoris desiderio intelligere sanctitatem vestram sententiae suae interpositione annuisse, cuius accelerationem, si quae unquam tempora desiderarunt, praesentia certe sunt, in quibus quantum in deprimenda Virginis excellentia haereticorum pravitas desudat, tantum in ea extollenda orthodoxorum zelus debet eminere, quorum devotioni, incredibile est, quantum mysterii supradicti declaratione accedet. Ergo dum illam, pro tanti negotii pondere et paterno sanctitatis vestrae in nos affectu, una cum rege catholico ardenter expectamus, Deum optimum maximum rogabimus, quatenus sanctitatem vestram ecclesiae regimini et solatio diu servet incolumem. Ibid p. 34

Furae VI. Decembris anno MDCXVIII.

Sanctitatis vestrae etc.

XXII. Iis aliisque pontifici traditis, quae hucusque egerat legatus, certiorem reddere voluit regem catholicum sequenti epistola:

Domine.

Ut illam obirem legationem, qua fungi apud suam sanctitatem vestra mihi praecepit maiestas, parumper ab infirmitate convalescens, ministratis mihi ad mandatum vestrae maiestatis duabus ad transfretandum triremibus classis Hispaniae, Carthagena solvi. Genuae sub septemdecim diebus, cum navigaverim felicissime et caelo adeo sereno, ut Dei peculiari beneficio tanta videretur tribuenda aëris marisque clementia in suae sanctissimae Genitricis obsequium, triremes applicui. Aliam, quae sola erat in portu ad vestrae maiestatis praeceptum, mihi praeparavit dux Tursis, et hinc solvens ad Civitatem Veterem, cursus nautici terminum, perveni; absoluto sub integro mense integro itinere, Romam perveni die dominica decima sexta huius mensis, ipsoque eodem die sanctissimi patris pedes exosculatus sum. Pro magno duxit de v. m. utriusque principis et infantum audire salute, sed quia moris non est, nihil ei tum de hoc negotio proposui. Subsequenti tamen mercurii die, solemni quo solet modo, legatione functus sum proponens statim in initio obsequium, subiectio- Ibid. p. 40.

nem et obedientiam, quae sanctae sedi romanae vestra exhibet maiestas. Dixi etiam, quod sub eiusdem obedientiae professione v. m. me ad suam beatitudinem destinavit, ut repraesentem, quanti fecerit ultimum decretum, quod a sua sanctitate emanavit, in quo publicis interdixit actibus doctrinam contrariam illi, quam tota ferme veneratur ecclesia, et per quod vestra maiestas indubitanter sperabat pacem et quietem suis subditis consequendam. Attamen, cum modo experientia constiterit, magnum et latum adhuc patere ostium gravioribus scandalis, et proinde se teneri iudicaverit v. m. ad noviter instandum et suppliciter rogandum a sua beatitudine, ut omnem omnino aditum praecludere velit bis, quae modo grassantur, et iis, quae prudenter et iuste timeri possunt in posterum, per definitionem et propositionem illius doctrinae, in quam vestra maiestas omnium suorum regnorum, praelatorum, academiarum et universae ferme ecclesiae pietas propendit. Illam vero secure et absque erroris periculo proponi posse fidelibus subiunxi, tum quod infallibiliter summo pontifici definienti Spiritus sanctus intime assistat, intellectum illuminet nec eum errare permittat, tum quod negotium suo veluti iure hoc sibi vindicet, in eoque statu vigeat, ut absque ulla difficultate possit determinari, quippe aliud nullum in ecclesia antequam definiretur meliorem aut maiorem hac habuit dispositionem, ut pontificis definitione decideretur. Commoda etiam et emolumenta definitionis perstrinxi: auctum iri pietatem et devotionem in Virginem sanctissimam, Deo et Deiparae maiorem accumulari gloriam, magnopere fideles consolandos et exhilarandos, quod etiam egregiae tuae maiestatis satisfieret pietati, sibi sua sanctitas nomen adquireret aeternum, et demum haereticos confunderet, qui temere et inverecunde contrarium pro fidei articulo dogma statuerunt. Hanc etiam dixi Deum tribuisse mercedem et praemium multis egregiisque suis in Virginem obsequiis, dum occasionem ei praebehat omnium maximam et honorem inaestimabilem eidem Deiparae offerendi. Qua potui etiam efficacia significavi, quanto studio et anxietate hanc percipiat v. m. definitionem, et sanctissimo domino ante oculos proposui, quanta sit obligatio annuendi iustis votis et piis precibus tanti regis, qui hoc nostro misero aevo firmissima est ecclesiae columna. De his largius protraxi sermonem et largum contexui discursum, quem, ne taedium v. m. pariam, in aliud differo tempus, vestrae maiestati simul cum tractatibus et opusculis in hac legatione conficiendis transmittendum. Omnia haec attente et benigne sanctus pater audivit, et magnopere se laudare et aestimare respondit vestrae maiestatis pietatem; attamen difficilem videri rem hanc, quam postulat, nec aliud modo sibi a Deo inspirari nec a conscientia dictari praeter illud, quod ante praeceperat in decreto et pro parte vestrae maiestatis tunc fuerat flagitatum. Ad haec sub debita modestia quibusdam instití verbis et postremo recedens adiunxi, spem mihi non minimam esse, quod suae sanctitatis animum Deus flecteret et emolliret, ut vestrae maiestatis pio desiderio satisfaceret. In veritate, do-

mine, gravissimum est hoc negotium et ponderosissima petitio. Ut exaudiatur et obtineatur, quod in votis est, multa opus est patientia, perseverantia et ferventibus orationibus. Hae ut fiant, oro ut iubeat vestra maiestas in suis regnis. Secure interim et certo credat vestra maiestas, omnem hic adhibendam esse diligentiam possibilem, omnia applicanda media, quae convenire iudicabuntur, et omnes proponendas esse rationes efficaciores, ut v. m. pium suum consequatur desiderium, quod et facere, statim ut appuli, coepi, dum cardinales invisi et suas cuique litteras distribui. Praeter quae aliud hucusque nihil fieri licuit. Deus v. m. custodiat incolumem ad suae ecclesiae bonum et subditorum suorum splendorem.

Romae XXIII. Decembris anni MDCXVIII.

Domine.

Humillimus sacellanus vestrae maiestatis
Fr. Antonius a Trejo episc. Carthaginensis.

XXIII. Lovanii hoc tempore degebat Florentius Conrius, hibernus Conaciensis, eiusdem instituti, vir doctissimus, archiepiscopus Tuamensis ab anno MDCIX. ab haereticis ex Hibernia et metropolitana sua ecclesia proscriptus. Antequam archiepiscopale munus suscepisset Hiberniae provinciam administrans, Lovanii pro suis collegium anno MDCXVI. fundaverat. Clementis VIII. iussu in Hiberniam se contulit, ut copiis a rege Philippo II. in catholicorum subsidium missis suo adesset consilio. Igitur vix inauguratus archiepiscopus ab Anglis in exilium missus, modo in Belgio modo in Hispania tenuit incolatum. In hoc diuturno exilio totum se dedit in s. Augustini operibus evolvendis, ut mentem s. Doctoris circa gratiae necessitatem et efficaciam assequeretur. Universa s. doctoris opera septies perlegit, et vicies quidquid ad gratiae controversias cum Pelagio aliisque haereticis spectabat. Ubi haerendum erat loci difficultate vel verborum obscuritate, orationem adhibebat et ieiunium idque plurium aliquando dierum, donec sibi videretur genuinum sensum attigisse. Prae aliis operibus scripsit *tractatum quartum de Augustini sensu circa beatae Mariae virginis conceptionem*, quem misit ad Antonium de Treio, apud pontificem oratorem. Id opus lucem aspexit anno insequenti Antuerpiae prelo Ioannis Keerbergii. Cum autem Florentii studia pro tuenda Deiparae immaculatae conceptione eadem essent ac illa Lucae Waddingi, ideo multis precibus a Waddingo efflagitabat opuscula totamque legationis summam ab eo paratam eaque haud remisit, donec voto suo potitus est. Misit igitur ad eum Waddingus sua scripta, non ut prelo vulgarentur, sed ut collegii Lovaniensis Hibernorum fratribus, penes quos tunc ille diversabatur, avidae expectationi satisfaceret. Cuncta peracta in huiusmodi legatione sub Philippo III. et IV. ac sub romanis pontificibus Paulo V. et Gregorio XV. idem Waddingus subinde edidit Lovanii anno MDCXXIV. in folio.

Annal. min ad an. 1606. n. 3. ad an. 1609. n. 66. ad an. 1616. Wadd. de Scriptor lit F

Anno Christi 1618.	Pauli V. Anno 13. et 14.	Mathiae I. Anno 7.	Relig. Minorum Anno 411.

XXIV. Alii etiam franciscani de hoc mysterio scripserunt. Anto-
Sbaral. lit. A. nius Sobrinus, provinciae s. Iosephi discalceatorum, hispanice scripsit
librum *X dialogis ad Paulum V. missum, de singulari privilegio ac my-*
Idem lit. D. *sterio immaculatae Deiparae virginis.* Damianus de Puebla, item hispa-
nus, Baezae vulgavit eius *dialogos duos poeticos pro immaculatae Vir-*
Idem lit. F. *ginis conceptione.* Franciscus Navarrus, provinciae Castellae, eadem in
urbe edidit *carmina pro immaculata conceptione Virginis.* Typis Ioan-
Idem lit. P. nis Pitu Petrus Feray Parisiis gallice vulgavit *conciones XXVI ad-*
ventuales super caput I. Apocalypsis cum sermone de immaculata conce-
Idem lit. I. *ptione b. Virginis.* Illuminatus Messanensis Siculus capucinus, concio-
nator ac visitator generalis regni Castellae, edidit quam Romae habuit
hoc anno coram pontifice *orationem de immaculata virginis Mariae con-*
ceptione.

XXV. Tanta hoc tempore pietas fervebat in Deiparae virginis
Lopez p. 497. immaculatam conceptionem, ut etiam apud americanas gentes huius-
modi mysterium impense coleretur. Ut cetera omittamus, cum die
VIII. Decembris Emeritae, in cathedrali suo templo, Iucatanicae pro-
vinciae, sacrum solemniter ageret Gonzalvus de Salazar, ordinis prae-
dicatorum, illius urbis episcopus, ipse cum clero et senatu votum
tuendi mysterium immaculatae conceptionis in primo instanti emi-
serunt.

XXVI. Editis libris alii ordinem illustrabant. Ex minoritis de
Sbaral. lit. A. observantia Alphonsus Balsalobre hispanus Barcinone prelo Seba-
stiani Ianuae vulgavit *vitam ac miracula bb. mm. Iaponensium Petri*
Idem ibid. *Baptistae ac sociorum.* Per haec tempora Matriti edidit in folio quidam
anonymus hispanus vernacule: *tractatum iuridico-legalem, in quo probat,*
minime congruentem esse divisionem minorum discalceatorum a minoritis de
observantia. Eius est etiam *tractatus contra vicariatum generalem discal-*
Idem lit. H. *ceatorum,* vulgari item idiomate elucubratus. Hieronymus Cencius Ful-
ginas, provinciae Umbriae, Perusii prelo H. H. Alexandri Petrucci
commisit *medullam aristotelicam philosophicam tripartitam* ex logica,
physica et metaphysica ad mentem Scoti. Veronae apud Ioannem
Idem ibid. Baptistam Marinum Hippolytus Donesmondi, provinciae s. Antonii Ve-
netiarum, italice edidit *conciones VII super angelica salutatione Ave*
Idem lit. G. *Maria,* Isabellae Ursinae Gonzagae comitissae Guastallae nuncupatus.
Ignatius Garcia, provinciae Maioricensis, Hispali prelo Alphonsi Ro-
driguez Gamarra vulgavit *concionem de annuntiatione habitam ad Hispa-*
lensem ecclesiam. Prodiit Augustae Trevirorum apud Ioannem Schleuber
sacrum misericordiae palatium Nicolai Gazzaci, quod e gallico in lati-
Idem lit. I. num vertit Ioannes Schilbert, alias Scheubelius, Belga. Ulyssipone
Idem lit. L. Laurentius Portel, antea Algarbiorum provinciae minister, typis com-
misit *dubia regularia sive accuratam brevemque discussionem circa religio-*
sam personam atque familiam ac etiam circa sacerdotem regularem confes-
sionem saecularium excipientem. Compluti typis viduae Andreae Sanchez
Idem lit. M. de Ezpeleta Melchior de Cetina provinciae Castellae vulgavit et ad
Margaritam Austriacam Hispaniarum reginam misit *exhortationem ad*

devotionem d. n. virginis Mariae cum nonnullis exercitiis in gratiam servorum eiusdem b. Mariae cum eius litaniis specialibus. Paulus a Stono Tridentinus, provinciae Bononiensis, edidit Bononiae *librum de mysteriis sacrificii missae.* Scripsit etiam italice *librum de divino officio.* Philippus Boscherius Belga Coloniae vulgavit librum, cui titulus *carcer laureatus, seu echo concionum de rebus in carcere gestis a s. Ioanne Baptista.* Aetatis suae anno LVI. alterum opus edidit titulo *quarta naufragii tabula seu echo concionum aliquot de dominicis et festis.* Idem lit. P. Idem. ibid.

XXVII. Sequentes etiam inter eos florebant. Angelus Caelestinus a Montecorvino, provinciae Principatus, theologus ac eximius verbi Dei praeco in praecipuis Italiae urbibus, scripsit et edidit et per varias materias, quas protulit conciones, distinxit. De iis quatuor tomos vulgavit. Secundus tomus lucem aspexit hoc anno Venetiis prelo Ioannis Guerilli hoc titulo: *occidens Christi.* In eo auctor varios contexuit tractatus; explanat enim evangelistarum narrationes de Christi passione a sententia in eum lata usque ad sepulcrum. Hoc eodem anno iisdemque typis tomum tertium edidit sic inscriptum: *aquilo peccatoris eiusque exitus de Aegypto;* in quo explicat filii prodigi parabolam, veram peccatoris imaginem. Hieronymus a s. Bonaventura, Anglus missionarius, anglico idiomate Duaci typis commisit opus, cui titulus *Petrus in naufragio,* in quo egregie tuetur, fidem catholicam esse unicam ad salutem aeternam consequendam. Biterris Hugo Carbonellus Gallus, provinciae Aquitaniae, edidit gallice librum *sacre flamen de cardinal.* Ioseph Eximenius, provinciae Valentiae, Barcinone apud Sebastianum Cornellas vulgavit a se recognitam et additionibus locupletatam *vitam ven. fratris Nicolai Factoris minoritae a fr. Christophoro Moreno eiusdem instituti compositam.* Laurentius Fasanus Neapoli prelo Tarquini Longi edidit *arcana fere omnia tum theologica tum philosophica, quaestiones disputatas ac ultimas voluntates subtilissimi doctoris Ioannis Scoti.* Matthaeus le Heurt, latine Scandalum, Gallus, provinciae Franciae, Parisiis edidit *directorium fratrum minorum.* E latino in gallicum sermonem reddidit *vitam ven. viduae et virginis Mariae de Maillaco Scillei, tertii ordinis s. Francisci, defunctae* anno MCDXIV. die XXVIII. Martii, in ecclesia fratrum minorum Turonis tumulatae. Andegavis anno MDCXLIV. haec vita lucem aspexit. Valentiae typis Chrysostomi Garriz Michael Angelus de Almenara, provinciae Valentiae, duobus tomis a se scriptis vulgavit nimirum *sermones dominicales post pentecostes, sermones de adventu, et sermones pro dominicis post epiphaniam et post pascha.* Nicolaus Albaspina Gallus, provinciae Aquitaniae, Parisiis apud Ioannem Petit gallice edidit *chordularium seu thesaurum indulgentiarum concessarum gestantibus chordulam s. Francisci secundum novam restrictionem Pauli V. ab ipso revisum, correptum et auctum in secunda editione.* Ibidem typis Dionysii Moreau vulgavit etiam *memoriale pro reformatione ad summum pontificem Paulum V.* Franciscus Nunez de Castro, provinciae Conceptionis, scripsit hispanice et vulgavit Rivisicci prelo Francisci Fernandez *sermones de sanctis mi-*

Wadd. lit. A. Idem lit. H. Idem ibid. Wadd. et Sbaral. lit. I. Wadd. lit. L. Wadd. et Sbaral. lit. M. Wadd. lit. M. Wadd. lit. N. Wadd. et Sbaral. lit. F.

noritis una cum apologetico pro impressione stigmatum s. Francisci per
Wadd. lit. S. *Christum facta, et apologia pro regulari observantia.* Stephanus Farrovill Gallus, provinciae Aquitaniae, Ludovici XIII. Galliarum regis olim a concionibus et a consiliis, gallice Parisiis prelo commisit *conciones adventuales super salutationem angelicam.*

XXVIII. Ex fratrum reformatorum familia viri docti numerantur.
Sbaral. lit. C. Cherubinus Bellus, provinciae Siculae, Panormi edidit *fabulam pasto-*
Idem lit. B. *ralem* titulo *Clorim.* Bonaventura Moroni a Tarento Neapolitani, regni, latinis, graecis, et hebraicis litteris eruditus, Neapoli lingua vernacula vulgavit *tragaediam s. Irenae, Liciensis urbis protectricis.* Mediolani
Idem lit. I. typis Hieronymi Bordoni Ioseph Reseghiuus a Casali Montisferrati, provinciae s. Didaci, italico idiomate edidit *scalam templi Salomonis.*
Idem lit. A. Augustinus Gallaccius, qui idem est ac Augustinus Galetus a Mondulfo, provinciae Picenae, Venetiis typis Baretii edidit vitam s. p. Francisci italico versu concinnatam ad instar epici carminis Francisci Hispellatis hoc titulo *s. Francesco ovvero Gerusalemme celeste acquistata.* Opus cantibus XXV. comprehensum cum argumentis, adnotationibus et allegoriis misit ad Franciscum Mariam, Urbini ducem. Plures in huius operis laudem auctores cecinerunt; latine quidem Ioseph Hypponiates, provinciae SS. MM. Calabriae; italice vero Augustinus a Pleblesacci, provinciae s. Antonii, Antonius Zamaroli et Ludovicus Vercellensis, fratres minoritae de observantia. De hoc poëmate agens Raphael canonicus Francolinius Fanensis, vir apprime doctus mihique olim coniunctissimus, in adnotationibus historicis et criticis Francisciados Francisci Mauri haec habet: *licet Francisciados hoc quoque consectetur inventa, totamque ss. patriarchae vitam complectatur; nihilominus ab aevo infelicissimo, quo scriptum fuit, coniici verissime potest quo in pretio esse debeat. At satis erit, quod nos praeterimus, initium proferre, in quo unusquisque quandam Goffredi parodiam videbit.* Ita auctor in disquisitione carminis pag. XXI. Fani an. MDCCCXXXIII.
Sbaral. lit. A. Idem Augustinus in lucem edi curavit *speculum disciplinae Ioannis Peckam,* sed s. Bonaventurae attributum, italice anno MDLXXX. factum et Venetiis anno MDCXXI. typis mandatum.

XXIX. In discalceatorum instituto florebat eximia doctrina Ro-
Idem lit. R. dericus a Deo, natus in oppido Britiandae, dioecesis Lamegensis, provinciae Arrabidorum minister. Ulyssipone prelo Craesbeech lusitano idiomate vulgavit *tractatum graduum,* complectentem pios hymnos de passione Domini, quos frequenter memoriae tradunt iuvenes Lusitani.
Wadd. lit. D. Didacus a s. Anna, provinciae s. Gabrielis, hispanice edidit Hispali *tractatum orationis mentalis satis utilem iis, qui viam spiritus sectantur,*
Idem lit. I. *compendium vitae religiosae et speculum religiosorum.* Iacobus Polius Germanus Marcoduranus, provinciae recollectorum, Coloniae vulgavit apud Ioannem Kinckium in urbe Coloniae *regulam fratrum minorum cum spiritualibus exercitiis pro novellis tyronibus.*

XXX. Duo viri docti recensentur inter minoritas conventuales.
Sbaral. lit. B. Bonaventura Passerus Nolanus Neapolitanus typis Ioannis Baptistae

Valentini Romae edidit scriptum super *magnificat una cum officio gloriosae virginis Mariae.* Ludovicus a Castro Leodiensis, sacrae theologiae doctor, saepius provincialis et commissarius sui instituti per Sabaudiam, Delphinatum, Vivaresium, Burgundiam aliaque loca, Leodii prelo Christophori Ouwerxaun vulgavit gallice librum *de institutione montium Pietatis per principatum Leodiensem et comitatum Lostensem.* Thomas de Veiga, quem Waddingus dicit Thomam de Albeinga, Lusitanus, tertii ordinis s. Francisci, lector emeritus, eleganti stylo lusitano scripsit ediditque Ulyssipone apud Petrum Praesbeech *conciones pro feriis maioribus, dominicis quadragesimae et hebdomada sancta,* et eisdem typis *considerationes super quartas et sextas ferias ac dominicos dies quadragesimae.* Wadd. lit. L. Wadd. et Sbaral. lit. T.

XXXI. Capucini fratres doctrina et ordinem illustrabant. Daniel a s. Severo, provinciae Aquitaniae, maximo ingenio, prompta memoria et omnium ferme linguarum peritia excultus, nec non strenuus fidei catholicae propugnator, gallice Lugduni apud Pilehotte edidit *Christomachiam expugnatam seu de descensu Christi ad inferos.* Alexius Segala a Salo, Italus, divini verbi praeco insignis et doctrina, Brixiae prelo Francisci Marchetti vulgavit *triumphum animarum purgatorii,* et eodem hoc anno iisdem typis commisit *caelestem coronam seu meditationes totius anni.* Raphael Cassina Mediolanensis, concionator non ignobilis, scripsit *conciones varias de sanctis et orationem in laudem s. Caroli Borromaei ab ipso IV. Novembris anno MDCXVIII. in ecclesia maiori Mediolanensi habitam.* Haec vulgata fuit anno MDCXXII. Mediolani apud Ioannem Baptistam Bidellum. Sebastianus Silvanectensis, gallice de Senlis, provinciae Parisiensis, scripsit et edidit Parisiis typis Nicolai Boun *philosophiam contemplantium.* Opus continet *fundamentales lectiones vitae activae, contemplativae et supereminentis.* Lugduni apud Ioannem Charuet vulgavit Zacharias Boverius Saluthiensis *parenesim catholicam ad Marcum Antonium de Dominis, olim archiepiscopum Spalatensem, postea vero sanctae romanae ecclesiae apostatam et in Angliam transfugam.* In opere expenduntur et refelluntur quatuor libri eiusdem archiepiscopi de republica ecclesiastica. Paulus Maria Astensis, provinciae Genuae, doctrina et vitae probitate commendatus, Brixiae typis Francisci Marchetti vulgavit lingua italica *stimulum peccatoris* pro praeparatione ad XL horarum celebrationem, et *VII froena ori peccatoris posita* pro praeparatione ad sanctam communionem. Gabriel a Bullando Gallus, provinciae Parisiensis, in mathematicis disciplinis prae ceteris egregie versatus, Parisiis prelo Dionysii Thierry hoc titulo opus vulgavit, nimirum *tabulae Ambianenses, in quibus datur nova methodus supputandi motus planetarum.* Leo Rubeus Mediolanensis, incerti instituti, Mediolani edidit *sacram repraesentationem reginae Esther.* Wadd. lit. D. Sbaral. lit. A. Wadd. et Sbaral. lit. S. Wadd. lit. Z. Sbaral. lit. P. Idem lit. G. Wadd. lit. L.

XXXII. Cursum vitae absolvit hoc tempore Bonaventura, ex nobili Secusiana familia Calatahierone in Sicilia ortus. Ab anno MDLVIII. operam dedit studiis in academia Catanensi; inde minorum observan- De Gubernatis tom. I. p. 242.

tium ordinem amplexus gravioribusque disciplinis exoultus, sacrae theologiae lector et concionator eloquentissimus evasit. Ob doctrinam animique dotes, egregiis virtutibus conditas, mirum in modum effulsit. Maxima in rebus agendis dexteritate excelluit, ideoque nonnullis muneribus et honoribus cumulatus fuit; in instituto enim tyronum magistri, definitoris et suae provinciae custodis explevit officia. Anno MDLXXX. eo usus est Caesar Marrillus, archiepiscopus Panormitanus, ad suam dioecesim, ut moris episcoporum est, perlustrandam; quod exacte et cum laude complevit. Provinciae Siciliae custos anno MDXCIII. Vallisoletanum comitium ordinis generale advenit, ubi communi eligentium voto generalis administer renuntiatur.

XXXIII. Commissam sibi familiam septennio ex zelo, pietate ac vigilantia rexit, ut eius memoria in constitutionibus ac pastoralibus litteris ad ordinis decorem augendum adhuc vigeat. Inter fratres observantes et reformatos Italiae dissidia non levia composuit, et apud Gallos et Belgas promovere studuit recollectorum institutum. Italiae provincias lustravit ac provinciam Genuae MDXCIV. divisit, novamque s. Didaci nomine esse voluit. Inde in Hispaniam rediens loco intermediae congregationis generalis quendam conventum habuit cum patribus circa suae religionis negotia in coenobio Victoriae, provinciae Cantabriae.

Annal. min. ad an. 1596 n. 15 et seqq.

XXXIV. Anno MDXCVI. a Clemente VIII. una cum cardinali Medicaeo, a latere legato, et Francisco Gonzaga, Mantuano episcopo, nuntio apostolico, olim totius ordinis administer delectus est et ipse legatus, ut pacis foedus procuraret pacisque iura inter Philippum II. Hispaniarum et Henricum IV. Galliarum reges frustra huousque tentata, firmaret. Hinc Romam a pontifice accersitus et de agendis edoctus, in Belgium primo, Parisios deinde advenit. In movendis autem animis concordandisque pacis conditionibus indefessus, septemdecim vicibus intra duorum mensium spatium Bruxellis Parisios, Parisiis Bruxellas, continuo inter haereticos, periculo impavidus, ivit ac redivit. Quare factum est, ut tandem die III. Maii anno MDXCVIII. totius Galliae, Hispaniae, Belgii et Italiae laetitia pacis iura Vervini firmata fuerint ac evulgata, de quibus ipse scripsit historiam. Quae ut innotuit pontifici Ferrariae degenti, indicta solemni supplicatione, cui et ipse adstitit, publicas Deo gratias egit summa animi sui pietate. Ut erga tantum virum benevolum se praeberet pontifex, eodem anno inter canonicos archibasilicae s. Petri de Urbe primum cooptavit, mox vero patriarcham Constantinopolitanae ecclesiae inauguravit, et Ferrariam advenientem singulari prorsus honore excepit.

XXXV. Ab ipso interim pontifice anno MDXCIX. apostolicae sedis nuntius item delectus, in Galliam se contulit, ut pacem inter Henricum IV. et Sabaudiae ducem circa marchionatum Saluthiensem componeret, quod et pari absolvit felicitate. Iis igitur praeclare gestis, purpureo galero certo dignus, nisi aemulorum suorum artes praesto fuissent. Tamen anno MDCI., retento patriarchatus titulo,

Pactensem episcopatum in Sicilia obtinuit, ubi multa suae vigilantiae argumenta reliquit usque ad annum MDCV. quo ad archiepiscopalem Messanae sedem translatus est. Hac in urbe clericorum seminarium erexit et semel regni comitiis interfuit. Dum autem seduli pastoris studia explere satagebat et dioecesanorum clamores et Messanensium molestias aegre ferebat, ad Catanensem ecclesiam quietis desiderio se transferre curavit anno MDCIX. Eam pari studio ac doctrinae splendore administravit, et anno MDCXII. iterum regiis comitiis praefuit. *Synodalibus constitutionibus* ecclesiasticorum mores cohibuit, cathedrale templum mire ornavit ac sacram supellectilem auxit, porphyretium tabernaculum pretiosis lapillis contextum in ss. eucharistiae honorem instruxit, clericorum collegium meliorem transtulit in locum et aedificiorum magnificentia nobiliorem effecit. Alia laudabilia edidit, de quibus Pirrus tom. 1. pag. 69. 233. 378. et 415. Ioannes Baptista de Grossis *Catania sacra*, Bonfilius *historia Siciliae*, Tortera lib. VI. part. 3. *historiae*, Meneses in vita Philippi II., Marchautius in calce operis *fundament. XII* pag. 254, Morerius diction. tom. 1. pag. 666, Thuanus lib. 118. ad ann. 1597, Iulius Caesar capucinus in epistola praefixa suae *conceptuum scripturalium sylvae* an. 1594, Franciscus Panigarola lib. 5. epist. nuntio hispano data anno 1593, aliique.

XXXVI. Tot igitur tantisque meritis cumulatus extrema clausit Cataniae die XXIX. Martii et in sepulcro marmoreo conditus cum hoc epitaphio.

D. O. M.
ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO
FR. BONAVENTURAE SECUSIO CALATAGERONENSI
VIRO NON MINUS GENERE QUAM VIRTUTUM
SPLENDORE PERCELEBRI FRANCISCANAE FAMILIAE
GENERALI MINISTRO
SANCTISS. DOM. NOSTRI CLEMENTIS VIII. PONT.
NUNCIO PACIS INTER PHILIPPUM II. HISPANIAE
ET HENRICUM IV. GALLIAE REGES ALIOSQUE
DUCES MEDIATORI
PATRIARCHAE CONSTANTINOPOLITANO
PACTARUM EPISCOPO ARCHIEPISC. MESSAN. AC DEMUM
CATANENSIS ECCLESIAE PRAESULI DIGNISS.
HOC IMMORTALITATIS TROPHAEUM IN MORTALIBUS
STATUERUNT NE VITAE OBLIVIONI VICTOR
UNQUAM SINE LAUDE SUCCUMBERET.
OBIIT CATANIAE DIE XXIX. MARTII MDCXVIII.
AETATIS SUAE LX.

XXXVII. Occubuit et hoc anno ex eodem instituto magni nominis vir Iacobus Blasaeus Brugensis anno MDXCVI. electus epi- Wadd. et Sbaral. lit. I.

Gallia christ. tom. III. p. 477. scopus Namurcensis, et anno MDCI. translatus ad ecclesiam Audomarensem. Sepulcrum obtinuit in sacello s. Ioannis Baptistae hoc inciso monumento: Hic iacet fr. Iacobus Blazaeus quartus episcopus Audemarensis Qui obiit anno mdcxviii. mensis martii die xxi. Requiescat in pace. Concionatoris munus summa cum laude explevit tum in Artesiae tum in Hannoniae civitatibus. Multa docte et erudite scripsit. Cum autem ea nollet typis committere, eius sodalis et familiaris Henricus Willot eum, iam episcopum Namurcensem, verbis ad edendos aliisque communicandos studiorum labores sic adhortabatur. Vide, inquit, propterea heros pereruditę, decus omne tuorum, ne Deo, ecclesiae, nobis et posteris sis prolixiori silentio iniurius, et scriptorum loculos, dum recondis, aliis thesaurizes. Nam si quid humanitatis tibi in hac declivi aetate contingat, ut tuis sudoribus more bombycum sine tuo proprio fructu immoriaris, fiet, ut vel tui labores pereant, vel alios forsitan immeritos et indignos tua purpura vestias tuisque plumis exornes. Felicissima quaeque ingenia magno feruntur ardore ad solertem eruditionem tuam scripto delibandam; nam ex floridiore eloquentia sat superque totum Belgium illam degustavit. Dic, quaeso, vir clarissime, scientia occulta, et thesaurus invisus, quae utilitatis in utrisque?

XXXVIII. Scimus tamen sequentia scripta reliquisse. Bruxellis pridie calendas Ianuarii in principe templo s. Gudulae sermone gallico dixit *orationem in funere Philippi II. regis Hispaniarum*, et alteram *orationem funebrem* ab eo habitam anno MDCII. in obitu Ioannis de Phoich Arisiensis, episcopi Atrebatensis. Scripsit etiam *methodum compendiariam* ad confessionem generalem latine ex anglico redditam anno MDCXVII. Antuerpiae vulgatam.

XXXIX. Ad moderandam Audomarensem ecclesiam destinatus, Iovenkius part. 5. p. 579. catholicae fidei iacturam in Anglia et in Belgio cum defleret, novum aliquod tot cladibus praesidium opponere moliebatur. Cum autem prope Watensem pagum in finibus Flandriae et Artesiae instructum olim ab Umentia [?], Flandriae comite, templum et coenobium certis praediis locupletatum ad ipsum episcopum pertineret, cuncta patribus societatis Iesu attribuit, ut collegium ibidem anglicum constituerent. Paulus papa V. antistitis votum ratum habuit, et Philippus III., Hispaniarum rex, rem commendavit Alberto archiduci, Belgarum moderatori. Postremo idem Iacobus suae ecclesiae Audomarensi insignem librorum supellectilem donavit.

XL. Memoria dignus est Idelphonsus Vitalis Hispanus, episcopus Pirrus tom. II. p. 962. insulae Liparensis, ab anno MDXCIX. ecclesiasticae libertatis propugnator studiosus. Eo usus est Ferdinandus Pacheco, Salonae dux et prorex Siciliae, ut Liparenses insulas primaevae suae ditioni submitteret. Quod et assequutus est pluribus litteris ad Hispaniarum regem Philippum III. In episcoporum vinea aedes nobiles aedificare incepit. Ughel tom. VII. col. 784. Aetate gravatus, non mense Octobri, ut scribit Ughel, sed Septembri occubuit et marmoreo in tumulo, quod sibi paraverat, occlusus, in

sacello suae cathedralis ecclesiae requiescit. Cetera de eo notantur in hoc epitaphio.

D. O. M.

F. D. IDELPHONSUS VIDAL ET CUIAS ORDINIS MINORUM DIOECESIS HISPALENSIS ET EPISCOPUS LIPARITANUS PIETATE INSIGNIS ERUDITIONE CLARUS POST MULTOS CURAE PASTORALIS LABORES QUIETURUS TANDEM ET COMMUNIS OMNIUM MORTALIUM FINIS VALDE MEMOR ADHUC VIVENS HOC SIBI MONUMENTUM CURAVIT. OBIIT DIE XVII. MENSIS SEPTEMBRIS SUAE DIGNITATIS XVIII, AETATIS SUAE LXXXIII. CHRISTI VERO NATI MDCXVIII.

XLI. Hussitarum, lutheranorum et calvinistarum perfida colluvies hoc anno sub libertatis et novae religionis simultate contra Austriacam domum arma arripuit. Hinc anno insequenti Fridericum Palatinum diademate Bohemiae regio insignivit et catholicam fidem plene eradicare conata est. Multa ab iis tulerunt mala fratres observantes conventus s. Bernardini Olomucensis; nam aliquot ex illis patibulo adiudicarunt, alios variis tormentis oneraverunt; et licet quorundam optimatum precibus vitam condonaverint, attamen omnes conventus incolas exilio mulctarunt; aedes vero cum ecclesia ad tantam ruinam devenit, ut nova indiguerit reparatione. Cunctis tamen refectis anno MDCXXI. Ferdinando II. imperatore, eo fratres rediere.

Greiderer tom. I. p. 550 n. 2 et p. 617 n. 95.

XLII. Ioannes O' Honam, Conacensis sacerdos, cum per Lageniam catholicos divini verbi pabulo reficeret, ab Anglicis haereticis captus et Dublini carceri mancipatus, post varia tormentorum genera in quatuor partes dissectus, inter divinas laudes vitam cum morte commutavit die XIV. Octobris.

Ioannes O Honan m. Brvdinus d. martyr. Hiber. p. 105.

XLIII. Daifuxama Iaponiorum imperatore e vivis erepto, totius imperii clavum suscepit eius filius nomine Xongon, qui parentis sui erga christianos crudelitatem imitatus, lege vulgata die XVI. Augusti iussit omnes christifideles vinculis constrictos vel capite plecti vel crucibus imponi. Postremum martyrii genus subierunt in urbe Meacensi quinquaginta quatuor strenui christianae fidei confessores, diversae aetatis et sexus. Numerabantur enim viri, mulieres, puellae et infantes, qui laeto animo agonem suum consummarunt. Illud autem praetereundum haud est, quod cum cruces pro omnibus satis non essent, bini inverso dorso singulis crucibus aptati fuerunt, pueri vero ac puellae parentum collo alligabantur.

Iaponenses mm. Martinez lib. III. p. 187

XLIV. Eiusdem imperatoris mandato Meaci capitis poenam subiit die XVI. Augusti Ioannes a s. Maria sive de s. Martha, annos numerans quadraginta. Natalem habuit in oppido Prados, dioecesis Tarraconensis in Hispania. A suis pie educatus aliquando deserviit cathedralibus ecclesiis Tarraconensis et Zamorensis, ubi humaniores litteras didicit et excultus evasit in pulsandis organis. Franciscalium de observantia habitum induit in provincia s. Iacobi. Ab ipso tyrocinio corpus macerabat ieiuniis et flagellis, et sacerdotali dignitate initiatus

Ioannes a s. Maria m. Idem ibid. p. 188.

sedulo quae Dei erant, intense meditabatur. Haec agens in Hispaniam advenit frater Ioannes Pauper sive Zamora, ut collectum fratrum haberet pro evangelizandis Indis et Iaponibus. Tunc Ioannes, divina gratia illustratus, se illis addixit sodalibus, qui anno MDCVI. ad Insulas Philippinas se contulerunt. Integro tamen anno incolatum tenuit in coenobio de Lambagan, provinciae s. Gregorii, ut iuvenes illius provinciae erudiret in modulandis conficiendisque organis aliisque musicis instrumentis pulsandis.

XLV. Hisce peractis, in vastissimam Iaponum regionem laetus advenit, ubi sex mensium spatio illarum gentium idioma perfecte calluit. Fuximi in urbe aliquibus annis diversatus, innumeros Iesu Christo filios non solum plebeios, sed et viros nobiles peperit. Potentiores vero idolorum cultores, cum quibus dura certamina sustinuit, devicit et eorum insaniam maxime redarguit in commentariis ab eo scriptis in librum *Bupo* nuncupatum, magno in pretio ab eisdem habitum.

XLVI. Anno MDCXV. Iaponum imperator novo contra christianos odio concitatus, sacerdotes omnes exilio mulctavit et christifideles diris persecutionibus afflixit. Tunc Ioannes saeculari habitu amictus ad christifideles regnorum Arimae et Vomurae ab anno MDCIII. crudeliter exagitatos se conferens, captivis sacramenta ministrabat, alios in verae fidei confessione confirmabat et ad fortiter sustinenda certamina cunctorum vires erigebat. Cuncta haec solus praestabat animo invicto hac illac cursitans, secum interim deferens sacra ad missae sacrificium paragendum. Dum autem ei dabatur occasio, fidei semina in infidelium corda spargebat, et multi ex illis abiuratis erroribus, baptismatis sacramentum postulabant.

XLVII. Viri Dei acta tandem aliquando noverunt bonzi, qui ira contra eum perciti, ad Arimae praesidem velut avitae religionis eversorem denuntiaverunt. Licet praeses a fide christiana defecisset, tamen erga eum summam fovebat humanitatem. Ne vero imperatoris incurreret indignationem, invitus captivum duxit, eumque in teterrimam Meaci custodiam coniici mandavit. Vix dici potest, quanta mala sustinuerit trium et amplius annorum spatio, in qua vixit, socios habens poenarum scelestos homines. Praeter inediam, sitim, nuditatem et improperia multis verberibus et alapis quotidie etiam afficiebatur. Hinc cunctorum spectantium heroicum patentiae et magnanimitatis exemplar factus, Christique doctrinam praestanti eloquio suo assidue concaptivis annuncians, in causa fuit, ut unus bonzus in eisdem vinculis constrictus, singulique custodes baptismatis lavacro expiarentur.

XLVIII. Vulgato tandem in eo mortis nuntio, e carcere educitur, et fune ad collum alligato, rapitur per Meacensis metropolis fora, psalmos et divinas laudes decantans; cunctosque adhortans ad sectandam christianorum doctrinam. Vix autem ad locum martyrii devenit, iterum gentilibus occultisque fidelibus salutis monita dedit, et elata

voce psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* etc. decantans, truncato capite, martyrii coronam obtinuit. Caput stipiti imposuerunt, reliquum vero corpus in partes dissecatum a piis viris collectum, honesto loco fuit conditum. Ab anno MDCLXVIII. ad annum usque MDCLXXV. confecta fuerunt acta pro eius canonizatione. Aliquot scripsit *epistolas*, cum esset in vinculis, editas tom. 2. chron. prov. Compostellanae, *relationes duas de suis aerumnis; super sermones et homilias breviarii, et catechismum cum explicatione doctrinae christianae ac gentilium superstitionum impugnatione.* Haec duo postrema scripsit iaponico idiomate. Sbaral. lit. I.

XLIX. Mexico hoc anno Nangasachum cum Francisco Galvez advenit Didacus a s. Francisco, ubi licet dira saeviret in christianos persecutio, iaponico habitu induti, fideles in fidei confessione confirmabant. Tunc idem Didacus Franciscum Galvez misit cum concreditis sibi litteris a Ludovico Sotelo ad Voxuani regem Masamunem deferendis. Quod et feliciter praestitit magno ipsius regis solatio, quem a sui ditione haud abire permisit. At exorta paulo post in ea urbe contra christianos seditione, sacerdotes, qui aderant, fugam capientes in montana se addiderunt; occulte tamen accedebant ad aedes fidelium sacra ministraturi. Martinez lib. III. p. 188.

Eodem anno in insulis Molucis ad mare Indiae orient. martyres occubuerunt Patres Antonius a s. Anna et Sebastianus a s. Ioseph. Fr. Didacus de Lequille lib. XII. p. 366.

L. Coloniae ad Rhenum die XXIV. Aprilis Sueci calvinistae aggredientes monasterium clarissarum Deiparae praesentationis, durissimis verberibus saturarunt ac semivivum reliquerunt Petrum Schluzium, moderatorem conscientiae earundem monialium. Mon. prov.

LI. Obiit Maniliae Franciscus laicus discalceatus, provinciae s. Gregorii, Hispali ex avita de Avellaneda et Gusmana familia ortus. Aliqua in saeculo munia illustria obivit. Aliquando deserviit aulae Petri Alfan de Rivera, ducis Complutensis, cum quo Neapolim advenit. In Flandria se addixit copiis Ioannis archiducis Austriaci, qui eum delegit classium praefectum. In Novam subinde Hispaniam se conferens, Alvari Manrique de Zuniga proregis mandato missus in regionem Chichemicarum, feroces incolas ad humanitatem adduxit. Alia etiam ab eodem ei munia commissa sunt. In iis explendis licet inculpate se gereret, multa tamen malevolorum opera ei fuerunt inlata; at a criminibus sibi delatis innocens declaratus, mundo valedicere statuit et inter franciscanos adscribi, in humili tamen conversorum statu. Hinc Mexicum convolans, anno MDXCVI. discalceatorum habitum induit novumque vivendi modum instituit. Carnem macerabat inedia ac flagellis, tantoque cordis dolore maculas anteactae vitae expiabat, ut ea iugibus die ac nocte lacrymis defleret. Aetate autem licet gravatus et vigiliis ac poenitentiis attritus, zelo tamen animarum salvandarum inflammatus in Iaponiam migravit, ubi per aliquot annos diversatus incolas in sui amorem attraxit. Maniliam subinde adveniens animam Deo suo placide reddidit. In eius funere e rostris dixit Martinus a Franciscus de Avellaneda. idem lib. I. p. 159.

s. Ioanne sacrae theologiae lector, de quo nihil Waddingus et Sbaralea.

Petrus a Lupo. Antonius Panes part. I. lib. III. cap. 40 et seq. Annal. min. ad an. 1595 n. 31 et seqq.

LII. In coenobio de Ripa prope Valentiam die VIII. Aprilis obiit Petrus a Lupo laicus, germanus frater celeberrimi viri Alphonsi a Lupo, cuius acta notavimus loco suo. Acri laudati fratris animadversione perculsus ita in melius mores commutavit, ut anno MDLXV. aetatis suae XXXVII. religiosum fratrum discalceatorum habitum impetraret. Ab ipso sui tyrocinii die spiritus fervore, carnis maceratione et vitae austeritate floruit. Nudis pedibus apertoque capite hiemis etiam tempore incedebat. Catenulis ferreis se caedebat et aliquando integras noctes inter glaciem et nivem orationi operam dabat. Ob suae virtutis praestantiam eum voluit habere socium apostolici laboris Alphonsus eius germanus, cum quo diversatus est in Italia decem annorum spatio. Angelica puritate exornatus, suavis odor e suo corpore manabat. Frequenter ecstases et raptus patiebatur, et multoties in aëre elevabatur. Meruit etiam b. Virginis praesentia recreari et puerum Iesum ab ipsa Virgine acceptum deosculari et dulcissima colloquia cum eodem habere. Cordium arcana penetravit et prophetiae ac miraculorum gloria in vita et post mortem enituit. Bacchanalium tempore mortuorum ossibus oneratus, cinere in capite conspersus, catena circumdatus et crucem manu gestans per oppidorum et urbium vias incedebat, magnis clamoribus poenitentiam denuntians. Christi Iesu passione vulneratus multis in locis confraternitatem s. Crucis instituit et pro bono eius regimine quaedam *statuta* conscripsit. (Sbaral. lit. P.)

Ioannes a Turre. Mon. prov.

LIII. Compluti in conventu s. Angeli Custodis, provinciae s. Iosephi, decessit XXVI. Iulii Ioannes a Turre, eiusdem conventus guardianus. Exquisitis mortificationibus ita corpus edomabat, ut frater mortuus vulgo appellaretur; dono lacrymarum etiam in oratione singularique mansuetudine exornabatur.

Antonius de Penella. Agiol. Lusit. ad diem 18 Ianuarii.

LIV. Die XVIII. Ianuarii pie occubuit in conventu s. Antonii Ulyssipone Antonius de Penella laicus. Defuncta uxore, discalceatis se addixit in provincia Arrabidorum, portarii munus explens omni mansuetudine ac humilitate. Anno ante sui obitum vigesimo luce privatus, in caelestibus meditandis iugiter versabatur, in quibus a Deo multa charismata obtinuit. Daemonis astus elusit oratione ac diris, quibus corpus caedebat, flagellis. Multis cumulatus meritis pie decessit die X. Augusti in valetudinario coenobii Scalitani, eiusdem provinciae, Gaspar ab Annuntiatione, in Insula s. Michaelis nobilibus parentibus ortus. In Conimbricensi academia laurea in iure civili adeptus et magisterii munus assecuutus, Deo deservire statuit in discalceatorum instituto. Licet annis gravatus, omnia tamen impigre explebat sibi commissa. Carnem macerabat ieiuniis ac flagellis. Delectabatur interim in supernis meditandis. Verba illa: *in manus tuas Domine commendo spiritum meum* dicens, Deo suo animam reddidit die XIII. Novembris Antonius ab Assumptione, in saeculo item doctoris

Gaspar ab Annuntiatione. Mon. prov.

laurea insignitus in mox laudata Conimbricensi academia. Ad eam moderandam vocatus, ne munus sibi oblatum admitteret, ad fratres discalceatos convolavit, ubi emissa professione, multis floruit virtutibus. Ea erat erga divinissimum eucharistiae sacramentum caritate, ut sacrum agens a lacrymarum profluvio haud se continere valeret. Semel et iterum Arrabidorum provinciam summa prudentia administravit. Die X. Martii raptus est in coenobio Villaenovae de Portimao Nicolaus Panper de tertio s. Francisci claustralium ordine. Diu confessarii officium egit copiarum catholici regis eisque infirmis opitulabatur etiam salutaribus naturae remediis. Verbo autem ac virtutum exemplo eos ad Dei amorem alliciebat.

Antonius ab Assumptione. Ibidem.

Nicolaus Pauper. Agiol. Lusit. ad diem 10 Martii.

LV. Burgensem minorum de observantia provinciam aliqui pii viri hoc anno illustrarunt beato fine. In conventu s. Bernardini prope oppidum de Fresneda obiit Cyprianus del Campo sacerdos, qui expletis sibi commissis ab obedientia officiis, se recipiebat in proximum solitarium oratorium horti coenobii, ubi relaxato sui spiritus fervore, sanguineis flagellis se caedebat, et totus in Deo elevabatur. Aliquando in ecclesia visus fuit divina luce circumfusus. Pauperem ulceribus plenum eximia caritate medebatur, recreabat, cibaria ministrabat et amictum. Vitae cursum complevit in oratorio s. Antonii Patavini, non longe ab eodem oppido, Bartholomaeus de Ortega, multis virtutibus exornatus. Flagrabat caritate erga Deum et proximum. Quos obviabat christifideles ad Dei amorem, ad poenitentiam et ad cavenda peccata hortabatur verbis omni suavitate refertis. Invocato Antonii Patavini nomine, daemones contra eum varia molientes et agentes fugabat. Dona a Deo obtinuit prophetiae, miraculorum ac scrutationis cordium. Post mortem viri Dei corpus ingenti populorum affluxu illatum fuit in conventum. s. Bernardini de Fresneda eiusdem oppidi. In coenobio s. Stephani de los Olmos eiusdem provinciae obdormivit in Domino Bartholomaeus Martinez laicus, per annos quadraginta huius coenobii incola, infirmarii et portarii munia obiens summa vigilantia ac prudentia. Ea autem fuit in pauperes aegrotos caritate, ut cibaria eisdem mitteret in aedes proprias, cum accedere non valerent ad fores coenobii. Post sui mortem adparuisse divina luce circumfusum sodali suo Francisco de Urruhia, sibi dicenti, caelesti gloria a Deo potitum ob eleemosynam benevole pauperibus elargitam, tradunt.

Cyprianus del Campo. Mon. prov.

Bartholomaeus de Ortega. Ibidem.

Bartholomaeus Martinez. Ibidem.

LVI. Raptus est die VIII. Septembris in conventu s. Antonii de Padua Hispalensi in provincia Angelorum Ioannes de Pedroche sive de Rosa, oppido dioecesis Cordubensis. Inter observantes vix cooptatus mortificationis viam alacriter arripuit; tribus enim per hebdomadam diebus solo pane et aqua reficiebatur; ab esu carnium et vini potu abstinebat. Id autem vitae genus sequutus est usque ad sui mortem. Toto interim corpore amictus erat aspero cilicio, et ad maiorem sui cruciatum ferrea catena membra vinciebat. Supposito ad caput lapide, brevi sopori se dabat super stoream. Angelica puritate nitescens mira prosequebatur pietate beatam Virginem sub titulo immacu-

Ioannes de Pedroche. De Guadulupe. p. 678.

latae conceptionis. Factus sacrista celeberrimi sanctae Mariae de Aquis Sanctis templi, ante prodigialem imaginem Deiparae plures noctes insomnes ducebat. Pauperibus, qui ad coenobium affluebant, omnia suppeditabat, pedes eorum lavabat et osculabatur. Licet decidentibus pluviis et nivibus, non semel coenobium repetiit minime madefactus, et aliquando Gualdaquivirum amnem aquis redundantem sicco pede transivit. Dum de Deo loquebatur, tanto spiritus fervore actus erat, ut caelorum incola videretur, oculis in altum elatis et facie miro fulgore radiante. Inter divini amoris colloquia decessit, vix illis prolatis *in pace in idipsum dormiam et requiescam.* Anno MDCXXVI. eius corpus, ut vir Dei optaverat, delatum fuit in coenobium b. Mariae de Aquis Sanctis.

LVII. Belvisii in monasterio clarissarum s. Ioannis de poenitentia, eiusdem provinciae, ubi erat a sacris confessionibus, die nativitatis Domini obiit Franciscus de Constantina, vix ferme absoluto missae sacrificio. In eo peragendo ecstasim saepe patiebatur. Meruit etiam aliquando videre in hostia Christum Iesum sub forma speciosissimi pueri. Quotidie sacrum agebat devotione summa praemissisque multis ferventibusque precibus. Quadraginta annis praefuit sui ordinis tyronibus, quos pascebat verbo et virtutis exemplo. Toto vitae suae cursu cilicium gestavit, lecto nunquam usus est et ieiunia pane et aqua explebat. Angelica itidem puritate cumulatus erat.

Franciscus de Constantina. Idem p. 398.

LVIII. Tumulum accepit in coenobio ss. Septem Martyrum Belalcazarii, eiusdem provinciae, Ferdinandus de Ledesma sacerdos, praecipuis virtutibus dives; unionem intimam cum Deo obtinuit quam augebat silentio, oratione corporisve maceratione. Post matutinas preces cellam nunquam repetebat, sed divinis contemplationibus in choro vacabat usque mane. In conventu s. Alberti de Monte, laudatae provinciae, vitam feliciter absolvit Stephanus de Anora laicus, vir eximiae simplicitatis et innocentiae. Alta mente continuo in Dei praesentia versabatur. Aetate ac infirmitate attritus pedibus haud stare valebat, genibus tamen in terra pronis, coenobii hortum excolebat.

Ferdinandus de Ledesma. Idem p. 398.

Stephanus de Anora. Idem ibid.

LIX. Die I. Septembris rapuit Deus in conventu s. Francisci Granatae Franciscum Cisnerum, Alphonso Lopez et Catharina Rodriguez nobilibus parentibus natum. Durissimam vivendi rationem ab ipso sui tyrocinio inchoatam retinuit ad annum usque LXXXIII., quo mortalitatis sarcinam deposuit cum magna sanctitatis opinione. Ieiuniis et poenalitatibus carnem macerabat et, supposito ad caput lapide, sopori se dabat stratus super sarmenta. Eo animi sensu recolebat Iesu Christi cruciatus, ut a lacrymis haud se continere valeret. Annis multis verbum Dei annuntiavit et, cum ob populorum frequentiam templa capere non posseut, in plateis suggesta erigi oportebat. Obedientiae merito munus provincialatus suscepit. Post mortem tactu sui habitus, sandaliorum, ac lapidis capiti suo suppositi aliqua prodigia evenerunt.

Franciscus Cisnerus. De Torres p. 256.

LX. In conventu s. Mariae de Iesu Alcodiae in provincia Maio-

ricarum vitam commutavit cum morte die XV. Novembris Bernardinus Faber, visione Deiparae recreatus paulo ante sui obitum. Ut illam aspexit, in ecstasim raptus exclamavit: *domina mea, unde hoc mihi?* Praestans erat humilitate, paupertate carnisque maceratione.

Bernardinus Faber. Mon. prov.

LXI. Thomas Correus sacerdos, antea adscriptus fratribus ss. Trinitatis redemptionis captivorum, decessit in conventu s. Francisci Ulyssipone in provincia Portugalliae. Solitudinis amore ductus saecularium ac fratrum familiaritatem devitabat. Lacrymarum donum a Deo consequutus est in fundendis precibus. Carnis petulantiam ieiuniis ac flagellis edomabat. Mense Iulio in valetudinario de Tomar, eiusdem provinciae, invocatis nominibus ss. Francisci ac Didaci, cursum vitae complevit Aloysius de Vasconcelos, vir austeritatis et perfectionis vitae clarus. Mira animi comitate erudiebat in doctrina christiana pueros aliosque, ubi ei dabatur occasio. In coenobio s. Francisci de Guimares quievit Sixtus laicus, Guardiae nobilibus ortus parentibus. A pueritia corpus austeritatibus castigabat, eas tamen auxit religioso habitu indutus. Nunquam lecto cubabat, semper nudatis pedibus et, urentibus solaribus radiis, detecto capite incedebat. Eum luxerunt pauperes, quibus omni humilitate vitae necessaria suppeditabat. Die XX. Ianuarii obiit Benedictus de Esperanza tertii ordinis claustralium, qui saepe periculis expertus in navibus ducendis, statuit Deo deservire in eo instituto. Antequam promissa compleret, quamplurimas puellas domi suae congregavit sub auspiciis s. Elisabeth Hungariae reginae, quibus praesidebat, factus earundem virginum specialium virtutum exemplar. Bona sua pro ibidem excitando monasterio legavit. Emissis votis praestans evasit in corporis castigatione, in vigiliis, in ieiuniis, in precibus fundendis pro Indorum praesertim conversione.

Thomas Correus. De Esperanza tom. I. p. 226.

Aloysius de Vasconcelos. Idem ibid p. 622.

Sixtus laicus. Idem ibid. p. 176.

Benedictus de Esperanza. Agiol. Lusit. ad diem 20 Ianuarii.

LXII. Oeniponti in provincia Tyrolensi fatis cessit Augustinus Andreae sive Andre, vir perfectae vitae, egregius concionator et observantiae regularis sedulus cultor. Cum in parochiali ecclesia s. Martini urbis Endingen in Brisgovia verbum Dei annuntiaret in festivitatibus pentecostes, beatae Virginis ac pueri Iesu imago ibidem impense venerata, duabus horis copiosum sudorem effudit. Eventum notarunt plus quam biscentum homines, ipse ecclesiae decanus ac parochus, qui de ea re acta confecerunt ac mandarunt tum ad episcopum Constantiensem tum ad summum pontificem. Ab hoc usque ad annum MDCXLVIII. ob dirum bellum exorsum Brisgovia ditio graviter afflicta fuit. Defuncti corpus tumulum accepit in domo capitulari hoc inciso monumento: TEGUNTUR HOC SUB SAXO OSSA ADMODUM REVERENDI P. FR. AUGUSTINI ANDREAE ORD. MIN. REG. OBS. MINISTRI QUONDAM PROVINCIALIS ET GUARDIANI SUAZENSIS OPTIME MERITI QUI EX HAC MISERIA PIE SANCTEQUE MIGRAVIT III. NONAS MAII ANNO MDCXVIII.

Augustinus Andreas. Greiderer tom. II. p. 172.

LIII. Dormitionis requiem accepit in coenobio s. Nicolai Carpensis, in provincia Bononiensi, Aegidius laicus eo in loco ortus, austeritate, paupertate, et oratione conspicuus. Eius funus honestarunt ci-

Aegidius Carpensis. Ilarion Parma tom. I. p. 183.

ves solemni funere, sui corporis reliquias excerperunt, et eius effigiem composuerunt.

Basilius a Caprarola. Casimirus a Roma in chron. prov. p. 68.

LXIV. In conventu Montis Sion, in custodia Terrae Sanctae, obiit die XXIII. Decembris Basilius Basilii a Caprarola, provinciae Romanae, epidemiae morbo correptus, ut aegrotis eodem morbo affectis summa caritate opem suam conferret. Anno MDCXV. praeses et commissarius Terrae Sanctae renunitatus, in ecclesia ss. Sepulcri organum posuit, infidelibus ad rei novitatem mirantibus. Typis Roncilianis anno MDCXIV. vulgavit nuncupavitque Odoardo Farnesio cardinali quaedam sacra ab eo concinnata, quae variis vocibus decantari solent in ecclesia. Ex memoria, quae obviat prae foribus ianuae coenobii veteris in oppido Caprarolae, novimus, suam operam impendisse in illius aedis fundatione.

Mille et sexcentos iam sol percusserat annos
Addiderat spatiis ac tria lustra suis,
Cum sacra religio precibus commota Basilii
Hoc ad concilium iussit adesse patres.
F. M. FF. A. D. MDCXX.

Didacus a Francavilla. Mazzara tom. VI. p. 57.

LXV. In fratrum reformatorum familia decessit die V. Iunii in coenobio s. Francisci Casalisnovi, provinciae s. Nicolai, Didacus a Francavilla laicus, ab infantia ad pietatem pronus et silentii amicus. Emissa professione, humilitatis et obedientiae virtutes sibi prosequendas in primis proposuit et exacte complevit; omnium enim maximum peccatorem se inclamabat, et viliora monasterii officia hilariter explebat. Saepe in oratione elevabatur prae ardentissima caritate, quam erga Deum fovebat. Scientiae et curationis dona a Deo obtinuisse tradunt. Die X. Iulii in conventu s. Mariae de Iesu Castriveterani, in provincia Siciliae, obiit Bonaventura Battaglia item laicus, antea cooptatus inter fratres observantes. Usque ad genua induebatur cilicio asperrimo; lumbos stringebat duabus ferreis catenis. Diris se caedebat qualibet nocte flagellis ad sanguinis usque effusionem; bis autem id peragebat de nocte in feria secunda, quarta et sexta cuiuslibet hebdomadae. Noctes ferme ducebat insomnes Iesu, Christi amorem erga homines recolens ante ss. eucharistiae sacramentum. Crebro vero extra se factus, velut caelorum incola videbatur. Mansuetudine interim summa et in adversis eximia patientia exornabatur. Prophetia, cordium scrutatione et miraculorum gloria enituit tum in vita tum post mortem.

Bonaventura Battaglia. Idem tom. VII. p. 234.

Annal. min. ad an. 1515. n. 19.

LXVI. Exuviae viri Dei Theodorici a Monasterio, cum ingenti sanctitate anno MDXV. defuncti in conventu observantium Lovanii in Westphalia, maiorum facultate e sepulcro erutae, ornato in loculo positae fuerunt hoc anno in sacello valetudinarii eiusdem conventus.

Nicolaus Florentinus. De Pise tom. III. p. 291.

LXVII. Capucini etiam fratres cum virtutis laude occubuerunt. Laureti in provincia Marchiae obiit Nicolaus Florentinus, sacerdos et concionator, humilitatis spiritu praestans; domum enim everrebat, vilem coquinae supellectilem lavabat, aquam et ligna suis humeris

asportabat. Nemo eum in adversis turbatum vidit. Crudam herbam semel in die comedebat. Rodi in provincia s. Angeli raptus Leander Pedemontanus item sacerdos nobili genere natus, a s. Carolo Borromaeo ob suae virtutis famam inter suos domesticos adscriptus. Membra loris et flagellis quotidie lacerabat, Iesu Christi agones et sua errata recolens. In Messanensi provincia obiit Salvator a s. Petro, sacerdos et concionator, puritate et caritate in Deum commendatus. Cum conciones haberet, eius eloquia ita ignita erant, ut audientium corda incenderent. Varios infirmos crucis signo incolumes reddidit. In conventu Bergomi obiit Hippolytus a Scalvo concionator et novitiorum magister, quos ad omnis virtutis semitam capessendam verbo ac exemplo alliciebat. Saepe extra se factus, longiores in oratione morae illi velut momentum videbantur. Martyrii desiderio flagrans in Flandriam calvinistarum haeresi infectam advenit, ubi grassantibus erroribus sese opponens, multa ab haereticis sustinuit; at spe tamen martyrii frustratus. Brixiae mundo valedixit Prothasius a Palosco sacerdos, mira devotione ditatus erga Deiparam immaculatae conceptionis titulo. Ea autem erat humilitate, ut omnibus contemptibilem sese ostenderet eaque praestabat quae ad sui despectum facile inducerent. Verum multi ad ipsum velut Deo carum affluebant, suisque orationibus se commendabant. Savonae in provincia Genuensi animam efflavit Antonius a Trebiano laicus, vir humilis valde, qui summa cordis laetitia cunctis fratribus vel invitis ministrabat. Vilitatem, asperitatem et temperantiam in victu, amictu et cubili mire in se expressit. Castitatis virtutem excolere semper studuit vigiliis, ieiuniis duro decubitu et quotidianis flagellis. Sui obitus diem praedixit. Ingens populus ad venerandum eius exanime corpus affluxit, cuius Deus dignatus est ostendere sanctitatem mox ab eo editis variis prodigiis.

Leander Pedemontanus. Idem ibid. p. 242

Salvator a s. Petro. Idem ibid. p. 243

Hippolytus a Scalvo. Idem ibid. p. 246

Prothasius a Palosco. Idem ibid. p. 250.

Antonius a Trebiano. Idem ibid. p. 253.

LXVIII. In Provini conventu, provinciae Parisiensis, eorundem fratrum, fama virtutis obiit Eusebius Melletensis, sacerdos et concionator. Adhuc in ordine tyro corpus ieiuniis, vigiliis aliisque operibus macerabat. Quamvis assidue concionaretur, tamen die ac nocte simul cum fratribus ad psallendum conveniebat. Salutis animarum zelo perculsus, discurrebat per pagos et oppida, ut plebeios et rudes ad aperienda sacerdoti commissa excitaret; idipsum et praestabat erga eos, quos obviabat per vias. Deiparam tanto cordis affectu prosequebatur, ut in omnibus fere concionibus mira de ea notaret. Ad fovendam eius pietatem scripsit *sermones varios et plurimos valde devotos historiis et exemplis intextos ad conciliandam erga Deiparam devotionem.* Praestans etiam fuit in virtute abstinentiae, patientiae et altissimae paupertatis. Matriti raptus est Franciscus a Bourdemare, eiusdem provinciae, vir tantae humilitatis, ut vix adduci potuerit ad sacerdotalem dignitatem suscipiendam. Zelo salutis Indorum fragrans in Brasiliam se contulit, ubi quadringentos homines sacro regeneravit lavacro. Alios ad fidei lumen certo adduxisset, nisi Hipani in Gallos illic

Eusebius Melletensis. Idem ibid. p. 272.

Sbaral. lit. E.

Franciscus a Bourdemare. Idem ibid. p. 276.

degentes irruissent, et ad propriam invitus rediisset. In eadem provincia cursum vitae complevit Ioannes Baptista a Lionissa ex Umbriae provincia laicus. In Galliam missus, supra quadraginta annos eam regionem incoluit et suis virtutibus illustravit. Fuit enim eximiae abstinentiae, altissimae contemplationis et patientiae invictae. Gravi morbo confectus in Sardinia insula, dum Roma suam provinciam Valentinam repeteret, occubuit Didacus a Villaroya laicus hispanus, plurimum commendatus prae sui humilitate, austeritate, oratione et paupertate. In oratione assiduus, caelesti luce aliquando circumfusus adparuit et, in ecstasim raptus, beatae Virginis colloquio dignatus fuit. Miraculorum gloria in vita inclaruit; plures etiam infirmos crucis signo sanavit et hominem caecum illuminavit.

(Ioannes Baptista a Lionissa. Idem ibid. p. 277.)

(Didacus a Villaroya. Idem ibid. p. 279.)

LXIX. Sacrae etiam virgines beato fine quieverunt et hoc anno. Die XXXI. Maii in monasterio Dominae nostrae de Gratia, oppidi de Torrao, cursum vitae complevit Seraphina de Iesu; innocentia vitae decorata Sponsum Christum ignito caritatis amore diligebat. In monasterio immaculatae Conceptionis insulae Terzeirae obiit die X. Iunii Isabella de Conceptione, nobilibus parentibus Christophoro Borgia de Costa et Francisca Pacheco de Lima orta. Licet in saeculo opibus afflueret, pauperrimam tamen vitam ducebat. Solitudine interim delectabatur tantisque ingenuis moribus florebat, ut pudicitiae exemplar videretur. Ceteras autem virtutes consecuta est in instituto, carnem macerans ieiuniis et flagellis. Praestans humilitate, ita ut abbatissam nonnisi flexis genibus alloqueretur.

(Seraphina de Iesu. Agiol. Lusit. ad diem 31 Maii. Isabella de Conceptione. Ibidem ad diem 10 Iunii.)

LXX. Iesum Christum cruci affixum inter ulnas habens et osculans, die XI. Ianuarii pie occubuit in monasterio s. Clarae Portus in Lusitania Theodolinda de Praesepio, annos numerans octoginta, quorum duos dumtaxat transegit infans in saeculo. Speculum erat puritatis et corporis mortificationis. Erga Christum passum summo moerore afficiebatur, nec a lacrymis se poterat continere, cum eius dolores meditaretur. Saepe per monasterii claustrum deferebat imaginem Iesu Christi expressam titulo *ecce homo*, ubi etiam moniales confluebant, ut sponsi Iesu doloribus afficerentur; dum ei dabatur occasio, mira de eius passione eructabat. Conymbriae in monasterio s. Clarae decessit Catharina de Noronha, item sauciata Iesu Christi cruciatibus, quos iugiter intense recolebat gemitibus, suspiriis et lacrymis. Carnem froenabat ieiuniis, flagellis et lorica ad instar vestis induta.

(Theodolinda de Praesepio. De Esperanza tom. I. p. 589.)

(Catharina a Noronha. Idem tom. II. p. 74.)

LXXI. Die XI. Iunii multis exornata virtutibus caelestia petivit in monasterio s. Clarae Histonii in provincia s. Bernardini soror Doria Valverde. In monasterio s. Clarae de Cazala, provinciae Angelorum, obdormivit in Domino saepe repetens verba s. Zachariae: *Benedictus Dominus Deus Israel* etc. Isabella de Praesentatione, viginti tres annos numerans. Aetatis suae anno septimo in monasterium ingressa, cum diris flagellis et ciliciis in corpus saeviret, magistrae suae mandato austeritates aliquantisper relaxavit. Ob iuge orationis et contemplationis studium unionis spiritum cum Deo obtinuit. Multa et crebro de divinis myste-

(Doria Valverde. Mon. prov.)

(Isabella de Praesentatione. De Guadalupe p. 571.)

riis alte loquebatur. Die XXIX. Augusti migravit e vita in monasterio s. Ioannis de poenitentia Belvisii eiusdem provinciae Anna a s. Ioseph. Tanta erga egenos erat pietate, ut cum esset famula comitum de Oropesa, eos exoraret, ut eorum inopiam sublevarent. Desperato morbo arreptae adparuit seraphicus Pater eique dixit, ut bono esset animo, quia non in ea infirmitate, sed in monasterio clarissarum, earundem sororum habitu induta, decederet. Hinc in eo monasterio emissa professione, maximis floruit virtutibus. Deiparae virginis et sponsi sui Iesu amore flagrabat et in eorundem festivitatum pervigiliis, ieiuniis, flagellis et precibus operam dabat. De nocte orans, vocem dicentem sibi: *cito morieris* audivit, et illico solutis labiis *te Deum laudamus* decantans obiit inter dulcia cum Christo colloquia. Corpus suavem odorem manavit respersitque monasterii valetudinarium. Anna a s. Ioseph. Idem p. 601.

LXXII. Granatensem provinciam felici morte illustrarunt et aliquot sacrae virgines. In monasterio s. Elisabeth Regalis Granatae die secunda paschatis obiit Maria, perillustri familia de Mendoza orta. Emicuit in ea angelica puritas et tam eximia humilitas, ut abbatissam exoraret sibi abiectiora officia monasterii committi. Eam qua primum induta fuit tunicam ad mortem usque gestavit. Morti proxima, e lectulo surgens sacram eucharistiam flexis genibus pietate summa suscepit. Die III. Augusti rapta est in monasterio s. Clarae Alcaudetae Leonora ex comitibus Pacheco. Antequam sacro Christi corpore reficeretur, e lectulo et ipsa surrexit, eoque sumpto, expiravit absolutis his verbis: *Maria mater gratiae, mater misericordiae, tu nos ab hoste protege et mortis hora suscipe.* In eius transitu valetudinarii campanula sponte sonum edidit, et auditi fuerunt a monialibus angelici concentus. Maria de Mendoza. De Torres p. 499. Leonora Pacheco. Idem p. 597.

LXXIII. Isabella de Coalla quievit in monasterio immaculatae conceptionis Malacae, eo ingressa duobus suae nativitatis annis, quae una cum aetate in virtutibus proficiens, brevi post tempore ceteris sororibus exemplo fuit. Super nudam tabulam quiescebat, ut praesto esset supernis recolendis. Id vitae genus tenuit ad annum usque septuagesimum, quo decessit. Signo crucis, precibus et oleo lampadis collucentis ante Deiparae imaginem varios infirmos sanavit. Die XXII. Iulii in monasterio s. Clarae Montiliae, hora a se praedicta et illis dictis: *media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit,* obiit Francisca de Cruce, filia Ferdinandi de Sotomayor inter Hispanos illustris. Antea inter sorores ordinis praedicatorum cooptata fuerat; at maioris perfectionis gratia clarissis se adscripsit in laudato Montiliae collegio. Una exstitit e fundatricibus monasterii s. Clarae Luzariae. Magno caritatis igne multisque lacrymis magnalia Dei reserabat consororibus suis. Ut dilecto suo intimius adhaereret, saepe illud usurpabat: *mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.* In monasterio Assumptionis de Agullar occubuit Birgitta de s. Raphaele, ab infantia assueta vigiliis, ieiuniis aliisque austeritatibus. Toto tempore quadragesimali silentium servabat. Isabella de Coalla. Idem p. 626. Francisca de Cruce. Idem p. 674. Birgitta de s. Raphaele. Idem p. 759.

Clara Salarinia. Greiderer tom. 2. p. 529. Aldaria de Valleviridi. Chron. prov. p. 58.

LXXIV. Die XXII. Maii vitam commutavit cum morte in monasterio ss. Trinitatis Tridenti Clara Salarinia Veronensis, intense versata in meditandis sponsi sui cruciatibus. In monasterio s. Clarae Histonii in provincia s. Angeli decessit Aldaria de Valleviridi, illius monasterii fundatrix ac vicaria. Morti proxima recreata fuit visione Deiparae virginis, quam videns exclamavit dicens: *beatus qui te videt, beatus qui te fruitur.* His prolatis hilari vultu expiravit.

Anna Mathiae caesaris uxor. Idem tom. I. p. 476.

LXXV. Diem clausit extremum XV. Decembris Anna, filia Ferdinandi II. principis Tyrolensis et Annae Catharinae ex ducibus Mantuanis, die IV. Octobris anno MDLXXXV. nata. Prima in aetate devotione fervens in seraphicum Assisiatem Franciscum, nuper erectae chordigerorum sodalitati nomen dare constituit. Hinc putamus cum Vigilio Greiderer, ipsam ex sororibus de tertio ordine nunquam fuisse. Vix igitur laudatae sodalitati adscripta, chordam benedictam assumens, lumbos praecinxit die ac nocte. Decennis puella, in memoriam Iesu Christi passi tenella membra flagellis et ciliciis castigabat. Eius in pauperes misericordia cum aetate crevit; familiare enim ei erat pauperes et adolescentes studiis incumbentes alere, eisque pro conficiendo studiorum curriculo necessaria suppeditare. Annos numerans XXVI. desponsata Mathiae Hungariae et Bohemiae regi, ac inde imperatori, ardua ob eius ferme senilem aetatem, virili animo sustinuit; eum enim iacentem levabat, vacillantem sustentabat, cibaria parabat. Francofurti die XXVI. Iunii anno MDCXII. coram aliquot electoribus multisque principibus viris, corona caesarea redimita, humilitate summa, pietate eximia ac genibus flexis sacrum Christi corpus, mirantibus et collacrymantibus iisdem haereticis, accepit. Multos a fide devios ad ecclesiae sinum adduxit, sustentavit ac ab iniuriis defendit. Singulis sabbatis ad Deiparae honorem ieiunabat et antequam sopori se dabat, instituto conscientiae suae examine, detectas culpas diris flagris expiabat. Multas preces, antequam accederet ad emittendam confessionem et sacrum Christi corpus suscipiendum, praemittebat, eoque sumpto, caelesti dulcedine recreabatur. In ultimis suis tabulis munificentissima se exhibuit in pauperes; egenis enim in Bohemia XLV, in Austria XC, et in Tyrolo XL millia florenorum legavit. Iisque aliisque paractis, cum sanctitatis fama mortalitatis sarcinam Viennae deposuit. Corpus illatum fuit in ecclesia monasterii clarissarum ad Reginam, ubi eius praecordia remanserunt, instructo vero loculo corpus translatum fuit anno MDCXXXI. in conventum capucinorum, hoc posito monumento:

D. O. M. S.

MONUMENTUM AUGUSTISSIMAE IMPERATRICIS ANNAE PIAE CONIUGIS AUGUSTISS. IMPERAT. MATHIAE REGINAE HUNGARIAE ET BOHEMIAE ARCHIDUCISS. AUSTRIAE PIE DEFUNCTAE VITAE ET IMPERIO DIE XV. APRILIS MENSIS DECEMBRIS ANNO DOMINI MDCXVIII.

LXXVI. Parantur aedes pro monialibus. Indulget summus pontifex: *Alias,* die XXX. Ianuarii, ut inmittantur sorores de tertio ordine

educationis gratia in monasterium erectum in oppido de Oropesa, dioecesis Abulensis, dotatum a Ioanne Garcialuarez de Toledo et comite eiusdem oppidi pro erudiendis puellis illius loci. *Monast. de Oropesa.*

LXXVII. Idem pontifex committit episcopo Urgellen.: *Exponi nobis,* die XXX. Aprilis, transferendi aliquot moniales clarissas in monasterium Dominae nostrae oppidi Balagarii suae dioecesis, nuper instauratum ab universitate loci; ante id tempus prae sui vetustate ruinae proximum, incolis vacuum erat. *Monast. Balagarii.*

LXXVIII. Ioannes de Castillo, dominus oppidi de Escalante, ibidem excitavit pro sororibus clarissis discalceatis monasterium sub invocatione s. Ioannis del monte Colbario, in provincia Cantabriae. Incolitur a triginta tribus monialibus. Sorores de tertio ordine, quae ab anno MDLXIII. diversabantur in monasterio s. Clarae de Guernica eiusdem provinciae, hoc tempore solemnem professionem emiserunt iuxta regulam Urbanistarum. Ibidem degunt triginta septem sorores. *Monast. de Escalante. Mon. prov.* *Monast. de Guernica. Mon. prov.*

LXXIX. Sumptibus Ioannis de Pedraza Gomez, equitis et domini villae de Castin, dioecesis Abulensis, in provincia Conceptionis, erectum fuit in eodem oppido monasterium sub invocatione s. Clarae. Fundatrices fuerunt Mencia, Maria et Elvira de Ribera, professae in monasterio de Iesu de las Gordilas Abulae, et Isabella de Tobar uti abbatissa cum altera Isabella et Maria de Tobar, item professis in monasterio Incarnationis de Arevalo. Fabrica perfectionem accepit anno MDCXXXII. pro XXIV sororibus. Moniales Clarissae, quae ab anno MCCCLIX. degebant in monasterio Tudelae in laudata provincia, hoc anno ruinae proximum dimiserunt, erecto altero extra urbem satis accommodo. *Monast. in oppido de Castin. Mon. prov.* *Monast. Tudelae. Annal. min. ad an. 1359 n. 21. Mon. prov.*

LXXX. Fridericus Eckber de Kapsing, serenissimi archiducis Leopoldi, Passaviensis et Argentinensis episcopi, consiliarius et camerarius una cum uxore posuit novum monasterium pro sororibus capucinis de tertio ordine sub invocatione beatae Mariae virginis Lauretanae in oppido Landishutano provinciae Bavariae. *Monast. Landishutani. Greiderer tom. II p. 481.*

LXXXI. Capucini fratres sequentes conventus admiserunt, nimirum conventum Fidentiolae, dioecesis Placentinae, in provincia Lombardiae; conventum Pallantiae, dioecesis Novariensis, in provincia Mediolani; conventum Montis Rubei, dioecesis Sarzanensis, et conventum Spulturni, dioecesis Naulensis, in provincia Genuae, conventum Raconixi, dioecesis Taurinensis, in provincia Pedemontana; conventum Picerni, dioecesis Potentinae, in provincia Lucaniae; conventum Cetrarii, nullius dioecesis, in provincia Cosentiae; conventum Bremgartae, dioecesis Constantiensis, in provincia Helvetica; conventum Engae, et conventum Uberlingae, dioecesis Constantiensis, in provincia Austriae; conventum Bonnae, dioecesis Coloniensis; conventum Moguntiae in provincia Rhenana; conventum Montisvillae, dioecesis Trevirensis, in provincia Vallonica; conventum Bononiae ad Mare, Montis Desiderii, dioecesis Ambianensis, et Peronnae in provincia Parisiensi; conventum *Ex albo Michaelis a Tugio.*

Lochii, dioecesis Turonensis; conventum Montaniae, dioecesis Sagiensis, in provincia Normanniae; conventum Auxonae, dioecesis Bisuntinae; Complittae, dioecesis Divionensis; et conventum Pontisali, dioecesis Bisuntinae, in provincia Burgundiae; conventum Augustae Praetoriae in provincia Sabaudiae; conventum Mervillae, dioecesis Audomarensis, in provincia Insulensi; conventum Arenarum, dioecesis Gerundinensis, in provincia Catalauniae. Eisdem fratribus indulget pontifex: *Ad uberes et suaves*, die XXIV. Septembris, ut etiam apud Belgas se propagare novaque coenobia excitare valeant.

Conv. de Roiate. Teuli p. 178.

LXXXII. Minoritae conventuales ob fratrum inopiam dimiserunt conventum s. Angeli do Collabas erectum in oppido de Roiate, dioecesis Prenestinae, in provincia Romana. Non multo post eo redierunt, coenobii praeside Hieronymo de Noto Siculo. Antiquo tempore aedes deserviebat infirmis incurabili morbo affectis.

Conv. Laudensis. Bordonius p. 334. Conv. Corleonis. Idem p. 496.

LXXXIII. Columbanus Mutius, minister provinciae Mediolanensis tertii ordinis claustralium, recipit pro suis aedem sub invocatione s. Antonii abbatis Laudensis, ei concessam ab Antonio et Ioanne Baptista de Ricardis, loci dominis. Christophorus Hermandes Flores, vicarius capitularis Montisregalis, eisdem fratribus cessit domum s. Mariae Gratiarum Corleonis, quam admisit Barnabas Panormitanus.

Conv. Lugduni. Conv. Sezaniensis, et Monasteriolensis. Mon. prov.

LXXXIV. Precibus Ludovici XIII. regis Francorum amovet pontifex: *Piis catholicorum*, die XXVII. Augusti, fratres observantes e conventu s. Mariae Angelorum Lugduni, eumque concedit fratribus recollectis custodiae s. Antonii in Delphinatu. Iidem fratres provinciae s. Dionysii recipiunt conventum s. Francisci extra moenia urbis Sezaniensis, dioecesis Trecensis, et conventum s. Ludovici regis prope urbem Monasteriolensem, dioecesis Senonensis.

Conv. Lodevae Mon. prov.

LXXXV. In provincia s. Bernardini eisdem fratribus obvenit conventus s. Ludovici prope urbem Lodevae, in montibus Occitaniae, instructus partim eleemosynis civium, partim vero sumptibus Francisci de Leuy, ducis de Ventadour et generalis praefecti Occitaniae. Anno MDCXXXII. Ioannes de Plantavit de la Pause, episcopus Lodevae, ecclesiam consecravit. Multa et ipse contulit ad totius aedis molitionem et coenobii bibliothecam multis auxit libris.

De Gubernatis tom. II. p. 462.

LXXXVI. Hoc tempore etiam in Polonia iidem fratres aliqua domicilia incolebant, eis adsignata a ministris provincialibus minorum de observantia, ut tali medio liberius fratribus puriorem seu perfectionis vitae methodum anhelantibus satisfactum esset. Circa annum MDCXXVII. in capitulo provinciali non levis exarsit quaestio inter patres, num solidanda vel amovenda esset recollectorum familia in Polonia. Verum cum anno MDCLXXVI. in comitio generali habito a Iosepho Ximenes, ministro generali ordinis, statutum fuisset, ut tres vel quatuor recollectorum domus adsignari deberent in singulis cismontanae familiae observantium provinciis, hinc familia recollectorum stetit et in regno Poloniae.

LXXXVII. Fratres reformati provinciae Romanae, custode Lu-

dovico a Trioria, recipiunt conventum s. Mariae Angelorum prope oppidum Numentanae, erectum opibus d. Mariae Cesi Peretti. Placito Fabritii Veralli cardinalis et ordinis patrum indulget pontifex: *Exponi nobis*, die XIX. Ianuarii, ut Ioannes Baptista Dongus, procurator generalis eorundem fratrum, possit aedificare pro suis alterum coenobium s. Bernardini titulo in via *Longara* de Urbe nuncupata. Summi pontificis indultum suo tamen caruit effectu. In provincia Principatus occuparunt coenobium s. Francisci prope oppidum Brancilliani, Salernitanae dioecesis, et in Siciliae provincia conventum s. Luciae prope Syracusas.

Conv. Numentanae. Mon. prov.

Conv. Brancilliani Mon. prov. Conv. Syracusarum. Mon. prov.

LXXXVIII. Ad CCCCC P. ab oppido Massao, dioecesis Tudertinae, in provincia Umbria, erectum fuit coenobium s. Petri titulo, ubi incolas posuit Franciscus de Montefelcino, eorundem reformatorum custos. Caetera de eo docet monumentum, quod obviat super ecclesiae ianuam: Marcellus Lantes romanus cardinalis amplissimus et episcopus Tudertinus beneficentissimus coenobium hoc suis sumptibus fundatum et perficiendum curavit. A. D. MDCXVIII.

Conv. Massar. Antonius de Urbeveteri p. 359.

LXXXIX. Quum ex illustri Apponyiana comitum familia quidam, Ioannes nomine, ex eremitorio suo in monte s. Catharinae violenta manu in paternam domum delatus subito mortuus fuisset, comes Christophorus Erdődy, huius facti rumore et experientiis motus, ibidem conventum pro fratribus provinciae s. Mariae Hungariae erigi curavit, vulgato sequenti instrumento:

Nos comes Georgius Druget de Homonna, iudex curiae etc. Memoriae commendamus etc... Quod spect. ac magnificus comes Christophorus Erdődy de Monyorókerék, Montis Claudii et com. Varasdiensis comes perpetuus etc... Nostram personaliter veniens in praesentiam... matura exactaque animi deliberatione praehabita, sponte et libere confessus sit, et retulerit eo modo: considerando et animadvertendo vitam hominis in hoc saeculo esse fluxam et inanem, nihilque esse firmum et proprium in futuro, quam quod bene operando in causas et usus pios conversum et elocatum fuerit, cum et opera eorum sequantur eos:

Conv. s. Catharinae in Hungaria Balázsovits Historia conventuum provinciae Mariae

His exacte perpensis, zelo pietatis in Deum voto divae Catharinae virg. et martyris, cuius capellam antiquissimam ac memorabilem intra montana pene desertam in bonis et ditione sua cernens, in territorio possessionis suae Nahách nuncupatae in Posoniensi, ad castrum suum Iókcő in Nitriensi comitatibus existentiam habitae et in monte s. Catharinae divulgato, iuxta praedictam capellam eiusdem divae virginis et martyris claustrum pro patribus ordinis sancti Francisci erigere statuit; prout etiam erexit certisque spatiis et circumferentiis seu limitibus territorii sui supradicti pro hortis et pomariis inserendis circumscripsit et dicti ordinis fratribus... per manus tradidit, dedit donavitque similiter coram nobis; conditionibus infrascriptis, ut iidem fratres praesentes ac futuri ibidem degentes praedictum dominum Christophorum Erdődy, coenobii fundatorem, hac-

redesque ac posteros eius universos pro veris et immediatis patronis reputent et recognoscant et in signum recognitionis, praemissorum in suis sacrificiis et orationibus quotidianis pias faciant commemorationes.

Datum in castro Vittencz dicti domini fatentis in festo s. Thomae Aq. an. 1618.

XC. Hoc tempore fratres observantes, provinciae Marchiae, dimiserunt ob incursionem malevolorum coenobium s. Mariae in Sylva, oppidi Amandulae, antea a clarenis inhabitatum et a summo pontifice Pio V. eis concessum. Alterum tamen penes idem oppidum excitarunt loci incolae sub invocatione s. Sebastiani m. pro fratrum incolatu. Priorem tamen locum etiam aliquo tempore retinuerunt, ubi sacra operabantur.

Conv. Amandulae. Gasparini tom. I. p. 175. Gonzaga in prov. Marchiae conv. 23

XCI. Leo X. summus Pontifex anno MDXIX: *Cum sicut,* die XXI. Aprilis, concesserat fratribus de observantia provinciae Bononiae, ut penes hospitium positum intra castrum Florentiolae, dioecesis Placentinae, quod deserviebat eisdem fratribus conventus s. Mariae Montis Oliveti oppidi Arquati, aedificare possent oratorium cum altaribus aliisque ad divinum cultum peragendum necessariis. Brevi post tempore communibus eleemosynis nova satisque ampla ecclesia surrexit. Verum cum hospitium nimis esset angustum, hoc anno eorundem oppidanorum sumptibus data fuit opera novi conventus aedificationi pro sexdecim fratribus continendis. Die XXVII. Februarii anno MDCXXXII. in provinciali comitio Bononiae habito nova domus coenobii nomen obtinuit.

Conv. Florentiolae. Flaminius a Parma tom. I. p. 526. Ann. min. ad an. 1519. n. 21.

XCII. Praeter Antonium de Treio, hoc anno electum episcopum Carthaginensem, archiepiscopale munus ecclesiae Corcyrensis consequutus est die II. Decembris Benedictus Brangadinus, patritius Venetus, ex strictiori observantia. Laurentius Mangioius, minorita de observantia, archiepiscopus Lancianensis, transfertur ad ecclesiam Puteolanam. Ad moderandam conscientiam serenissimae infantis Mariae Austriacae, filiae Philippi III. Hispaniarum regis, delectus est Ioannes a s. Maria ex fratribus discalceatis, provinciae s. Iosephi. Officium contra haereticam pravitatem in urbe Florentina obtinuit Ioannes Paulus Panzarasa de s. Ioanne in Persicheto, minorita conventualis: *Volentes,* die XXVIII. Augusti.

Ughel. tom. VI. col. 285.

Matritensis tom. I. p. 595.

XCIII. Cum multis virtutum meritis floreret Laurentius a Brundusio capucinus, ideo Deus, ut gratum se illi praeberet, variis caelestibus donis eum cumulavit, ac primo sapientiae dono, quo haereticorum errores in Germania, Bohemia et Hungaria radicitus evelleret. Dum ei opportunum erat, vel idiomate hebraico vel chaldaico vel syriaco vel graeco concionabatur perfecte. Spiritu etiam prophetico fuit a Deo decoratus. Cum in Hungaria christianorum copiae contra turcas decertarent, illis victoriam praedixit, quod evenit de facto; nam impetu valido in Turcas facto, optatam palmam consecuti sunt Christiani. Interim Philippum III. Hispaniarum regem de morte sibi

Annal. min. ad an. 1613. De Pise tom. III. p. 335.

vicina admonuit, licet vegeta aetate et integra valetudine praestaret. Is enim anno MDCXXI. occubuit, annos numerans quadraginta duos.

XCIV. Emiouit etiam curationis gratia et miraculorum gloria, de quibus tamen pauca. Eius linteola lacrymis conspersa cum sacrum ageret, aegris redimita celerem illis sanitatem reddebant. Crucis signo super oculos caeci a viro Dei facto, perfectae luci restituitur. Anno MDCIII. in coenobio Massiliae commorans, crucis signo loquendi usum muto restituit. Mirabilia tamen vir Dei operatus est et hoc praesenti tempore in urbe Mediolanensi, ubi duobus mensibus incolatum tenuit; nam ibidem crucis signo a daemone obsessam liberavit; sanavit mulierem ad mortem aegrotam; febrem malignam ab altera extinxit; mente captam et puellam a medicis derelictam incolumes reddidit; infirmum pene mortuum a longa infirmitate mirabiliter curavit, et alterum viginti quinque foedis ulceribus afflictum sanavit. Interim infirmum a calculo et obscoenum hominem tactu dumtaxat suo a luxuria liberavit.

XCV. Hinc tot tantisque meritis cumulatus, penes omnes magnam sui nominis famam obtinuit; et licet ad declinandos hominum plausus noctu ad oppida et villas de industria diverteret, attamen multi eum praeveniebant et campanae sonitu congregati, indicta supplicatione, Dei servo cum facibus occurrebant.

XCVI. Neapolim hoc anno advenit, Brundusium inde profecturus. Cum proficisceretur, litteras accepit a guardiano Neapolitani conventus, ut hanc urbem iterum repeteret, quaedam sibi aperienda Alexandri cardinalis Peretti, ordinis patroni, nomine. Lecta epistola, sic dixit socio suo: *ecce iam tertio viam Brundusii carpens, aliquo semper impedimento praevenior, ne eo appellere valeam: sequar ergo quo voluntas divina vocat.* Hoc dicto, statim iter suum Neapolim versus instituit.

XCVII. Ut civium occursum, quem timebat, effugeret, noctu urbem ingreditur, at regni proceres moniti, illico post eius ingressum eum in coenobio conveniunt. Flexis genibus infelicissimam patriae sortem eidem exposuerunt. Eo enim tempore Petrus Giron, Ossunae dux et regni prorex, cuncta moliebatur, ut excusso catholici regis imperio, illius ditionis clavum obtineret. Ad haec praecavenda Laurentium iidem proceres rogarunt, ut legati munus ad catholicum regem assumeret, qui, audito deplorabili eorum statu, aliquo modo miserandis calamitatibus cito provideret. Idipsum et epistola sua eidem commendavit cardinalis Alexander Peretti. Quare vir Dei proceribus ac mandatis cardinalis, ordinis sui patroni, cedens, demandatum sibi officium licet invitus, suscepit. Hinc Neapoli solvit, et Genuam pervenit, ubi cum eiusdem cardinalis epistolas, ne ulterius procederet, accepisset, de subita eius mutatione sollicitus coepto itineri supersedit. Verum cum id aegre tulisset Philippus III. Hispaniarum rex, summi pontificis auctoritate interposita, iter nuper impeditum instaurare coactus est. Cetera in anno sequenti.

XCVIII. Aliqua iubet summus pontifex. In primis, ut eleemosynae et alia bona locis Terrae Sanctae a piis benefactoribus concessa, ad alios usus non convertantur: *Caelestis*, die XXII. Ianuarii; iubet, ne observantes ullo modo audeant perturbare fratres discalceatos in regnis Hispaniarum et Indiarum: *Dudum*, die IX. Aprilis; confirmat erectionem provinciae s. Didaci discalceatorum in regno Mexicano et rata habet privilegia concessa provinciae s. Iosephi: *Alias*, IX. Aprilis; iubet, ne mutuentur paramenta et vasa sacra ecclesiae observantium s. Francisci de Vinea Venetiarum: *Conservationi*, die XX. Aprilis; iubet, ne extrahantur libri e bibliotheca s. Francisci Matilicae erecta a p. Metello eo loci nato: *Cum sicut*, die VII. Septembris; similia iubet pro bibliotheca conventus reformatorum s. Petri Siciliae et conventus s. Mariae de Iesu Plateae, dioecesis Catanensis: *Cum sicut*, die XX. Novembris.

XCIX. Idem summus pontifex indulget servari in regno Galliae tanquam de praecepto festum diem s. Ludovici Galliarum regis: *Domini nostri*, die V. Iulii; ut a fratribus de observantia recitari possit semel in mense officium ss. Stigmatum s. p. Francisci, exceptis diebus adventus et quadragesimae: *Domini nostri*, die IV. Aprilis; ut moniales tertiariae s. Francisci oppidi Burbungensis, Audomaren. dioecesis, remaneant sub curá ordinarii ac gaudeant privilegiis aliorum monasteriorum ordini minorum observantium subiectorum: *Piis sanctimonialum*, die II. Iunii; ut fratres observantes conventus ss. Annuntiationis Fabriani in fabricam clausurae et conventus erogare possint legatum bis centum florenorum, eis relictum a Sebastiano Dori loci incola: *Exponi nobis*, die XV. Ianuarii. Coenobium hoc solo aequatum, alterum eisdem fratribus obvenit in medullitio civitatis, quod dimiserant monachi olivetarum. Similia indulget pontifex fratribus reformatis Calliensis pro perficienda eorundem domo: *Alias*, die XIV. Septembris.

C. Erigit pontifex confraternitatem s. Rochi in parochiali ecclesia loci de Wazemmes, Tornacensis dioecesis: *Cum sicut*, die VIII. Septembris; confraternitatem Conceptionis in parochiali ecclesia oppidi del Val, Bracharensis dioecesis: *Cum sicut*, die XXVI. Octobris; confraternitatem ss. Sacramenti et s. Rochi in parochiali ecclesia s. Andreae Cordubensis, et confraternitatem tertii ordinis s. Francisci in ecclesia s. Francisci observantium Valentiae: *Cum sicut*, die XXII. Iunii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia s. Onuphrii Gaietae: *Cum sicut*, die XIV. Iulii; confraternitatem nominis Iesu in ecclesia observantium oppidi de Pavono, Tullensis dioecesis: *Cum sicut*, die XXIII. Maii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia eremitorii eiusdem nominis oppidi de Villareio, Toletanae dioecesis: *Cum sicut*, die XV. Maii.

CI. Sigismundus III. Poloniae rex pro sua erga Ioannem de Dukla, franciscanum de observantia, devotione sequentem litteram deprecatoriam misit ad summum pontificem pro festinanda viri Dei canonizatione.

Sanctissime ac Beatissime Pater.

Post oscula pedum beatorum etc. Anni sunt centum et triginta, ex quo Ioannes de Dukla, ordinis s. Francisci de observantia, vivis excessit. Constans et perpetua fama est, cum dum, viveret, ea et sanctitatis et integritatis apud omnes opinione fuisse, ut cuncti pietatem eius mirarentur, doctrinam admirantes factis conformem suspicerent. Floruit is paulo infra illud tempus, quo d. Bernardinus Senensis franciscanam familiam pristinae integritati restituit, et instituti sui semina in has quoque septentrionales regiones feliciter intulit. Ex hoc palmite surculus iste in eam execrevit magnitudinem, ut non modo vivus, verum et vita functus ingentibus clareat miraculis, de quibus sanctitas vestra ab aliis intelliget. Ego plurimum gratulor temporibus meis, quod, me rerum potiente, eiusmodi sanctissimorum virorum gesta, oblivionis tenebris involuta, in lucem prodeant, ac recentia quodammodo sanctorum patrocinia regnis meis undique barbarorum vicinitate circumseptis parari videantur. Peto ergo a sanctitate vestra, ut favere velit orienti famae eius sancti viri, explorataque eorum, quae de illo non dubia relatione ad sanctitatem vestram deferuntur certitudine, eorum numero illum adscribat, quos christiana pietas inter beatorum coetum relatos publico et solemni ritu veneratur. Plurimum sanctitas vestra ea re animos subditorum nostrorum ad pietatis studium incendet; praesertim vero civitatem Leopoliensem, nobilem Russiae metropolim, fidei catholicae observantissimam, sedi apostolicae addictam, quae hunc virum Ioannem de Dukla, quom vivum olim suspexit, tandem cum Christo regnantem tacita adhuc veneratione honorat, magno beneficio afficiet; universasque illas regiones schismate graeco infectas, novo quasi illustratas lumine, ad priscae observantiae studium excitabit.

Datum Varsaviae anno MDCXVIII.

Sanctitatis vestrae filius:
Sigismundus rex.

ARGUMENTUM.

Prosequuntur studia Antonii, episcopi Carthaginensis, pro assequenda a pontifice definitione immaculatae Deiparae conceptionis. Protestantium facinora in catholicos, in austriacos imperatores et in franciscanos fratres. Mathias imperator obit, locoque eius Ferdinandus II. deligitur. Provincia s. Mariae Magdalenae recollectorum erigitur. Fratrum et sororum aedes fundantur. Inclarent viri docti et decedunt. Alii pie occumbunt, inter quos Laurentius a Brundisio capucinus. Sacrarum item virginum memoria commendatur. Eliguntur episcopi, et summi pontificis mandata notantur et favores.

Wadd. in legatione ad pontifices p. 44.

I. Post sacrae epiphaniae solemnitatem episcopus Carthaginensis Antonius a Treio, Philippi III. pro definienda controversia immaculatae Virginis conceptionis legatus, verbo et scripto mentem suam summo pontifici aperuit.

Beatissime Pater.

Episcopus Carthaginensis, maiestatis catholicae apud tuam beatitudinem orator pro intemeratae Virginis immaculata conceptione, ea qua debet humilitate ac submissione ad pedes tuos provolutus et post humillima pedum oscula, obedientissimi filii tui Philippi tertii nomine exponit, sanctum ac prudentissimum decretum a sacra sanctae inquisitionis congregatione promulgatum et a tua beatitudine confirmatum in controversia conceptionis beatae virginis Mariae, hilari fronte, libenti animo et promptissimo ad obediendum, debitaque devotione, pietate et humilitate ab eodem rege catholico susceptum fuisse, dum speravit, futurum illud efficax remedium ad sedandos tumultus et extinguenda scandala, quae in Hispania grassabantur. Quod enim ex summa tua sapientia singularique providentia emanavit, et a sanctissima intentione processit, indubitanter putavit non minoris futurum efficaciae.

Idemque viri doctissimi crediderunt, qui dnos eosque egregios te in eodem habuisse fines ac motiva suspicabantur. Unum, ut affirmativa opinio cum honore sepeliretur, ne fautores illius exacerbarentur immodice; alterum, ut dum careret magistro et doctore, facile a fidelium memoria laberetur, et ita sua doctrina in omnium reciperetur cordibus, plantaretur affectu; et alia a scholis, a cathedris, ab universa exularet ecclesia, cuius ita praesentibus obviaretur incommodis, ut futurae praevenirentur discordiae.

Sed heu (proh dolor) utroque statim fine nos vidimus frustratos. Adversarii etenim quid intendebatur, praesenserunt, et ne illorum

interiret opinio, nullum non moverunt lapidem et hunc praecipue, ut populis persuaderent, tuum illis favere decretum, piae vero sententiae fautoribus nequaquam, sed affirmativam te laudasse et approbasse. Quod ex eo comprobant, quia non solum eandem te ei tribuisse probabilitatem, quam ante decretum habuerat, sed multo maiorem adfirmabant. Et addiderunt, pontificum neminem hucusque ei tantum applausisse, quippe non fuit ex omnibus unus, qui eam impugnari aut falsam immo et parum piam dici prohibuerit, quae et similia omnibus stricte in hoc interdicuntur decreto. Unde tuam beatitudinem suae opinionis fautorem, protectorem ac patronum praedicare non cessabant, et te illam ab omnium calumniis aut impugnatione per tot tantasque censuras reddidisse securam.

Ulterius suggerebant, aeque piae opinioni ac affirmativae impositum fuisse silentium; licet enim non expresse iubeatur sileri, tamen moraliter impossibile putabant, eam posse praedicari aut doceri, quin rationibus eius ostendatur probabilitas et contrariae probetur falsitas, quin huius declarentur fundamenta, illius enerventur principia, quin huic tam vetustos patres quam neoreticos omnes adhaesisse doctores, illam si quos habuit antiquos eosque non magni nominis fautores, modo ab omnibus derelictam et destitutam esse dicatur, quam sub gravissimis poenis tua beatitudo voluit interdictam. Quid? Quod neque illi prohibeantur suam sententiam in propriis conventibus suos edocere discipulos, aut de ea disputationes aut scholasticas concertationes habere in suis monasteriis, dummodo magnus non intersit concursus populorum. Immo nec se prohiberi dicunt in novis libris eam prelo mandare, neque aliter; immo minus licere fautoribus piae sententiae de sua agere vel disputare, quam illis de propria contendebant. Nam etsi de hoc in decreto expressa non habeatur prohibitio, tamen ultra indirectam per ipsos ibi praetensam prohibitionem affirmabant, tuam beatitudinem ad illorum instantiam per suum vicarium in Urbe praecepisse, ne cui permitteretur in thesibus publice asserere, quod beata Virgo fuit concepta sine originali; quod, tanquam si tale praecepisset tua beatitudo, magistrum sacri palatii ita rigorose peragere in Urbe audio, ut nec in aliquo novo libro neque thesibus illud permittat excudi.

Praeterea addebant, sibi licere per hoc decretum particulares habere confabulationes et privatim apud omnes indiscriminatim de sua loqui et tractare opinione, manuscriptos codices per civitates ac populos disseminare, in iisque rudes et ignorantes docere suam doctrinam, quod se brevi praestituros spondebant populumque docturos, ne ulterius scandalizetur. In quo non leviter, licet inaniter et infructuose laborarunt; spe, ut dicebant, ducti quod postquam suae opinionis ignari illam perceperint, tua beatitudo, quae contra illam edidit oracula vel decreta, indubie revocabit, et amplas in illorum favorem pronuntiabit sententias. Quod exinde confirmabant, quia tua beatitudo proprium non expedierit diploma, aut ex motu proprio ali-

quid sanxierit; sed quidquid factum sit, hoc congregationis tantum esse decretum faciliter revocabile, ideo concessum, ut regis satisfieret instantiae, et scandalum quantisper cessaret parvulorum.

Haec et alia huiusmodi non solum in Hispaniae provinciis, sed et in Urbe et passim per Italiam in suum favorem spargunt quotidie. Divulgarunt etiam multa apud omnes addideruntque, pro eorum dictamine et desiderio factum esse decretum extractumque fuisse ex quodam praedicatoriae religionis statuto, facto sub gravissimo patre generali Xavierre, postea s. r. e. cardinali, cuius haec est substantia: *Stricte prohibemus, ne quis audeat in publico praedicare vel docere, quod beata Virgo fuit concepta in peccato originali, propter scandalum fidelium.*

Haec omnia permulti illorum quotidie et sollicite per domos fidelium et suorum amicorum cursitantes curabant hominibus persuadere, per quod supradictos fines a tua beatitudine intentos vidimus omnino delusos. Etenim tantum abest, ut illorum sepeliretur opinio, ut potius sollicitius undique persuaderetur et doceretur magno cum christianorum scandalo, ita ut in magnam devenerint desperationem immaculati conceptus sinceriores zelatores et cultores, putantes iam negotium hoc irremediabile, dum asseveranter dicerent adversarii, tuam beatitudinem nihil penitus iam in hac materia facturam et in nullo piae sententiae fauturam, immo alteri adhaesisse eamque adprobasse. Insuper videbant adversarios in indignas prorupisse actiones et nova et magna passim excitasse scandala, quorum aliqua in particulari memoriali fideliter tuae beatitudinis praesentabo conspectui.

Gravius ferendum erat, quod nullum iam purae Conceptionis zelatoribus relictum videbatur tantorum malorum remedium. Nec enim erat qui huiusmodi excessus aut scandala auderet seu vellet cohibere vel punire. Si enim tuae beatitudinis nuntium et apostolicum legatum super coercendis requirebant, ut saepius factum est ante et post decreti promulgationem pro praeteritorum et praesentium varietate et gravitate malorum, incunctanter respondebat, recurrendum esse ad sanctae inquisitionis tribunal. Cum autem ad hoc recursum est, rem ad se non pertinere dicebat, nec decere per sua supplicia in illos animadverti, eo quod non parva ei inuritur infamia, quia per sanctae inquisitionis ministros punitur, et in omnem familiam aut cognationem eius redundat ignominia. Ordinarii vero locorum praelati se nihil circa haec audere fatebantur, quibusdam ducti timoribus et exemplo apostolici nuntii et inquisitorum.

Si vero aliqui suum erga piam opinionem affectum demonstrabant aut eam quibuscunque favoribus prosequebantur, apud adversarios statim male audiebant, quorum vitae et famae in suis conversationibus apud quoscunque detrahebant, et quod gravius est, ex ipsis suggestis et rostris non modicis eos conviciis et cavillosis aut palliatis iniuriis afficiebant, ac contra eos, qui suae non adhaerebant doctrinae, irritatoria verba et invectiva non pauca effundebant, vocantes

eos ignaros, idiotas, simplices, stultos et quamplurimis huiusmodi ignominiis eos prosequentes, quorum multa simul cum iniuriis illatis, in particularibus de his tractatibus omni suspicione vacuis, largius tuae beatitudini referam.

Qui vero Dei zelabant honorem, virginis Deiparae optabant splendorem, ecclesiae desiderabant tranquillitatem, rituum ac caeremoniarum eiusdem affectabant uniformitatem, et tuae beatitudinis desiderii consecutionem: de his omnibus ex omni civitate et loco catholicum admonuerunt regem, et ut provideri de maturo curare vellet remedio instantissime rogaverunt. Ille autem, ne temere remedium aliquod adhibere videretur, congregari iussit conventum gravissimorum virorum, ad quem vocavit illustrissimos cardinalem Toletanum et cardinalem Zapata, Compostellanum archiepiscopum, episcopum Conchensem, episcopum Vallisoletanum, confessarium suum; duos itidem praedicatores regios, duos primarios duarum gravissimarum academiarum Salmanticensis et Complutensis theologiae praelectores, et provincialem unum ordinis divi Francisci, abbatem etiam aedis d. Benedicti Matritensis.

His congregatis propositum est, hunc regis fuisse animum, a tua sanctitate petere, ut vellet ultimam huic controversiae addere definitionem. Quod si hanc statim non obtiueret, rogare, ut iubere dignaretur tua beatitudo pro scandalorum remedio, ne quis ullatenus auderet affirmativam opinionem publice aut secreto docere, nec verbo aut scripto ullo modo de ea agere; et quod praeciperetur, ut omnes undique fideles eodem nomine ac sensu, quibus ab ecclesia celebratur, colerent festum conceptionis beatissimae Virginis. Magna etenim fuit semper omnibus petra scandali diversitas huius solemnitatis. Cum etiam in decreto pontificio ultimo solum prohibeatur publice praedicari aut doceri alteram opinionem, magnum videbatur patere ostium scandalis et dissentionibus, ut experientia compertum erat. Etenim in privatis et secretis colloquiis de sua agebant opinione adversarii, ex quibus maiora et graviora proveniunt scandala; tum quia liberius utrinque altercantes loquuntur et effraenatim suis ducuntur passionibus ad affirmandum vel negandum, quod pro suis visum fuerit affectibus, sine moderamine et immodeste uno in alterum sine teste sine iudice invehente; tum quia saepius et passim hae offeruntur conversationes non una aut altera festivitate vel particularibus diebus (quos sacratos et destinatos habent ad conciones et lectiones), sed omni hora et tempore, frequentesque habent colloquutores et auditores, qui audita statim aliis referunt et per vulgus spargunt. Hinc frequentiores disseminant discordias, dum quod aliquibus dicitur cum illorum scandalo, omnibus communicatur cum magno totius reipublicae discrimine. Varia sic undique orta sunt inter ecclesiasticos et saeculares dissidia, quorum plurima evenisse post huius decreti sanctionem omnibus est manifestum. Quare iussit rex, ut praedicti praelati ac patres, quid in tantis molestiis faciendum erat, consulerent et

de recursu pro ulteriori remedio ad tuam beatitudinem quid sibi videretur, renuntiarent.

Illi, mature pensatis quae pientissimus rex proposuerat, et consideratis non leviter tantis regni et ecclesiarum tumultibus, eoque plures nasci ex colloqnio familiari et secreto quam publica lectione et solemni praedicatione, quo plures sunt confabulatores et collocutores quam magistri et praedicatores; et quo sollicitius illi curant, quod per ipsos suppleatur, quidquid his per prohibitionem non licet: necessarium duxerunt ad tuam beatitudinem recursum pro efficaciori tantorum malorum remedio, ad quod postulandum, sub conscientiae reatu catholicum regem teneri iudicarunt.

Hoc vero tuae beatitudini nullatenus displiciturum collegerunt ex eo, quod in prudentissimis tuis litteris tam in prima constitutione a te edita, innovando factas a tuis praedecessoribus, quam in ultimo decreto fatearis, quod perspicuum est, obligationem esse pastoralis officii obviare scandalis et discordiis fidelium; hanc quoque pro unica et speciali ratione decreta haec publicandi, statim in eorum assignes initio. Haec autem hoc tempestuoso tempore nihil minor aut infirmior est quam ante decretum; cum ex particularibus conversationibus maiores in dies nascantur discordiae, et eiusdem speciei, plura numero, graviora qualitate scandala succrescant. Quae certe (ut illi recte censerunt) ad regem attinet tibi referre, et opportunum ac efficacissimum pro suis subditis et regnis deprecari remedium. Nec enim haec te celare licet, namque (ut inquit Bernardus) *oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei.* Immo si illa ad se non referret catholicus rex, iuste timuerunt illustrissimi cardinales, archiepiscopi, episcopi et patres congregati, tuam beatitudinem posse conqueri de catholica maiestate et mirari, quod in tantis Hispaniae motibus et novis scandalis sileret, et ad vestrum apostolatum non recurreret. Immo veriti sunt, ne vestra sanctitas in catholicum regem iuste usurparet verba illa, quae Leo magnus in Flavianum intersit: *Miramur, fraternitatem tuam quidquid illud scandali fuerit* (quod scilicet paucis ante mensibus Constantinopoli acciderat) *nobis silere potuisse et non potius procurasse, ut primitus nos insinuatio magis tuae relationis instrueret.*

Omnino ergo necessarium iudicarunt de his certiorem facere tuam beatitudinem, et insuper exponere magnum magnis patere aditum scandalis et certam extrui viam tumultibus, dum prohibetur, ne de affirmativa opinione quisquam publice verbum faciat. Quia moraliter impossibile est, piam praedicari et doceri a fundamentis, quin alterius sententiae rationes enerventur, ac probabilitas infirmetur, quod a tua beatitudine strictissime ac sub gravibus poenis interdicitur.

Unde unum vel alterum eligendum est: aut penitus ab hac opinione praedicanda et docenda abstinere, quod aequum non est nec auctoritati ecclesiae nec tantae christianorum devotioni consentaneum; vel eam quo docet ac solet modo praedicare et docere. Sed imminet

statim non contemnendum, periculum. Adversarii etenim, si praedicari aut doceri negativam et impugnari affirmativam aut de ea tractari audiverint, statim accusationes formabunt et decreti poenas in praedicatores exequi expostulabunt. Quod quantae futurum sit causa discordiae, tumultus immo et cruentarum rixarum inter utriusque partis fautores, inter integras familias et gravissimas communitates, nullus erit, qui non facile praesentiat.

Monendam etiam tuam beatitudinem dixerunt, adhuc imminere scandalum, si contrariae partis sectatores discipulos, qui ad ipsos confugiunt, in suis conventibus partem affirmativam doceant et concertationes ac disputationes de illa habeant; quod sibi licere vel non esse prohibitum per decretum, dummodo magnus populi concursus non intersit, ut supra dixi, constanter affirmant. Quod scandalum adhuc erit intolerabilius, si in novis libris suam sententiam prelo mandare audeant, quod etiam sibi non esse interdictum affirmare praesumunt; quasi actus ille non esset magis publicus, quam publicae disputationes, lectiones vel conciones.

Consulendam etiam dixerunt tuam beatitudinem circa ipsam festi Conceptionis celebrationem, an liceat in ea celebranda a sensu ecclesiae romanae discrepare? In prima etenim ad tuam beatitudinem supplicatione hoc rex catholicus intendit, ut unanimiter ab omnibus coleretur immaculata conceptio virginis Mariae. Cum autem ad hanc et ceteras regis instantias solum responderit tua beatitudo, te prohibere, ne affirmativae opinionis sectatores amplius in publicis concionibus aut lectionibus suam praedicent vel doceant sententiam: dubium fatescit, si facta hac prohibitione liceat contrariis publice ac solemniter celebrare non conceptionem, sed sanctificationem Virginis a peccato? Quod si liceat, non parva erit occasio scandalorum populo christiano ac in Virginem devotissimo, dum inter missarum solemnia et fratrum psalmodiam in magno populi concursu audit publice profiteri ac expresse ex illorum mente supponi, quod beata Virgo originale contraxerit peccatum, cuius contrarium pie, sancte ac pure universaliter affirmat et celebrat ecclesia. Nec certe in hac parte futile ac sine fundamento erit hoc scandalum; nec est aut fuit parvulorum et indoctorum solum, sed et gravissimorum ac doctissimorum hominum, dum dubitant nec illis constet, qua auctoritate aut cuius pontificis licentia hunc noviter introduxerint ritum aut discrimen celebrandae Conceptionis, cum antiquitus et ante paucos elapsos annos, sub eodem nomine cum catholica ecclesia ac romano clero illam coluerint, ut plane ac aperte ex illorum antiquis constat martyrologiis, breviariis et missalibus; nunc autem ut videre est in missali ipsorum ad diem VIII. Decembris, in calendario et in festo ipso, pro conceptione opposuerunt sanctificationem; de quo specialem offeram tuae beatitudini tractatum. In hoc dubio et discrimine non parum aut leviter certe doctissimi quique scandalizantur, et fideles a festi devotione ac veneratione retrahuntur.

Praeter omnia haec etiam considerarunt illius congregationis praelati, quanta ac qualia fuerint scandala antiqua, quam sine fructu supplicia, quam inefficacia remedia, quoties intenta per Sixtum IV. tribus gravissimis pro hac sola materia editis constitutionibus, quarum nulla suffecit, ut tumultus sedaretur; per Alexandrum VI., qui per alteram quae Sixtus statuit confirmavit, ac insuper iudices pro executione apostolicarum litterarum constituit; per Pium V. dum alias emiserit, in quibus non dissimilia a sixtianis praecepit; per concilium oecumenicum Trident. in confirmatione constitutionum Sixti; nec tamen aliquid horum suffecerat ad sedanda scandala et lites tollendas. Ita tua beatitudo expresse ait, dum novo diplomate praedecessorum et concilii decreta revalidavit, et aliud insuper novissimum rigorosum satis addidit decretum. Quibus non obstantibus mala adhuc perdurant, illaque nos non sine magno nostro malo quotidie experimur. Nec regum potestas aut valida principum manus id potuit efficere aut cooperari per horribiles minas, terrores aut poenas severissimas, praecipientes, ut summorum pontificum observarentur sanctiones, in veneratione haberentur decreta atque ecclesiasticae haberetur ratio consuetudinis. Quid in hoc negotio laborarint Galliarum reges, quid insudarint Aragonum et Cataloniae principes, quid Navarrae, quid Valentiae, quid Maioricarum et alii reges catholici, satis omnibus notum est, et desideratam adhuc in suis regnis non sunt assecuti quietem.

Totale ergo ac unicum congregati praesules iudicarunt esse malorum remedium, ut quid in hac controversia tenendum esset definiretur, quod et ipsos affirmativae sententiae patronos visum fuit desiderasse. Tantas etenim in illos molestias ac graves calumnias controversia haec excitavit, ut honorabiliter illam finiri percuperent. Nullum autem honorabiliorem definitione putant praecipui inter illos in hoc casu exitum, seque libentissime definitioni dicunt assensuros. Quare praeter hanc aliud quodcumque iudicant cordati viri inefficax remedium, dum ad nullum aliud acquiescent adversarii et ad omnia, quae praeter definitionem adhibebuntur, varias solutiones et intricosas interpretationes adducent, definitioni autem colla tanquam veri et obedientes ecclesiae filii submittent, et quidquid proponetur, alacriter et facillime amplectentur.

His ergo et aliis rationibus ac motivis non infirmis gravi trutina libratis, unanimiter praedicti praelati censuerunt aequum et necessarium esse, ut a tua beatitudine instantissime peteretur, ut quid in hac re tenendum sit, aperte et determinatim per definitivam sententiam velit aperire, nullaque in re tanti momenti negligeretur sollicitudo, quia omni efficacia et cura tuae beatitudini repraesentaretur tam ampli regni, tam catholicae ditionis necessitas, et periculorum instantium et praeteritorum scandalorum gravissimum pondus, quo tua ad subveniendum populo christiano clementia facilius valeat inclinari.

Horum maturo iudicio et prudenti tantorum virorum arbitrio

acquiescens rex pientissimus et regnorum suorum scandalis laborantium illectus necessitate, misit ad tuae beatitudinis pedes me, tibi deditissimum servum, qui pro ipso instantissime flagitem, et qua possem submissione, humilitate ac affectu deprecer, ut suis regnis ac populis, scandalis oppressis ac seditionibus commotis, dignetur paterne compati, et hanc regi et subditis gratiam praestare, controversiam hanc adeo ingratam et exosam dissolvendo definire; quod christianae reipublicae, cuius hinc desiderata pax pendet, gratissimum futurum sperat et spondet. Pacem namque et christianam tranquillitatem aliter consequendam non esse, ampla et veridica scandalorum informatio, quam tuae beatitudini offeram, satis superque ac evidenter demonstrabit. Ex qua etiam aperte constabit, quam parum observaverint adversarii ultimum tuae beatitudinis decretum, et quam facile poenas in illo contentas contempserint.

Ex his omnibus tria non leviter beatitudini tuae consideranda inferre licet. Primum, quantum distet ab executione sapientissima dispositio tui ultimi decreti, et quam fraudetur utroque illo fine a te intento, quorum etiam culpa haec accidant, innotescet. Alterum est, quod si apostolica decreta apud tales tantosque viros parvi fiunt, quid erit inter simplices et rudes? quem illis honorem exhibebunt? Indocti doctorum sequentur exempla et quod illi parvi faciunt, hi facillime contemnent. Ultimum tandem et quod maxime mentem et animum tuum (beatissime pater) inclinare debet, est, consulendum certe esse tuae et ecclesiae auctoritati, quae non contemnendum in hac re patitur detrimentum, dum in longum haec protrahitur controversia, non sine quotidiano apostolicarum litterarum contemptu, ut in alio memoriali clarius et diffusius monstrabo. Haec humiliter precatur et rogat catholicus rex Philippus, ut tua beatitudo velit secum altius cogitare, et ultimam iam tandem manum huic rei apponere, controversiam hanc definiendo.

Hoc sperat tanti regis pietas obtinere. Dignus est, qui pro summo suo in te et in ecclesiam obsequio exaudiatur a tua beatitudine, quam Deus opt. max. per multos et felices annos in ecclesiae splendorem et fidelium commune gaudium et consolationem servet incolumem.

Ut rationes has novae regis instantiae et controversiae dirimendae sanctissimus dominus ab oratore scripto accepit et verbo, non improbare se dixit regis instantiam nec pium condemnare in Virginem affectum, sed quod christiani et cordati regis est fecisse: pontifices tamen omnibus regum et principum votis adesse non posse, praesertim in iis, quae non humana, sed divina terminantur sententia, nec hominum iudicium, sed Spiritus sancti inspirationem et internum exposcunt impulsum. Spiritus autem, quando et ubi vult, spirat secundum suae divinae dispositionis et providentiae secretum. Nec temere, inquit, licet homini his se ingerere, nec fidei declarandis praecipitanter intendere arcanis, sed multa et magna opus esse consideratione et matura deliberatione, ut aliquid statuatur de fide et praecipue in hoc ipso negotio,

circa quod variae fuerunt hominum sententiae et graviores inter [se] dissidebant doctores. Addidit, traditum sibi scriptum, quando per tempus liceret, se lecturum et rationes expensurum, tumultus vero Hispaniae componi posse, dummodo secundum decreti statuta et licentiam animadverteretur in transgressores et christianae pacis perturbatores. Non facile posse hos coerceri, nec in eos animadverti, respondit orator, propter rationes in oratione positas, quas humiliter rogavit sanctum antistitem, ut dignaretur percurrere et secum examinare. Ex quibus et ceteris, quae offerebantur, fas erat colligere, ulteriori indigere Hispaniam suorum tumultuum remedio.

II. Hisce absolutis, pontifici obtulit quasdam orationes, ingenti prorsus doctrinae apparatu exornatas, ut eius animum ad evulgandum de immaculatae Virginis conceptione definitionem devinceret. Omnium prima sic inscribitur: *rationes et motiva, quae catholicum regem impulerunt, ut per peculiarem oratorem denuo instaret circa determinandam controversiam de intemeratae Virginis immaculatae conceptione, et status totius causae aperitur.* At pontifex ad hanc orationem oblatam respondit ut antea, se nimirum non posse controversiam definire, nec longiori, quam res haec expetebat, ob ecclesiae calamitates huic discussioni omnino intendere. Animo tamen non concidit orator, sed sibi potiorem temporum conditionem et regis catholici responsum expectandum suarum litterarum indicavit, per quas labente Decembri ei patefecerat, quam difficile foret, pontificem huic definitioni velle assentiri.

III. Interea nullis parcens laboribus, orator in Februario mense
Ibid. p. 56. a se scriptam consignavit pontifici *apologiam pro rege catholico et quod recte se gesserit in iis, quas adhibuit diligentias, pro definienda controversia conceptionis virginis Mariae.* Eam ratam habet multiplici argumentorum genere, nimirum pontificum decretis, oecumenicis conciliis, patrum auctoritatibus, utriusque iuris contextu ac theologicis rationibus. Altera est legati oratio ad pontificem, quae ita inscribitur:
Ibid. p. 79 *quam iusta sit regis catholici petitio de controversia conceptionis virginis Mariae definienda, et quod a beatitudine vestra debeat benigne exaudiri.*

IV. Expectatam regis catholici epistolam laetus accepit legatus hisce verbis expressam.

Rex

Reverende in Christo pater, episcope Carthaginensis, mihi a consiliis et mi legate.

Tuas recepi litteras, XXIII. Decembris datas; ex quibus licet in-
Ibid. p. 90. tellexerim, sanctissimum dominum, cum primum apud eum pro me functus es legatione pro definiendo mysterio conceptionis, annuere noluisse, non obinde tibi desistendum erit, sed urgentia applicanda media et efficacia obeunda officia. Conaberis suam sanctitatem con-

vincere vel commovere opinione et subscriptione tot tamque illustrium praelatorum, religionum et academiarum, quae in hac una sententia conveniunt, universali etiam populi acclamatione et gravi necessitate de amputandis scandalis, quae quotidie exoriuntur. Nec enim per ultimum suae beatitudinis decretum extincta sunt vel sopita, ut per hos sermones, quos in hoc fasciculo ad te do, qui publice habiti sunt post decretum, constabit. Hos ostendes suae beatitudini, ut persuadeatur, nullum aliud efficax, praeter definitionem, exstare remedium. Ita enim mihi confidenter promitto, meis votis sanctissimum dominum assensurum et mediis tuis diligentiis facinus hoc absolvendum. Quidquid ex iis quae peregeris evenerit, scribe, quod pro grato mihi praestito obsequio reputabo.

Matriti X. Februarii MDCXIX.

Ego Rex
Ex praecepto domini nostri regis:
Georgius de Tovar Secretarius.

V. In hac epistola erga Deiparae virginis immaculatae conceptionem regis pietatem demirans, nec a rei difficultate, nec a pontificis obsistentia deterritus legatus in colloquiis cum pontifice habitis, nonnulla scripta circa huius mysterii definitionem confecit, commoda sequi, si petitioni obsecundaretur, incommoda vero, si negaretur, ostendens. In oratione tertia tuetur, controversiam hanc esse gravissimam et magna consideratione dignam, ex quadruplici capite: 1. ob rei gravitatem, Ibid. p. 92. cum verti possit in dubium huius Virginis peculiaris sanctitas, cuius varia a ss. patribus et ecclesiae doctoribus adferuntur encomia; 2. ob rei periculum, cum adversa sententia possit ab haereticis res nostra sinistre iudicari et fidelibus scandalum praebere; 3. ob hanc definitionem efflagitatam non solum a cunctis ferme ecclesiae pastoribus, sed etiam a doctis viris dominicanae familiae; tum denique ob definitionis utilitatem, quatenus definito hoc mysterio, contentiones ac discordiae e medio tolluntur.

VI. Orationem quartam et scripsit orator summi pontificis Ibid. p. 117. consilio, quia piae sententiae osores continuo apud eum instabant, eorundem sententiam communi ss. patrum doctrinae esse apprime consonam. Pontificis voto post paucos dies satisfecit orator, ei oblato tractatu hoc titulo: *nullatenus sanctos patres sensisse, virginem Mariam in originali peccato fuisse conceptam, ostenditur; et eorum fallacia, qui pro affirmativa sententia plurimos sanctos adducunt, detegitur.* In colloquio, quod habuit pontifex cum legato circa patrum testimonia in tractatu collata, *se vehementer admirari dixit, quomodo per tot annorum spatia fallacia haec invaluerit nec deprehenderetur, et iam deprehensa et detecta adhuc insistebant adversarii in persuadendo populis tam sanctos omnes patres quam vetustiores doctores sibi favere.*

VII. At observandum, pontificem ita esse loquutum, quia paulo
Ibid. p. 130. ante a patronis adversae sententiae oblatus ei fuerat libellus, in quo eorundem patrum testimonia erant allata. Tunc legatus pontificem monuit, illum factum esse a fratre Vincentio de Baudellis ex dominicana familia anno MCDLXXV. sine proprio nomine, et anno MCDLXXXI. proprio nomine editum, non satis consonum fidei puritati a fratre Petro de Vicentia concinnatum. Rei veritas comprobata fuit collatis inter se libellis iuxta pontificis iussa per camerae pontificiae praefectum. Quare idem legatus in oratione quinta ad pontificem missa tuetur: *libros duos Vincentii Baudelli contra conceptionem immaculatae virginis Mariae conscriptos, saepius fuisse interdictos et adnumerari debere auctoribus in Indice vel catalogo librorum reprobatis.* Ad haec horruit pontifex, cum per Sixti IV. constitutionem *Grave nimis* ipsos libellos prohibitos esse novisset, et inter libros prohibitos a patribus Trident. concilii adnumeratos.

VIII. Ut autem in celebrando immaculatae conceptionis Deiparae mysterio dissonantia quaeque evitaretur, oratione sexta in mense Maio pontificem exoravit legatus, ut in posterum ulli haud liceret sub sanctificationis aut alterius cuiuspiam vocis varietate ab ecclesiae sensu discrepare. Eam orationem hoc titulo expressit: *non esse tole-*
Ibid. p. 149. *randam adversariorum in celebrando Conceptionis festo dissonantiam, et expedire, ut unanimiter cum universali ecclesia illud celebrare iubeantur.*

IX. Magno insumpto labore, legatus VII. Iulii exhibuit pontifici
Ibid. p. 172. orationem septimam, octo articulis partitam, evidenter ostendens: *catholicam et sanctam ecclesiam in festo conceptionis virginis Mariae nihil aliud aliquando intendisse aut modo velle, quam celebrare immunitatem ac praeservationem eiusdem Virginis a peccato originali, eo sensu, quod in nullo instanti eidem actualiter subiacuerit.* Ad haec pontifex respondit, nulli dubium esse, sanctam catholicam ecclesiam suo conceptionis cultu profiteri Mariam ab originali culpa praeservatam fuisse, nec ipsemet pontifex de hoc aliquando dubitavit; attamen incumbendum dixit domesticae paci tuendae potius, quam aliquid de ea controversia innovare, praesertim calamitoso hoc tempore, ob motum enatum in romani imperii et totius Germaniae ditionibus.

X. In octava ad pontificem missa oratione in mense Augusto ostendit orator adversariorum sententiam infimo probabilitatis, alteram vero summo probabilitatis gradu esse innixam. Eam sic inscribit: *in*
Ibid. p. 201. *quo statu et terminis versetur controversia de conceptione Mariae virginis, et quanta sit utriusque opinionis inaequalitas.* Rem demonstrat multiplici argumentorum genere, adhibitis septem articulis, tum a ratione tum ab auctoritate ductis.

XI. Orationem nonam et scripsit in mense Septembri, novem ar-
Ibid. p. 236. ticulis partitam, hoc titulo: *posse dirimi per definitivam ecclesiae sententiam controversiam de conceptione beatae virginis Mariae; non vero aliam quam negativam et piam opinionem posse de fide certam ab ecclesia proponi, idque quantocius ut fiat expedire, variis probatur rationibus.*

XII. Summus pontifex, audito eo quod fideles Iaponenses crudeli persecutioni, anno praecedenti in ipsos excitatae, denuo sint expositi, animo admodum commotus, eos, ut spe vitae aeternae fidem catholicam intrepide profiteantur, sequentibus epistolis paterne est cohortatus. Annal. min. ad ann. 1616. n. 43.

Dilectis filiis christifidelibus in Iaponia commorantibus.

Paulus Papa Quintus.

Dilecti filii salutem et apost. bened. Quoties de vestro praesenti statu cogitamus, contrario plane doloris et laetitiae sensu simul noster animus afficitur. Cum enim vos in visceribus Christi unice dilectos filios ut aerumnis oppressos, tot christiani nominis hostibus, qui sanguinem vestrum sitiunt, circumventos consideramus, ingemiscimus, et paterno affectu vestris malis tanquam eorum participes effecti, vehementer commovemur. Verum inter has doloris tenebras eximii nobis gaudii lux affulget, dum ea, quae pro Christi gloria sustinetis adversa, forti prorsus animo ac maxime prompto tolerare vos intelligimus. Gratiae profecto immortales benignissimo Deo agendae sunt, cuius praestanti munere vobis concessum est, non solum ut in illum credatis, sed etiam ut pro illo libenter patiamini. Noluit vos Dominus velut ignavos milites otio torpentes delitescere, sed in campum et aciem produxit ad strenue confligendum cum suo atque humani generis hoste, ut proprio etiam sanguine, si opus sit, illustriorem in istis regionibus reddatis evangelii veritatem, atque ipsius quoque evangelii hostes aperta Christi confessione provocantes invicto animi robore clametis: quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an gladius? Certi sumus quod neque mors, neque vita, neque ulla creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu. Spectaculum facti estis, filii, Deo, angelis, hominibus; diligenter providendum vobis est, ne in isto tam nobili virtutis vestrae theatro aliquid timidum vel infirmum in vobis aspiciatur. Aemulos vos posuit Dominus virorum illorum, qui nascentem olim ecclesiam liberaliter suo sanguine irrigaverunt, quorum sanguine effuso tanquam seminata seges ecclesiae fertilius pullulavit. Par sine dubio vestri sanguinis fructus in ista Iaponis ecclesia colligetur. Modicum nunc si oportet vos contristari in variis tentationibus, exultabitis postea laetitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem certaminis vestri in salutem innumerabilium animarum. Magna quidem de vobis pollicetur sibi Deus, sed maiora procul dubio vobis pollicetur, coronam videlicet incorruptibilem, incontaminatam et immarcescibilem in caelis. Alacres ad illam festinate, nihil vos fluxa haec atque caduca mundi detineant, quae velint nolint homines statim relinquere necesse habent. Quid vobis cum hac luce, quibus lux aeterna promissa est? Quid cum hoc Archiv. Vat. secr. Pauli V. brev. ann. XIV. n. 15 fol. 34.

isto commercio, quod caeli amplitudo deposcit? Toto affectu currite in amplexum eius, qui vester amantissimus pater est, et iustissimus remunerator; de ipsius manu stolam iucunditatis et coronam pulcritudinis accipietis, in cuius beatissimo sinu in aeternum quiescentes has laetitiae plenas voces illi dabitis: transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Nolumus autem, dilecti filii, existimare haec nos ideo scripsisse, quod de vestra constantia quidquam dubitemus; confidimus [enim], quemadmodum coepistis, ita divina adiutrice gratia ad extremum usque spiritum in christianae fidei professione fortiter vos perseveraturos; sed nostro muneri et magnae sollicitudini, quam de omnium christifidelium salute habemus, aliqua [ex] parte satisfacere voluimus. A vobis autem summo studio contendimus pro nobis atque universa ecclesia assiduas preces ad Deum fundere velitis, quas ipsum, utpote ab optime meritis filiis profectas, benigne auditurum speramus. Nos vicissim pro vobis orare et salutem vestram Deo commendare non deerimus, et iterum toto cum animi affectu apostolicam vobis benedictionem impartimur. Datum Romae apud. S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die octava Februarii 1619. Pontificatus nostri anno decimo quarto.

XIII. Ab annis multis, sed per haec tempora potissimum, lutherani audaciores effecti magnam catholicae fidei detrimentum attulerunt. Et ut rem ab exordio petamus, cum anno MDLXVIII. Maximilianus II. imperator protestantibus indulsisset, ut in eorum arcibus et oppidis tantum oratoria construere et conciones valerent habere, caesaris placito abusi in ipsis etiam civitatibus idipsum et agebant, quinimmo et Viennae, ubi ad eorum conventus etiam catholici conveniebant. Hinc Rodulphus II. eius filius, in imperio successor, futura ex hoc mala praesentiens, anno MDLXXVIII. vulgata lege, sacros lutheranorum conventus dissolvit, et ad eos frequentandos catholicis interdixit. Ex hoc indignati ordines Styriae, Carinthiae et Carniolae eidem imperatori subsidia denegarunt ad bellum iam initum contra Turcas, et ducem suum Carolum coegerunt, ut optimatibus in eorum castris et Graecii, Iundenburgi Clagenfurti et Labaci liberum religionis exercitium excluderet. At anno MDXCVII. archidux Ferdinandus Caroli filius iussit, ut omnes lutherani vel e patria migrarent aut catholicam fidem profiterentur.

Wadeu. hist. protest. in Austria, Styria etc.

XIV. At protestantes caesaris iussa aspernantes, episcoporum et monasteriorum bona occuparunt, et catholicos iniuriis et violentiis affecerunt ubique. Ut cetera praetereamus, anno MDCVI. publico catholicae religionis exercitio privarunt cives Donauverdae in insula Danubii, quia fidei catholicae firmiter adhaerebant. Tanto facinore ad tribunal Spirense delato, catholici sententiam ab aequalitate petitam obtinuerunt. Verum protestantes quiescere noluerunt. Igitur idem Rudolphus anno MDCVII. Donauverdam urbem copiis Maximiliani, Bavariae ducis, invadens sibi subiecit et protestantes in ordinem redegit. Ex hoc protestantium principes magis indignati, Friderico

palatino electore agente, foedus inter inter se inierunt anno MDCVIII. ab eis dictum *unio evangelica.* Catholici etiam aliud instruxerunt, quod nominarunt *foedus catholicum.* Cuncta erant ad bella parata. At Rudolphus ut bellum intestinum caveret, anno MDCIX. scripto, vel ut aiunt *litteris maiestatis suae* eis indulsit liberum religionis exercitium, et facultatem nova oratoria in eorum dominiis excitare. Defuncto anno MDCXII. Rudolpho, eius frater Mathias in regimen imperii successit, qui ob grassantem haeresim lutheranam Praga Viennam Austriae transtulit imperii sedem. Sub eius regimine iidem lutherani, archiepiscopo Pragensi et abbati Brauniensi subditi, anno MDCXV. oratoria sibi instruxerunt, rati, facultatem eadem aedificandi concessam in litteris maiestatis, ad quosque protestantes extendi posse. Anno MDCXVIII. ineunte imperator minaces litteras ad eos dedit, quibus magis magisque ira incensi, Henrico Mathia comite de Thurn auctore, ad tantum facinus devenere, ut regiam ingressi, duos aulae consiliarios, Martinitz et Slavata, e fenestra eiicerent, et regimen in se susciperent, constitutis XXX directoribus. Bellum ita exortum terdenis annis continuatum, Bohemiam non solum, verum etiam alias regiones foede vastavit. Arma armis opponebat imperator; at Bohomi a confoederatis adiuti, duce Mathia de Thurn, Moraviam, Silesiam et Lusatiam sui iuris fecerunt et Viennam usque penetrarunt. Hinc imperator contracto ex animi tristitia languore vita excessit Viennae die XX. Martii, aetatis anno LXII. Defuncti corpus illatum in monasterium clarissarum Viennae ad Reginam, ubi Annae eius uxoris etiam exuviae quieverant, anno MDCXXXII. translatum fuit penes coenobium capucinorum a Regina Angelorum dictum, hisce verbis incisis in monumento:

D. O. M. S.

MONUMENTUM AUGUSTISSIMI ET INVICTISSIMI CAESARIS MATHIAE REGIS HUNGARIAE ET BOHEMIAE ARCHIDUCIS AUSTRIAE ETC. QUI BEATO FINE VITAM ET IMPERIUM CONCLUSIT. ANNO MDCXIX. XX. MARTII.

XV. Hoc tempore franciscani fratres de observantia tum in provincia Austriae tum in provincia Bohemiae multa passi sunt ab haereticis, cuncta moliente Friderico, palatino electore. Foederatorum copiae Eggenburgum hoc anno advenientes, variis modis una cum plebe a fide devia fratres conventus eiusdem urbis durissime vexaverunt. Ut eorum incolumitati consulerent, supplicem litteram dederunt Henrico Mathiae comiti de Thurn, perduellium militum praefecto, ut tantis excessibus finem imponeret. Precibus annuit et mandatum tulit hisce verbis expressum: Greiderer tom. I p. 324.

Omnibus et singulis regni Bohemiae et confoederatarum provinciarum exercitui incorporatis, superioribus et inferioribus, officialibus, equitibus etiam ac peditibus hisce intimatur, praetereaque stricte praecipitur, ut conventui Purificationis dicto, quem hic

Egenburgi religiosi ordinis s. Francisci incolunt, cum omnibus ad eum pertinentibus parcant neque in minimo molesti sint, cum omnino pauperes sint, nec quod contribnant, habeant. Qui nobiles et cavalieri sunt, aliunde utentur discretione, aliis autem sub irremissibili poena. Actum Egenburgi in quartirio principali die XXIII. Aprilis anno MDCXX.

Henricus Mathias comes de Thurn.

Idem ibid. p. 622. Idem ibid. p. 676. Idem ibid. p. 623. XVI. Iidem protestantes in eadem provincia Bohemiae vacuum fratribus reddiderunt coenobium Deiparae assumptae urbis Znaymensis, omniaque supellectilia ecclesiae rapuerunt. Eiusdem urbis seditiosi haeretica labe infecti pulsis clarissis, monasterium Assumptionis occuparunt una cum bonis mobilibus et immobilibus. In eadem provincia flammis addixerunt soloque aequarunt incolae urbis Novo-Domensis eorundem fratrum coenobium sub invocatione s. Catharinae virginis et martyris.

Idem ibid. p. 629. XVII. Miles comitis Mansfeldii, protestantium haeresi infectus, Plisna urbe in Bohemia vi occupata, conventum b. Virginis assumptae eorundem fratrum devastans, aras ecclesiae evertit et ss. imagines profanavit, ac fratres in fugam egit. In hoc excidio quidam miles igneam balistam in figura Iesu Christi in ecclesiae foribus erectam exonerans, hac blasphemia praemissa: *ego huic balneatori caput auferam* eius collum perforavit. Vix consummato scelere, illico in terram concidens miles, in tantam devenit iram, ut demens surrexerit. Inde ab ecclesia recedens in fluvium civitati proximum sese praecipitem dedit, et vitam misere absolvit.

Idem ibid. p. 630. XVIII. Eadem haereticorum seditio crumpens in conventum eorundem fratrum Deiparae assumptae, urbis Bechinensis, guardianum carcere mancipavit, ceterosque domo eiecit; in Christi et Deiparae imagines etiam saevierunt. Nos in iis describendis, verbis utimur cl. Vigilii Greiderer, quem scimus cuncta accepisse ex archivo laudati coenobii. "In hoc insultu, *inquit,* rebelles haereticali toxico infecti sacra diripuerunt, altaria dissolverunt, sepulcra comitum de Sternberg, Rosenberg et Schwamberg foedarunt. Unus miles ex hac colluvie statuam Salvatoris cruci affixi sacrilego globo petiit, ac scelere vix consummato, facies eius ad tergum versa, et ipse pene exanimis in terram prostratus est. Alius in hanc statuam lapidem misit, ac lapis tanto impetu in pectus eiusdem resiliit, ut semimortuus ex templo portatus fuerit. Alius cathedram ecclesiae conscendit et effrontiores in eundem crucifixum evomuit blasphemias. Res mira! Salvator propediem magno splendore circumfunditur et oculos huius impii ita perstringit, ut proprio oculorum usu orbatus per gradus praeceps in ambitum conventus devolveretur, miseram animam iamiam acturus. Alius partem in hac statua resecavit; at ea in ipsum insiliit, eum charactere sensibili et stabili in facie definxit. Post Filium sae-

vitum in eius dilectissimam Matrem: nam quidam pessimae vitae arrepto latere, devotae statuae maioris figurae caput discussit et secum domum intulit, os suum in hanc detestandam blasphemiam solvens: *poenitet me id fecisse, nam adhuc propter speciositatem tuam mihi pro concubina valuisses.* Haec verba ocyus accepit vindicta divina; siquidem mox horribili voce eiulavit et pronus in terram animam iam exhalaturus prostratus est; eodem momento decessum caput huius statuae humi iacens os operiebat et labia quasi loquelam formaturum movebat. Hoc post tertium diem quidam pius civis Bechinensis una cum reliqua parte sanctae statuae in domum suam portavit et eidem coniunxit parti, cum miraculose adhaesit atque in unum coaluit modico signo in diem praesentem apparente relicto. Alius nequam alteram statuam minorem b. v. Mariae ter in ignem coniecit, quae in hoc illaesa haerens sine adminiculo externo ad suum pristinum locum rediit... Adoranda insuper mira Dei providentia circa statum harum statuarum, quae eas, licet ex rudi ligno tiliae ad corruptionem proclivis confectae sunt, et statuae crucifixi et maior b. v. Mariae pulveri et humidis qualitatibus, utpote vitro non reclusae prostent, ultra ducentos annos a corruptione et demolitione innocuas conservavit „.

XIX. In tanta malorum colluvie, quibus ferme obruta erat austriaca domus, ad imperii fastigium evectus est Francofurti die XXVIII. Augusti aetatis suae XLI. loco Mathiae iam defuncti, Ferdinandus huius nominis II., quem adoptaverat filius Ferdinandi I. imperatoris; qua occasione summus pontifex sequentes Margaritae de Cruce, sanctimoniali ord. s. Clarae, dedit epistolas.

Dilecta in Christo filia, nobilis mulier, salutem. Etsi eo in statu es, ut mundi sive prospera sive adversa valde te commovere non valeant, quia tamen carissimus in Christo filius noster Ferdinandus, Romanorum rex, in sua ad imperii dignitatem assumptione non solum inclytae Austriacae familiae, atque adeo universae christianae reipublicae temporalis laetitiae causas attulit, sed etiam, quod te non fugit, spiritualis gaudii multo efficaciores rationes praebuit, quibus Dei gloriae et christianorum salutis amantes in Domino exultare merito debeant; ideo in huiusmodi electione te magnopere gavisam esse certo nobis persuademus. Nota maxime est Ferdinandi ingenita atque excellens pietas, et catholicae religionis sive conservandae sive propagandae perpetuum studium; quare sperandum est fore, ut istae ceteraeque ipsius virtutes amplissimum nunc sortitae campum, in quo longe lateque possint excurrere, fructum ipsis convenientem et christianissimo imperatore dignum, adiuvante Domino, referant, atque ita nostra in dies laetitia cumulatior evadat. Tibi igitur gratulamur et a te petimus, ut in tuis assiduis atque incensis ad Deum precibus nostri et electi novi imperatoris memor, utrique nostrum eam gratiam impetres, quo nobis impositam provinciam ad Dei gloriam et ecclesiae suae salutem pro dignitate exercere valeamus. Datum Romae apud S. Mariam XI. Septembris 1619.

Archiv. vatican. secret. Pauli V. brev. ann. XIV. n. 15. fol. 238.

Vanden p. 182. Mon. prov. Annal. min. ad an. 1615.

XX. Haec in occidentalibus regionibus. Apud infideles Canadenses sive in Nova Gallia Americae septentrionalis evangelii semina hoc tempore spargebant fratres recollecti tum provinciae immaculatae Conceptionis, tum s. Dionysii, eo anno MDCXV. acciti. Burdigala et hoc anno cum aliquot mercatoribus se contulerunt in Acadiam sive Novam Scotiam ex eisdem recollectis Sebastianus Miscovia, Iacobus de la Foyer, Ludovicus Fontiner et Iacobus Cardon sacerdotes, qui primam sedem posuerunt prope fluvium s. Ioannis, ubi per quadriennium infidelium conversioni sedulam operam dederunt, ex quibus Sebastianus alio, forte in Insulam de Carasavia, se conferens, reversurus postea ad praefatum s. Ioannis fluvium, in itinere molestiis supra modum affectus, inedia periit. Dissoluta anno MDCXXIII. mercatorum societate, iidem recollecti ab Acadia recesserunt; at tres alii sodales superstites apostolicum ministerium consummarunt cum ceteris provinciae s. Dionysii in Quebeco aliisque locis Novae Galliae. Ii igitur fuerunt Canadenses apostoli, qui sudoribus suis hanc ecclesiam rigarunt, antequam illa regio a Britannis occuparetur.

XXI. Hoc anno fratres minores Hiberni missionem apud Scotos bellorum aestu interruptam restaurarunt, uti sequens documenti fragmentum, ex archivo s. congreg. de propaganda fide exscriptum, docet:

Archiv. congr. de propagand. fide. Vol. 143 original. fol. 256.

" Ex mandato felicis recordationis Pauli quinti, pontificis maximi, missi fuere ex collegio Lovaniensi fratrum minorum Hibernorum in Scotiam ad sementem evangelii faciendam, pater Edmundus Cana, pater Patricius Braddus et frater Ioannes Stevartus, laicus natione Scotus, anno nati Salvatoris 1618 sub finem Decembris, et iter versus Scotiam agressi sunt IV.ª Ianuarii anni 1619. Pater Edmundus praedictus, postquam duobus annis in fide catholica propaganda desudasset, a Scotis haereticis captus, in arcta vincula coniectus ac demum post carceris squalores in Belgium ex regis Iacobi sexti mandato remissus est. Pater autem Patricius Braddus, post decessum patris Edmundi Cana, in re catholica provehenda decem annis strenue laboravit...

XXII. Quia provincia s. Dionysii eorundem fratrum ob nimiam sui amplitudinem perlustrari non posset a ministris provincialibus, ideo iussit pontifex: *Exponi nobis,* die XI. Maii, ut imminuto coenobiorum numero in s. Dionysii provincia, altera erigeretur s. Mariae Magdalenae titulo. Coenobiorum album ponimus.

Provinciae s. Mariae Magdalenae recollectorum in Gallia conventus.

1. S. Ioannis Baptistae Aurelianensis.
2. S. Sebastiani Flexiae.
3. S. Mariae Magdalenae Balmettae.
4. S.... Bellofortensis.
5. S.... Duaci.

6. Deiparae assumptionis Salmurii.
7. S. Antoni Vitraei.
8. Dominae nostrae de Auxiliis Fulgerii.
9. S. Iosephi Fertilitatis.
10. S. Lazari Castroduni.
11. Ss. Salvatoris Castrolidii.
12. S. Iosephi Nannetensis.
13. S. Annae Turonum.
14. S. Iosephi Ludii.

Hospitia.

1. S. Iosephi Duretallii.
2. S. Iosephi prope Andegavum.

XXIII. P. Benignus a Genua, minister generalis, iubet insignia religionis seraphicae monumenta, quae ad conscribendam historiam ordinis facerent, ubique diligenter colligi et Romam transmitti, quibus dein eruditissimus pater Lucas Waddingus in scribendis ordinis Annalibus tam egregie est usus.

Fr. Benignus de Genua totius ordinis minor. de observantia generalis minister et servus. Reverendis admodum patribus ministris provincialibus et custodibus aut eorum locatenentibus per universam nostram familiam in Domino salutem. Egregia maiorum facta et exempla non contemnenda plus ceteris iuniorum animos ad virtutem alliciunt, et ad praedecessorum sectanda vestigia non leviter invitant, quos enim idem habitus eademque religio reddidit aequales, cum magna illorum facta et vitam sancte transactam perpendunt, iusto perfunduntur rubore, si votis dispares, si conversatione videantur dissimiles. Ut autem heroica eorum, qui nos praecesserunt, acta posteris imitanda proponamus, ac insuper per venturas aetates in generatione et generationem immortalis sit tantorum patrum, qui per anteriora saecula in sacro hoc nostro sodalitio floruerunt, memoria, et nati natorum habeant a quibus disciplinam apprehendant, et ad quorum mores suos componant; praeclara quaeque nostrae religionis monumenta, nostrorum patrum res fortiter gestas ac prudenter administratas, insignia quaeque sanctitatis aut doctrinae vestigia undequaque colligenda ac per suos annos et saecula distribuenda proposui cuidamque ex nostris in alma Urbe, huic muneri aptissimo, curam hanc non levem commendandam iudicavi. Quare ut nihil scitu aut calamo dignum eum lateat, aut hoc opus praetereat, omnes undique nationes aut provincias, apud quos res nostrae aguntur, aut aliquando perpetratae sunt, consulendas duximus iubendasque, ut hoc nostrum intentum omni sollicitudine iuvari procurent. Id autem fiet, si omni cura et diligentia infrascripta serventur. Volumus ergo ac ad salutaris obedientiae meritum iubemus, ut simul ac pater provincialis vel custos

Reg. famil. cismont. vol. VI. fol. 26.

aut utriusvis vicem gerens in quacunque provincia has nostras patentes litteras acceperit, eas coram omnibus legi faciat, et illico ex omnibus illius conventus, in quo leguntur, vel aliorum sibi subditorum quorumcunque fratribus unum eligat vel sacrae theologiae peritum, aut hominem doctum, in huiusmodi versatum, cuius indoli tanta res possit committi, quem omni necessaria commoditate *subventum* (sic) mittet per omnes conventus et loca fratrum ac sanctimonialium sibi subditorum, cum plena auctoritate bibliothecas ac chartophilacia sive scrinia, aut archivia videndi et evolvendi, in quibus quidquid occurrerit notatu dignum scribendum, et rerum copiam, vel transumptum a se factum, publici notarii vel scribae, aut praecipuorum virorum testimonio firmandum et authenticandum ille curabit. Quorum vero prae ceteris sedulam investigationem inhiamus, hic subnectimus.

1. Ut, si quid noviter inventum est, aut vetus apparuit, quam quod R.^mus^ et Ill.^mus^ D.^nus^ Gonzaga in suo satis elaborato de origine Seraphicae Religionis libro scripserit, de principio aut erectione cuiuscunque provinciae, et fundatione aut situ conventuum sub illa contentorum, advertatur, et si quae est aut provincia, aut domus, quae postea exstructa sit, a quo, quando, vel quomodo originem habuerit describatur, et insuper ipsius provinciae ministri, suo ordine observato electionis tempore, dinumerentur.

2. Ut diligens et sedula fiat inquisitio omnium, tum sanctorum confessorum ac martyrum, tum sanctarum virginum vel laudabilium foeminarum, qui in illa aliquando floruerint, habita semper ratione annorum, quibus religionem illustrarunt, et omnis adhibeatur cura, ut illorum vita et miracula ab eis patrata vel martyria perpessa qua poterit veritate et certitudine exarentur.

3. Ut omnes enumerentur scriptores tam graeci et hebraici, quam latini, vel materni aut alterius cuiuscunque idiomatis, et quae vel qualia emiserint, vel in lucem dederint opuscula, et cui saeculo debeant adscribi.

4. Ut omnia ac singula eorum opuscula vel manuscripta, vel ab antiquis typographis impressa, nostris vero saeculis incognita, quae ubicunque locorum asservantur, exacte recenseantur et iisdem affigantur auctoris, typographiae, anni et idiomatis, in quo scripta sunt, nomina et series, et in quibus bibliothecis habeantur, et praecipue si quod fuerit opusculum aut tractatus Alexandri Alensis, Ioannis Scoti, aut beati Ioannis a Capistrano, quorum plurima desiderantur, aut aliorum praecipuorum ordinis doctorum.

5. Si quae aliquando nostris intercessit cum aliis aut religiosis aut saecularibus controversia notoria aut relatu digna, quae fuerit litis decisio, quae sententia a iudicibus promulgata, aut quod pactum initum cum iis, quibus aliquando nobiscum aut concordia fuerit aut discordia.

6. Quae in quacunque materia a pontificibus tradita sint diplomata

rem nostram concernentia praeter illa, quae congessit in suum bullarium Rev. P. frater Emmanuel Rodericus, aut contenta in antiquis monumentis, firmamento, supplemento aut manuali ordinis, et eorum verba fideliter transcribantur, facta eorum collatione cum originalibus coram viris probis et publicis, quorum testimonio omnia transcripta obfirmentur.

7. Ut si quae sint inscriptiones aut epitaphia magnorum heroum, nobilium principum vel hominum memoria dignorum in ecclesiis aut parietibus conventuum, quae aliquid lucis, vel auctoritatis aut splendoris huic operi possint afferre, adamussim et eodem characteris genere, quoad fieri possit transcribantur, exacta claraque mentione locorum, in quibus reperiuntur, praemissa.

Tum demum et ultimo ut, si quod aliud gravi historiae congruum aut aptum occurrerit, quod ad nos vel ad religionem nostram aliquando attigerit, aut ad alios pertinuerit, sed apud nos observetur vel fratres cuiuscunque provinciae, in qua haec leguntur, commissionibus in alias regiones, aut religiones functi sint, omnia adnotentur; facta in his aut supradictis et aliis quibuscunque sedula et certa computatione annorum, in quibus contigerint.

Ut vero haec omnia debita cura et aequa sollicitudine fiant, rogamus et iubemus, ut his votis faveant et adesse velint reverendi patres provinciales et custodes, guardiani, vel alii quicunque praelati, aut eorum locatenentes, fratremque, quem patres provinciales, aut alius superior, ad hunc laborem subeundum, per conventus destinavit, omnibus favoribus, honoribus et caritatis officiis prosequantur, quam etiam nos sua mercede et praemio afficiemus. Ne vero ab aliquo nostrorum infriorum in suo recto itinere aut debita operis executione impediatur aut molestetur, sub latae sententiae excommunicationis anathemate et poenis ad nostrum arbitrium imponendis stricte prohibemus. Immo rogatos volumus omnes, ut undequaque hoc nostrum desiderium, quantum in se fuerit, promovere et adiuvare non desinant, ut eorum ope et cura citius absolvatur ad nostrae religionis decorem et Dei omnipotentis honorem. Fratrem vero, cui in quacunque provincia contigerit hoc onus commendari, rogamus ac per sanctam obedientiam iubemus, ut omni diligentia et fidelitate huic operi incumbat et qua poterit brevitate perficiat, perfectumque suo provinciali vel custodi fideliter curabit tradendum. Ille vero, si ex cismontana fuerit familia, totum quod elaboratum et dispositum a praedicto fratre eidem offeretur, illico curabit transmittendum reverendo admodum patri procuratori nostro in curia romana; si vero ex ultramontana, remittet illud ad commissarium nostrum in curia regis catholici; qui vero apud Indos versatur ad reverendissimum commissarium generalem Indiarum fideliter et per varia mittet navigia: qui commissarii curabunt illa ad reverendum admodum commissarium nostrum in curia romana transferri. Custodes vero quidquid in suis custodiis investigabitur aut elaboretur, ad

provinciales, quibus subiiciuntur, portanda iubebunt, illi autem secundum praescriptum ad praedictos commissarios vel procuratorem mittent confestim. Quibus iterum atque iterum obnixe commendo et inculco, et ut mei in suis orationibus meminerint. Valete omnes in Domino, cuius gratiae vos humiliter commendo.

Datum Romae in conventu nostro Aracaeli die 20 Aprilis anno salutis 1619.

Locus + sigili.

Fr. Benignus a Genua min. gen.

XXIV. Cum in provincia Britanniae inter fratres observantes et recollectos conventus Cezambriensis quaedam essent controversiae, cura superiorum ordinis utraque pars per suos procuratores Romae in unum conveniens religiosam iniit concordiam, confecto sequenti instrumento, auctoritate etiam pontificia confirmato.

Reg. ultramont. famil. vol. II. f. 220. In hac alma Urbe die vigesima Septembris anni 1619, in palatio et praesentia illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis Veralli, totius ordinis minorum regularis observantiae dignissimi protectoris, convenerunt pater fr. Franciscus Moal, provinciae Britanniae secretarius et procurator ipsius ad hanc Urbem missus ex una parte, et pater fr. Iulianus Grout, praedicator conventus Cezambriensis fratrum recollectorum eiusdem provinciae et procurator ipsorum ex alia parte (assistentibus simul reverendis patribus fr. Iosepho Vasquez, commissario generali dicti ordinis in hac curia, et fr. Nicolao de Perusio, procuratore generale reformatorum huius familiae cismontanae, ex ordine suae illustrissimae dominationis) et dixerunt, quod cum inter dictos patres procuratores provinciae Britanniae et conventus Cezambriensis fuerit lis et concertatio super quendam rumorem et commotionem factam in dicto conventu super receptionem reverendi patris ministri provincialis, nec non et super intelligentiam et observationem litterarum apostolicarum ab illustrissimo et reverendissimo domino protectore emanantium circa recollectionem dicti conventus, et cum huiusmodi lis et concertatio non potuerit pro nunc in hac Urbe iudicialiter finiri et determinari ob defectum probationum authenticarum ex una et alia parte, et si ulterius dicta lis et concertatio prosequeretur, possent iuste timeri multa inconvenientia et scandala, et inter fratres familiae et recollectos dicti conventus discordiae et obiurgationes non parvae, in notorium religionis detrimentum; ideo ad evitanda huiusmodi scandala, auferendam omnem litem et stabiliendam perpetuam pacem et concordiam in dicta provincia, in sequentibus capitulis concordati sunt.

1. Quod in dicta provincia Britanniae debeat semper permanere saltem unus conventus recollectionis pro illis fratribus, qui strictiori modo regulam observare voluerint, sicut determinatum est in statutis

Toletanis; et cum dictus conventus Cezambriensis fuerit auctoritate apostolica assignatus dictae recollectioni, idem pro nunc ipsis recollectis relinquatur cum hospitio civitatis Machecoviensis libero.

2. Quod fratres recollecti debeant semper vivere sub omnimoda obedientia ministri provincialis dictae provinciae, sicut alii fratres familiae, et in omnibus et per omnia servare modum vivendi praefixum in statutis Toletanis pro recollectis editis anno 1583, non obstante quacunque consuetudine seu concordia in contrarium facta.

3. Quod pater fr. Guillelmus Brehaut guardianus, qui pro nunc existit, in dicto conventu Cezambriensi non continuet amplius, si quidem suum triennium explevit, sicut alii guardiani provinciae, non obstante quacunque confirmatione in favorem ipsius facta ante hanc concordiam.

4. Quod minister provincialis ad dictum conventum Cezambriensem accedat, et cum suffragiis illorum fratrum dicti conventus, qui habent vocem activam, ad electionem guardiani iuxta consuetudinem dictae provinciae [procedens] faciat novam electionem, ad quam pro hac vice possint habere vocem passivam fratres recollecti, qui iuxta constitutiones generales fuerint capaces, etiam si sint aliarum provinciarum; deinceps vero in aliis electionibus solum poterit eligi in guardianum aliquis frater ex recollectis dictae provinciae Britanniae.

5. Quod minister provincialis teneatur dictos fratres recollectos gubernare et protegere iuxta dictas constitutiones Toletanas et non aliter sub poenis inibi contentis.

6. Quod in dicto conventu Cezambriensi nullus alius praelatus maneat, nisi guardianus, qui fuerit electus; quod si aliquis alius frater ad instruendos fratres dicti conventus in modo recollectionis fuerit necessarius, iste talis non gaudeat auctoritate vel nomine praelati, sed solum magistri novitiorum vel instructoris.

7. Quod dictus guardianus non possit recipere novitios, nisi ex licentia expressa in scriptis ministri provincialis, cui ex regula hoc competit, nec mittere religiosos extra districtum suae guardianiae, sicut in constitutionibus generalibus sancitum est.

8. Quod minister provincialis benigne suscipiat et admittat omnes fratres, qui huiusmodi recollectionem petierint, dummodo ad illam sint apti, iuxta dictas constitutiones Toletanas, istisque et aliis recollectis in omnibus concernentibus ad dictam recollectionem conservandam et augendam non modo non contradicere, sed potius favere et auxilium praestare teneatur.

9. Quod si guardianus et alii fratres dicti conventus non fuerint obedientes ministro provinciali dictae provinciae, et aliquem rumorem fecerint resistendo illi, vel commissario alicui legitime delegato; vel experientia constiterit et per visitationem dicti conventus, ipsum non esse aptum ad recollectionem servandam, iuxta dictas constitutiones Toletanas; possit minister provincialis simul cum definitorio alium

conventum aptiorem et commodiorem assignare praedictae recollectioni, ad quem praedicti fratres recollecti teneantur transire et in illo commorari.

10. Quod minister provincialis pro rebus iam praeteritis, tam in dicta commotione quam ante illam, non possit aliquem ex fratribus recollectis dicti conventus punire vel molestare, neque etiam dicti fratres recollecti vel aliquis illorum possit de praeteritis conqueri vel ad dominum episcopum, vel ad aliam quamlibet personam ecclesiasticam vel secularem contra ministrum provincialem vel aliquem alium fratrem dictae provinciae, sed quod omnibus praeteritis silentium perpetuum imponatur, ut sic melius omnes fratres in pace et caritate vivere possint, sicut desideratur et expedit.

11. Quod minister provincialis ex parochiis, quae continentur intra districtum dicti conventus Cezambriensis, relinquat illis omnes illas, quae ipsis fratribus recollectis videbuntur necessariae ad suam sustentationem. De aliis vero possit disponere, et illas applicare aliis conventibus dictae provinciae, sicut ei videbitur expedire. In quorum fidem praedicti patres commissarius generalis curiae et procurator generalis reformatorum istius familiae cismontanae et procuratores dicti provinciae Britanniae et conventus Cezambriensis hic subscripserunt, et dicti procuratores unusquisque pro sua parte promiserunt, se in omnibus ea omnia, quae supra ordinata et concordata sunt, observaturos, nec non humiliter petierunt ab illustrissimo et reverendissimo domino protectore suam confirmationem, et quod dignetur eandem a sua sanctitate obtinere ad maiorem firmitatem et perpetuitatem.

Fr. Ioseph Vasquez
commissarius generalis curiae.

Fr. N. De Perusio, procurator generalis reformatorum. Fr. Franciscus de Moal, secretarius et procurator provinciae Britanniae. Fr. Iulianus Greut, procurator fratrum recollectorum conventus Cezambriensis.

Facta relatione s. d. n. de supradicta concordia, fuit supplicatum nomine utriusque partis, ut dignaretur illam confirmare; placuit sanctitati suae mihi protectori mandare, ut illam confirmarem, dummodo capitula non sint contraria sacris canonibus et sacro concilio Tridentino. Et ita ex ordinatione sanctissimi domini nostri vivae vocis oraculo nobis dato supradictam concordiam, dummodo non adversetur sacris canonibus et sacro concilio Tridentino confirmamus et apostolicae firmitatis robur adiicimus et mandamus observari, hac die 27 Septembris anno 1619.

F, Cardinalis Verallus.

Concordat cum suo originali.

Fr. Ioseph Vasquez
commissarius generalis curiae.

XXV. Provincia Ragusina pontificiam obtinet facultatem eligendi ministrum provincialem a solis patribus provinciae, quam sequenti publico scripto notam reddidit procurator generalis ordinis.

Nos frater Bernardinus a Montecalvo ordinis minorum regularis observantiae, procurator generalis in curia romana, omnibus praesentes inspecturis fidem indubiam facimus, qualiter illustrissimus dominus cardinalis Verallus, praedicti ordinis protector, die 14 Novembris MCCXIX fecit verbum cum sanctissimo domino [nostro] Paulo Papa V. ut dignaretur facultatem impartiri, quatenus possit eligi minister provincialis in provincia Ragusii dicti ordinis a patribus provinciae dumtaxat, absque aliorum fratrum interventu, qui sanctissimus dominus, prout dictus illustrissimus suo decreto propria manu scripto et subsignato testatur, gratiose concessit dictam facultatem pro hac vice tantum. In quorum fidem has propria manu subscripsimus et maiori sigillo officii nostri communivimus.

Romae XVII Novembris MDCXIX.

Fr. Bernardinus a Montecalvo
procurator generalis.

XXVI. Incolarum sumptibus incepit esse in urbe Cerigippe Comitis coenobium titulo s. Antonii in custodia Brasiliae minorum de observantia. Distat ab urbe Bahya duodecim vel tredecim leucas. Eius fundationem promovit Paulus a s. Catharina custos. Ad maris litus praefecturae s. Vincentii eiusdem custodiae exstitit etiam conventus eorundem fratrum penes ecclesiam s. p. Francisci, erectam ab eisdem fratribus, quando cum Lusitanis omnium primi eo accesserunt et primum sacrum celebrarunt. Illius loci quidam incola in ultimis tabulis multam pecuniae vim pro eo aedificando reliquit.

Conv. Cerigippe Comitis. Mon. prov.

Conv. in Urbe S. Vincentii. Ibidem.

XXVII. Ioannes de Azevedo, minister provinciae de Iucatan in coenobiorum album adscripsit domum doctrinalem, positam in loco de Zonotppisep eiusdem provinciae.

Conv. de Zonotppisep. Lopez p. 477.

XXVIII. Impensis relictis a d. Petro Opalinski, palatino Posnaniensi, erectum fuit immaculatae Conceptionis titulo coenobium pro eisdem fratribus in oppido Sieracoviensi, dioecesis Posnaniensis in provincia Poloniae Maioris. Turrim campanariam excitavit d. Sophia eiusdem familiae anno MDCXCIII., tertio sororum ordini adscripta.

Conv. Sieracoviensis. Mon. prov.

XXIX. Cura Antonii a Cilento, eximii concionatoris, positum fuit coenobium penes dirutam ferme ecclesiam s. Mariae de Pietate prope oppidum Varollae, dioecesis Caputaqnensis in provincia Principatus. In sua hierarchia franciscana Didacus de le Quile duo coenobia sub eadem invocatione recenset, alterum intra oppidum Diani et postremum penes oppidum Cilentiae. Cum ecclesia reficeretur, artifex, qui e loco pictam b. Virginis imaginem pro eius augendo cultu ad aram maiorem ecclesiae transferre voluisset, ut brachium operi perficiendo admovit, immobile evasit, nec ab una ad alteram partem inflectere

Conv. Varollae. Mon. prov.

Conv. Diani et Cilentiae. De le Quile tom. II, p. 453.

potuerat. At invocato Deiparae auxilio, pristinam brachii actionem recuperavit.

XXX. Christifidelium eleemosynis exstitit et pro eisdem fratribus de observantia conventus s. Mariae de Constantinopoli prope oppidum Castri, dioecesis Pinnensis in provincia s. Bernardini. Erectum etiam pro eis fuit coenobium s. Francisci in oppido Gattinariae dioecesis Vercellensis, piorum eleemosynis fundatum pro duodenis fratribus continendis. Rem procurarunt Michael Augustinus a Pavonio et Stephanus a Nicaea, eiusdem instituti sodales.

Conv. Castri. Mon prov. Conv. Gattinariae. Mon. prov.

XXXI. Fratres reformati provinciae Siciliae incoluere coenobium sub invocatione s. Annae intra urbem Drepani, dioecesis Mazzariensis, instructum a nobili pioque viro Drepanensi Mariano Vento. Antea iidem fratres degebant ad CCCCC. passus ab urbe in aede s. Leonardi, a qua abierunt ob aëris inclementiam. In priori conventu anno MDCXXIV. quievit Innocentius a Clusis laicus cum opinione sanctitatis. In eadem provincia eis obvenit coenobium s. Mariae de Iesu prope oppidum Clarimontis, Syracusanae dioecesis, ab universitate loci aedificatum. Erectum fuit etiam pro eis coenobium s. Mariae Pacis extra moenia oppidi Montiscorvini, Acernensis dioecesis in provincia Principatus.

Conv. Drepani. Pirrus. tom. II. p. 880.

Conv. Clarimontis et Montiscorvini. Mon. prov.

XXXII. In provincia s. Angeli eis cessit coenobium s. Francisci prope oppidum Cercelli, Beneventanae dioecesis, partim oppidanorum, partim vero largitionibus d. Nicolai de Somma loci domini aedificatum. In sui fundatione nomen praeseferebat s. Mariae Gratiarum. Ibidem degunt XVI fratres.

Conv. Cercelli. Mon. prov.

XXXIII. Ludovicus a Trioria, custos eorundem fratrum provinciae Romanae, pro suis recipit et hoc anno conventum s. Francisci prope Castrum Gandulphum, dioecesis Albanensis, proprio aere a fundamentis excitatum a cardinali Peretto.

Conv. Castri Gandulphi. Mon. prov.

XXXIV. Initium accepit et pro eisdem reformatis conventus s. Thomae Cantuariensis prope oppidum Montis Donovem, dioecesis Montis Alti in provincia Marchiae, cuius fundationem ratam habet summus pontifex: *Creditam nobis*, pridie calendas Novembris. Ecclesia olim spectabat ad monachos ordinis s. Benedicti monasterii s. Mariae de Cellis; hoc autem tempore ea iuris erat Alexandri cardinalis Peretti. Degunt ibidem XIX fratres.

Conv. Montis Donovem. Gasparini p. 41.

XXXV. Provincia s. Ioseph discalceatorum fratrum aucta est coenobio s. Ioannis evangelistae Alvecarii Veteris, dioecesis Toletanae, erecto in domo pientissimi viri Andreae Verrocal, quam in ultimis tabulis pro eorum incolatu esse voluit. Loci possessionem accepit Antonius de Martyribus, provinciae praeses.

Conv. Alvearii Veteris. Mon. prov.

XXXVI. In Siciliae provincia obtinuerunt minores conventuales conventum immaculatae Conceptionis in Baronia vulgo *Vita*, dioecesis Mazzariensis, praeside ibidem delecto Bernardo Panormitano. At ipsis recedentibus, locus concessus fuit clericis regularibus infirmis ministantibus a Francisco Balsamo et Aragona principe Roccaefloridae.

Conv. Baroniae. Cagliola p. 138. Pirrus tom. I. p. 898.

XXXVII. Pro fratribus claustralibus de tertio ordine erecta fuerunt hoc anno sequentia coenobia, nimirum Neapoli prope fortalitium s. Elmi coenobium Deiparae assumptionis titulo; at nunc inter suppressos adnumeratur. Prope portam Veliae dioecesis Brundusinae incepit esse etiam pro eis coenobium opibus relictis a Petro Massa; at eo defuncto, imperfectum remansit. Titulo s. Mariae de Monte Carmelo eis concessus fuit tum ab universitate loci tum a familia Brancifortium conventus Leofortis, dioecesis Catanensis in provincia Siciliae. Postremum obtinuerunt in Urbe titulo s. Pauli de Arenula vulgo *s. Paolo della Regola* coemptum a patribus reformatis s. Augustini, qui ibi degebant, per M. Sanctorium Pecorellam pretio quatuor mille quingentorum aureorum monetae romanae. Coenobium spectat ad Siciliae provinciam, in quo est etiam collegium erectum pro tyronibus eiusdem regionis.

Conv. Neapolis. Bordonius p. 399.

Conv. Veliae. Idem p. 400.

Conv. Leofortis. Idem p. 436.

Conv. de Urbe. Idem ibid.

XXXVIII. Fratres capucini incoluerunt coenobium Albani in provincia Romana; coenobium Cropani, dioecesis Cathacensis in provincia Rhegii; coenobium Disi, dioecesis Castrensis in provincia Hydruntina; coenobium Secundi in provincia Panormitana; coenobium Geldriae, dioecesis Ruremundensis in provincia Flandro-Belgica; coenobium Thudini in provincia Leodiensi; coenobium Monasterii Eiffiliae dioecesis Coloniensis et provinciae; coenobium Calesi et coenobium Pissiaci, dioecesis Carnutensis in provincia Parisiensi; coenobium Angeriani, dioecesis Santonensis, et coenobium Partheniaci, dioecesis Pictaviensis in provincia Turonensi; coenobium Luconi in provincia Britanniae; coenobium Borboni Cancei dioecesis Augustodunensis, et conventum Thurni, dioecesis Valentinae in provincia Lugdunensi; coenobium Confluenti dioecesis Tarentasiensis, et coenobium Runcelliaci, dioecesis Genevensis in provincia Sabaudiae; coenobium Belfortii et coenobium Luxovii, dioecesis Bisantinensis in provincia Burgundiae; coenobium Neocastri et coenobium Spinalli, dioecesis Tullensis in provincia Lotharingiae; coenobium Tauri, dioecesis Zamorensis in provincia Castellae; coenobium Xerica dioecesis Segorbiensis in provincia Valentiae.

Ex albo Michaelis a Tugio.

XXXIX. Minister provinciae observantium Portugalliae una cum sui definitorii patribus curam hoc anno ad resipiscentiam dimiserunt monialium regii monasterii s. Clarae Scalbais, dioecesis Ulyssipon., a sui fundatione ordini subiectum, quia abbatissa et aliquot moniales quasdam leges pro earum reformatione ab eo latas detrectabant observandas. Die XXX. Novembris huiusmodi dimissam monialium curam probavit et idem commissarius generalis ordinis. Verum cum praeside a quo moderabantur destitutae forent, missis ad catholicum regem epistolis, ut ab archiepiscopo Ulyssiponensi regerentur, obtinuerunt. Eas in sui obedientia continuit archiepiscopus, apposita tamen conditione, ut infra sex menses huiusmodi negotium ab apostolica sede confirmaretur. Cum autem ceterae sorores aegre id tulissent, ad ministrum generalem ordinis querimonias detulerunt. Eius sollicitudine

De Gubernatis. tom. II. p. 683.

rex catholicus mandatum suum revocavit et iussit, ut archiepiscopus monasterii regimen dimitteret et ad ordinis obedientiam moniales revocaret. At cum ipse et aliquot moniales regis mandatum negligerent, causa ad sedem apostolicam delata fuit. Anno MDCXXV. summus pontifex Urbanus VIII.: *In apostolicae,* XIV. calendas Februarii eas ad ordinis regimen iterum adduxit.

Monast. de Agreda. Mon. prov.

XL. Variis in locis paratae sunt aedes pro eisdem sororibus. In urbe de Agreda, provinciae Burgensis, exstitit monasterium discalceatarum immaculatae Conceptionis titulo in aede eis oblata a pientissimis coniugibus Francisco Coronel et Catharina de Arana. Ibidem hoc eodem anno religiosum habitum induit eamet Catharina cum duabus filiabus suis Maria a Iesu et Hieronyma a ss. Trinitate; Franciscus autem Coronel fratribus observantibus eodem anno se addixit in conventu s. Antonii de Nalda, eiusdem provinciae. Singuli sanctitate vitae floruerunt; prae ceteris vero emicuit laudata Maria a Iesu de Agreda dicta, quae ibidem lucem aspexit die II. Aprilis anno MDCII., de qua multa suo loco. Monasterium paret ministro provinciae.

Monast. de Bilbao. Mon. prov.

XLI. Moniales de tertio ordine monasterii s. Crucis de Bilbao in provincia Cantabriae, ab anno MDXLIII. erecti, clausurae leges admiserunt et Urbanistarum regulam professae, parent ministro eiusdem provinciae.

Monast. Peeriae. Mon. prov.

XLII. Incendio periit monasterium sororum tertii ordinis oppidi Peeriae, Leodiensis dioecesis in provincia Germaniae Inferioris, anno MDCLXXXIII. aedificatum. At piorum eleemosynis iterum fuit restitutum, Incolitur a XXIII sororibus, quibus praesunt patres cruciferi.

Monast. Corleonis. Pirrus tom. I. p. 888.

XLIII. Corleonis in provincia Siciliae obvenit monialibus clarissis monasterium sub invocatione ss. annuntiationis Deiparae. Nuntia Passazelus et Aemilia Cordicis, professae in monasterio s. Clarae Drepani, novi collegii curam susceperunt.

Monast. Campaneae. Mon. prov.

XLIV. Die XVI. Octobris mandato s. c. episcoporum et regularium monasterium s. Iacobi minoris, positum intra moenia Campaneae provinciae Principatus, moderatum ab ordinario loci, transiit ad regimen ministri observantium illius provinciae. Fundationis annum praesefert inscriptio posita in eodem monasterio sic expressa: Ioanni Benedicto Tercasio Campaneae, divini ac humani iuris consultissimo coenobii huius auctori. Michael Calandro, Donatus Bernalla, Marcus Antonius Venerius pro Nicolao Valvaenus liberi; Guillielmus Vivianus, Ioannes Vincentius Bernalla, Nicolaus Russus, Iacobus Santillus, Matthaeus Campaninus et pro Simone Campanino eius liberi, qui et posteri suas virgines deinceps religioni addicere possunt, hoc coenobium et monumentum faciendum curarunt anno salutis MDL.

Monast. Monticuli. Mon. prov.

XLV. Universitatis et quorundam confraternitatum impensis perfectionem accepit monasterium clarissarum Monticuli, nunc Treia, in provincia Marchiae, immaculatae Conceptionis titulo. Initium sumpsit a quinque piis virginibus, quae ibidem Deo inserviebant in summa

egestate et manuum suarum labore vivebant. Non semel Deus angelorum ministerio vitae necessaria suppeditavit. Temporis decursu bona immobilia eisdem sororibus largita fuerunt a piis christifidelibus loci. Subest ordinario loci. Erectum etiam fuit in urbe Burgi s. Sepulcri in provincia Tusciae monasterium capucinarum: *Apostolatus*, die VII. Septembris. Monast. Burgi S. Sepulcri.

XLVI. Hoc tempore doctrina eminebat inter conventuales Iacobus Montanari Balneocaballensis, qui italico sermone edidit Monterici opus inscriptum *modus habendae orationis mentalis recteque meditandi*. Item Coloniae impressa fuit a se scripta *reformatio studiorum*. Matthaeus Ferchius, Veglensis Dalmata, vir valde doctus et in Patavina universitate publicus metaphysicae ac theologiae professor multa scripsit. Hoc anno prodiit Coloniae eius *apologia* pro Ioanne Scoto adversus Friderium *Maternesium*, et Camberii eius *conceptio historica Abrahami pro eodem Scoto*. Sbaral. lit. I. Wadd. et Sbaral. lit. M.

XLVII. Inter capucinos litteris florebat Cyrillus a s. Cruce ex provincia Catalauniae, qui ante religionis ingressum per annos XIV munus rectoris obivit in academia Barcinonensi. Factus capucinus typis mandari Barcinone permisit latino idiomate *volumen epistolarum familiarium* et *compendium artis rhetoricae*. Sebastianus Silvanectensis Gallus provinciae Parisiensis, Parisiis edidit *historiam de vita et gestis b. Coletae virginis reformatricis ordinis s. Clarae*. Claudius Abbavillaeus Gallus, provinciae Parisiensis, Parisiis et edidit *historiam chronologicam b. Coletae virginis ordinis s. Clarae reformatricis*. Typis Ludovici Sanchez vernacule prodierunt *regula et constitutiones capucinarum ss. Crucifixi Romae* scriptae a quodam capucino anonymo. Sbaral. lit. C. Idem lit. S. Idem lit. C. Idem lit. A.

XLVIII. Petrus Sarnus Panorminatus ex tertio fratrum claustralium instituto, definitor generalis et vir pius, italice Panormi edidit a se scriptum libellum typis Ioannis Antoni de Franciscis *giardino spirituale per conforto degli agonizanti*. Thomas de Veiga Lusitanus eiusdem instituti idiomate lusitano vulgavit Ulyssipone prelo Antonii Alvarez *considerationes super XXIV evangelia dominicalia post pentecosten*. Idem lit. P. Idem lit. T.

XLIX. Ex discalceatis fratribus praestans erat doctrina Antonius a Magdalena provinciae s. Pauli, qui apud Didacum Cussium Salmanticae edidit *concionem de immaculata conceptione virginis Mariae*. Hernandus de Moraga, provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum, ubi multos infideles ad ecclesiae sinum adduxit, Philippi III. regis Hispaniarum iussu Matriti vulgavit *librum de rebus ac moribus Sinarum, Iaponensium, Turcarum aliarumque plurium nationum*. Auctor universum pene orbem peragraverat. Lucas de s. Francisco de la Tovila, Valentiae nobili ortus genere, eximius verbi Dei praeco, e confessionibus Philiberti, proregis Valentiae, et multis virtutibus decorus, materna lingua scripsit et Murciae typis commisit *monile Deiparae virginis Mariae*. Exstant de eo mss. *tractatus tres de iterata communione, de oratione mentali et de laudibus s. Iosephi*. Franciscus a s. Ioseph Suessanus ex fratribus strictioris observantiae provinciae Nea- Idem lit. A. Idem lit. H. Idem lit. L. Idem lit. F.

politanae et poenitentiarius in ecclesia Lateranensi de Urbe elucubravit misitque ad Paulum V. Romae impressum tractatum *de canonizatione mysterii immaculatae conceptionis Deiparae virginis.*

L. Sequuntur viri docti ex familia minorum observantium. Al-
Wadd. lit. A. phonsus de Herrera et Molina hispanus, provinciae ss. XII Apostolorum Peruviani regni, hispana lingua Hispali vulgavit apud Vincentium Alvarez *attributa Christi et excellentias nominis Iesu.* Iisdem typis prelo commisit *iram et furorem Dei contra iurantes vane per suum*
Wadd. et Sbaral. ibid. *sanctum nomen.* Alphonsus Perez, item hispanus provinciae s. Iacobi, vir bonus, doctus et poeta eruditus, Salmanticae edidit *conciones regales in laudem immaculatae conceptionis beatae Mariae.* Hae impressae
Sbaral. lit. E. fuerunt in libro hispanice scripto a p. Villachonga. Emmanuel Evangelista Lusitanus, Algarbiorum provinciae lector inbilatus et s. officii qualificator, Conimbriae prelo Nicolai Carvallo vulgavit a se habitam
Idem lit. I. *orationem in publico actu fidei.* Ioannes Calderon hispanus, provinciae Aragoniae lector emeritus, latine scripsit et vulgavit typis Ioannis de Naia Caesaraugustae *fragmentum chronici* sive *omnimodae historiae Lucii*
Idem ibid. *Flavii Dextri Barcinonensis.* Ioannes Sarria hispanus, custos provinciae Compostellanae, Salmanticae prelo commisit *concionem de immaculata conceptione virginis Mariae.* Asservari in folio mss. in archivo ordinis Matriti *historiam compendiosam rerum provinciae s. Iacobi,* hispanice ab
Idem ibid. eo scriptam, tradit p. Gaspar a Villachonga. Ioannes Zeita Lusitanus Algarbiorum provinciae, vir ingenio et doctrina clarus totoque oris et corporis gestu ad eloquentiam conformatus, singulari quadam dexteritate et vehementia in arguendis hominum moribus utebatur. Lusitanice scripsit et Ulyssipone typis Petri Creesbeck edidit *quadragesimam primam concionum in laudem Christi et Christiparae una cum exercitiis super evangelia dominicalia totius anni.* Compluti apud Ioan-
Idem lit. L. nem Garciam Laurentius de Cneva provinciae Castellae hispanicis versibus vulgavit *la conversion del b. s. Francisco.*

LI. Ex eodem instituto Petrus Gonzalez de Mendoza, de quo
Idem lit. P. annal. min. Ad an. 1606. n. 1. et seq. ad an. 1609. n. 39. ad an. 1610. n. 122. Wadd. et Sbaral. lit. B. plura diximus, iam episcopus scripsit et edidit Caesaraugustae *litteras pastorales, quibus ad votum pro immaculata conceptione emittendum fideles suae dioecesis adhortatus est et favoribus prosequutus.* Bartholomaeus de Cararias alias Covarruvias hispanus Salmanticae prelo commisit *sermonem unum de conceptione b. Mariae.* Marracius in sua bibliotheca mariana dicit eum *multos de laudibus b. Virginis edidisse sermones.* An-
Wadd. lit F. tverpiae typis Ioannis Keembergii vir eximiae virtutis Florentius Conrius hibernus vulgavit *quartum tractatum de Augustini sensu circa b. Mariae virginis conceptionem*, missum ad Antonium de Treio, olim vicarium generalem ordinis, episcopum Carthaginensem et oratorem
Wadd. et Sbaral. lit. F. pro eodem mysterio apud summum pontificem. Franciscus Santoratius
Wadd. lit. G. provinciae Romanae Romae edidit *medullam Aristotelis.* Gaspar a Villachonga Toletanus Salmanticae prelo Didaci Cussi vulgavit *sermonem de s. Francisco* ibidem in solemni consessu habitum. Iisdem typis edidit a se collectas *doctorum virorum conciones habitas de conceptione*

immaculatae virginis Mariae. Ioannes Gillius, provinciae Aragonensis, scripsit lingua vernacula *historiam suae provinciae*, eamque misit ad p. Lucam Waddingum; in ea notantur gesta, quae evenerunt post confectum chronicon a Francisco Gonzaga. Ludovicus Hieronymi de Ore, provinciae ss. XII Apostolorum Peruviani regni, Matriti typis Cosmae Delgado edidit *coronam virginis Mariae.* Opus continet *octoginta meditationes praecipuorum fidei mysteriorum*, scriptum hispanice. Ludovicus de Manganellis a Polla, provinciae Principatus, scripsit et edidit Matriti ex typographia regia *discursus praedicabiles, theologicos, speculativos in modum mediationum et soliloquiorum, per quos habetur expositio primi et secundi cantici canticorum Salomonis, iuxta doctrinam et ordinem quaestionum Scoti in primo libro Sententiarum, utiles admodum contemplativis et praedicatoribus, qui voluerint suos sermones Scoti sententiis exornare.* Matriti eodem anno apud Thomam Iunctam prodierunt *discursus super primum, secundum et tertium caput canticorum Salomonis, iuxta ordinem quaestionum Scoti in 2. libro Sententiarum.* In hac editione adducit *brevem paraphrasticam expositionem supradictorum canticorum Salomonis, et praemittit vitam doctoris subtilis Ioannis Scoti.* Marquadus Leonis Germanus, provinciae Argentinae, Dillingae edidit *examen tractatus Ioannis Henrici Hiemers, praeconis lutherani, de fraternitatae b. Mariae virginis in Reith.* Stephanus Farrovith Gallus edidit Parisiis *Isocratis orationem ad Democritum, quam e graeco transtulit in gallicum.* Eius etiam sunt *discursus centum praedicabiles* super passionis dominicae mysteria. Ex fratribus recollectis provinciae s. Dionysii in Gallia florebat Ioannes Marius Scribonius Gallus, qui idem est ac Marius Scribonius; postquam annis quindecim theologiam docuisset Parisiis, prelo viduae Iacobi du Clov edidit *conciones in omnia Iesu Christi evangelia toto adventus curriculo legi solita.*

Idem lit. I.

Idem lit. L.

Wadd. et Sbaral. lit. L.

Wadd. lit. M.

Idem lit. S.

Wadd. et Sbaral. lit. I.

LII. Alii viri docti ex eadem observantium familia decedunt. In provincia de Guatemala die II. Octobris obiit Ioannes Mendoza. Sequentia mss. reliquit *doctrina cristiana en lengua megicana; flos sanctorum, o vidas de sanctos en lengua Kachiquel; praticas doctrinales sobre los evangelios de todo el ano in dicta lengua;* tractatum de matrimonio idiomate latino et reliquit. Ulyssipone obiit Paulus de Cruce provinciae Conceptionis, qui varia scripsit et vulgavit. Eius liber *versos ò a divino* Ulyssipone prelo Didaci Francisci de Corduba lucem aspexit. *Centiloquium encomiorum pro festivitatibus ss.* prodiit anno MDCXII. Vallisoleti, et hoc eodem anno ibidem vulgatae fuerunt *conciones de ss.* Anno MDCXIV. Ulyssipone prelo Georgii Roderici vulgatae fuerunt *conciones vespertinae pro tempore quadragesimali.* Pinciae postremo prodiit eius *mariale XIII tractatibus divisum.*

Beristain lit. M.

Wadd. et Sbaral. lit. P.

LIII. Confluentiae in provincia Coloniae dormitionis requiem accepit die XV. Martii in aede capitulari Arnoldus ab Isca, a municipio non procul a Bruxellis nuncupatus. Fratrum de observantia provinciae Germaniae Inferioris institutum sequutus, disciplinae regularis fuit sedulus cultor. Multos annos doctrina et sanctitate clarus

Wadd. lit. A. Mon. prov.

in ea provincia transegit. At tuendae catholicae fidei gratia in Hollandiam destinatus, acre bellum cum novatoribus tum privatis concertationibus tum publicis concionibus invicto animo sustinuit. Ab iis propterea varias calamitates et aerumnas perpessus est; modo namque fame ac siti maceratus, nunc catenis ferreis constrictus, carcerisque squallore confectus, nunc flagris verberibusque saturatus longum et diuturnum duxit martyrium. E custodia Edami eductus et in suam provinciam reversus, primum guardiani coenobii Lovaniensis, ac postea munus moderatoris provinciae suscepit. Postremo ad visitandam Coloniensem provinciam missus, laboribus et poenalitatibus confectus Confluentiae decessit. Sequentia teutonico idiomate scripsit et edidit, nimirum *sermones quinque, docens quomodo salubriter in Christum credendum; sermones de passione Domini; officium b. Mariae secundum usum romanum in teutonicum transtulit, novum officium defunctorum, psalmos graduales et poenitentiales.* Hinc Lovanii et alibi multoties edita fuerunt. Antverpiae postremo prelo Guilielmi Lestenii anno MDCXLIV. editus fuit *paradisus devotionis.*

LIV. Die I. Septembris occubuit Viennae et in ara maiori ecclesiae observantium illius urbis tumulatus est Bonaventura Daumius, nobili genere Franconidum Carolostadii ad Moenum natus, sacrae theologiae lector, provinciae Austriae ter moderator, Germaniae Superioris commissarius generalis, ac Mathiae caesaris a consiliis. De eo hoc carmen habetur:

Greiderer tom. I. p. 460.

DE BONAVENTURAE CECINIT BENE NOMINE VATES:
CONVENIUNT REBUS NOMINA SAEPE SUIS.
SIDERE NAMQUE BONO PROONATUS, PLURA PATRAVIT
HIC BONA PER VITAE TEMPORA LONGA SUAE.
IAM VENTURA TENET BONA, PRAEMIA CAELICA DUDUM,
GLORIA FRANCONIDUM NOMEN ET OMEN HABET.

LV. Minoritae conventuales amisere Philippum Gesualdum a Castrovillari Calabriae oppido, et ut aiunt, eiusdem stemmatis cum domo Gesualda Neapolitana ex principibus Venusinis. Plura sui ordinis gymnasia rexit et Patavii instituit *sodalitatem de compassione, sub tutela s. Antonii Patavini, et pro ea stabilienda quasdam ordinationes* scripsit. Plura munia obivit. Primum vicarii generalis ac postea anno MDXCIII. supremi ordinis administri officium explevit. Sexennio post Geruntinensis episcopus a Clemente VIII. inauguratus, ea in dignitate ad Deum migravit. Prae sui doctrina, vitae innocentia et concionibus valde commendatur ab Ughelio. Instructus etiam erat tam linguis latina, graeca et hebraica, quam liberalibus disciplinis. Varia scripsit, a nobis suis in locis notata. Cetera mss. subnectimus. In lectione IX. suae *platosophiae*, quam italice mss. habetur in bibliotheca s. Francisci prope Saxolum supra Mutinam, auctor pollicetur *cornucopiam* seu *singularem artem et methodum multiplicandorum conce-*

Sbaral. lit. P.

Annal. min. ad an. 1593 n. 2. et seqq.

Ughel tom. IX in Geruntin. episc. n. 37. Annal. min. ad an. 1594. n. 89. 1596. n. 20. 1598. n. 8. 1599. n. 65.

ptuum. In eo etiam opere sequentia *opuscula se daturum notavit, nempe indicem significatuum elementorum hebraicorum et mutationum litterarum graecarum etc.; indicem fontium, e quibus natura aut ars nobis similitudines subministrare queant una cum earum categoriis ad maiorem facilitatem; apologiam poetarum, quorum antiqua fabulose inventa possunt debentque ad christianam veritatem reduci; tractatum extrahendorum conceptuum mediis grammaticalibus, rethoricis, philosophicis, metaphysicis ac theologicis nonnullisque aliis modis generalibus a Lulli principiis deductis.* Sequentia etiam scripsisse, quae tamen ei ablata fuisse in itinere a grassatoribus tradunt, nimirum *conciones in adventu Domini italice, quadragesimales conciones duplicatas itidem italice, super psalmum Beatus vir, super cantica Salomonis, in orationem dominicalem, in apocalypsim s. Ioannis.*

LVI. Sanctitatis et doctrinae fama exornatus decessit etiam inter eos Bitunti in regno Neapolitano Hieronymus Pallanterius, illius urbis episcopus ab anno MDCIII. Sequens monumentum olim positum in veteri bibliotheca s. Francisci Bononiae plura de eo docet; sic enim in eo habetur: Fr. Hieronymus Pallanterius a Castro Bononiensi ordinis minorum cum multis maximis suae religionis muneribus tum legendo tum regendo egregie functus Ticini et Patavii summa cum laude publicus sacrae theologiae professor b. Caroli Borromaei cardinalis primum deinde cardinalis de Montealto qui fuit Sixtus V. theologus commensalis a Clemente VIII. Romano ad oraves de rebus fidei controversias vocatus et episcopus Bituntinus creatus bibliothecam hanc ut huic sacro coenobio de se optime merito aliqua ex parte se oratum ostenderet et studiorum commoditati consuleret eorumque precibus iuvaretur copiosa suorum librorum supellectili adhuc vivens ditavit et auxit aetatis suae LXXII. salutis vero MDCVII. Sbaral. lit. H.

LVII. Cum autem gregem sibi commissum verbo, exemplo, vigilantia ac vitae integritate gubernasset, ei adhuc viventi in sua cathedrali ecclesia anno MDCXI. a clero Bituntino incisum fuit hoc elegans elogium: Hieronymo Pallanterio a Castro Bononiensi franciscano conventuali viro integerrimo omniumque scientiarum doctrina clarissimo in sententiis dicendis facundia gravitate sapientia singulari asperis et secundis rebus aeque probato praecipuis suis instituti muneribus tum legendo tum regendo egregie functo Ticini et Patavii summa cum laude publice sacrae theologiae professori ad summos pontifices et sacros purpuratores fratres saepius inter missarum solemnia oratori ornatissimo s. Caroli Borromaei cardinalis primum deinde cardinalis de Montealto qui fuit Sixtus V. theologo commensali catholicae religionis egregio assertori ob eas res Clemens VIII. Romae ad oraves de rebus fidei controversias componendas vocato eo in antistitem Bituntinum erecto clerus Bituntinus cuius honori et commodo semper studuit adhuc viventi gratitudinis ergo posuit aetatis suae LXXVIII. salutis vero MDCXI. Ughel. tom. VII. n. 35.

LVIII. Varia scripsit et edidit. Cremonae anno MDLXII. typis Vincentii Conti edidit *positiones ad mentem peritiorum virorum in XI*

capita distributas ad Rudolphum Pium, cardinalem Carpensem, ordinis patronum. Impressa etiam fuit eius *oratio in funere regis Hispaniarum, Mediolani in comitiis generalibus ordinis anno MDLXII. habita*, et hac in urbe typis commissa. Bononiae anno MDLXIV. apud Alexandrum Beneccium prodiit eius *epistola ad fr. Archangelum a Burgo, minoritam de observantia*, pro defensione cabalae contra Petrum Garziam, episcopum Usellensem, favore Pici Mirandulani. Praeter ea quae retulimus suo loco, mss. reliquit sequentia, nimirum *lectiones in primum sententiarum doctissimi p. magistri fr. Hieronymi Pallanterii a Castro Bononiensi publici lectoris Patavii in primo loco.* Exstant Romae in bibliotheca ss. XII Apostolorum exaratae a *fr. Felice Ranthe a Licio minorita conventuali ex proprio illius ore.* Item mss. adservantur in bibliotheca s. Francisci conventus Rhegiensis eius *commentaria in catechismum romanum* usque ad caput *III. partis II. deducta* et partim suppleta a Ioanne Ferretto consodali, et auctoris discipulo. Eum fuisse inventorem *elogiorum symbolicorum, et poesi lyrica* excultum tradunt. Eius enim est *passio Domini nostri Iesu Christi, carmine hexametro et saphico narrata.*

Annal. min. ad an. 1595. n. 65.

LIX. Diximus, b. Laurentium a Brundusio capucinum iter suscepisse Ulyssiponem, ut regi catholico, procerum regni Neapolitani nomine, miserandam eiusdem regni faciem exponeret. Cum autem invito et insalutato prorege id egerit Laurentius, multa contra eum molitus est, ut legationem impediret tum Neapoli tum etiam Ulyssipone, ne rex catholicus Neapolitani regni proceribus fidem ullam praestaret. At irrito prorsus conatu; Ulyssiponem enim feliciter advenit et quae sui muneris erant, explevit. Vix autem regi Laurentii adventus innotuit, iussit eum in locum extra civitatem, quo stationem posuerat, ad se venire, ubi trium horarum ferme spatio cum eo conferens, regis benevolentiam sibi conciliavit. Quinquies subinde convenit regem, ut legationis suae officium expleret eumque certiorem redderet de tot ingruentibus malis, quibus misere afficiebantur Neapolitani, et ut quamcitius eis opportune consuleret, quod et sollicite egit pientissimus princeps.

Laurentius a Brundusio. Annal. min. ad an. 1618. De Pise tom. III. p. 345.

LX. Dum haec agebat cum rege beatus, gravi morbo tentari incepit, et cum ad sacrum litandum impar esset, quotidie summa animi pietate Angelorum pane reficiebatur. Saepe, dum graves morbi dolores eum torquebant, haec erant eius verba: *laus Deo et Mariae.* Sacrum viaticum eo cultu, quo divina mysteria peragebat, recepit, et salutari infirmorum oleo inunctus, modo supplicibus manibus, modo easdem pectori cancellatas dimittens, alias oculis sursum erectis, crucifixum ac caelestia omnibus illum aspicientibus se meditari manifeste satis ostendit. Hinc brachiis supra pectus aptatis, die XXII. Iulii Deo suo animam reddidit domi Petri a Tolosa, cum capucini eo tempore Ulyssipone coenobium non haberent. Defuncti corpus sibi dari petiere minoritae de observantia; at laudatus Petrus a Tolosa illud optimis aromatibus conditum furtive et festinanter in ec-

clesiam clarissarum oppidi Villefranchae suae ditionis deferri iussit. Ea die, qua corpus Beati illatum fuit in laudatum oppidum, lux magna e caelo delapsa in eodem monasterio visa fuit, et una monialis gravi infirmitate oppressa, illico Laurentii meritis sanitatem recuperavit. Multis maximisque miraculis tum in vita tum post mortem claruit, et eius funera in omnibus fere Europae civitatibus celebrata fuere. Eum beatorum numero adscripsit Pius VI. summus pontifex. Scripsit *sermones de tempore, expositionem in Ezechielem, tractatum de modo concionandi, in quo assignantur multae regulae novis praedicationibus necessariae, epistolas quatuor pro perfecta seraphicae regulae observantia.* Sbaral lit. L.

LXI. Tuderti in provincia Umbriae obiit Lactantius ab Interamna, item capucinus, ex nobili Mazzancoliorum prosapia genitus. Tantae erat humilitatis, ut domum everreret, sordidiores pannos lavaret, tritas et laceras vestes reficeret aliaque vilia praestaret. Caritate Dei vulneratus, cum aestum quo flagrabat, sustinere haud valeret, saepe exclamare cogebatur: *o bone, o dulcis, o suavissime Iesu, quantopere laetor te esse Deum.* Scripsit *volumen epistolarum moralium et spiritualium varii generis,* quod mss. in laudato coenobio adservatur, quarum ope multos devios ad poenitentiam et moniales ad terendam perfectionis viam alliciebat. Aetatis suae anno LXXXII. Brixiae decessit Petrus Bergomensis, vir sanctis moribus et eximia doctrina ornatus. Scripsit *commentaria doctissima super regulam s. Francisci minoritis fratribus praescriptam secundum mentem eiusdem seraphici Patris.*

Lactantius ab Interamna. De Pise tom. III. p. 385.

Sbaral. lit. L.

Petrus Bergomensis. Idem lit. P.

LXII. Qui sequuntur, in eodem instituto pie occubuerunt. Mediolani obiit Rochus a Proserpio laicus, silentii custos fidelis; etenim nisi caritate vel Dei vel proximi urgente loquebatur. In mensa modicum panem dumtaxat degustabat. In conventu Turris Maioris, provinciae s. Angeli, raptus est Antonius a Puliniano, item laicus; diris loris et flagellis ita carnem domabat, ut undique sanguis e corpore erumperet. Plures noctis horas in precibus fundendis insumebat. In Insula Melitensi obiit Adrianus a Castro Ioannis, item laicus, eiusdem s. Angeli provinciae filius. In oratione ecstasis dono enituit; spiritu etiam prophetiae et curationis virtute floruit. Neapoli diem extremum clausit Eugenius Marilianensis sacerdos, solitudine, silentio, oculorum mortificatione et orationis assiduitate praestans. Perpetuo a vino abstinuit. Cubile nullis stratum tabulis et crux lignea supellex pretiosa eius cellae erat. In provincia Pedemontana decessit, manibus regulam seraphici patris tenens, Franciscus Sinniensis ex nobili Carrettorum progenie ortus, qui mundo valedicens capucinis se adscripsit in humili laicorum statu. In instituto omnia humilia et abiecta sectari in animum sibi induxit et propositum constanter sustinuit. Diu coquinae officium summa hilaritate obivit. Tantae fuit abstinentiae et humilitatis, ut fratrum cibo se indignum aestimans, eorundem abiectas reliquias sibi in annonam assumeret. Mansuescae in provinvincia Massiliensi quievit Celsus Tarasconensis, clericus, antea copiis Belgarum adscriptus. Factus capucinus somnum ac cibum corpori

Rochus a Proserpio. De Pise p. 288.

Antonius a Puliniano. Idem ibid.

Adrianus a Castro Ioannis. Idem p. 289.

Eugenius Marilianensis. Idem ibid.

Franciscus Siniensis. Idem p. 290.

Celsus Tarasconensis. Idem p. 291.

subtrahebat superque nudam terram quiescebat. Sandalia ita instruxerat, ut ea essent claviculis perforata, quorum acumina omnibus inaspecta plantas dire pungebant. Valentiae longa infirmitate detentus e vita migravit Gabriel ab Occania, sacerdos et praeclarus divini verbi praeco. Licet infirmus senioque confectus, semper tamen ieiunium servavit. Inediae decubitum in ligno sine paleis substratis adiecit. Carnem interim loris ac flagellis torquebat. Curationum gratia et zelo religiosae perfectionis exornabatur. Ante concionem multum temporis in oratione insumebat. In Alonensi conventu eiusdem provinciae Valentiae emisit spiritum Seraphinus a Politio Siculus, item sacerdos et concionator, eo missus a sui ordinis supremo moderatore, ut eam provinciam fundaret ac gubernaret. In eo emicuit mira abstinentia, altissima paupertas iugisque oratio. Hyberno etiam tempore absque sandaliis incedebat, totum fere annum austero ieiunio et saepe in pane et aqua consecrabat unoque simplici et trito habitu induebatur. Valentiae occubuit Aegidius a Solsona sacerdos, concionator et illius provinciae praeses. Vir fuit summae humilitatis. Se enim vilissimum peccatorum reputans, quotidie ad pedes sacerdotis prostratus plurima erratorum, quibus conscientiam credebat oneratam, non absque lacrymis se tanquam reum accusabat. Dum provincialis munus gerebat, appulsus hora prandii ad oppida, ostiatim aliqua panis fragmenta emendicabat. Sponte divitum domos declinabat, ut parce vivens inopum more vitam ageret. In Castellionensi conventu eiusdem provinciae, praedicto suae mortis tempore, vita excedit Hilarion a Valentia sacerdos, concionator et multoties novitiorum magister. Cum illo nullus esset humilior, nemo pauperior, obsequentior nemo, se cunctis amabilem admirabilemque praebebat. Eius tamen vita valde erat austera et ad omnem carnis mortificationem composita. In provincia Baetica obiit Laurentius a Campillo laicus, vir simplex, rectus et animi puritate et candore exornatus. Non semel angeli sui custodis praesentia frui meruit.

Gabriel ab Occania. Idem p. 293. — *Seraphicus a Politio. Idem p. 295.* — *Aegidius a Solsona. Idem p. 296.* — *Hilarion a Valentia. Idem p. 297.* — *Laurentius a Campillo. Idem p. 298.*

LXIII. In valetudinario coenobii de Monte prope Arrabidam in Lusitania die XIV. Martii pie obiit Augustinus sacerdos, natus in oppido vulgo de Ponte de Barcanatus, qui, relicta aula infantis d. Eduardi, fratribus discalceatis se addixit, ut Deo arctius adhaereret. In laudato Montis coenobio maiorum suorum facultate sibi tugurium ex arborum ramis aptavit; verum quibusdam transactis mensibus Alvarus de Alemanstro, loci patronus, illud lapidibus efformavit, quod tamen cadaverum sepulcrum dici poterat. Ibidem vir Dei quatuordecim annis incolatum tenuit, vitam ducens asperitatibus plenam. Coenobium tantum petebat, ut conscientiam expiaret. Semel in hebdomada coenobii praeses panem eidem mittebat, quo unice vescebatur. Eiusdem austeritatis socius erat frater Didacus ab Innocentibus, qui eidem operanti sacrum in oratorio Dominae nostrae ministrabat. Aves aliquando circa eum volitabant et in capite et humeris suis insedebant. Vernacule scripsit in saeculo *carmina sacra diversi generis.* Duo *elegia* leguntur tom. 1. chron. illius provinciae.

Augustinus de Ponte. Mon. prov.

LXIV. In conventu Dominae nostrae de Iesu Ulyssipone sancte decessit die XI. Iunii Ivo de s. Sebastiano, sacerdos ex tertio ordine fratrum claustralium. Nunquam carnem manducavit nec vinum potavit. De nocte ternas horas quiescebat, et ut somnum arceret, aquam iniiciebat in oculis et ita ingiter vacabat divinis obsequiis. Licet toto corpore revinctus cilicio, qualibet tamen nocte cruentis flagellis se caedebat. Prae corporis debilitate exanimis ferme videbatur. Superioris mandato a corporis macerationibus sese continebat; at precibus ac lacrymis suis commoti maiores, iterum consuetas eidem austeritates indulgebant. Ivo de s. Sebastiano. Agiol. Lusit. ad diem 11. Iunii.

LXV. Die XII. Septembris in conventu s. Aegidii Matriti, in provincia s. Iosephi eiusdem instituti, occubuit Andreas ab Occania, suae provinciae administer et aliquorum conventuum guardianus. A sui tyrocinio usque ad senectam nudis semper pedibus incessit. Religiosae perfectionis consequendae cupidus, vitam composuit iuxta regulam et ordinis costitutiones, nec unquam ab eis declinavit, licet multis distentus curis. Flagrabat erga ss. eucharistiae sacramentum amore summo, in cuius laudem varios sermones scripsit. Florum *prima pars* prodiit anno MDCXXII. Matriti ex typographia regia; *secunda* autem et *tertia pars* mss. exstant. Andreas ab Occania. Mon. prov. Wadd. et Sbaral. lit. A.

LXVI. Oscae in conventu s. Francisci, provinciae s. Ioannis Baptistae eorundem fratrum, obiit Leo Perez laicus, in saeculo copiis catholici regis in Flandria adscriptus. In instituto vitam inchoavit asperrimam; ciborum enim parsimonia gulae vitium compescuit, carnem spiritui insultantem flagellis afflixit vigiliisque castigavit. Aegris, egenis et afflictis quibus poterat inserviebat, consolabatur et subveniebat caritate summa. Nunquam lecto usus est; ei vel nuda tabula vel terra lectus erat. Noctes ferme ducebat insomnes orans ante ss. eucharistiae sacramentum. Vivus ac mortuus miraculis claruit. Leo Perez. Panes p. 622.

LXVII. Beato fine quievit die XX. Martii Taurini, in Gallia Transalpina, Laurentius inter fratres recollectos adscriptus, de quo Bollandistae solum nomen habent inter praetermissos, qui, cum eximia sanctitate floreret, magnam etiam sui nominis reliquit opinionem. In Compostellano s. Laurentii coenobio eorundem recollectorum occubuit die V. eiusdem mensis Petrus de Nancharez, natione Cantaber, de quo Waddingus testis coevus ita scribit: *hic olim mihi fuit notus Salmanticae, dum iuvenum instructorem ageret; vir sane pius, regularis instituti in se observantissimus, et in aliis studiosissimus, assiduus in oratione, in ieiuniis et vigiliis indefessus, in macerando corpore ultra modum serius. Poenitentiis crebris innumerabiles contraxit languores, quibus succubuit Compostellae, sepultus in praefata aede anno MDCXIX., non sine magno populi in funere concursu, qui pauperem lacernam pia depraedatione in minutula praesegmina proscidit.* Laurentius recoll. Arturus ad diem 20. Martii. Petrus Nancharez. Wadd. ad an. 1223. n. 28.

LXVIII. Aetatis anno LXV. in conventu s. Francisci Emeritae, in provincia Iucatanica, obiit Petrus Cardete hispanus ex provincia Petrus Cardete. Lopez p. 515.

Castellae. Ab adolescentia ad pietatem pronus, ita orationi vocabat, ut sui tyrocinii tempore totus in Deo absorptus videretur. Sacerdotio initiatus, concionatoris munus sedulo obivit, et multos devios ad poenitentiam revocavit. At infidelium salutem sitiens, anno MDLXXVIII. in socium se dedit Didaco de Landa, franciscano de observantia, Iucatanicae ecclesiae episcopo, ubi verbo et sanctitate vitae incolas ad sui traxit amorem. Pluribus praefuit coenobiis et semel provinciam administravit. Corpus macerabat vigiliis, ieiuniis et flagellis, ita ut pelle et ossibus constare videretur. Impense Deiparam virginem coluit cunctosque ad eam colendam alliciebat suavissimis verbis. Spiritu prophetico floruit et miraculorum gloria. Mortis suae tempus praedixit, quae occurrit die VII. Septembris, illis expletis: *et incarnatus est de Spiritu sancto.* Eo vix mortuo coenobii campanae sponte sua sonum ad instar festivi diei ediderunt. Eius funus honestarunt Franciscus Ramirez, urbis gubernator, optimates et Gonzalvus Salazar episcopus, qui pontificalibus indutus solemne funus una cum clero celebravit. Eius iussu instituta fuerunt acta pro viri Dei canonizatione.

Emmanuel a Conceptione. Agiol. Lusit. ad diem 16 Februarii.

LXIX. In conventu s. Francisci Goae, in provincia observantium s. Thomae Indiarum orientalim quievit die XVI. Februarii Emmanuel a Conceptione Lusitanus, vir multorum laborum in erudiendis Indis in catholica fide. Quibusdam domibus doctrinalibus et coenobio de Baçai praefuit. Mortis suae tempus praedixit, et ingenti sanctitatis opinione occubuit.

Ricardus Anglus. Certamen Seraph. p. 17.

LXX. Apud coenobium oppidi Xerez de la Frontera, provinciae Baeticae eiusdem instituti, obiit in osculo Domini Ricardus, sacerdos Anglus, qui postquam multa perpessus fuisset ab Elisabetha regina ob catholicae fidei constantiam et sedulam operam in revocandis indigenis a fide deviis, exilio mulctatus in Hispaniam se contulit, ubi miris floruit virtutibus. Ad tantam penes omnes devenerat sanctitatis famam, ut illius oppidi incolae tunicam a corpore eius pro reliquiis absciderint.

Ludovicus Massiliensis. Quaresmius tom. II. p. 65.

LXXI. Hierosolymis in conventu ss. Salvatoris in custodia Terrae sanctae naturae debitum solvit Ludovicus Massiliensis laicus, ex provincia s. Ludovici in Gallia. Cum esset vir humilis, devotus, pius ac Deo et fratribus inserviendis sedulus, anno MDCXVII. ad loca sancta missus, ibi duobus annis magna cum laude vitam egit. Hortorum culturae in landato coenobio licet addictus, cetera tamen alia caritatis officia quantum poterat, laeto vultu explebat. Et quamvis solitudinis amicus, nihilominus loca sancta crebro ac devote perlustrabat, nunquam ex illorum visitatione satiatus. Ex multo autem labore, austeritatibus et vigiliis gravi laterali morbo correptus, hilari patientia Deo gratias agebat, quod in loco, ubi ipse pro nobis peccatoribus acerbissimam passionem et mortem pati dignatus est, ipsum in levi illa infirmitate voluerit visitare. Lacrymis et ferventissimis caritatis actibus sacra ecclesiae sacramenta suscepit, et ingravescente

morbo adstantes fratres rogavit, ut cum primum agonizare coepisset, sanctissimum Iesu nomen alta voce ei inclamarent; et in signum, quod audiret, se manum suam tangentes compressurum. Quibus completis, magna cum vultus serenitate dilecto suo animam reddidit, factus in pace locus eius et habitatio eius in Sion, ubi ceteri fratres dormitionis requiem accipiunt.

Bernardinus a Monte s. Pauli. Mon. prov.

LXXII. Die XXVI. Februarii in coenobio s. Mariae de Monte Civitatis Novae in provincia Marchiae obiit Bernardinus a Monte s. Pauli, ex fratribus strictioris observantiae. Vir fuit suae regulae studiosus cultor, tantoque asperitatis ardore ducebatur, ut bis in hebdomada cibum sumeret. In coenobio Castri Aemilii, eiusdem instituti et provinciae, decessit die XVII. Aprilis Antonius a Massiniano, multis virtutibus cumulatus. Sui obitus diem praedixit; et licet bene valeret, extremam unctionem sibi dari postulavit, et ea percepta statim ad Dominum migravit. Panormi in Sicilia die XXV. Iulii obiit in conventu s. Mariae de Iesu Bonaventura sacerdos, item ex minoritis reformatis, natus in oppido Castri in ducatu Urbinatensi, provinciae Marchiae. Florenti in aetate carnem domabat ieiuniis, flagellis ac vigiliis. Nudatis etiam pedibus incedebat. In caelestibus meditandis exardescebat caritate Dei et proximi, et infidelium salutem sitiens a maioribus postulavit, ut fidei lumen ad eos afferret, spe fretus, sanguinem pro Christo fusurum. At repulsam passus, ut omnibus esset ignotus, in Siciliam advenit, ubi relaxato sui spiritus fervore, miris maximisque cruciatibus corpus afflixit, et admirandis floruit virtutibus. Pluries dignatus fuit colloquio et praesentia Deiparae virginis, quam colebat pietate summa.

Antonius a Massiniano. Mon. prov.

Bonaventura a Castro. Mazzara tom. VII. p. 425.

Hippolytus Galatinus. Acta ss. ad diem 20. Maii.

LXXIII. Eximia sanctitate et miraculorum gloria tum in vita tum post mortem clarus superna petivit die XX. Maii Hippolytus Galatinus Florentinus sacerdos, societatis doctrinae christianae institutor sub invocatione s. p. Francisci.

Mencia de s. Clara. De Esperanza tom. I. p. 590.

LXXIV. Sanctimoniales etiam virgines hoc tempore occubuere. Mense Martio vitae cursum absolvit in monasterio s. Clarae Portus, provinciae Lusitaniae, Mencia de s. Clara, annos numerans CX. Ulyssipone lucem aspexerat nobilibus parentibus. Politioribus litteris et musicae arte instructa erat. Humiliora monasterii munia sponte explebat et infirmarum sororum curam gerens, morbos aliquando ab eis expellebat, lecto s. Marci evangelio cap. XVI. *super aegros manus imponent et bene habebunt.* Sponsi sui agones alta mente versabatur et noctu solitaria monasterii loca poteus, cruentis flagellis se caedebat.

Maria de Deserto. Agiol. Lusit. ad diem 19. Maii.

Mencia de Matre Dei. Ibidem.

LXXV. Eborae in monasterio de Salvador, eiusdem provinciae, obiit die XIX. Maii Maria de Deserto, virgo multis virtutibus exornata etiam paterna in domo. Eas tamen auxit in instituto humilitate praesertim, paupertate ac corporis maceratione. Lacrymarum donum a Deo obtinuit in fundendis precibus. Eadem die in monasterio s. Gonzalvi de Angra eiusdem provinciae, invocato ss. Iesu nomine, occubuit Mencia de Matre Dei, innocentia vitae, vigiliis, ieiuniis et coelestibus meditationibus commendata.

Eleonora de Femino. Mon. prov.

LXXVI. In monasterio Conceptionis, urbis Burgensis, obiit die XXX. Augusti Eleonora de Femino. Tanta vitae puritate ot sanctitate exornabatur, ut nullo unquam lethali peccato inquinatam fuisse tradunt. Interim in cunctis gerendis singularem ostendebat simplicitatem animique candorem.

Anna de Iesu. De Guadalupe p. 579.

LXXVII. E vita decessit in monasterio ss. Conceptionis de Hinnoiosa, provinciae Angelorum, Anna de Iesu, pluries huius monasterii abbatissa. Emicuit ita in ea humilitas, ut ceteris sororibus famula esset, vitaeque asperitas, ut dirum cilicium ad nudam carnem haberet et membra flagris caederet.

Antonia de Hoio. De Torres p. 600.

LXXVIII. Antonia de Hoio rapta est in monasterio s. Clarae Alcaudetae in provincia Granatensi. Quotidie sibi ad mensam apposita fercula pauperibus largiebatur; ipsa vero solo pane refecta. Singulos Iesu Christi dolores alta mente recolebat, quos ut aliquo modo in corpore experiretur, funiculis, catenis atque ciliciis membra revinciebat. Interim ligneam crucem baiulans, una noctis hora claustrum solitaria circuibat, quo peracto chorum petebat et usque mane caelestibus meditationibus vacabat.

Ludovica Fontani. Greiderer tom. II. p. 539.

LXXIX. Apud monasterium ss. Trinitatis Tridenti, in provincia Veneta, die XXIV. Augusti e vita migravit Ludovica Fontani Veronensis, vitae puritate et spiritu prophetico a Deo illustrata. Diu oculorum lumine orbata, iugem operam dabat caelestibus meditandis.

Maria Blisterskirk. Mon. prov.

LXXX. In monasterio Offridi, dioecesis Bruxellensis, in provincia Germaniae Inferioris die XIX. Octobris obiit Maria Blisterskirk, virgo mirae simplicitatis, eximiae humilitatis summaeque pietatis in ss. Trinitatis mysterium. Mortem sibi praedixit, addens, se non morituram in proprio lectulo, malumque gravi ipsi monasterio imminere, complendum quidem ante festum omnium sanctorum. Itaque praefato die XIX. Octobris totum ferme monasterium inopinato incendio periit et in eo etiam soror Maria, adeo tamen ab igne illaesa, ut ipsum sacrum capitis velum etiam integrum et incombustum permanserit. Facti memoriam ratam habuerunt ipsae sorores, quae in eo excidio non periere.

Maria Francisca Mayrina. Mon. prov.

Catharina Ciaulina. Mazzara tom. I. p. 165.

LXXXI. Quae sequuntur ad sorores de tertio ordine spectant. Reithnbergae in Superiori Bavaria die IV. Maii obiit Maria Francisca Mayrina Lucernensis, vitae santimonia et virtutum studio spectabilis. Tumulum accepit in ecclesia coenobii s. Mariae de Iesu Collisani fratrum reformatorum, provinciae Siciliae, Catharina Ciaulina, die IX. Ianuarii defuncta. Ab ineunte aetate divinis benedictionibus praeventa, spiritualibus exercitiis vacabat, pudoris semina edebat et, ne in verba odiosa incurreret, aliorum conversationem declinabat. Praesto erat ecclesiis, ut sacrum audiret, et divino Christi corpore reficeretur. Ab anno aetatis suae XX. maioris perfectionis desiderio incensa, plurimum angebatur, se fore ad eam consequendam spirituali magistro destitutam. Tunc ei praesto fuit quaedam mulier probatae vitae, a qua edocta plane intellexit totius christianae perfectio-

nis fundamentum esse iugem Iesu Christi passionis memoriam et divinarum rerum meditationem.

LXXXII. Iis igitur instituta documontis, manns operi admovit et de se vilescens et carnis frenum adiiciens, brevi post tempore multarum virtutum cumulum obtinuit. In recolendo Iesu Christi agone tanto pictatis sensu afficiebatur, ut saepe immobilis sensibus ferme destituta at lacrymarum imbre perfusa videretur. Id autem vitae genus auxit, postquam florenti in aetate sororibus de tertio saecularium ordine se adscripsit. Hinc vili tunica amicta, vigiliis, ieiuniis, flagellis membra macerabat ac ferreis loricis. Cum antem anno MDCXVIII. die s. Thomae apostoli intense recoleret Iesu Christi cruciatus in spinarum coronatione, rogavit Dominnm, ut etiam ipsa tantum doloris in suo capite experiri posset. Non fuit fraudata a desiderio suo, nam illico in eius tempora et cranium ita dolor invasit, ut se eum dilecto suo spinis coronari ferme animadverteret. Septemdecim dies laeta acerbum cruciatum sustinuit. Tandem ante sui obitus diem ecstasim passa praedixit mortem suam eventuram in meridie sequentis diei, quae et evenit. Eius funus honestatum fuit magno incolarum affluxu. Servae Dei acta scripsit Antonius de Randazzo Siculus.

LXXXIII. Vizcaiae in provincia Granatensi obiit die X. Septembris Augustina de Ribas item tertiaria, quae ab adolescentia votum perpetuae castitatis emittens, cilicium ad instar indusii gestavit et cruentis se percutiebat flagellis. Ut Iesu Christi dolorum participem esse mereretur, singulos ipsius cruciatus recolebat intense, et de nocte columnae alligata se dire caedebat. Coronam item spineam capiti infixam praeseferebat. Snpposita capiti storea, ei erat pro lectulo nuda terra. Eius virtutes scripsit Antonius de Prado, conscientiae suae moderator.

Augustina de Ribas. De Torres p. 839.

LXXXIV. Die IV. Decembris vitae cursum complevit in urbe Cauriae in Extremadura Isabella Sanchez, quae voluntati parentum obsequens virum duxit. Eo defuncto cum altero viro, item maiorum auctoritate, matrimoninm contraxit. At iterum a lege viri soluta, sororibus tertiariis saecularibus nomen dedit. Hinc rudiori indnta tunica, cuncta, qnae ad institutum spectant, exacte complebat. Dies solo pane et aqua transigebat ferreamque magni ponderis catenam gerebat absconditam. Praestans erat erga pauperes caritate; eis enim necessaria suppeditabat et infirmorum domus petebat aliquando, ut suis manibus cibaria eis praeberet. Non semel Deum panis fragmenta pro eis parata multiplicasse tradunt. In ferventi oratione saepe elevabatur, maxime vere cnm sacrum andiret. Similia ei occurrebant in sacris collationibus, quae agebat cum aliis piis devotisque de tertio ordine sororibus. Spiritu prophetico et inclaruit. In ultimis tabulis onncta sua in panperum levamen contulit.

Isabella Sanchez. Mazzara tom. XII. p. 33.

LXXXV. Inter purpuratos patres cooptatus est hoc anno die XIX. Iulii Ferdinandus Austriacus, filius Philippi III. Hispaniarum regis, tertio s. Francisci saecularium ordini iam adscriptus. Ad moderan-

Ciaconius tom. IV. colum. 449. Mazzara tom. XII. p. 430.

dam ecclesiam Syrenensem in Mari Aegeo delectus est die VIII. Ianuarii Gerardus de Insula Paros, minorita de observantia. Die XVI. Decembris destinatus est ad regendam ecclesiam Scardicensem Ioannes Pellegrini ex minorum conventualium familia.

LXXXVI. Iubet summus pontifex, ne fratres de observantia ambiant dignitates: *Admonemur,* die XVIII. Aprilis; similia iubet fratribus conventualibus: *Admonemur,* die IV. Septembris; ut iidem fratres quolibet sexennio habeant generale comitium: *Ut ea,* die XIV. Septembris; ne in Indiis occiduis episcopi audeant exigere quartam funerum partem defunctorum, qui tumulantur in ecclesiis mendicantium: *Cum sicut,* die XV. Iulii; ne fratres observantes aliarum provinciarum accedant in provinciam Carthaginensem vel praedicationis vel audiendi sacramentales confessiones vel quaerendae eleemosynae causa: *Ut ea,* die XVII. Augusti; ne extrahantur ss. reliquiae ab oratorio s. Bonaventurae discalceatorum oppidi Oceaniae, Toletanae dioecesis: *Conservationi,* die XV. Februarii; similia iubet pro ecclesia capucinarum Brundusii: *Cum sicut,* die XXIV. Octobris.

LXXXVII. Idem pontifex eximit fratres capucinos a dependentia ministri generalis conventualium: *Alias,* die XXVIII. Ianuarii; subiicit ministro recollectorum provinciae s. Dionysii monasterium monialium tertii ordinis Grisortii, antea moderatum a provinciali minorum de observantia: *Cum sicut,* die XXVII. Aprilis; indulget, ut monasterio capucinarum Turoniae praesideant capucini: *Maiestatis tuae,* die IX. Septembris; ut moniales s. Elisabeth Tiburtin. convertant quandam pecuniam in emptionem locorum Montium: *Alias,* die II. Maii; ut provincia s. Didaci fratrum discalceatorum erigatur: *Salvatoris,* die XVI. Iulii, pontificis votum satisfactum fuit anno insequenti. Postremo indulget pontifex, ut fratres discalceati conventus Valentiae missam et officium recitent de corona Domini: *Exponi nobis,* die XIII. Septembris.

LXXXVIII. Erigit confraternitatem s. Antonii de Padua in ecclesia eiusdem nominis in oppido de Vizoza, Elborensis dioecesis: *Cum sicut,* die II. Septembris; confraternitatem Conceptionis in ecclesia conventualium eiusdem nominis, in urbe Brixiensi: *Cum sicut,* die XIII. Martii; confraternitatem s. Antonii de Padua in ecclesia parochiali s. Mariae ad Nives in loco de Pedroso, Bracharensis dioecesis: *Cum sicut,* die V. Martii; confraternitatem s. Antonii Patavini in ecclesia eiusdem nominis oppidi de Villaverde, Burgensis dioecesis: *Cum sicut,* die XXII. Aprilis; confraternitatem s. Ludovici regis Francorum in ecclesia eiusdem nominis minorum de observantia, Barcinonensis: *Cum sicut,* die XV. Iulii; confraternitatem ss. nominis Iesu in ecclesia conventualium Ebredunensis: *Cum sicut,* die XXII. Octobris; confraternitatem Conceptionis in ecclesia eiusdem Urbinatensis fratrum conventualium: *Cum sicut,* die XXIII. Novembris.

LXXXIX. Accedunt alia diplomata a Petro de Alva notata. Pro concordia provinciae s. Iosephi discalceatorum: *Romanus pontifex,* die

VIII. Februarii; pro fratribus capucinis oppidi Vinacensis Bituricen.: *Dum ad fructus*, XI. calendas Septembris; ad fratrem Petrum Gonzalez archiepiscopum Caesaraugustanum: *De benignitate*, V. idus Ianuarii; pro coenobio fratrum conventualium reformatorum Mazarien.: *Circumspecta*, III. idus Iulii; ius nominandi capellanos monasterii clarissarum de Villa Conde: *Vitae et morum*, VI. calendas Decembris; pro monasterio clarissarum extra muros Genuen.: *Ex iniuncto*, VII. calendas Iulii; capellania in monasterio s. Crucis Corduben.: *Vitae et morum*, VII. calendas Novembris; confraternitas s. Bernardini Modaetiae Mediolanen.: *De salute*, calendis Septembris; pro monasterio s. Leonardi de Calignano Genuen.: *Ex iniuncto*, XVII. calendas Iulii; confraternitas ss. Trinitatis in conventu oppidi de Tauste Caesaraugustan.: *De salute*, nonis Iulii; beneficium fratris Ioannis de Frigidis: *Religionis zelus*, V. idus Augusti; pro monasterio s. Mariae clarissarum Mutinen.: *Sedis apostolicae*, idibus Iunii; confraternitas in conventu oppidi Scidis Syracusan.: *De salute*, idibus Novembris; pro monialibus monasterii s. Antonii et s. Clarae Barcinonen.: *Inter sollicitudines*, XVI. calendas Aprilis; altare Conceptionis in ecclesia oppidi de Cazar Caesaraugustan.: *Dignum*, pridie idus Iunii; confraternitas et capella Conceptionis militum nationis Hispaniarum in Terra Monacii Nicien.: *Considerantes*, pridie idus Iunii; confraternitas in conventu s. Mariae Gratiarum Cameriaci: *Considerantes*, die...; beneficium et ecclesia Conceptionis in oppido de Sarcedas Egitanien.: *Vitae et morum*, idibus Maii; pro monasterio monialium clarissarum Neapolitan.: *Ex iniuncto*, calendis Maii; indulgentia Conceptionis in oratorio loci Cornasiae Lunen.: *Dum praecelsa*, idibus Augusti; confraternitas Conceptionis in oppido de Oquendo Calaguritan.: *De salute*, nonis Ianuarii; pro monasterio monialium s. Catharinae Castri Massacii Aesin.: *Ex iniuncto*, III. nonas Iunii; pro monialibus s. Mariae Reginae Neapolitan.: *Ex iniuncto*, XI. calendas Iunii; super confirmatione capituli provinciae Conceptionis Aquitaniae: *Fabritius*, die XX. Maii.

XC. Hoc tempore peracta fuit in ecclesia coenobii fratrum minorum conventualium Coloniae tertia corporis translatio Ioannis Duns Scoti iussu Iacobi Bagnacaballi, eorundem fratrum generalis ministri. Huiusce translationis instrumentum ponimus.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Amen.

Anno post nativitatem Domini nostri Iesu Christi MDCXIX. pontificatus ss. d. n. papae Pauli V. quartodecimo, invictissimi imperatoris Mathiae I. austriaci, semper augusti septimo, sereniss. ac illustriss. Ferdinandi ducis Bavariae archiepiscopi et electoris Coloniensis anno octavo, indictione secunda, cum prima die mensis Decembris in hanc illustrissimam civitatem Coloniensem paterno affectu et zelo ductus reverendissimus in Christo pater frater Iacobus Bagnacaballus, ordinis minorum conventualium minister generalis, ad visitandam et reformanda-

dam eiusdem ordinis minorum conventualium d. Francisci conventum venisset, cumque multa pia, salubria et sancta in actibus visitationis instituisset, mandavit quoque, ut sepulcrum fratris Ioannis Duns Scoti, dicti ordinis minorum *conventualium* doctoris subtilis, in medio chori sub campana situm, et aenea lamina, quae ipsius doctoris subtilis effigie illustrata est, coopertum, aperiretur ad videndum, ubi et quomodo ossa, omni veneratione digna, requiescerent. Die ergo XIII. mensis Ianuarii, praesentibus et inspectantibus ill. ac rev. d. d. Antonio Albergati Bononiensi, episcopo Vigiliarum ac nuntio apostolico per tractum Rhenanum cum potestate legati a latere; item rev. d. d. Othone Gercon, episcopo Cyrenensi et suffraganeo Coloniensi, eodemet etiam reverendissimo patre Iacobo Bagnacaballo generali, admodum reverendo patre Ioanne Peleckingio, provinciali ministro et guardiano Coloniae ac visitatore generali, admodum reverendo p. Matthaeo Veglensi, provinciali s. Bonaventurae, admodum quoque r. p. Ludovico de Castro, provinciali Leodiensi, r. r. demum patribus sacrae theologiae doctoribus, Gerardo Romero etc., supradictum sepulcrum apertum est per vespillones, sublevando lapidem iacentem ad caput sepulcri, cui inscriptum erat: HIC OPERITUR SEPULCRUM IOANNIS DUNS SCOTI DOCTORIS SUBTILIS. Effossa ergo aliquantulum terra, inventus est sarcophagus ex lapide vivo, coopertus alio lapide. Et in eodem reperta sunt pleraque ossa supradicti doctoris valde rubea. Sed quoniam hoc modo parum decenter condita et servata putabantur, eo quod ad caput ipsius sepulcri in lapide imposito requiescerent, hinc praefatus reverendissimus pater generalis praecepit, ut evacuata ex sepulcro terra, opus concameratum sub ipso lapide construerent, ut supra memorata ossa honestius ac decentius pro tanti doctoris dignitate collocari possent. Confecta est ergo arca plumbea, cui ossa arculae ligneae inclusa pie sunt imposita ac postmodum in sepulcro concamerato reverenter collocata. Sarcophagus quoque ligneus praeparatus est, in quo terra recondita est, quae in antedicto sarcophago lapideo, ossibus intermista iacuerat, idemque in sepulcro apud ossa collocatus, assistente et adspectante eum supradictis patribus reverendissimo Iacobo Bagnacaballo, ministro generali, admirabili cum affectu, zelo ac pietate pro decore ac illustratione, honore ac gloria doctoris subtilissimi atque religionis seraphicae. In quorum omnium fidem ego frater Gerardus Romerus, sacrae theologiae doctor, notarius ad hoc a reverendissimo p. generali specialiter deputatus, praesens hoc instrumentum, salva semper copia ulterioris dilatationis, confeci, vocatis ad illud idem testibus adm. r. p. Alberto Iunckanno patre provinciae et patre Ioanne Molmanno Tremoniensi.

Actum Coloniae in conventu nostro s. Francisci MDCXIX. die mensis ut supra. Fr. Iacobus Bagnacaballensis, minister generalis.

Ita est, fr. Gerardus Romerus, s. theologiae humilis doctor, tanquam notarius ut supra attestor.

Ego fr. Ioannes Felix de Brixia ord. min. conv. s. Francisci se-

cundus secretarius fidem facio et testor, praedicta fuisse haec scripta a p. magistro Gerardo Romero de mandato reverendissimi in veritatis testimonium die XV. Ianuarii MDCXIX. in conventu s. Francisci.

Loco † sigilli.

In interiori operculo plumbeo haec habentur scripta in membrana: *Hic iacent Ossa fratris Ioannis Duns Scoti doctoris subtilis piissimi cultoris et defensoris immaculatae conceptionis Deiparae Virginis Mariae qui e terra effossus et in hunc locum, terra, qua plenus erat, iniecta* (sic) *lapide stratum, iussu reverendissimi p. magistri f. Iacobi Bagnacaballensis, ordinis minorum conventualium ministri generalis, positus est* anno MDCXIX. XVIII. calendas Februarii.

XCI. Sequentia extrinsecus obviant: Reverendissimus p. fr. Iacobus Bagnacaballensis artium et sacrae theologiae doctor, nec non universi ordinis min. conventualium minister generalis, anno MDCXIX. dum hunc conventum visitat, fratris Ioannis Duns Scoti doctoris subtilis merito nominati, intemeratae conceptionis virginis Mariae piissimi cultoris et acerrimi propugnatoris, ossa, quae terrae immixta in diem illum usque iacuerant, effossa humo, in locum concameratum stratumque eiusque reverendissimi iussu constructum ac plumbea arca inclusa intulit XVIII. cal. Februarii.

Hisce peractis, arca plumbea, praesentibus quamplurimis tum doctrina tum nobilitate praestantibus, occlusa fuit, et a quatuor lateribus eiusdem ministri generalis sigillo munita.

XCII. In coenobio s. Crucis Leopoli in provincia Poloniae fortuito inventum fuit prope sacrarium corpus integrum vestibus religiosis et pontificalibus indutum b. Iacobi, archiepiscopi Leopoliensis ibidem defuncti. Novo tumulo impositum, delatum fuit in ecclesiae sacrarium. Interim studio religiosorum effigies eius lapidea opere egregio sculpta supra novum tumulum locata fuit; viri autem Dei corpus cum ornatu et insignibus loculo stanneo inclusum, in eo quo inventum fuerat loco, quietis requiem accepit. Facti memoriam exhibet inscriptio in eius tumulo posita: *Iacobus archiepiscopus Haliciensis, ortus Streparum nobili Poloniae familia, ex ordine s. Francisci, ob praeclaras animi dotes, assumptus anno Domini MCCCXCII. ecclesiae pastor, reipublicae senator, patriae tutor, regni custos, bonus, prudens, fidelis, vigilans multisque heroicis virtutibus illustris, consumptus laboribus vitam mortalem in caelestem mutavit. Anno MCDXI. in templo s. Crucis apud suos fratres tumulari voluit. Integer pelle sua anno MDCXIX. die XXIX. Novembris ornatu et insignibus archiepiscopalibus repertus hic in eodem loco die XX. Octobris anno MDCXXVI. cum devotione ab eisdem fratribus est repositus.* Haec carmina ipsius insignibus subiiciuntur:

Sacrorum tibi cura ingens, nec non patriae rem
Praesenti auxilio consilioque iuvas:
Ades quin etiam hostiles arcere phalanges
Qua potis est, patriam mens generosa levat.

Tanti viri cultum nunquam interruptum ratum habuit die XI. Septembris anno MDCCXC. Pius papa VI. summus pontifex, qui ad eius honorem proprium officium et missam benigne concessit.

XCIII. In peramplo vestibulo ecclesiae et coenobii ss. Annuntiationis Bononiae, fratrum de observantia, seqnens obviat monumentum.

D. O. M.

Admiranda deiparae Virginis historia quae ab incunabulis usque ad eius decubitum penículo variis iconibus delineata pictaque hic spectatur ex munificentia Bononiensium civium mixtae fortunae pie de hoc coenobio sentientium confecta est annis humanae naturae restitutae CIϽ IϽ CXIIII.

Pura pudica pia miseris miserere Maria.

XCIV. Alterum etiam prostat in ecclesia s. Mariae Angelorum prope oppidum Brisighellae, eorundem fratrum provinciae Bononiensis: Ludovico Nardio equiti clarissimo Franciscae dilectissimae uxori quod immobilem et permansuram aram maiorem aere proprio erexerint atque ornaverint, quod accensis ante augustissimum eucharistiae sacramentum lampadibus ex parte suppeditaverint nobilissimae genti quod publicam ad coenobium viam donavit quod divi Francisci cuius patrocinium ad summum honoris ac dignitatis evecta fastigium plurimum debere se novit et profitetur universam familiam et plurimis et maximis beneficiis cumulavit et in dies cumulat MDCXIX.

ARGUMENTUM.

Fratribus de observantia custodiae Terrae Sanctae iterum locus obvenit Deiparae ab angelo salutatae urbis Nazareth. Expenduntur acta legationis circa definitionis mysterium immaculatae conceptionis Deiparae. Praescribitur formula iuramenti pro edendo voto tuendi eius immaculatum conceptum. Provinciae, fratrum ac sororum domicilia de novo eriguntur. Sacrae virgines, pii viri et docti occumbunt et florent. S. Fidelis a Sygmaringa capucini labores apud Helveticos pro tuenda fide catholica. Episcopi et summi pontificis mandata et indulta notantur.

I. Praeter ingentia mala, quae ab anno MDCXVII. ad haec usque tempora franciscanis fratribus, sacra Palestinae loca incolentibus, Gregorius Armenus patriarcha Ierosolymitanus, vir dolo plenus, intulit, sedulam interim navavit operam, ut pulsis fratribus betlehemiticum Deiparae locum et sanctissimi Domini nostri sepulcrum sui iuris praesertim faceret. Quod erat in votis assequutus est ab urbis gubernatore, eidem largitis duodeviginti aureorum millibus. In tanta rerum iactura Antonius Vasquez, Terrae Sanctae procurator, Constantinopolim se conferens ita egit apud Venetarum et christianissimi regis oratores, ut revocata priori concessione, Osmanus II. Turcarum imperator, fermanum sive decretum hoc anno tulerit, quo fratres in antiquam locorum possessionem redirent. Regis autographum asservatur in archivo coenobii Constantinopolitani, italico idiomate sic expressum. "Essendo informato che la chiesa di Betlemme è ed è stata anticamente dei religiosi Franchi; che nella parte superiore della medesima chiesa, consensienti gli stessi religiosi, la nazione Armena e le altre nazioni cristiane hanno un luogo particolare per l'esercizio del loro culto; che la parte sotterranea della medesima chiesa, detta *luogo della nascita di Gesù Cristo* (il quale sia benedetto!) è luogo di adorazione per i religiosi Franchi, i quali hanno delle prove che rimontano fino ai rè Arabi, dimostranti che le altre nazioni non hanno diritto alcuno su questo luogo, e non vi possono sospendere lampade; e che dopo la conquista della nobile Gerusalemme, l'avo mio illustre, il Sultano Soliman-Khan (il quale riposi in pace!) ha accordato un Hatti-Chefir, in forza di cui i luoghi suddetti appartengono ai religiosi Franchi, conforme ai numerosi documenti ed ordini rilasciati dai giudici contemporanei... Sapendo che per lo addietro la nazione greca ha avute delle pretensioni sopra questi luoghi e che suscitò delle liti a tal proposito; ma che i religiosi Franchi hanno in mano delle scritture provanti da tempi antichi, esser eglino

Cassini. Storia di Gerusalemme tom. II. p. 220. et seq.

possessori e custodi dei suddetti luoghi e che le altre nazioni non debbono entrarvi affatto; che essi Franchi sono tuttavia padroni della cupola fra cristiani conosciuta come quella del sepolcro di Gesù (a cui sia omaggio), abbenchè altre nazioni pretendano esser ammesse alla possessione ed alla custodia della medesima cupola; che i religiosi Franchi secondo l'antico uso esercitano il loro culto, fanno le loro processioni sulla pietra dell' unzione, entro della medesima chiesa, ove essi accendono due candelabri, ciò che giammai fu praticato da altre nazioni; che presentemente la nazione Armena dice: Il superiore dei Franchi ci ha permesso altra volta di accendere una candela in questo luogo: e che a cagione di questo ora pretendano e dicono esser associati alla proprietà del suddetto luogo... Considerando ancora, che il rè di Francia è nostro amico sincero fin dai tempi dei nostri antenati, noi abbiamo gradite le sue rappresentazioni ed ordiniamo, che i suddetti luoghi siano come in passato, proprietà, possessione dei religiosi Franchi, senza essere in ciò molestati nè dagli Armeni, nè da altra nazione. Se gli Armeni o altri malcontenti di quest'ordine dicessero: noi abbiamo in mano ordini e titoli; s'eglino volessero di nuovo contro il mio comandamento usurpare o entrare in litigio sui luoghi suddetti appartenenti alla nazione Franca, voi ordinerete, che i religiosi Franchi siano, come per lo innanzi messi a possesso in questi luoghi...

Dato dal palazzo di Daud-Pascià, nel mese di Diemadi-el-Akhez 1030 „: idest MDCXX.

II. Vulgato diplomate, Thomas Novariensis, Terrae Sanctae iam commissarius et olim summi pontificis Pauli V. voluntate praeses universae chaldaicae nationis, pulsos fratres revocavit et sua studia contulit, ut Deiparae ab angelo salutatae locum recuperaret. At in primis sciendum est, anno MCCCLXV. illius aedis fratres a Turcarum tyrannide carceribus inclusos inedia periisse. Anno MCDXLVIII. illuc rediere; sed iterum anno MDXLVIII, vastato a Turcis coenobio, e loco abierunt, miseram vitam hac illac degentes. Ab hoc anno, ut scribit Gonzaga, a nullo fratrum, sed ab uno tantum graeco, qui aedis mundandae disponendarumque lampadarum ac accendendarum, accepta pro labore mercede, curam gerebat, incolebatur.

Ann. min. ad an. 1647.

Gonzaga part. I. p. 3.

III. Quae vero in eo consequendo egerit Thomas, novimus ex speciali opella ab ipso edita, cuius verba mutuamus. " Cum, inquit ipse, iuxta montem Thabor ad inferioris Galileae, oppidum Aain Togiar, idest fons mercatorum, appellatum pervenissem, secunda vice propinquum Nazareth sanctuarium, devotionis ergo, visitare decrevi, quamvis difficile tunc foret ac periculosum undique in Nazareth pertransire, cum adhuc illius Nathanaelis elogium in his perduret iniustis, dicens: *a Nazareth potest aliquid boni esse?* Impavidus non minus abii; quinimmo omni terrore deposito, praestantiori animi fortitudine sanctum locum sum ingressus. Quem cum specum devota veneratione percurrerem, abiecta cuncta atque deserta conspiciens, intimis animi

sensibus pressus, erumpentibus tandem lacrymarum rivulis totus perfusus sum „.

IV. “Quamobrem inde exiens quosdam sciscitatus a Nazareth mauros, cuius esset locus, cuiusve iuridictionis oppidum, responderunt: Sidonis principis, qui Emir Fascheroddin appellatur. Quod ut audivi, quonam illico illustratus lumine fuerim, nescio; unum vere scio, quod de recuperatione tanti sanctuarii statim cogitare coepi dicens in corde meo: principem hunc adibo, locum sanctum petam, Deoque omnium bonorum largitore donante, eumdem firmiter obtinebo. Quod quidem, ut tunc cogitaveram, ac suggerente spiritu praenoveram, post sex menses tam feliciter exequutum est, aliqua tamen languoris gravedine praecedente, in qua de huiusmodi re iterum praemonitus fui, ut potius angelorum miraculo quam hominum labori attribuendum sit. Nam tanti boni intuitu et pristinae recuperandae sanitatis spe ductus, adhuc convalescens a sancta Ierosolymorum civitate itinere dierum sex Sidonem usque felici gressu pergebam; dum iter prosequebatur, laxabatur morbus, valetudo augebatur quotidie „.

V. “At ibi non invento principe, in comitatu d. Baptistae Tarchet pro christianissimo rege totius Palaestinae consulis, d. Francisci Lebar, Terrae Sanctae procuratoris, ac d. Raphaelis, Navis s. Victoris rectoris, Berithum Phoenices urbem, ubi praedictus princeps novo domus ac nemoris delicio tenebatur, profectus sum. A quo non solum benignissime visus, verum et omni liberalitatis officio in solito residentiae palatio ad duplex convivium quam humanissime exceptus sum. Cui tandem mei adventus causam breviter exposui, piumque desiderium construendi sanctum Nazareth locum patefeci. Quo audito, princeps subridens ait: Utinam mihi libera tribueretur facultas! Multa enim maiora pro christianis facerem, quam tu existimas. Nam non modo quem tu petis, verum et alia multa dominii mei loca tibi fratribusque tuis gratis et libere concederem, si is, qui nunc tenet, de medio fieret. Nihilominus ad praesens, ut tuis piis honestisque votis satisfaciam, sanctum Nazareth locum tibi concedo, concessumque imposterum decerno. At ut hoc firmius ita sit, ad haec etiam tibi iniungo, ut, meis acceptis epistolis, Sapheth superiori Galileae cadi, idest iudicem adeas et ab ipso iuxta mahumetanorum leges possessionis instrumentum obtineas, volo; et ut omnia ex sententia fiant, ego ipse crastina die vobiscum Sidonem contendam, ubi una cum principe Abi, filio meo, vestrarum litterarum expeditionem illico fieri mandabo „.

VI. “Quibus auditis, laetus illi innumeras egi gratias ceterique, qui mecum aderant, omni gaudio repleti similiter fecerunt. Sed hic valde mirandum est, qualiter princeps iste, omni dilatione submota, prompto hilarique animo sanctum Nazareth locum nobis gratis tradiderit, quinimmo et longe a communi omnium Turcarum usu, etiam eleemosynam ad ipsum restaurandum sponte elargitus fuerit; alia

quoque Galileae devota ac sancta loca libere repromiserit; ac tandem omnibus humanitatis officiis nos prosequutus, qualiter ipsis etiam Nazareth senioribus efficaciter commendatos voluerit, admirabile, inquam, est. Nam post aliquot dies, cum tres illorum primores, qui ad se pro aliis venerant negotiis, recepisset, omnibus illis expeditis, ut fratrum et sancti loci curam haberent, summopere commendavit, ac omnia favoris et gratiae, quae in eosdem contulissent, in se collata fore non modo verbis, sed etiam rebus expressit dicens: tria boum iuga, ouique vestrum videlicet unum, ex annuis reditibus meis, quos a Nazareth iuxta principis iura accipio, dono libere vobis concedo ob hoc tantum, ut fratrum sollicitam curam geratis locumque sanctum eorum custodiatis, ac mea auctoritate ipsum conservatum velitis semper; quod si secus, quam de vestra obedientia mea sibi promittit humanitas, acciderit, pro certo sciatis, me de manu vestra omne illorum damnum usque ad ultimum quadrantem requisiturum, et cetera mala tum a vobis cum ab alienis Ipsis illata in vestram tantum ruinam et vitae periculum reique familiaris iacturam casura arbitramini. Meam ergo perpendite voluntatem vestrumque casum pertimescite; prudentes enim viri raro vel unquam fortunae succumbunt. His dictis eos humaniter dimisit. Haec omnia, ut nunc praefata sunt, paulo post, Deo misericordiarum patre disponente, ita feliciter evenerunt, ut nihil nobis optatius accidere potuerit „.

VII. " Anno igitur salutis MDCXX., a Sidoniorum urbis principe commendatitiis acceptis epistolis atque in Sapheth Cadi omnibus exinde ad negotium pertinentibus obtentis, comitatus a quodam gubernatoris Sapheth Chiavis ac militibus eius munitus in via, una cum p. fratre Iacobo a Vandonio sacerdote et fr. Francisco Salice Siculo ac infra memoratis testibus, ad sanctum Nazareth locum, die XIX. Novembris in sabbato pervenimus omnes. Ibique principum litteris expositis, Cadique decretis coram testibus lectis, praefati sanctuarii liberam iuris possessionem, nostra atque etiam communi eorum habitatione, illo eodem die solemniter accepimus, testimoniis fide dignis praestantibus, videlicet d. Chiverio Chiavel Sidonis consule praeterito, d. Alberto Gardana olim consule, d. Francisco Lebar ss. locorum Ierusalem procuratore, et d. Americo nobili Massiliensi, qui quidem omnes nobiscum ad tam dignam, memorabilem, sanctam convenere laetitiam „.

VIII. " Locum igitur sanctum ingressi, in cuius fundamentis olim Lauretana exstabat domus, ad sacrum specum, ubi beatissima virgo Maria ab Angelo salutata fuit, introducti, pie, religiose ac devote cultu utrumque, quasi corporeis oculis Verbum humanatum spectaremus, venerati sumus. Deinde delubrum tam dignum tamque celebre sanctuarium purgare coepimus, ANTIQUISSIMUM ANNUNTIATIONIS ALTARE A CHRISTIANIS ERECTUM BENEDIXIMUS, lampadibus locum sanctum ornavimus, ANTRUM non ita clarum luminibus collustravimus, ac demum, omnibus divino cultui bene dispositis, vesperas sabbati ultimae dominicae ad-

ventus solemniter cantavimus. Quibus completis, illuc quidam a Nazareth mauri, arabes, christiani supervenerunt, qui quae a priscis memorata digna certaque traditione acceperunt nobis per ordinem commonstrabant, ac miracula, quae Deus per merita b. Mariae semper virginis illic operabatur quotidie, unanimiter contestabantur; quae quidem vix credebamus vera, cum in testimonium nostrae fidei a testimoniis non fidelibus dicebantur; praecipue vero, quae de duabus COLUMNIS ILLIC A PRISCIS CHRISTIFIDELIBUS POSITIS ipsi narrabant, quarum una in ipso speluncae introitu seu ianua ad laevam collocata fuit ad proprium insinuandum LOCUM, ubi archangelus Gabriel perstitit, quando ad Mariam virginem ingressus est; altera, iuxta hanc, ex adverso duorum pene passuum tractu intra ipsum specum, ad illius sanctissimi conservandam memoriam LOCI, in quo non solum beatissima virgo Maria Dei mater mox futura, in abdito remota orans, annuntiata fuit ab Angelo, verum et ubi aeterni Patris Verbum in plenitudine temporis, Spiritu sancto cooperante, mirabiliter caro factum est et habitavit in nobis. Haec quippe columna non multis abhinc annis a superstitiosis quibusdam mauris africanis, magnum continere thesaurum arbitrantibus, ex inferiori parte ad quinque palmos supra basim detruncata est, reliqua tantum desuper superstite, miro quodam modo ad caelum speluncae suspensa manente „.

IX. Idem Thomas Novariensis loci Nazareth praesidem constituit laudatum Iacobum a Vandono, qui una cum rustico illius regionis quadraginta dierum spatio operam dedit in effodiendo terram circa aedem, ut meliori quo fieri posset modo, illam reficeret et inquireret, num sub ruinis aliquod cubiculum vel latibulum foret. In qua re peragenda ibidem reperit immunditias et morticinia, factus divinissimus locus illius urbis turpis cloaca. Hisce alio asportatis, sub ruinis olim maioris ecclesiae in parte aquilonari muros quosdam et dirutas habitationes invenit, quas meliori modo quo potuit, refecit et ad incolendum accommodavit. Quaresmius tom. II. p. 836.

X. " Eodem tempore, ita prosequitur Thomas Novariensis, praedictus frater Iacobus, monasterii custos, cum eam sanctae domus partem, quae ad occidentem erat sub fenestra angeli et ad meridiem prope domum iamiam ruinae proximam, restaurare vellet, ad fundamenta usque solvit vetustatem; quippe quae diligenter et attente considerata, sanctae Domus Lauretanae fundamenta duobus palmis crassum seorsum ab alio adinventum est, quod quidem ob sustentandam fabricam et exornandam interius domum, duobus item palmis latum, ex politis lapidibus compactum, a priscis illis christifidelibus ex interiori parte adiectum reperimus. Hoc igitur dimisso, a vetusto ac vero incipientes fundamento lineamque mensurationis rectam ab ipso ducentes, summa omnium exultatione plantae sanctae Lauretanae domus per omnia aequalis inventus est Nazareth locus, et fundamenta, muris et domus fundationis locusque loco, situs situi, spatiumque spatio, Nazareth, inquam, et Laureti, dempto, quod dixi,

omnia convenire ac commensurari, divina opitulante gratia, veraciter invenimus. His itaque ex eisdem fontibus pure ad fidelium consolationem fideliter ponimus, ut nullus deinceps in re tam gravi dubitandi locus supersit „.

Leopardi discussione IV. della s. Casa di Loreto p. 32.

XI. Cuncta haec, si demas pervetustum altare, a priscis christifidelibus intra aedem Annuntiationis erectum et suo etiam tempore conservatum, consona prorsus sunt cum legenda olim appensa in ecclesia s. Mariae Lauretanae agri Recinetensis, primo vulgata a Petro de Georgio Tolomei a Pretulio, vulgo Teramo, in regno Neapolitano. Is ea in urbe natus, praepositi munus obivit in ecclesia s. Sinidei eiusdem civitatis. Anno MCDXXX. ad aedem Lauretanam adveniens, sacra ibidem agebat simplicis sacerdotis titulo. Defuncto anno MCDL. Andrea ab Adria, sacrae aedis moderatore, idem officium obtinuit laudatus Petrus et prosequutus est ad annum usque MCDLXXIII. quo e vita migravit.

Martorelli tom. I. p. 510.

XII. Et ut rem exordio petamus, eadem vetus tabella in ecclesia Lauretana appensa, in qua mira almae domus translatio in agrum Recinetensem notabatur, inspecta a Ioanne Baptista Mantuano carmelitano, ita de ea habet: *situ est vetustate corrosa, carie et pulvere pene consumpta*, in qua unde et quonam pacto locus *ille tantam sibi vindicasset auctoritatem, conscripta erat historia.* Idem autem Petrus, cupiens eo devotionis explendae causa advenientibus satisfacere, virorum proborum traditione usus, una cum illa veteri compendiosam legendam scripsit et vulgavit circa annum MCDLXV. typis multis in locis commissam variisque in linguis subinde translatam, quam hic ponimus.

Translatio miraculosa ecclesiae beatae Mariae virginis de Loreto.

Trombelli tom. VI. p. 216.

Ecclesia beatae Mariae fuit camera domus virginis Mariae, matris domini nostri Iesu Christi, quae domus fuit in partibus Hierusalem Iudeae et in civitate Galileae, cui nomen Nazareth. In dicta camera fuit beata virgo Maria nata et ibi educata et postea ab angelo Gabriele salutata; et postea in dicta camera nutrivit Filium suum Iesum Christum, usquequo pervenit ad aetatem duodecim annorum. Demum post ascensionem domini nostri Iesu Christi in caelum, remansit beata virgo Maria in terra cum apostolis et aliis discipulis Christi; qui videntes multa mysteria divina fuisse facta in dicta camera, decreverunt de communi consensu omnium, de dicta camera facere unam ecclesiam in honorem et memoriam beatae virginis Mariae. Ita factum fuit; et deinde apostoli et discipuli illam cameram consecraverunt in ecclesiam et ibi celebraverunt divina mysteria. Et beatus Lucas evangelista cum suis manibus fecit ibi unam imaginem ad similitudinem beatae virginis Mariae, quae ibi est usque hodie. Demum dicta ecclesia fuit habita et venerata cum magna devotione et reverentia ab illo populo christiano, qui erat in illis

partibus, in quibus stetit dicta ecclesia, quousque ille populus fuit christianus; sed postquam ille populus dimisit fidem Christi et recepit fidem Mahumetis, (qui anno DLXXIX. lucem aspexit et anno DCXXXI. occubuit) tum angeli Dei abstulerunt praedictam ecclesiam, et portaverunt illam in partes Sclavoniae, et posuerunt eam ad quoddam castrum, quod vocatur Flumen, et ibi minime honorabatur, ut decebat b. Virginem. Iterum de eodem loco angeli abstulerunt illam, et portaverunt eam super mare in partibus territorii Recanati, et posuerunt eam in quandam sylvam, quae erat cuiusdam nobilis dominae civitatis Recanatensis, quae vocabatur Loreta; ex illo tunc accepit ista ecclesia nomen ab illa domina, quae erat illius silvae domina et patrona, s. Maria de Loreto. In illo tempore, quo ipsa ecclesia permansit in dicta silva, propter gentium concursum in ea maxima latrocinia et innumerabilia mala committebantur. Quapropter per angelorum manus rursus assumpta est et portata in montem duorum fratrum, et in eodem monte per angelorum manus sita est. Qui fratres ob maximum denariorum et aliarum rerum introitum et lucrum simulatque ab invicem ad maximas discordias et lites venerunt; propter quas pari modo angeli abstulerunt eam ab eodem montis loco, et portaverunt in viam communem, et in eadem illam posuerunt et firmaverunt eam, ubi est nunc, cum magnis signis et innumerabilibus gratiis et miraculis collocata fuit in eadem via ista alma ecclesia. Tunc igitur totus populus Recanati fuit ad videndam dictam ecclesiam, quae erat supra terram sine aliquo fundamento. Propter quod dictus populus considerans tam magnum miraculum, et dubitans, ne ecclesia veniret ad ruinam, fecerunt d. ecclesiam circumdari alio muro bono, grosso et optimo fundamento, prout hodie videtur manifeste; tamen nullus sciebat, unde ista ecclesia originaliter venerit, nec unde recesserit.

XIII. Nota, quando supradicta sunt scita in anno Domini MCCXCVI. quia beata Virgo apparuit in somnio cuidam sancto viro et devoto, cui ipsa supradicta revelavit. Et ipse statim omnia divulgavit quibusdam bonis viris istius provinciae, et ipsi immediate deliberaverunt velle scire veritatem huius rei; et sic communicato consilio decreverunt, quod essent sexdecim homines notabiles et boni, qui simul irent ad sanctum sepulcrum, et demum ad illas partes de Hierusalem Iudeae et in civitatem Nazareth ad investigandum supradicta inventa; et ita factum est. Nam ipsi suam portaverunt mensuram dictae ecclesiae, et ibi vestigia fundamentorum d. ecclesiae invenerunt et illam mensuram ad unguem sicut et ista. Et in uno pariete ibi prope scriptum et sculptum in muro, quomodo ista ecclesia fuit ibi et postea recessit. Demum quippe sexdecim viri reversi ad istam provinciam notificaverunt, supradicta inventa per eos esse vera. Et ex tunc fuit scitum, quod ista ecclesia fuit camera sanctae Mariae virginis. Et exinde populus christianus habuit magnam devotionem et habet, cum omni die ibi beata virgo Maria fecit et [facit] infinita miracula, prout experientia docet.

XIV. Hic (idest hoc in loco) fuit unus eremita, qui vocabatur fr. Paulus de Silva, qui habitabat in uno tugurio in silva prope istam ecclesiam, qui omni mane erat in ista ecclesia ad officium divinum; et fuit homo magnae abstinentiae et vitae sanctae, qui dixit (iam sunt anni decem vel circa), quod in die nativitatis Mariae, quae est octava die Septembris ante diem, per duas horas stante aëris serenitate et dicto fr. Paulo exeunte de suo tugurio et veniente versus ecclesiam, vidit unum lumen descendere de caelo supra dictam ecclesiam, quod in longitudine videbatur fere duodecim pedum et in latitudine fere sex pedum; et cum fuit lumen illud supra dictam ecclesiam disparuit. Ipse ob eam rem dicebat: quod fuit beata Virgo, quae ibi apparuit in die nativitatis suae, et hoc vidit ille sanctus homo.

XV. In quorum omnium fidem et testimonium mihi, praeposito Taremano et gubernatori praememoratae ecclesiae, quidam duo boni viri praetaxatae civitatis huius villae habitatores retulerunt ac denuntiaverunt et pluribus vicibus dixerunt. Unus vocabatur Paulus Renaldutii, et alius Franciscus alias Prior; et dictus Paulus dixit mihi, quod avus avi eius vidit, quando angeli duxerunt praedictam ecclesiam per mare et posuerunt illam in dicta silva; et pluribus vicibus ipse cum ceteris personis ipsam ecclesiam in praelibata silva visitavit.

XVI. Item dictus Franciscus, qui erat centum viginti annorum, dixit ei, quod pluribus vicibus visitavit dictam ecclesiam in eadem silva, et pari modo idem Franciscus retulit atque dixit mihi per plures vices. Item huius rei credulitatem atque certitudinem approbamus, quomodo ista alma ecclesia fuit et stetit in dicta silva; et pluribus probis personis dictus Franciscus dixit, quod avus avi eius habuit domum et habitavit ibi, et eius domus erat penes praedictam ecclesiam, et in suo tempore elevata fuit per angelos a loco silvae et portata in montem duorum fratrum, et ibi sita et collocata fuit, ut dictum est superius. Deo gratias.

XVII. Ex mox data Taramani memoria clare deducitur: primo sacram beatae Virginis domum ab urbe Nazareth recessisse, postquam illius civitatis incolae Christi fidem dimiserunt; secundo in Illyricum ac inde in agrum Recinetensem angelorum ministerio illatam fuisse antiquo tempore. Igitur investigandum est, quo ecclesiae saeculo a Nazareth illa recesserit.

XVIII. Et ut rite procedamus quoad primum, sciendum est s. Epiphanii testimonio, qui in Palaestina anno CCCX. lucem aspexit, et anno CDIII. ibidem occubuit, ante Constantini magni imperatoris tempus neminem christianum domicilium iis in locis et praecipue Nazareth habuisse nec ecclesias erigere potuisse: *quibus in locis*, inquit, *nemo unquam ecclesiam aedificare potuerat, quod nullus inter eos neque gentilis, neque samaritanus, neque christianus habitaret. Praesertimque Tiberiade, Diocesareae quod et Saphurim dicitur, Nazareth, Capharnaum, ubi diligenter hoc observant, nemo ut gentis alterius domici-*

Epiphanius tom. I. p. 136.

lium illic habeant. Ut autem sacram annuntiationis b. Virginis domum e sinu hostium christiani nominis eriperet Deus, eam singulari prodigio suorum angelorum ministerio alio traduxisse putamus primis ecclesiae temporibus. Ne vero locus ille ab hominum memoria excideret, circa eius ambitum ecclesia mox instructa fuit christifidelium cura. Luculentissimum huius rei testimonium habemus ex s. Hieronymo circa annum CDXX. defuncto, vel ex alio antiquo scriptore operis *de actibus apostolorum*, sive *de locis sanctis*, qui in urbe Nazareth binam ecclesiam erectam fuisse tum in *loco* non in *domo*, ubi annuntiata fuit b. Virgo, tum in altero, ubi eius Filius enutritus fuit, hisce verbis scribit: *habetque ecclesiam in loco, quo angelus ad Mariam evangelizaturus intravit; sed et aliam, ubi Dominus est nutritus.* S. Hieronymus tom. III. p. 252.

XIX. Arculphus, Galliarum episcopus, septimo ecclesiae saeculo peragratis Palaestinae locis, Galliam reversus, quae eo viderat narravit Adamanno sive Adelmanno, monacho ordinis s. Benedicti anno DCCIV. defuncto. Is autem quae ab eo audierat, sic expressit: *civitas Nazareth*, (ut Arculphus, qui in ea hospitatus est, narrat) et ipsa ut Capharnaum murorum ambitum non habet, supra montem posita grandia tamen lapidea habet aedificia, ibidemque duae praegrandes habentur constructae ecclesiae, una in medio civitatis super duos fundata cancros, ubi quondam fuerat illa domus aedificata, in qua Dominus noster nutritus est salvator... Altera vero ecclesia in eo fabricata habetur loco, ubi illa domus fuerat constructa, in qua Gabriel archangelus ad b. Mariam, eadem hora solam inventam est locutus. Et hanc de Nazareth experientiam didicimus a s. Arculpho, qui in illa duabus hospitatus est noctibus totidemque diebus. Ex quibus discimus, in templo Nazareth desideratam ab eo fuisse domum beatae Virginis. Similia habet venerabilis Beda in opella sua *de locis sanctis*, sive *de situ urbis Hierusalem*: *una est*, inquit, *ecclesia in medio civitatis Nazareth, ubi quondam fuerat domus, ubi Dominus nutritus est infans, et alia est, ubi domus erat, in qua angelus ad beatam Mariam venit.* Idem s. Doctor raptus est anno DCXXXV. Apud Grotfers tom. IV. lib. 2. p. 271. Beda tom III. p. 369.

XX. Qui igitur etiam antiquo tempore ad lustrandam explendae devotionis causa Terram Sanctam petebant, non domum Deiparae virginis, sed ecclesiam Nazareth infra eius ambitum erectam venerabantur. Ut fidem habeamus, consulenda proponimus itineraria s. Wibaldi, qui anno DCCLXXXVI. eandem ecclesiam lustravit; *historiam de bello sacro* Guilielmi archiepiscopi Tirii, qui floruit anno MCLXXIV; relationem Ioannis Phocas, qui ad sacra loca anno MCLXXXV. accessit; et postremo Iacobi de Vitriaco item historiam orientis, anno MCCXXX. cardinalis honore insigniti. Cum autem et ipsa ecclesia Nazareth a Babyloniae Turcarum rege solo aequata fuisset, Urbanus VI. summus pontifex datis litteris ab Urbeveteri XIII. calendas Septembris anno MCCLXIII. ad s. Ludovicum Galliarum regem eundem exorat, ut tot malis quamprimum occurreret et patrocinium locorum sanctorum susciperet; in ea tamen epistola non

Rainaldus ad an. 1263. cap. 8.

domum Deiparae, sed locum, quo olim exstabat domus, recenset: sic, ita pontifex, *in venerandam ecclesiam Nazarenam, infra cuius ambitum Virgo virginum salutata per angelum de Spiritu sancto concepit, et ipsius partus angelico exstitit praenuntiatus affatu, manus non solum occupatrices sed etiam destructrices iniecerit, quod ipsam per sacrilegos et nefandos iniquitatis suae ministros desaeviens redegit ad solum eiusdem, structura nobili omnino destructa.*

XXI. Ex iis igitur liquet, sacram annuntiationis Deiparae domum ab urbe Nazareth priscis ecclesiae temporibus recessisse et angelorum ministerio primo in castrum Fluminis in Illyrico translatam. Haec autem traditio penes omnes ita inoleverat, ut Ioannes Baptista Spagnoli Mantuanus, carmelitarum supremus moderator, qui anno MCDLXXXIX. cum triginta sodalibus Lauretum ad sacrae domus custodiam advenit, ipsam initio septimi ecclesiae saeculi é Palaestina in Dalmatiam transmigrasse hisce verbis scripserit: *Sub Eraclio Romanorum imperatore, Cosroas, Persarum rex immanissimus, terram omnem promissionis invasit et, Hierosolyma vastata, lignum sanctae crucis in praedam tulit et odio christiani nominis longe lateque debacchatus, ecclesiam orientalem valde debilitavit. Tunc autem, Mahumete invalescente, coepit Dei cultus et fides orthodoxa ab oriente in occidentem transmigrare; tunc quoque fuit ipsum cubiculum angelorum ministerio, relictis fundamentis, elevatum et ad Illyricos prope castellum, cui nomen est Flumen, divino iudicio transportatum.*

Martorelli tom. 1. p. 540.

XXII. Verum Teremani testimonio, cum ibi ea minime honoraretur ab incolis, *iterum de eodem loco angeli abstulerunt illam et portaverunt eam super mare in partibus territorii Recanati.* Ad hanc explendae suae pietatis in Deiparam virginem gratia s. Petrus Damianus qui in epistola 10. lib. 1. data ad Cadoloum pseudopontificem appellatur *Petrus peccator monachus*, iam camaldulensium ordini adscriptus, advenit, qui postea inter purpuratos patres cooptatus doctrina et sanctitate clarus Faventiae die XXII. Februarii anno MLXXII. occubuit. Huius facti memoriam habemus ex poemate Paradisi cantus XXI. Dantis Aligherii anno MCCCXVIII. in Avellanensi camaldulensium eremo conscripto, in quo ita habetur:

Leopardi p. 126 et p. 243 n. 3. in discussionibus.

36. Tra duo liti d'Italia surgon sassi,
E non molto distanti alla tua patria,
Tanto, che i tuoni assai suonan più bassi:
37. E fanno un gibbo che si chiama Catria,
Disotto al quale è consecrato un'ermo
Che suol'esser disposto a sola latria.
38. Così ricominciommi 'l terzo sermo:
E, poi continuando, disse: Quivi
Al servizio di Dio mi fei sì fermo,
39. Che pur con cibi di liquor d'ulivi
Lievemente passava caldi e geli,
Contento ne' pensier contemplativi.
40. Render solea quel chiostro a questi cieli
Fertilmente: ed ora è fatto vano,
Sì che tosto convien che si riveli.

41. In quel loco fù io Pier Damiano.
E Pietro peccator fù nella casa
Di nostra Donna in sul lito Adriano.
42. Poca vita mortal m' era rimaso,
Quand' io fui chiesto e tratto a quel cappello
Che pur.....

XXIII. Ex his eruitur, tria distiguenda esse in eodem s. Doctore, nimirum eius vitam transactam in Avellanensi coenobio: *in quel loco fû io Pier Damiano;* eius adventum in sacram aedem Lauretanam, prae sui humilitate iam peccatoris nomine assumpto: *e Pietro peccator fui nella casa di nostra Donna in sul lito Adriano;* ac postremo tempus ab eo insumptum in cardinalitia dignitate: *poca vita mortal m' era rimasa, quand' io fû chiesto e tratto a quel cappello.* Quare cum ex totius sermonis contextu de uno eodemque s. doctore Petro Damiano loquatur idem Aligherius, verba illa *e Pietro peccator fui nella casa di nostra Donna in sul lito Adriano,* referri nequeunt Petro de Onestis, praefecto aedis s. Mariae portus Ravennae, ab eodem anno MXCVI. erectae, et ibidem anno MCXIX. defuncto; alias dicendum, laudatum Petrum Damianum lustrasse ecclesiam s. Mariae Portus nondum erectam.

XXIV. Forte idem s. Doctor visitaturus adveniens sacram Deiparae Lauretanae domum, aedem etiam incoluit s. Mariae Castri Novi Recineti, ante annum MCXXXIX. fundatam adiunctamque eremo Avellanensi eorundem monachorum camaldulensium. Loci possessionem, eis tributam ab episcopo Humanatensi, ratam habuit Innocentius II. die XIV. Maii eiusdem anni hisce verbis expressam: *in episcopatu Humaneto ecclesiam s. Mariae de Recanato cum aliis ecclesiis earumque pertinentiis.* Indubia tamen res est, die IV. Ianuarii anno MCXCIV. ecclesiam s. Mariae in fundo Laureti concessam fuisse a Iordano, episcopo Humanatensi, eisdem monachis monasterii s. Crucis Avellanae, et pro eisdem traditam Rainerio, praeposito et rectori ecclesiae s. Mariae Recineti. En donationis verba: *tradimus et cedimus,* et per transactum concedimus in perpetuum in eremo Fontis Avellanae... et per manus Dopni Raineri, qui est praepositus et rector ecclesiae sanctae Mariae de Ra...t... quae est aedificata in fundo Rasenano, qui Antiniano vocatur, itemque domus, et concedimus ipsam ecclesiam sanctae Mariae, quae est sita in fundo Laureti, totam cum omnibus suis dotibus et pertinentiis et cum libris et calicibus et campanis et paramentis et cum cellis et cum circuitu et parochianis, cum terris et vineis et olivis et ficis et cum molendinis et aquismolis, cum pratis et pascuis et rebus, et cum omnibus suis pertinentiis et cum omnibus suis actionibus et rationibus, qui ad ipsam ecclesiam pertinent vel pertinere debent de iure et usu.

Idem p. 144. n. 14. et p. 244. in nota 1.

Annal. Camaldul. tom. III. p. 282 in appendice.

Annal. Camaldul. tom. IX. p. 37.

XXV. Anno MCCLXIII. cum Urbanus IV. pontifex episcopalem Recinetensem ecclesiam antistite sibi commisso anno MCCXL a Gregorio IX. ob partes susceptas in favorem Manfredi, Siciliae regis, spoliasset et Humanatensi dioecesi adiunxisset, Recinetensis senatus

Leopardi p. 273. n. 12.

inventarium bonorum mensae episcopalis iam suppressae conficere curavit, ne bona istius cum illis Humanatensis ecclesiae confunderentur. Quare anno MCCLXXXV., confecto inventario tabellionis ope, quaedam bona ecclesiae s. Mariae de Loreto spectare ad episcopalem mensam Reciteneteusem expresse notantur hisce verbis: *item habet in fundo Laureti iuxta ecclesiam sanctae Mariae de Laureto et viam, modiolos III. staria VII.* Tria autem hac in re observanda sunt. Primo quidem, ecclesiam s. Mariae de Laureto positam esse in agro Recinetensi; 2. non a muliere Loreta nomine eandem ecclesiam, sed a fundi loco *in fondo Laureti* esse sortitam; 3. postremo, ante novem annos adventus domus sanctae, iuxta vulgatam opinionem, Laureti nomen iam innotuisse apud cives Recinetenses; eam enim Recinetum advenisse anno MCCXCIV. traditur.

Idem p. 271. n. 10.

XXVI. *Tamen nullus*, ut habetur in Taremani legenda, sciebat, *unde ista ecclesia originaliter venerit, nec unde recesserit.* At verba haec non ideo intelligenda sunt, quasi cives Recinetenses ignorassent, aedem illam Recinetum e Dalmatia singulari prodigio advenisse, sed ignorabant dumtaxat, quando primo ab urbe Nazareth emigrasset. Cum autem anno MCCXCVI. quidam illius provinciae pii viri edocti fuissent a devoto et sancto viro, cui beata Virgo adparens cuncta revelavit, tunc, consilio inter se habito, sexdecim delecti fuerunt homines, ut in Palaestinam se conferrent, cuncta expenderent et inde, prout erant, narrarent. Qnibus expletis, in provinciam reversi, ut vulgata erant, vera esse professi sunt. Horum oratorum nomina ignorantur. Merito igitur sic scribit Petrus Bougiovanni, presbyter et patricius Recinetensis, in mss. cui titulus *historia tripartita venerandae domus Lauretanae: Restant adhuc*, inquit, *quaedam pro curiositate et veritate admonenda, quia nemo singulariter sibi sumat honorem de eiusmodi nuntiatura fructum fuisse, cum utique scripturae haud sint, quae nominatim constituant praefatos oratores.* Etiam anno MDXXXIII. iussu Clementis VII. pontificis, novo ibidem accuratoque examine instituto, a tribus viris in dignitate ecclesiastica constitutis, vera, ut narratur, relata fuerunt.

Rainaldus ad an. 1533. n. 40.

XXVII. Haec autem sacra domus licet nullus, unde originaliter venerit aut unde recesserit, sciret, tamen propter sui nominis celebritatem multis donariis aucta fuerat. Anno enim, ut diximus, MCXCIV. Iordanus, episcopus Humanatensis, eam cessit cum suis reditibus, calicibus, paramentis, campanis, cellis etc. monasterio s. Mariae Castri Novi apud Recinetum monachorum Fontis Avellanae. Ex quo discimus, mira ante id temporis ibidem evenisse prodigia.

XXVIII. Opimis autem largitionibus hanc sacram aedem cumulatam fuisse novimus post annum MCCXCVI. quo, ipsa revelante Deipara, innotuit, illam idem esse cubiculum Nazarethanum, ubi Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Retulisse sufficiat, quae in eadem ecclesia erant anno MCCCXIII., septemdecim post annos a data revelatione, furta subducta a Ghibellinis, qui die XXIII. Octo-

bris anno MCCCXV. condigna poena mulctati fuere hisce verbis: *Nos Iacobus de Nursia praedictus, pro tribunali sedens in palatio communis Maceratae... sententialiter pronuntiamus... contra Iacobum et Bernardum* Domini Percivalli... (omissis aliis quamplurimis)... in eo et super eo, quod ad aures et notitiam ipsius iudicis nostri et nostrae curiae pervenit... quod ipsi et ipsorum quilibet diabolico instigati spiritu... cum comitiva multorum hominum armatorum, equitum et peditum de anno Domini millesimo CCC. XIII. de mensibus Augusti et Septembris plures de quolibet mense, et de mensibus Februarii et Martii sequentis anni, et in omnibus festivitatibus beatae Virginis et in octavis eiusdem a dicto tempore citra accesserunt *ad ecclesiam sanctae Mariae de Laureto,* ad Recanatensem ecclesiam et domini episcopi mensam immediate spectantem, sitam in districtu et dioecesi Racanat. et per vim et violentiam dictam ecclesiam intrarunt, et contra voluntatem capellani sive presbyteri, positi per dictum dominum episcopum *ad colligendas oblationes dictae ecclesiae, totam pecuniam, quae erat in trunco dictae ecclesiae, acceperunt et asportarunt rapiendo etiam super altare dictae ecclesiae* et de dicta ecclesia *undique* omnes oblationes et omnes tortitios et faculas et imagines de cera et argento, accipiendo etiam et asportando super *Imaginem beatae Virginis et de Cona Eius,* et super imaginem Domini nostri Iesu Christi, qui erat in dicta cona, omnes guillandras oblatas de argento cum pelis et bindas et relictos de syrico, et omnes tobaleos de syrico et sine syrioo de dicta ecclesia derobando et asportando, et dictam ecclesiam a dicto tempore citra usque modo... tenuerunt et detinent occupatam in non modicum damnum et praeiudicium dicti domini episcopi et episcopatus etc.

Leopardi p. 152. n. 10.

XXIX. De eisdem opimis oblationibus saeculo XIV. praeclare loquitur Flavius Biondus a Foro Livii. Is enim in historia sui temporis ait, Franciscum Sfortia anno MCDXXXIV. se contulisse ad visitandum *celeberrimum gloriosae Virginis in Laureto templum.* In altero vero opere, cui titulus *Italia illustrata*, de sacra Lauretana Deiparae item domo ita scribit: Recanetum inter et Adriaticum mare paululum a Musone recedit celeberrimum totius Italiae, ut in aperto immunitoque vico, sacellum gloriosae virginis Mariae, in Laureto appellatum, quo loco preces supplicantium a Deo, genitricis suae intercessione exandiri, illud maximum est argumentum, quod eorum, qui votis emissis exanditi fuerunt, ex auro, argento, cera, pannis, veste linea laneaque appensa donaria... basilicamque omnem pene complentia, episcopus, in Dei Virginisque gloriam, intacta conservat.

Biondus decade III. lib. 5. p. 476. Idem Italia illustrata, regio quinta. Picenum p. 339.

XXX. Interim addimus quae de eisdem vulgavit in bulla de indulgentiis die XII. Februarii anno MCDLXX. Iulius papa II. Ait enim: ecclesiam beatae Mariae de Loreto extra muros Recanatenses miracalose fundatam, ad quam propter innumera et stupenda miracula, quae eiusdem meritis et intercessione singulis ad eam devote recurrentibus et ipsius patrocinium cum humilitate poscentibus Al-

Ex archivo urbis Recinetensis.

tissimus operatus est hactenus et operatur in dies, ex diversis mundi partibus, etiam remotissimis, eiusdem sacratissimae Virginis liberata praesidio populorum confluit multitudo.

XXXI. Notanda est etiam lumiuis visio e caelo delapsi de nocte in pervigilio nativitatis Deiparae, quod vidit corruscans supra cubiculum eiusdem beatae Virginis Paulus de Sylva ex eremitanis s. Augustini, cui die XIII. Martii anno MCDLV. eremitorium, sub invocatione s. Ioannis prope eandem aedem positum, senatus Recinetensis concesserat. Eam visionem in sua legenda descripsit saepius laudatus praepositus Taremanus anno MCDLXV., quam advenisse tradit iam *ab annis decem vel circa*, idest anno MCDLV. quo Paulus eremum a Recinetensi communitate obtinuit. Ex his liquet, eiusdem Taremani aetate prodigium evenisse.

Leopardi p. 46.

XXXII. Quoniam vero multorum scriptorum indubio testimonio comprobatum est, sacram Lauretanam Deiparae aediculam nullo fundamento fulciri, ideo coronidis loco postremam opponimus huius rei institutam solemnem inspectionem sub die XXII. Aprilis anno MDCCLI. et autographum vulgamus. Postremam dicimus; nam sedente Clemente VII. pontifice effossa humo pro construendis circa eam marmoreis parietibus, *mirabile dictu mirabilius visu compertum est*, scribit Angelista, testis de visu, *cubiculum stare sine fundamentis, stante usque in hanc diem pulvere in viae superficie, cum primum consedisset invento.* En igitur postremum autographum.

Idem p. 235.

Al molto Illustre e molto Rev. Sig. Patrone Coll.
Il Sig. D. Saverio Bragnoli — A mano. Fermo.
A. C. A. Pre.

Il giorno dei 14. corrente furono incominciate a levare le antiche pietre del pavimento della santa Casa, già consumate dal numeroso divoto popolo per lo spazio di 70. e più anni. In questa occasione fu veduto chiaramente essere la santa Casa senza alcun fondamento. Inoltre furono fatte diverse buche nell'arena sotto le sante mura ove apertamente furono vedute, che non solamente stavano in piedi senza fondamento, ma che nemmeno aveano alcuno appoggio dal muro che sostengono i marmi poichè lontano da esse. Considerato bene questo caso ed apparita la verità, fù considerato bene da Monsig. Itella di farne rogito, come in simile occasione fu fatto 70. anni fa, e per farlo più decoroso furono fatti venire quattro bravi capomastri di diversi paesi e per oggi furono invitati tutti i Vescovi della nostra Marca, un deputato per ciascun ordine corale, il Gonfoloniere e i priori i cappellani regi e i capi delle religioni e penitenzieri oltremontani ed oltremarini, quali separatamente per ovviare la confusione fecero il loro accesso, quali hanno finito alle due della notte. Adunque sono state trovate le sante mura posare sopra terra mossa ed arida e talmente leggiera, che scavandosi comodamente colle mani, facilmente si fa-

ceva buca corrispondente dall'altra parte del muro; fra la quale arena si sono state trovate qualche lumache e legnetto e pietruzze molte quasi di strada imbrecciata e particolarmente dalla parte di oriente. Dalla parte contraria è stata trovata la stessa arena, ma di qualità più tenace, ma agile facilmente nello scavarsi colle mani come sopra, ed io medesimo sono giunto ad introdurvi tutto il braccio con abbracciare tutta la grossezza del muro. Appiedi sotto il finestrino il muro è più profondo, e vi è altra sorta di terra e si conosce essere empitura a cagione di mettere in piano il pavimento. In questo mentre si è veduto il trave appiè della santa Casa non consumato al consumarsi dei marmi, trave che più lo direi tavola, perchè non più alto che cinque diti incirca dei miei, sotto appariva tarlato perchè rozzo, ma strisciato e raspato da me fortemente colle unghie l'ho trovato qual ferro. Domani s'incominceranno a porre le nuove pietre del nuovo piano. Ecco quanto posso dirvi essendo stato deputato del mio ceto all'accesso ed alle deposizioni de' capomastri. Le mie riverenze a tutti ed in particolare al sig. D. Francesco e le do una buona notte perchè è ora di andare a letto.

Avvocato Antonio Lucidi.

XXXIII. Singula haec ferme hausimus ex editis supra sacram Lauretanam aedem a comite Monaldo Leopardi, omnimodae eruditionis viro, olim mihi familiari et coniunctissimo, praecipue vero ex libro, cui titulus *la santa casa di Loreto, discussioni istoriche e critiche*, Lugani anno MDCCCXLI. typis commisso.

XXXIV. Agente Bonaventura a Massiniano, provinciae Marchiae administro, christifidelium impensis inchoatum fuit hospitium in urbe Laureti pro excipiendis fratribus observantibus, sacram Deiparae domum visitaturis. Locum in vico Montisregalis positum recepit die XXXI. Ianuarii p. Vincentius Bottani Recinetensis. Urbanus VIII. illud inter coenobiorum album admisit sub invocatione s. Benigni archiepiscopi Mediolanensis. Hospitium Laureti. Mon. prov.

XXXV. Haec de domo Deiparae ab Angelo salutatae. Nunc de eius immaculatae conceptionis controversia agemus. Die XVII. Decembris anni mox elapsi Romam advenit dux Alburquerquius, a rege catholico uti legatus missus, ut penes pontificem praeter res civiles operam etiam impenderet una cum altero oratore episcopo Carthaginensi pro assequenda immaculatae Virginis conceptus definitione. Benevole exceptus a pontifice, eadem die intellexit, sacri palatii magistrum confiscasse et lata lege cavisse, ne in posterum ulla imago, effigies aut verba in quovis metallo incidi possent absque sui venia. Haec Iussio respiciebat numismata, quae ad explendam christifidelium et praecipue Hispaniarum pietatem erga Deiparam immaculatam in Urbe confecta erant. Numismata haec ex una parte praeseferebant hostiam vivifico calici superimpositam, binos angelos utrinque adorantes hisce incisis verbis: *alabado sea el santisimo sa-* Wadd. in legat. ad pontif. p. 291. et sequenti.

cramento. Ex altero latere conceptionis Deiparae effigiem hisce verbis impressis: *concebida sin pecado original.* Moleste id tulit dux Alburquerquius; quare pontificem exoravit, ut licentiam concederet vendendi numismata immaculatae conceptionis, cum indulgentiae eisdem imaginibus concessae nihil officerent definitioni mysterii. Iis auditis negotium hoc discutiendum commisit pontifex Scipioni Cobellutio tit. s. Susannae, cui eiusdem pontificis placito episcopus Carthaginensis duo super hac scripsit opuscula, post nativitatis Domini festivitatem eidem consignata.

XXXVI. In primis illud obtulit hoc titulo: *ut numismata inscripta* Ibid. p. 306. *de immaculata Conceptione libere cudi possint in Urbe.* Rationibus ab oratore in opusculo allatis devictus cardinalis animus indulsit, ut Deiparae numismata in Urbe incuderentur, at additis in inscriptione *Maria concepta sine peccato originali: pie creditur.*

XXXVII. Cum autem immaculatae conceptionis Deiparae patronis haec verborum adiectio non arrideret, timentesque ob rei novitatem magnos tumultus in Hispaniarum regnis oriri, hinc consilio inter legatum et ducem Alburquerquium habito, alterum ad cardinalem a Waddingo scriptum opusculum missum fuit hoc titulo expressum: Ibid. p. 308. *considerato statu controversiae conceptionis dubitatur, an conducat vel expediat opinionis negativae fautoribus et promotoribus admittere indulgentias, quae pro medalliis,* ut dicunt, *vel numismatibus imaginem conceptionis et hanc inscriptionem,* Maria concepta sine peccato originali, *habentibus offeruntur, dummodo adiungatur haec clausula et explicatio,* pie creditur. Quatuor articulis partitur opusculum, in quo apprime demonstratur illa numismata nihil superstitiosum vel plane falsum aut non sanctum continere, et ideo libere et absolute adprobari, et indulgentias absque illa addita diminutione vel restrictiva particula posse concedi.

XXXVIII. Tertium etiam opusculum oblatum fuit eidem cardi- Ibid. p. 325. nali, cuius titulus est: *pro cudendis numismatibus immutata inscriptione immaculatae conceptionis.* Opusculi argumentum in eo versatur, ut additio illa *pie creditur* seu potius limitatio et diminutio non possit sine manifesto causae Virginis detrimento admitti. Eo lecto spopondit idem cardinalis se instanter acturum cum sanctissimo, ut legatorum votis satisfaceret. Verum cum res ob ingruentes quasdam rationes in plures dies protraheretur, dux Alburquerquius in mense Februario litteras dedit catholico regi, ut quid agendum foret, consuleret. Sed de regis responso inferius.

XXXIX. Dum haec agebantur a duce, episcopo Carthaginensi Ibid. p. 335. legato haud feriandum esse placuit, nec omnem suscepti oneris curam exuendum putavit, eo vel maxime, quia die XIII. Aprilis litteras a rege accepit redeundi in suam ecclesiam, quae moleste ferebat tanto tempore suo destitui pastore. Igitur plures excogitavit tractatus magis necessarios et opportunos concinandos, quos in promptu haberet iam absolutos pontifici tradendos secundum rerum et temporum cir- Ibid. p. 336. cumstantiam et ordinem a rege praescribendum. In primis illum scri-

psit: *de revelationibus factis circa mysterium conceptionis virginis Mariae,* partitum XVII articulis. Alius XVIII articulis divisus sic inscribitur: *quanta et quam gravia scandala evenerint ex libertate sentiendi in controversia de conceptione virginis Mariae et tolerantia opinionis affirmativae; sanctissimumque d. ex sui muneris ratione, aliis quotidie exorientibus opportuno remedio obvenire teneri vel ultima huius controversiae decisione, tantorum malorum radicem penitus evellere.* Postremus hic est: *pia iuramenta et vota, quae hoc nostro saeculo fiunt de tuenda et tenenda immunitate virginis Mariae ab originali peccato, licita esse et laudabilia et a s. r. ecclesia debere omnino approbari et stabiliri.* Eum sex articulis partivit. Ibid. p. 375. Ibid. p. 399.

XL. Hisce pontifici exhibitis, episcopus Carthaginensis legatus sibi remeandum in Hispaniam regis praecepto eidem significavit. Ipse vero dixit, quae necessaria iudicaverat, media adhibuisse, ut optatam de Deiparae immaculatae conceptionis mysterio definitionem consequeretur, ac proinde se libenter regredi, suae legationis muniis iam absolutis. Dum pontificis pedes humiliter oscularetur, benigne ei respondit pontifex sibi displicere non posse in iis, quae proposita sunt regiis votis et pietati adesse, eiusque oratorem re interminata redire. Veruntamen quod postulabatur ex illorum genere non esse, quae diligentia humana clauduntur, vel quae ob necessitudinem aut mundanas instantias aut regum potentias liceat illico concedi, donec Spiritus sanctus ex alto infuderit, quid in controversia gravi et diuturna mature debeat deliberari. Ibid. p. 424.

XLI. Die XVII. Mai ab Urbe recessit Antonius de Treio, episcopus Carthaginensis, iam catholici regis legatus et simul cum eo Petrus Ribadeneira, ex eremitana s. Augustini familia ipsius socius laboris pro defensione Deiparae immaculatae conceptionis, ad suae provinciae regimen assumptus. In Antonii locum suffectus fuit Iosephus Vasquez minorita, qui tunc temporis suorum sodalium res procurabat in curia romana commissarii titulo, vir eximia doctrina exornatus. Hunc aliosque mysterii defensores commendavit catholicus rex duci Alburquerquio, apud pontificem oratori, sequenti littera. Ibid. p. 429.

Rex

Dux consanguinee.

Iam intellexeris d. Mathaeum Vasquez de Leva et Bernardum de Toro Hispalensis ecclesiae viros in illa romana curia residere, ut purissimae conceptionis Dominae nostrae negotium promoveant. Dum autem recedente episcopo Carthaginensi, tui erit muneris hoc idem curare, expediet, ut his te familiarem exhibeas, quae huius rei sunt communicando, vicissimque ab eis libenter accipias, quae ad eandem conducunt et toto quo illic permanserint tempore, eorum votis adsis, sedulam tuam adhibens operam in iis, quae tractant. Similiter Ibid. p. 430.

tibi aderit frater Iosephus Vasquez, instituti s. Francisci, quem secum detulit in Urbem episcopus Carthaginensis, ut pro sua doctrina et secundum accuratum, quod in hac controversia adhibuit studium, te moneat et suis scriptis iuvet in rebus litterariis. Pro magno namque meo desiderio de felici huius rei exitu vellem, ut nihil tibi deesset, quod possit esse auxilio, ut maiori constantia et graviori cum fundamento prosequi possis quod tantopere tibi commendavi.

Ex s. Laurentii Regii XVI. Aprilis MDCXX.

Ego Rex
De mandato domini nostri regis:
Georgius de Tovar.

XLII. Vulgavit hoc tempore Benignus a Genua, ordinis supremus moderator, iuramenti formulam pro tuendo Deiparae virginis immaculatae mysterio, quam ex hispano latinam facimus.

Fr. Benignus a Genua, minister generalis totius ordinis, omnibus praesidibus provinciarum salutem et pacem in Domino.

Cum mihi innotuerit, in quibusdam nostris Hispaniarum provinciis maximo christifidelium exemplo editum fuisse iuramentum et votum credendi, docendi ac tuendi Deiparam virginem dominam nostram absque originali labe conceptam, ac per Iesu Christi redemptoria merita praeservatam; et cupiens, quantum ex nobis est, ut sacrum hoc mysterium tanta pietate et affectu omni tempore a patribus nostris cultum magis magisque incrementum accipiat; et animadvertens, quod hanc piam devotionem et magnum famulatum, immaculatae Virginis conceptioni ab ordine nostro exhibitum, Deus maxime auget, ubique gentium prolatat, et a sanctis summis pontificibus, cardinalibus, episcopis, imperatoribus ac regibus mire commendatur; ideo paternitates vestras obedientiae etiam merito exoro, ut in quibusvis provinciis, ubi huiusmodi votum nondum emissum fuerit, in comitiis provincialibus acturis maiori qua poterit solemnitate ac pietate edatur. Ut autem res tanti momenti rite perficiatur, vestras paternitates admoneo, ut haec vota ac iuramenta emittantur in manibus ministri generalis vel eius loco commissarii aut capituli praesidis verbis expressa.

Ex bull. Francisci Matritensis tom. I. p. 596.

Iuramenti formula.

Fr. Benignus a Genua, minister generalis ordinis s. p. Francisci, una cum fratribus N. commissario nostrae provinciae de N., et fratre N. ministro provinciali eiusdem provinciae N., definitoribus, lectoribus, iubilatis, guardianis et vocalibus eiusdem provinciae coactis in comitio provinciali ecclesiae N. civitatis N. nostro omniumque

religiosorum ac sororum nostrae provinciae nomine, qui nunc sunt et in futuro erunt, perseverantes in perantiqua pietate, quam habuerunt maiores nostri in Virginem dominam nostram et in purissimam eius conceptionem, et erga illam adiicientes novae fidelitatis vinculum, iuramentum et votum nuncupamus Deo domino nostro, suae sanctissimae Matri, seraphico s. patri Francisco omnibusque sanctis confitendi, defendendi docendique tam publice quam privatim, b. Virginem dominam nostram fuisse absque peccato originali conceptam, et ab eo praeservatam ob merita Christi, domini nostri; et quantum in nobis est, sanctum hoc piumque obsequium publice edoceri curabimus; et ita promittimus et iuramus per Deum, dominum nostrum et per istum ✠ signum et subiicimus istud iuramentum et votum sanctae ecclesiae catholicae romanae iudicio, nostrique s. patris Pauli V. pontificis summi, ac sub eius ponimus patrocinio ac defensione, et ideo eum exoramus, ut illud recipiat nobisque suam benedictionem largiatur.

Datum ex hoc conventu N. in comitiis provincialibus die N. anno N. Emissum sub hac formula iuramentum a definitorii patribus et a secretis provinciae subscriptum sigilloque maiori munitum ad perpetuam memoriam in archivo asservetur; singulis autem religiosis ac sororibus, qui vel publice vel private huiusmodi votum emiserunt, nostram impartimur benedictionem, rogantes insuper seraphicum patrem nostrum s. Franciscum, ut suam tribuat eamque in caelis a Deo confirmatam obtineat.

Datum ex nostro conventu s. Francisci Matriti die VI. Novembris anno MDCXX.

Loco † sigilli.

Fr. Benignus a Genua, minister generalis.
De mandato suae paternitatis rev.^mae
Fr. Bernardinus de Sena secret. ordinis.

XLIII. Summi pontificis voluntate: *Exponi nobis*, die XX. Februarii custodia s. Antonii in Delphinatu fratrum recollectorum supprimitur, et eius loco erigitur provincia s. Francisci titulo, sequenti decreto patris ministri Generalis.

Fr. Benignus a Genua, totius ordinis fratrum minorum sancti Francisci minister generalis et servus. Plurimum in Christo dilectis patribus Cherubino a Marcigniaco, s. theologiae lectori et nostrae custodiae s. Antonii Delphinatus reformatorum in Gallia custodi, et guardianis conventuum, qui ad eam pertinent, et ceteris patribus ac fratribus subditis praedictae custodiae salutem in Domino sempiternam. Regesta famil. ultramont. vol. II. fol. 220.

Cum per patrem fratrem Danielem Dancy le franc, ad tractanda tam istud quam alia negotia in hac romana curia procuratorem per vos ad illam missum, sicut nobis per vestras litteras obedientiales, quibus ipse ad nos accessit, constitit, ex parte et nomine vestro, nec

non totius custodiae nobis supplicatum fuit, quatenus custodiam vestram ob graves causas, quas nobis aperuistis, in provinciam erigi curaremus, quibus supplicationibus inclinati sanctissimo domino nostro papae Paulo V. petitionem vestram proposuimus, a quo nobis concessum fuit, ut huiusmodi rei indigentiam, sicuti nobis secundum Deum melius visum fuisset, provideremus: nos igitur, qui subditorum nostrorum vota eo libentius adimplere cupimus, quo rationabilia et honestiora sunt quae a nobis postulantur, de ordine et auctoritate summi pontificis nobis pro hoc negotio, ut dictum est, specialiter concessa et qua in hac parte fungimur, visis videndis et considerandis, supradictam vestram custodiam s. Antonii Delphinatus in provinciam sub titulo s. patris nostri Francisci Delphinatus reformatorum in Gallia denuo erigimus, eamque erectam inter alias provincias nostri ordinis praesentium tenore computamus et annumeramus, quatenus ipsa omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus ac immunitatibus gaudeat, quibus ceterae provinciae totius ordinis gaudere solent, ac de facto gaudent. Et cum nostri sit muneris pro prima vice ad praefatam provinciam noviter erectam designare provincialem et quatuor definitores, qui eam gubernent et regant, guardianos eligant, congregationes intermedias, sicut mos est, celebrent et cetera omnia, quae ceteri provinciales et definitores in suis provinciis faciunt, et ipsi faciant ac praestent: pro hac tamen vice nominamus et eligimus patrem fratrem Cherubinum a Marcigniaco, ipsius custodiae actualem custodem, in ministrum provincialem ipsiusmet provinciae s. patris nostri Francisci reformatorum in Gallia noviter erectae, et in definitores patrem fratrem Claudium Guoy, praedicatorem et confessorem, et patrem fratrem Anselmum Faurium, praedicatorem et confessorem, et patrem fratrem Iacobum Martinum, s. theologiae lectorem, praedicatorem et confessorem, ac patrem fratrem Claudium a s. Aegidio, praedicatorem et confessorem. Cui provinciali praedicto concedimus et committimus amplam et plenam facultatem et auctoritatem ad moderandam, gubernandam et regendam sibi concreditam provinciam, provincialibus ordinis concessam et concedi solitam, praecipientes per sanctam obedientiam et sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae omnibus religiosis eiusdem custodiae, cuiuscunque gradus et conditionis existant, ut illis in cunctis pareant et obediant sicuti legitimo suo praelato per nos instituto, et per eandem obedientiam iniungimus ipsi patri provinciali, ut una cum definitoribus in congregationibus provincialibus omnia praestent, quae praestanda esse sciunt ac in nostris constitutionibus pro omnibus provinciis cautum est, quae quidem constitutiones in omnibus, quae nostro strictiori instituto ac reformato vivendi modo non adversantur, omnino observabuntur. Haec autem provincia manet ac in posterum remanebit in omnibus, sicut ceterae provinciae, sub iurisdictione ministri generalis ac commissarii generalis familiae ultramontanae pro tempore existentium.

Datum Romae in hoc nostro conventu Aracaeli die 22 Ianuarii 1620.

Eiusdem provinciae s. Francisci recollectorum conventus.

1. S. Francisci Lugduni.
2. Conceptionis prope Gratianopolim.
3. S. Ioseph prope Montemferrandum.
4. Montis Calvariae prope Romonum.
5. S. Hieronymi prope Turrimpinensem.
6. S. Mariae Gratiarum prope Costam s. Andreae.
7. SS. Angelorum prope s. Marcellinum.
8. S. Ludovici regis Valentiae.
9. S. Ioannis Baptistae Montilii.
10. S. Marthae prope Neomagum.
11. S. Mariae Angelorum prope Burgum s. Andaeoli.
12. Dominae nostrae Pietatis prope Argentariam.
13. S. Antonii de Padua prope Annonaeum.
14. Dominae nostrae Lauretanae Condriaci.
15. S. Cathari prope s. Genesium.
16. S. Annae prope Briancomium.
17. S. Hugonis Cluniaci.
18. Parvuli Iesu prope Trinorchium.
19. S. Mariae Magdalenae prope Marcigniacum.
20. S. Michaelis prope Marinquas.
21. S. Spiritus prope s. Amantium.
22. Praesentationis b. Virginis prope Ambertum.
23. S. Bernardini prope s. Germanum.
24. Dominae nostrae Angelorum prope Tignarolium.

Habet octo hospitia diversis in locis.

Monasteria monialium.

1. S. Clarae Lugduni.
2. S. Clarae Montisbrisonis.

XLIV. Hoc eodem anno erecta fuit et provincia s. Didaci fratrum discalceatorum in Beatica quam anno mox elapso probaverat summus pontifex: *Salvatoris*, die XVI. Iulii. Annal. min. ad an. 1619.

Provinciae s. Didaci in Baetica fratrum discalceatorum conventus.

1. S. Didaci Hispalensis.
2. S. Petri de Alcantara.

3. S. Ioannis Baptistae in urbe de Xerez de la Frontera.
4. S. Antonii de Padua in civitate del Puerto s. Mariae.
5. S. Blasii in civitate Sanbucar de Barameda.
6. S. Bernardini in villa de Bornos.
7. Dominae nostrae Angelorum in urbe de Arcos.
8. S. Rochi in villa de Arahal.
9. S. Francisci in villa de Canete la Real.
10. Dominae nostrae in villa de Castilleia.
11. Dominae nostrae de Gratia in villa de Villamanriqne.
12. Reginae Angelorum Cadicis.
13. S. Francisci in nrbe de Medina Sidonia.
14. Verae Crucis in villa del Puerto Real.
15. Assumptionis in villa de la Puerte de Concionzato.
16. S. Francisci in villa de Canete de las Torres.
17. Sancti Christi in villa de la Pera.
18. Conceptionis in urbe Marrochiana.

Hospitium in civitate de Malacha.

XLV. P. Bernardinus de Montecalvo, vicarius generalis ordinis, plenam facultatem obtinet etiam fratres reformatos, absente patre ministro generali, gubernandi.

Paulus Papa V.

Reg. famil. clamont. vol. VI. fol. 54.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Cupientes regimini et gubernio fratrum reformatorum sancti Francisci de observantia opportune prospicere, ac de tua pietate, prudentia, religionis zelo ac in gubernando experientia plurimum in Domino confisi, tibi, durante officio vicarii generalis eiusdem ordinis et absentia ministri generalis dicti tui ordinis, ut vice et loco ipsius universos dicti ordinis fratres reformatos, cum eadem auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultatibus ministro generali totius ordinis sanoti Francisci de observantia competentibus et competituris, in spiritualibus et temporalibus regendi et gubernandi plenam et liberam facultatem et auctoritatem pro hac vice tantum, ne trahatur in exemplum, apostolica auctoritate, tenore praesentium tribuimus et impartimnr. Mandantes propterea dilectis filiis custodibus et aliis superioribus et fratribus universis reformatis praedictis, ut tibi debitum honorem et reverentiam exhibentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usqne ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ceterum volumus, ut quae per fel. rec. Clementem Papam VIII. praedecessorem nostrum per eius sub plumbo in favorem eorundem fratrum reformatorum, seu alias expeditas litteras... immutare aut aliquo modo alte-

terare non possis, sed illa observari facere tenearis. Non obstantibus etc...

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XX. Iunii MDCXX. Pontificatus nostri anno decimo sexto.

S. Card. s. Susannae.

XLVI. P. Blasius de Gradac, vir pientissimus, provinciae Ragusinae sacerdos, in locis Gradac, Popovo et circumvicinis per viginti annos missionarius apostolicus, qui, ut fideles eorundem pagorum suo apostolico zelo ad ecclesiae unionem reductos, in fide porro conservaret, quatuor ecclesias, quas pro iis exstrui curaverat, ab episcopo Tribunensi hoc anno consecrari rogavit. Archiv. congreg. de propag. fid. vol. 262. Origin. 41. 254.

XLVII. Agentibus apud pontificem et supremum ordinis praesidem serenissimis Guilielmo et Maximiliano, utriusque Bavariae ducibus, eam in regionem advenit Antonius a Galbiato ex sodalibus strictioris observantiae, Mediolanensis provinciae, ut eo fratrum reformatorum vitam induceret. Is igitur Monachium ingressus tanto operi manus admovit, datis sequentibus litteris ad illius provinciae fratres. De Gubernatis tom. II. p. 424.

Fr. Antonius a Galbiato strictioris observantiae provinciae Mediolanensis, in provincia Argentina de ordine ss. d. d. papae Pauli V. commissarius et visitator omnibus patribus et fratribus eiusdem provinciae Argentinae salutem in Domino sempiternam.

Cum a reverendissimo patre Benigno a Genua, totius ordinis s. Francisci generali ministro, de ordine etiam ss. d. d. papae Pauli V. ad hanc provinciam Argentinam visitandam reformationemque etiam de novo fundandam erigendamque, licet immeriti, destinati fuerimus, idcirco hisce nostris litteris, iuxta consuetudinem religionis, adventum nostrum in hac provincia vobis notum facere volumus, in primisque unumquemque patrem ac fratrem huius provinciae salutamus in Domino. Deinde de nonnullis vos admonere volumus; et primo quod in visceribus Iesu Christi rogamus vos, ut boni aemulatores vestrae professionis sitis, attendentes, quod nulla maior Deo irrogetur iniuria, quam vovere et postea vota retractare; moneo enim vos, quod, cum totam hanc provinciam nobis concreditam non valemus, multis praepediti negotiis, impraesentiarum visitare, propterea p. ministro provinciali vestro pro hac vice tantum committo vices meas, videlicet visitationem infrascriptorum monasteriorum, scilicet Bambergensis, Dedolbacensis, Hechingensis, Tabernensis, Kaiserpergensis, Rubeacensis, Lupicensis, Egranique; monialium vero seu sororum tertiariarum omnium eidem etiam committimus visitationem pro hac vice tantum, nisi aliud in contrarium ordinaverimus; exceptis tamen monialibus seu tertiariis sororibus Monacensibus, Landishutanis et Ingolstadiensibus, quas ego una cum ceteris conventibus quamprimum, Deo auxiliante, visitare intendo. Praecipiendo tamen prohibemus sub poena apostasiae omnibus

et singulis patribus guardianis et fratribus huius provinciae tum ipsimet patri provinciali, ut a die publicationis harum nostrarum nullus ipsorum possit ire vel mittere fratres suos, sub quovis praetextu vel colore, ad loca seu conventus, tum fratrum tum etiam monialium et sororum huius provinciae, visitationi nostrae reservatos; nec possit pater provincialis nec guardianus in posterum recipere ad religionem vel induere novitium quemquam, sub privatione officiorum suorum ipso facto incurrenda, necnon etiam nullitatis receptionis respectu ipsorum novitiorum, quodque etiam sub eadem poena nullum ex novitiis huius provinciae admittant ad professionem, nisi prius habita a nobis licentia in scriptis. Unde hisce nostris declaramus, omnes etiam quascunque obedientias sive facultates a quocunque nobis inferiore datas sive introductas ad effectus supradictos nullas esse, sed irritas omnino et cassas existere. Interim hortamur in Domino unumquemque patrem ac fratrem huius provinciae, quod, si voluerit ad hanc strictiorem observantiam sese recipere, Monachium vel alibi ad praesentiam nostram cum merito salutaris obedientiae venire valeat et possit, licentia obtenta a patribus guardianis suis, quorum conscientiae et discretioni remittimus ac stricte praecipimus, ut cognita ipsorum bona voluntate et dispositione ad talem striotiorem observantiam amplectendam, huiusmodi facultatem concedere teneantur. Nec est quod quis trepidare debeat super hac strictiori observantia, quia supposita qualitate regionis, talis invenietur modus et via, quod poterit quilibet suaviter et faciliter in hac strictiori observantia vivere et perseverare. Quo autem ad conventus, nostrae visitationi totaliter reservatos, monemus omnes, quod, si quis ex ipsis voluerit Monachium hac de causa ad nos accedere, per spatium unius mensis tantum a die publicationis harum nostrarum possit ad nos accedere; transacto enim tali tempore, Deo favente, ad aliorum monasteriorum visitationem peragendam ab hoc conventu credimus nos fore discessuros. Exhortamur autem in Domino omnes patres et fratres, moniales et tertiarias ipsas, ut in orationibus suis preces Deo devotas offerant pro felici ac prospero successu huius visitationis et quod Deus o. m. hanc nobis gratiam praestare dignetur, ut solum ea, quae sunt pro servitio ac gloria ipsius Dei, ac pro bono maiorique observantia huius provinciae, et exsequi et ordinare valeamus. Praecipimus insuper etiam in virtute sanctae obedientiae et sub poena privationis officiorum suorum omnibus patribus guardianis, vice-guardianis seu conventuum praesidentibus, quod post receptionem harum nostrarum litterarum statim legant eas in publico refectorio seu capitulo ad sonum tintinnabuli coram omnibus patribus et fratribus sui conventus; quodque his lectis copiam extrahant, deinde eas per nuntium mittant ad alium conventum secundum ordinem retroscriptum. Guardiano autem ultimo seu praesidenti conventus sub eisdem poenis praecipimus, quod has nostras litteras conservet consignandas nobis tempore visitationis. Valete

omnes in Domino Deumque pro me ac pro praesentibus inclytae Germaniae necessitatibus semper orate.

Datum in conventu nostro s. Antonii Monachii die XXIV. Iunii MDCXX.

XLVIII. Omnium primi reformatorum fratrum leges admisere incolae conventus observantium s. Antonii de Padua Monacensis die XX. Augusti, ac non multo post iidem etiam qui apud moniales clarissas monasterii Monacensis in Auger degebant in spirituali sororum cultura. Die XVI. Septembris eis etiam adhaesit in eadem provincia conventus ss. apostolorum Petri et Pauli urbis Landishutanae, in dioecesi Frisingensi positus. Hisce coenobiis erecta fuit custodia Bavariae fratrum reformatorum, praeside Antonio a Merato. (Greiderer tom. II. p. 266. n. 21.) (Idem ibid. p. 332. n. 136.) (Idem ibid. p. 173. n. 33.)

XLIX. Nicolaus Vigerius, minister provinciae Coloniae, hoc anno aedem accepit prope Fuldam in Monte Mariano positam, ubi ampliatis aedificiis familiam reformatorum posuit anno MDCXIII. Coenobium titulum praesefert s. Mariae virginis Gloriosae, fuitque primum, quod nomen dedit custodiae s. Elisabeth Thuringiae. Iidem reformati fratres inducti fuerunt et hoc tempore in conventum s. Catharinae v. et m. oppidi Rittbergensis, in provincia s. Crucis Rhenano-Westphaliae, a quo incepit eius custodia. (Conv. Fuldae. Mon. prov.) (Conv. Rittbergensis. Mon. prov.)

L. In provincia Siciliae pro eis etiam exstitit conventus s. Mariae de Iesu prope civitatem Argyrae, dioecesis Catanensis. Hiacynthus Faventinus, custos eorundem fratrum, immisit suos in aedem s. Nicolai prope oppidum Ariani, dioecesis Adriensis, in provincia Bononiensi eis concessam a laicorum confraternitate, ubi festivis diebus spiritualibus exercitiis vacabant. Hoc eodem tempore incoluere etiam coenobium s. Francisci prope oppidum Traonae in Valle Telina, dioecesis Comensis, in provincia Helvetica, anno MDCXXXIX. inter album coenobiorum provinciae Mediolanensis adscriptum. (Conv. Argyrae. Pirrus tom. I. p. 583.) (Conv. Ariani. Flaminius a Parma tom. III. p. 8.) (Conv. Traonae. Greiderer tom. I. p. 587.)

LI. Fratres recollecti provinciae s. Dionysii in Gallia recipiunt coenobium ss. Ludovici regis et Ludovici episcopi erectum in loco s. Germani in Laia, nullius dioecesis, in confinio territorii Parisiensis. (Conv. s. Germani. Mon. prov.)

LII. Hippolytus Speranza parochus ecclesiae ss. Petri et Pauli Terrae Carticeti, dioecesis Fanensis, in provincia Marchiae, cessit fratribus de observantia aedem suam et ecclesiam pro construendo ibidem coenobio, quibusdam tamen iuribus sibi reservatis. Cuncta haec rata habuit s. congregatio episcoporum et regularium hoc eodem anno. Distat ob oppido uno milliari, amoeno in loco. (Conv. Carticeti. Mon. prov.)

LIII. In provincia Siciliae iidem fratres dimittunt conventum s. Mariae de Iesu extra moenia Milillae, Syracusanae dioecesis, ruinae proximum, ut alterum incolerent intra oppidum, eis oblatum a confratribus s. Antonii abbatis. Loci possessionem probavit pontifex: *Exponi*, die IX. Decembris. Coenobium nomen retinuit s. Antonii abbatis. Ad iactum lapidis urbis Minei eiusdem dioecesis et provinciae pro eis et exstitit coenobium s. Antonii abbatis, item concessum a confratribus confraternitatis s. Antonii ibidem erectae. (Conv. Milillae.) (Conv. Minei. Pirrus tom. I. p. 677.)

Conv. Cremsiriensis. Greiderer tom. I. p. 619. n. 99. Annal. min. ad an. 1606. n. 36.

LIV. Franciscus Dietrichstein, cardinalis et episcopus Olomucensis, immisit eosdem fratres provinciae Bohemiae in novum conventum suis expensis instructum apud devotissimum sacellum ss. Trinitatis urbis Cremsiriensis, quod et ampliavit. Ante id tempus iidem fratres domum non satis accommodam incolebant extra illius urbis moenia s. Ioannis Baptistae titulo. Anno MDCXLIII. die III. Iulii Suecii in hanc urbem irrumpentes, coenobium rebus suis spoliarunt. Non multo post iidem fratres eo reversi, coenobium in antiquum statum posuerunt. Die I. Iulii anno MDCLIV. Ioannes Chobar, episcopus Magarensis et suffraganeus archiepiscopi Olomucensis, laudatam ecclesiam cum quatuor altaribus consecravit.

Conv. Novo-Domensis. Idem ibid. p. 625. n. 108. Annal. min. ad an. 1619.

LV. A copiis Ferdinandi II. caesaris in Monte Albo prope Pragam haereticorum colluvie devicta, redierunt iidem fratres in conventum urbis Novo-Domensis s. Catharinae v. et m., antea ab eisdem haereticis solo aequatum. Novae aedis structuram posuerunt pientissimi coniuges Guilielmus comes de Slawata et Catharina comitissa de Montfort, qui etiam pro alendis fratribus quaedam in perpetuum contulere. Anno MDCXXVI. Ernestus de Harrach, cardinalis et archiepiscopus Pragensis, ecclesiam consecravit dominica die ante nativitatem Deiparae virginis.

Conv. Pilsnensis. Idem ibid. p. 629. n. 112. Annal. min. ad an. 1619.

LVI. Vastatus et expilatus item, anno mox elapso, ab haereticis conventus cum ecclesia b. Virginis assumptae Pilsnensis, civium cura rediit ad ipsos fratres provinciae Bohemiae, qui communibus eleemosynis de novo ferme excitaverunt.

Monast. Znoymense. Idem ibid. p. 676. n. 167. Annal. min. ad an. 1619.

LVII. Iisdem haereticis pulsis, restitutum fuit monialibus clarissis monasterium Assumptionis Znoymense in eadem provincia, quibus bona immobilia et mobilia anno transacto rapuerant. Anno MDCXXIX. maxima ex parte incendio periit.

Conv. Bevaniae. Bordonius p. 377.

Conv. Tuscanellae. Idem p. 392.

LVIII. Petrus de Bacchis, incola oppidi Bevaniae, dioecesis Spoletanae, in provincia Umbriae, cessit fratribus de tertio ordine aedem s. Mariae Magdalenae pro construendo ibidem coenobio. Inter suppressos nunc adnumeratur. In provincia Romana habuerunt coenobium s. Antonii Abbatis prope castrum Tuscanellae, dioecesis Viterbiensis, accedente consensu Tiberii cardinalis Muto.

Conv. Placentiae. Idem p. 335.

LXIX. Studio Donadei Musa Placentini, sodalis eiusdem instituti, aucta est provincia Medionalensis coenobio s. Mariae de Laureto, Placentiae civium eleemosynis erecto. In ara maiori ecclesiae colitur corpus s. Antonii m. Calaritani, donatum a Francisco Carino Placentino. Sequens de hac re exstat memoria: Sacrum corpus s. Antonii Calaritani Insulae Sardiniae, aetatis suae anno XLII. martyrio coronati, de basilica Constantiniana s. Saturnini primitiali Calaritana, prope quam publice venerabatur, de licentia vicarii generalis archiepiscopi dictae basilicae extractum, agente adm. r. p. Petro Calaritano, capucino provinciali, et per r. p. fr. Bonaventuram pariter capucinum concionatorem, cui ab illo donatum fuit, Placentiam delatum et subinde ab eius consanguineis rr. pp. religiosis tertii ordinis s. Francisci

oblatum, solemni processione iidem religiosi in propria ecclesia s. Mariae Laureti Placentiae, sub altare eidem sancto dicato, condiderunt quinta dominica post pascha die XVII. Maii MDCXLVIII.

LX. Bina etiam coenobia eis concessa etiam fuerunt in provincia Siciliae. Ioannes Iacobus de Nicosto et Baptista de Iannico, cives urbis Calatahieronis, donarunt fratri Bonaventurae Pasquali aedem cum ecclesia sub invocatione s. Mariae de Misericordia extra urbem, onere ei imposito incipiendi coenobii fabricam intra biennium. Loci donationem probavit Paulus Pharaonius, episcopus Syracusanus. Sodales confraternitatis s. Ioannis Baptistae Villaefranchae, dioecesis Agrigentinae, adsignarunt aedem et ecclesiam fratri Leonardo Drepanensi pro suorum incolatu. Cessionem ratam habuerunt Vincentius Bonincontrius, episcopus Agrigentinus et Hercules, Alliatae et Parutae oppidi patronus.

Conv. Calatahieronis. Idem p. 437.

Conv. Villaefranchae. Idem p. 438.

LXI. Indulget pontifex: *In supereminenti,* die X. Iulii, ut in insula Melevitana instituatur collegium fratrum conventualium sub invocatione s. Antonii Patavini, ad instar collegii s. Bonaventurae de Urbe.

Colleg. Melevitanum.

LXII. In provincia s. Francisci obtinuerunt fratres capucini conventum Civitatis Plebis, in provincia Pedemontana conventum Dracouerii dioecesis Saluthiensis, et conventum Sospitelli dioecesis Ventimiliensis; in provincia Aprutina conventum Mannpelli dioecesis Theatinae; in custodia Monteferrati conventum s. Salvatoris dioecesis Papiensis; in provincia Rhenana conventum Aragoniae Domini dioecesis Moguntinae, et conventum Aschaffenburgi eiusdem dioecesis; in provincia Parisiensi conventum Senoni; in provincia Turonensi conventum Ezolduni dioecesis Bituricensis, et conventum Thoarci dioecesis Andegavensis; in provincia Britanniae conventum Dimarini dioecesis Trecorensis; in provincia Lugdunensi conventum Gannati dioecesis Claramontensis, et conventum Mimati; in provincia Lotharingiae conventum Rembervillae dioecesis Tullensis; in provincia Aquitaniae conventum Pali dioecesis Lascurensis.

Ex albo Michaelis a Tugio.

LXIII. Ioannes Ochoa de Salazar, episcopus Placentinus, suis impensis excitavit monasterium Urbanistarum s. Michaelis de Hedon in provincia Cantabriae. Incolitur a XXXII monialibus. Anna Glenat in oppido Romans dioecesis Viennen. erexit monasterium pro monialibus s. Clarae reformatis, quod summus pontifex bulla tertio idus Augusti edita adprobavit illudque immediate protectori ordinis et generali ministro subiecit. In illud primae moniales ex conventu Gratianopolitano translatae sunt.

Monast. de Hedon. Mon prov.

Reg. ultram. fam. fol. 227.

LXIV. Hoc tempore Ferdinandus de Baviere, episcopus Leodiensis immisit sorores s. Coletae, conceptionistas, urbanistas et tertiarias in monasteriis suae civitatis.

Gallia christ. tom. III. p. 911.

LXV. Sebastianus Lochiana aere proprio erexit in oppido Sclafani, dioecesis Cephaleditanae in Sicilia, monasterium clarissarum in aede s. Sebastiani eiusdem oppidi. Ibidem commorantur XVIII sorores.

Monast. Sclafani. Pirrus tom. I. p. 836.

Monast. Diestense. Mon. prov.

LXVI. Ab anno MDLIII. degebant apud monasterium oppidi Diestensis, provinciae Germaniae Inferioris, aliquot virgines de tertio ordine, quae miseram ac pauperrimam vitam ibidem ducebant. At temporis decursu piorum eleemosynis monasterium auctum aedificiis et reditibus ita fuit, ut XXV moniales hoc anno contineret. Subest ordinario loci, et vulgo adpellatur monasterium Vallis s. Annae.

Monast. oppidi Montis Angelorum.

LXVII. Committit pontifex archiepiscopo Sipontino: *Nuper,* die XVII. Octobris, ut moniales tum ordinis s. Benedicti tum s. Clarae, quae ob incursionem Turcarum abierant e monasterio illius urbis, immittat in monasterio ss. Ioannis et Benedicti oppidi Montis Angelorum, congregationis caelestinorum suae dioecesis.

Dorothea Valente. Mon. prov.

LXVIII. Aliquot sacrae virgines pie occubuerunt. In monasterio s. Clarae Histonii, provinciae s. Angeli, die VIII. Augusti angelicis moribus ditata superna petivit Dorothea Valente, nondum tyrocinii sui tempore expleto. Mortificationem sponsi sui Iesu Christi in corpore circumferebat, assiduis poenalitatibus castigans. Interim meditationibus caelestibus incumbens, rapta est post sumptum sanctissimae eucharistiae sacramentum, vix illis expletis: *Pange lingua gloriosi* etc.

Anna Storina. Hueber ad diem 9 Ianuarii.

Die IX. Ianuarii obiit Sephrigae prope Ulmam in Svetia Anna Storina, diu monasterii abbatissae munere functa, sororibus exempla multarum virtutum praebens. Post eius mortem gloriae corona redimita apparuit.

Maria de Angelis. Agiol. Lusit. ad diem 26 Februarii.

In monasterio s. Marthae Ulyssipone obiit die XXV. Februarii Maria de Angelis, ab orandi assiduitate maxime commendata. Quadam autem die cum ferventer orationi operam daret, videre meruit Christum Dominum brachiis extensis in signum protectionis super monasterii aedem.

Maria de Resurrectione et Theodosia de Cherubinis. Ibidem ad diem 11 Aprilis.

Die XI. Aprilis rapta est in monasterio s. Clarae Portus Maria de Resurrectione, eximio Dei amore succensa. Cunctis dictis et factis suavia de Deo colloquia miscebat. In oratione autem fundenda saepe irradiata erat clarissimo fulgore. Eodem anno ibidem et decessit Theodosia de Cherubinis, quae donum lacrymarum a Deo obtinuit in recolendo Christi amore in sanctissimo eucharistiae sacramento.

Maria ab Assumptione. Ibidem ad diem 17 Aprilis.

In monasterio Dominae nostrae de Gratia de Torrao, dioecesis Eborensis, occubuit die XVII. eiusdem mensis Maria ab Assumptione, vix illis apostolorum symboli *et vitam aeternam. Amen,* expletis. Discalceata semper incedebat tantaque erat humilitate, ut sororum pedes laeta ablueret et viliora monasterii munia expleret.

Maria de Salvador. Ibidem ad diem 7 Iunii.

LXIX. Caelesti monitu die mortis suae edocta ad Deum migravit die VII. Iunii in monasterio s. Gonzalvi de Anera, in provincia Portugalliae, Maria de Salvador. Corpus omni cruciatum genere edomabat. Quo sacro reficiebatur Christi corpore, nullum per diem verbum proferebat.

Lucretia de Mello. Ibidem ad diem 14 Iunii.

Die XIV. eiusdem mensis obiit in monasterio s. Clarae de Beia, item provinciae Portugalliae, Lucretia de Mello, nobili genere nata, at nobilior virtutibus. Morti proxima frui meruit visione Christi Iesu sub specie pulcherrimi infantis. Inter divina dilecti sui colloquia exspiravit.

LXX. In monasterio matris Dei Ulyssipone e vita migravit

die XXVII. Iunii Maria de Assumptione tanto divini amoris aestu dilata, ut prae nimio eius interiori ardore aliquando sanguinem evomeret. Modico pane per diem utebatur dumtaxat. Eadem die in monasterio s. Marthae eiusdem urbis unita est sponso suo in caelis Anna de Matre Dei, quae defuncto viro in monasterium ingressa, multis floruit virtutibus. Vitam duxit inter assiduas corporis poenalitates et breve somnum carpebat super stoream. In monasterio de Amarante die XX. Octobris, illis pronuntiatis: *laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, obiit Aloisia de Regibus; tanto peccatorum suorum dolore perculsa fuit, ut quotidie genibus flexis ante Iesu Christi imaginem ea ipsi confiteretur et sibi duram poenitentiam imponeret. Cilicio asperrimo velut induta carnem macerabat.

Maria de Assumptione. Ibidem ad diem 27 Iunii.

Anna de Matre Dei. Ibidem.

Aloisia de Regibus. Ibidem ad diem 20 Octobris.

LXXI. In provincia Burgensi duae virgines decesserunt, singulari innocentia ac virtutum laude exornatae. Earum altera fuit Francisca de Torres clarissa, defuncta in monasterio s. Clarae de Arnedo. Emicuit in recolendis mysteriis divinae incarnationis, nativitatis et passionis Iesu Christi. Non semel puerum Iesum vidit divina luce corruscantem in ss. eucharistiae sacramento. In monasterio sororum de tertio ordine, in villa de Veruesca, rapta est Mariana Franco, annos numerans octoginta. Nudis pedibus semper incessit, et quolibet sabbato in Deiparae honorem nec sopori de nocte se dabat, nec cibum sumebat. Catena interim ferrea et cilicio membra edomabat.

Francisca de Torres. Mon. prov.

Mariana Franco. Ibidem.

LXXII. Montiliae in monasterio s. Clarae, provinciae Granatensis, defixis oculis in Iesu Christi imaginem obiit die XVIII. Decembris Maria de Corpore Christi. Multis austeritatibus et flagellis corpus macerabat et discalceata incedebat. Tempore quadragesimali aspera lorica totum corpus tegebat. In monasterio s. Nicasii Ubedae, eiusdem provinciae, decessit Isabella de la Cueva, virgo commendata ob assiduas preces et iuge silentium. Elapsis post sui mortem quibusdam annis aperto eius tumulo, lingua viventi similis adparuit, toto tamen corpore in cineres resoluto.

Maria de Corpore Christi. De Torres p. 677.

Isabella de la Cueva. Idem p. 612.

LXXIII. Mortis suae tempus praescia occubuit in monasterio ss. Conceptionis de Hinnoiosa, in provincia Angelorum, Catharina de s. Marco, caritate in Deum et proximum eximia. A Deo per ariditatem spiritus probata, laeta tamen semper visa fuit. Consiliorum dono floruit. Belvisii in monasterio s. Ioannis de poenitentia supremum diem obiit Francisca Baptista a Nativitate, loci abbatissa, tantis divinis charismatibus a Deo exornata, ut prae rerum divinarum contemplatione inter caelestium spirituum choros cooptata videretur. In monasterio s. Iosephi de Guadalcanal, laudatae provinciae, pie obiit Maria de s. Didaco, a teneris annis ad animi dimissionem atque modestiam prona. Vigiliis, ieiuniis et flagellis assiduam operam interim dabat.

Catharina de S. Marco. De Guadalupe p. 380.

Francisca Baptista a Nativitate. Idem p. 602.

Maria de S. Didaco. Idem p. 616.

LXXIV. Apud ecclesiam minorum observantium s. Ioannis Regum Toleti tumulum accepit Mariana a Iesu, Escalonae nata, tertii ordinis

Mariana a Iesu. Mazzara tom. VII. p. 437.

soror, quae e vita migravit die IX. Iulii. Cibi abstinentia corporisque poenalitatibus ab infantia ad obitum usque in primis fuit admirabilis; maximam enim anni partem pane tantum et aqua duriter victitabat, et quae nauseosa erant fercula vix degustabat. Diris flagellis corpus cruentabat et spineam coronam capiti impositam manibus graviter urgebat. Tanta animi contentione tantoque spiritus ardore Dei laudes celebrandas incubuit, ut fere nunquam a templo discederet, idipsum et domi praestabat die ac nocte; et si quando somnus obreperet, brevem quietem capiebat. Mire in his precibus fundendis elevabatur. Haec brevi sermone narravimus; multa enim de ea habet Benedictus Mazzara. In eius solemni funere sermonem habuit Ioannes Gusman, franciscanus de observantia. Defunctae corpus anno MDCXXIV. mandato apostolici Hispaniarum nuntii e tumulo eductum, integrum repertum et suavi odore perfusum, illatum fuit ad sacellum Immaculatae conceptionis. De eius canonizatione actum

Sbaral. lit. M.

fuisse tradit Ioannes a s. Antonio. Porro eadem virgo scripsit *epistolas plures mysticas et revelationes sibi caelitus factas.* Eas cum eius actis vulgavit anno MDCLXI. d. Ludovicus de Messa suus confessarius. Die I. Augusti caelestia petivit in monasterio tertii ordinis de poe-

Birgitta de Amodei. Annal. min. ad an. 1617.

nitentia Panormi in Sicilia Birgitta de Amodei, germana Franciscae item de Amodei, de qua nos iam egimus. Ambae ob adversam valetudinem migrarunt e monasterio Pietatis, sororum ordinis praedicatorum, et insimul summo studio sedulam operam navarunt in assequendis virtutibus humilitatis, mortificationis et vitae puritatis.

LXXV. Iustorum mortem obtinuere aliquot minoritae de observantia. In conventu s. Francisci Emeritae in provincia de Iucatan

Ioannes de Salinas. Lopez p. 532.

obiit Ioannes de Salinas, in villa de Toriia in Hispania natus. Ab infantia animam bonam sortitus, pietatem, modestiam et innocentiam ita coluit, ut sanctitatis fama apud concives floreret. Franciscalium habitu indutus, in provincia Castellae maiora suae sanctitatis specimina mox dedit. Studio dilatandae fidei percupidus anno MDLXXVIII. in Iucatanicam provinciam advenit, ubi inter Indos quadraginta duobus annis diversatus, vix dici potest, quot infideles vitae exemplo et concionibus suis ad Christum adduxerit. Cum autem angelica puritate niteret, in eius feretro album ligustrum impositum fuit, et cum eo tumulo mandatus.

LXXVI. Occubuit die XXIII. Iulii in conventu s. Francisci Cuzci,

Benedictus de Puertas. De Torres p. 268.

provinciae s. Antonii Charcarum, Benedictus de Puertas hispanus, nobili genere ortus in villa de Porcuna. Professionem emisit in provincia Granatensi, ubi cum sanctitatis fama floreret, anno MDLXXXIX. in sui socium eum delegit s. Franciscus Solanus, ut in Peruvianas gentes evangelii semina spargeret. Multos devios et infideles Christo Iesu peperit. Coenobii Limani praeses fuit et s. Antonii Charcarum provinciam sancte administravit. Quatuor postremis suae vitae annis, licet a diris ulceribus afflictus, ea tamen hilari vultu et patientia summa sustinuit, ut nec aegrotorum curatori unquam aperuerit, quae

tamen post sui mortem, ad instar pulcherrimae et flagrantis rosae, reperta fuerunt in eius corpore. Tumulum accepit cum magna solemnitate in sacello maiori ecclesiae; octiduo post, praesentibus Laurentio de Grado urbis episcopo, optimatibus, clero saeculari et regulari, lignea in arca occlusum fuit. Varia ad eius sepulcrum evenisse signa tradunt suae vitae scriptores.

LXXVII. In conventu Cuquiagensi, provinciae ss. XII Apostolorum Peruviani regni, per haec tempora vitam commutavit cum morte nonagesimo aetatis anno Lucas de Cuenca, item hispanus. Praestans erat vitae austeritate, assiduae orationis, ecstasum et prophetiae donis. Divina interim caritatis flamma ita ardebat, ut prae incendii interioris vi cor eius velut exureret, lingua in clamores erumperet, huc illucque festinaret.

Lucas de Cuenca. Corduba in vita s. Francisci Solani.

LXXVIII. Dies complevit suos in conventu s. Francisci Limae Ioannes Garzias laicus. Diu infirmorum et egentium curam explevit, infirmis summa caritate deserviebat; egenis autem cuncta suppeditabat eximia liberalitate. Vultus sui hilaritate ac verborum lenitate omnes ad pietatem incendebat. In eodem coenobio occubuit Alphonsus de Santillan, item laicus, vir assiduae orationis; noctes enim ferme ducebat insomnes in recolendis caelestibus ad pedes Christi Iesu cruci affixi, binisque interim disciplinis corpus cruentabat. Ad fraenandum effervescentis irae impetum tantam sibi vim inferebat, ut subinde per aures et nares sanguis efflueret.

Ioannes Garzias. Idem ibid.

Alphonsus de Santillan. Idem ibid.

LXXIX. Felicem cursum in eadem urbe complevit Andreas Corzo, item laicus, vigiliis, ieiuniis et precibus commendatus. Impense colebat ss. eucharistiae sacramentum, et deliciabatur ministrari sacerdotibus sacrum peragentibus. Eodem hoc anno carnis ergastulo solutus est Franciscus Loque laicus, qui morti proximus instanter petivit, ut sanctis ecclesiae sacramentis reficeretur. Iis enim perceptis devotione summa, post aliquot horas dilecto suo animam reddidit. Cum eius corpus de more curaretur, mordaci catena ferrea praecinctus adparuit.

Andreas Corzo. Idem ibid. et Davila Teatro Ecclesiastico tom. II. p. 15.

Franciscus Loque. Idem ibid.

LXXX. In provincia Granatensi vitam absolvit Franciscus Lozano, vitae intemeratae sacerdos et assiduus in disseminando Dei verbo ad annum usque LXX. vitae suae. Membra domabat ciborum parsimonia ac flagellis, ut divinis rebus unice vacaret. Licet bene valeret, guardianum exoravit, ut sibi ministraret sacramentum extremae unctionis; praemonitus enim fuerat a Deo suae proximae mortis. Reluctabatur guardianus; at motus eius precibus et lacrymis benevole annuit, et vix inunctus exspiravit.

Franciscus Lozano. De Torres p. 319.

LXXXI. Apud coenobium s. Francisci de Guimaraes, in provincia Portugalliae, sanctitatis odore spiritum Deo reddidit die XVI. Ianuarii Sixtus de Guarda laicus, vir tantae austeritatis, ut prae corporis maceratione viribus pene destitueretur. Sive enim oraret, sive munia sua obiret, semper in caelis conversationem habebat. Eius funus cohonestarunt maxime pauperes, quos summa caritate reficiebat per dies.

Sixtus de Guarda. Agiol. Lusit. ad diem 16 Ianuarii

Michael Canals. Mon. prov.

LXXXII. In conventu s. Antonii de Arta, provinciae Maioricarum, quievit die XIV. Septembris Michael Canals laicus, pientissimus erga pauperes et studiosus in fundendis precibus, praesertim pro animabus defunctorum. In conventu s. Francisci Civitatis, eiusdem provinciae, sanctis operibus dives caelestia petivit die XV. Septembris Laurentius Rape clericus, Sineu in oppido natus, innocentia praesertim vitae commendatus. Die XVI. eiusdem mensis et provinciae occubuit in coenobio urbis Maioricensis Raphael Serra, nobili genere natus in oppido vulgo de Incha. Ab adolescentia bonis imbutus moribus angelicam vitam agebat. Aetatis suae anno XXV. inter observantes cooptatus praesto se dedit ieiuniis, vigiliis divinisque recolendis; munus subinde eidem demandatum Dei verbum disseminandi ita explevit, ut ingentem deviorum numerum ad terendam virtutis semitam adduxerit. Ut deperditas mulieres e vitiorum coeno ab ipso avocatas in tuto collocaret, aedes parare curavit, legibus pro eis moderandis interim vulgatis. Suae provinciae praeses et commissarius renuntiatus, virtutum exemplis et verbis familiam sibi commissam gubernavit; nam in eo eminebat altissima paupertas, eximia animi puritas, hilaris obedientia, demissa humilitas ferveusque in Deum et proximum caritas. Eius corpus tumulum accepit ad dexteram sacelli b. Raymundi Lulli m. lapidea in arca, iaspide exornata, inciso stemmate regni Maioricensis cum hac epigraphe:

Laurentius Rape. Mon. prov.

Raphael Serra. Mon. prov.

Ingens exiguo hoc arctatur marmore Serra,
Quem sua non totum patria terra capit.

Ioannes Muskai. Hueber in triplici chronaca.

LXXXIII. Solutus a corporis vinculo obiit die XXVII. Ianuarii in conventu Seplingae in Suevia Ioannes Muskai sacerdos, qui licet gravibus calumniis et adversitatibus exagitatus, Christi Iesu imitatus exemplum, hilari magnanimitate sustinuit, et persecutoribus suis maiora caritatis officia conferebat. Sacrum pro nimia animi sui pietate multis lacrymis peragebat. Multoties etiam recreatus fuit visione Deiparae virginis, quam impense colebat. Confluentiae ad Rhenum plenus dierum et sanctitatis meritis decorus ad Deum abiit die XXXI. Decembris Iacobus de Ostenda.

Iacobus de Ostenda. Idem ibid.

Dominicus Gavinho. Mon. prov.

LXXXIV. In provincia s. Mariae de Arrabida, fratrum discalceatorum, raptus est die IV. Octobris Dominicus Gavinho laicus, natus in oppido de Collares, vir mirae austeritatis et ferventissimae orationis; saepe in iis fundendis ab humani generis hoste vexabatur, quem devincebat eodem orationis praesidio. Ad tantam perfectionem devenit, ut dignatus fuerit visione et seraphici Parentis colloquio recreari.

Gesualdus a Maliano. Mon. prov.

LXXXV. Inter reformatos fratres sancte occubuit die I. Ianuarii in conventu Tuderti, provinciae Umbriae, Gesualdus a Maliano sacerdos, vita exemplari et paupertate praestans. Magistri novitiorum sedulam curam egit, et magno animarum foenore verbum Dei per contermina loca disseminavit. In conventu s. Ioannis Baptistae Ame-

liae in eadem provincia obiit die XXX. Aprilis Humilis ab oppido Poppi sacerdos, humilitate et caritate in Deum summe praestans. In conventu s. Mariae Gratiarum prope oppidum Pulcini in provincia Principatus Bernardinus a Petina laicus, altissimae paupertatis amator, mirae austeritatis et ferventissimae orationis. Potestatem a Deo super daemones obtinuit, quos signo crucis ab obsessis corporibus expellebat.

Humilis a Poppi. Mazzara tom. IV. p. 403.

Bernardinus a Petina. Mon. prov.

LXXXVI. Panormi in conventu s. Mariae Angelorum decessit die XXIX. Martii Nicolaus a Platea laicus, toto vitae suae tempore occupatus in cura fratrum infirmorum eiusdem coenobii. Emicuit in eo orationis studium et in Deiparam virginem eximia pietas, cuius aspectu aliquando recreatus fuit. Crucis signo varias tum fratrum tum saecularium infirmitates curavit. Item Panormi in conventu s. Mariae de Iesu mortalitatis sarcinam die X. eiusdem mensis deposuit Michael Rubbianus, germanus ducis Feriae, proregis Siciliae, in saeculo iuris utriusque laurea donatus. Grave vulnus a quodam in capite iniuste acceptum mira patientia sustinuit, et veniam pro percussore efflagitavit. Hinc divina gratia illustratus, mundi labilitatem noscens, fratrum reformatorum habitum impetravit. Ordini adscriptus totius religiosae perfectionis viam impigre arripuit et ad mortem usque prosequutus est. Cum autem caritate Dei et proximi praestans esset, optabat sanguinem pro Christo et proximorum salute fundere, si ei data fuisset occasio. Quare maiorum venia, in insulas Philippinas se contulit, ut evangelicam fidem disseminaret. Quatuor annis ibidem diversatus, laboribus suis multos Iesu Christo filios peperit. At anno MDCXII. ad generale capitulum pro consequenda canonizatione martyrum Iaponensium Romam missus, Ioannes Torref, nuper Syracusanus episcopus delectus, cum prae illius sanctitate suae conscientiae moderatorem designavit. In eodem coenobio die XI. Septembris rapuit Deus Franciscum a Nicosia, provinciae Siciliae pluries guardianum, definitorem et custodem. Ecstasum dono excelluit, et aliquando in oratione totus lumine illustratus adparuit.

Nicolaus a Platea. Mazzara tom. III. p. 424

Michael Rubbianus. Idem tom. IV. p. 467

Franciscus a Nicosia. Idem tom. IX. p. 140

LXXXVII. In fratrum capucinorum familia aliqui et pie occubuerunt. Asculi in Piceno ex hac vita migravit Vincentius a Porchia sacerdos, a pueritia Deiparae virginis summe devotus. Antequam enim operi manuum suarum se daret, saepius has voces ingeminabat: *Mariae matris sanctissimae amore hoc facio.* Hinc camet b. Virgo curam de eo egit singularem, et eius colloquio frui meruit. Prophetiae dono claruit et occulta revelavit. Apud Drugolum in provincia Brixiensi occubuit Paulus Manassei ab Interamna, cum se conferret in Rhaetiam ut a vera fide aberrantes ad ecclesiae sinum adduceret. Aliquo tempore nullis virtutibus vacavit; at divina gratia illustratus illico ex peracutis equi setis cilicio contexto cutem dilaniare aggressus est, ac vigiliis et ieiuniis operam dare. Insuper flagro ex urticis confecto se verberare solitus erat. Eius est liber *paradisus interior*, sive *corona spiritualis, in quo per triginta tria exercitia quis assequitur praxim*

Vincentius a Porchia. De Pise tom. III. p. 354.

Paulus ab Interamna. Idem p. 356.

Sbaral. lit. P.

Anno Christi 1620.	Pauli V. Anno 15. et 16.	Ferdinandi II. Anno 2.	Relig. Minorum Anno 413.

omnium virtutum pro consequenda perfectione christiana. Prodiit italice Brixiae anno MDCX. Maceratae anno MDCLXVII. recusus, prohibetur decreto s. Indicis c. snb die XXIX. Novembris MDCLXXXIX.

Paulus a Cassia. Idem p. 358.

Spoleti in provincia Umbriae obiit Panlus a Cassia sacerdos, in utroqne iure doctoris laurea donatus, parochi etiam munus in saeculo obivit. Grandaeva in aetate, cuncta tamen impigre praestabat, licet ardua. Praeter laudes diurnas et nocturnas, quas cum ceteris sodalibus persolvebat, octo horarum spatium orationi fervidae etiam insumebat. Pauperibus pedes lavabat et eorum sordes suis manibus abstergebat.

Pius a Mediolano. Idem p. 360.

LXXXVIII. In conventu s. Victoris Mediolani obiit Pius a Mediolano sacerdos, qni relicta militari vita, in instituto integros saepe dies absque cibo et potu noctesque insomnes transigebat.

Hiacynthus a Saviliano. Idem p. 361.

Saviliani in provincia Pedemontana occubuit Hiacynthus item sacerdos, eo in loco natus. Orationi sedulo vacabat et oculos suos ita composuit, ut humi semper defixos haberet. Austeritatis interim amator corpori cuncta subtrahebat solatia. Mortis nuntium laetus accepit, et elata voce incepit: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Brixiae decessit

Ioan. Franciscus Brixiensis. Idem p. 363.

Ioannes Franciscus Brixiensis, item sacerdos, saepe guardiani, provincialis ac visitatoris generalis munere item fnnctus. Humilitate, mansuetudine, comitate et angelica puritate praestabat. Vernacule scripsit *libros de regimine regularium*, quos magni faciunt Cocinus et cardinalis Bellarminus. Anno MDCXI. Brixiae edidit *orationem funebrem in obitu v. p. Mathiae Bellintani a Solodio capucini.* In eadem provincia

Fortunatus Brixianus. Idem p. 367.

raptus est Fortunatus Brixianus clericus, nobili genere natus, tanta animi humilitate praeditus, ut toto quadraginta annorum decursu, quos inter capucinos vixit, nunquam ad sacerdotalem dignitatem promoveri voluerit.

Marius Mantuanus. Idem p. 369.

LXXXIX. Bassani in provincia Veneta obiit Marius Mantuanus sacerdos. Is ad aetatem usque decrepitam exempla austeritatis ac patientiae supra naturae vires exhibuit. Etsi ob ulcus cruri inustum pedis nsu careret, tamen a priori macerationis vitae proposito haud dimoveri volnit, nec lautiores in mensa cibos sibi apponi passus est. Alta mente recolebat Iesu Christi passionem, tantaque induebatur ex ea fortitudine, ut omnia acerba aeqno animo toleraret. Lnceriae in

Angelus a Bonovicino. Idem p. 371.

provincia s. Angeli e vita migravit Angelus a Bonovicino laicus. Pane tantum et aqua semel quotidie se reficiebat et spe martyrii, quod cupiebat, frustratus, carnem flagris vexabat ita, ut in toto corpore vulnera adparerent, qnibus acetum non raro infundebat. Tholloni

Theodosius a Folcarquier. Idem p. 374.

in provincia Provinciae occnbuit Theodosius a Folcarquier sacerdos, qui pro vitae suae pnritate meruit, consecratione peracta, videre in hostia Christum Iesum sub specie pneruli formosissimi. Saloni in

Hugo Aquensis. Idem p. 372.

eadem provincia obiit Hugo Aquensis sive ab Aquis Sextiis, senatoria gente natus; sub Henrico IV. Galliae rege praetoriae cohortis miles fuit. Factus capucinus, mira austeritate regnlariqne observantia vixit. Eximio Dei amore ardebat, et inter concionandum nil aliud praeter

divinum amorem ipsius verba resonabant, et ita audientium corda accendebat et odia acerba extinguebat. Gallice composuit opus ita inscriptum: *flammae divini amoris, quibus per plures orationes iaculatorias cor nostrum ad Dei dilectionem excitetur*, Tolosae et Aquis Sextiis vulgatum sine nomine. Tarasconae in eadem provincia sublatus est Angelicus Mingavensis, Sabaudus, illustri familia ortus. Multis austeritatibus operam dedit et, divinis contemplationibus vacans, eximia in in Deum dilectione ferebatur. Quamplures devios suis concionibus in rectum vitae tramitem adduxit. Provinciale munus inculpate obivit et magister novitiorum electus, eos fovebat non tam verbo, quam sanctitatis exemplo. Pro eis etiam gallice scripsit *librum institutionum et exercitiorum spiritualium.*

Sbaral. lit. H.

Angelicus Mingavensis. De Pise p. 375.

Sbaral. lit. A.

XC. Pictavii in provincia Turonensi obiit Ioannes Baptista Audegavensis, senatoria toga in saeculo donatus. Capucinorum institutum ingressus, ob sui pietatem, prudentiam ac doctrinam iuvenili in aetate Aurelianensi coenobio maiorum suorum mandato guardianus praeficitur. Tyronibus etiam tum humana tum divina insimul explanabat; haud tamen ab oratione ac a divinorum contemplatione recedebat. Concionatoris munus eidem demandatum magno animarum fructu ingentique cum laude prosequutus est in principibus illius provinciae civitatibus. Varia scripsit *de sacra theologia, et ad alias sacras scientias spectantia*, quae, immatura morte praeventus vulgare nequivit. Haec tamen servantur in archivo coenobii Pictaviensis. In provincia Valentiae obiit Ioannes ab Alfambra sacerdos, in Castellam missus, ut illius provinciae iaceret fundamenta. Pane et aqua ut plurimum vires reficiebat. Aspero flagello quotidie carnem lacerabat et nudis pedibus incedebat. Barcinone decessit Bartholomaeus Lusitanus, eorundem habitu indutus in provincia Catalauniae. Quotidie corpus affligebat diris flagellis ita, ut ex eius vulneribus cruor copiosus efflueret. Mira animi suavitate caelestia meditabatur die ac nocte, et saepe ecstasim patiebatur. Cum sacrum ageret, magna pietate a lacrymis temperare non poterat. Apud oppidum de Blanes eiusdem provinciae occubuit Ioannes Evangelista a Sarriano, generis nobilitate clarus. Morum innocentia cumulatus inter capucinos adscribitur, ubi in primis orationis studium impensius coluit. Ei autem maxime erant familiares Iesu Christi crucifixi agones, et ad eos recolendos mellifluis verbis sodales suos hortabatur. Mansuetudine interim, paupertate et corporis maceratione praestans erat. Perpiniani postremo raptus est Vincentius Gerriensis sacerdos, sedulus cultor altissimae paupertatis, austeritatis et orationis.

Ioan. Baptista Audegavensis. De Pise p. 379.

Sbaral. lit. I.

Ioannes ab Alfambra. De Pise p. 384.

Bartholomaeus Lusitanus. Idem ibid.

Ioannes Evangelista a Sarriano. Idem p. 386.

Vincentius Gerriensis. Idem p. 390.

XCI. Decessit in conventu Monasterii in Colonia et apud fratres suos conventuales humatus cum epitaphio Nicolaus Arrestorfius Bonnensis Bavarus, sacrae theologiae magister ac Coloniensis provinciae minister. Anno MDXCI. delectus fuit episcopus Acconensis sive Ptolemaidis, et coadiutor Ernesti Bavariae ducis, archiepiscopi Coloniensis et episcopi Monasteriensis. Is cum eum constituisset

Sbaral lit. N.

ecclesiae s. Lamberti Monasterii in urbe primariae administratorem et pastorem, ut catholicam fidem lutheranorum et anabaptistarum colluvione collapsam instauraret et pristinae integritati restitueret, assiduis concionibus suis piisque aliis operibus archiepiscopi votis plene satisfecit. Scripsit *nucleum catecheticum*, *conciones* et *sermones varios*. In coenobio s. Francisci Celani in provincia s. Bernardini obiit Cornelius Carbonus, theologus illustris, de quo Sbaralea pag. 203. et alii. Occubuit et eo anno in conventu s. Francisci Theate, eiusdem provinciae, Vincentius ibidem ortus. Commendatur a Toppio in sua bibliotheca Neapolitana prae sui ingenii dexteritate in rebus philosophicis, theologicis et in verbo Dei disseminando.

(Idem lit. C.)

XCII. Inter observantes decessit vir doctus Franciscus Rasinus e Cercenasco Pedemontanae regionis oppido, ab anno MDC. episcopus Niciensis ad Varum. Ughel tom. 4. *Italiae Sacrae* col. 1116. et alii eius obitum signant ad annum MDCXXII. Verum ex elogio apposito in sacello corporis Christi ab eo erecto novimus, illum occubuisse anno MDCXX. *In episcopatu*, inquiunt Sammarthani, *vitam egit innocentissimam, in pauperes largus fuit et maximo animarum zelo flagravit. Assiduus fuit in dioecesis visitatione, ecclesiarum cultum et morum reformationem pro viribus procuravit, Deique verbum constantissime praedicavit.* Edidit *statuta synodalia dioecesis Niciensis et catalogum episcoporum Niciensis*, Niciae per Castellum typis commissum; in eo tamen multa desiderari praesulum Niciensium nomina scribunt iidem Sammarthani.

(Sbaral. lit. F. Annal. min. ad an. 1600. n. 140.)

(Gallia christ. tom. III. p. 1293.)

XCIII. Caelestia petivit et inter eos pius ac doctus Franciscus Gonzaga, natus anno MDXLVI. in oppido Gazoli, dioecesis Cremonensis, parentibus Carolo Gonzaga dynasta, sacri romani imperii principe, et Aemilia, Francisci Gonzagae filia, de quo multa diximus in commentariis nostris. Anno aetatis suae XVII. solemnem emisit professionem. Compluti in coenobio s. Mariae de Iesu et confecto studiorum curriculo sacerdotalique dignitate initiatus, in Italiam adveniens, praeses s. Antonii. Venetiarum provinciae inauguratur. Cum autem sanctitate, litteris ac eximia in rebus agendis dexteritate polleret, anno aetatis vix XXX. absoluto, communi patrum voto Parisiis anno MDLXXIX. supremam ordinis dignitatem obtinuit, prosequutusque est integro sexennio omni cum laude.

(Annal. min. ad an. 1579. n. 1. et seqq. 1580. n. 5. et 6. 1581. n. 30. 31. 50. 1582. n. 26. 40. 46. 70. 1584. n. 1.)

XCIV. Silentio haud praetereundum est quod ei evenit in visitando coenobio s. Francisci prope oppidum Graecii, Reatinae dioecesis in provincia Romana. Factum variorum testimonio ita narrat p. Dominicus de Gubernatis. "In pauperrimo Graecii vel conventu vel tugurio, in quo s. p. Franciscus celebrem illam de Iesu pueri nativitate solemnitatem celebravit, memorabile quoddam ei in ministri generalis totius ordinis franciscani securitatem et gloriam ac Gonzagae ipsius honorem praegrandem omnino non silendum evenisse legimus. Igitur duabus circiter horis ante Gonzagae generalis adventum intravit quidam minorita, tanquam a generali praemissus, qui patrem guardianum fratresque ceteros de agendis omnibus mi-

(De Gubernatis tom. 1. p. 237.)

nutim erudiens atque necessaria e sacristia producens, quatenus generalem pro officii dignitate possent excipere, superpelliceos, crucem ceteraque sacerdotalia indumenta distribuens, extra conventum velut magister caeremoniarum fratrum processionem eduxit. Ut ad generalem venerunt, genuflexi omnes, elevata cruce, iuvene ignoto praecinente tota dulcedine, cantaverunt unanimi concentu antiphonam illam *Salve sancte Pater* etc. Porrecta exinde per guardianum sacerdotalibus indutum cruce patri generali ad osculandum, processionaliter inde revertentes ad ecclesiam, hymnum *Te Deum laudamus* alte et solemniter decantarunt. Sed iuvene illo ignoto omnibus semper in admirationem facto, qui in caeremoniis ac in ceteris secundum ordinis constitutiones agendis, omnibus longe antecellens, omnibus aderat in adiutorio; generalis praesertim pia quadam teneritudine interius commotus, ipsum omnino quis esset cognoscere cupiens; dum eum in refectorio cum ceteris non adesse conspexit, guardianum loci super illum interpellavit: qui respondit, eum sibi penitus fuisse ignotum, et quasi unum de comitatu ipsius generalis exceptum „.

XCV. “Rem Gonzaga tacitus suppressit; sed continua cordis anxietate revolvens fratribusque ad quietem dimissis, ipse solus ecclesiam ingressus ad matutinas usque laudes in orationibus, lacrymis et gravi disciplina pernoctans, Deum humiliter exoravit, ut gratiam hanc sibi completius explicare dignaretur. Comparuit tandem in oratione lacrymanti sanctus patriarcha Franciscus successori suo, sed caelesti luce perfusus et declarans, sibi mirum in modum placuisse, quod generalis totius ordinis pauperculum sibique dilectissimum locum, quod plurimi ex praedecessoribus non fecerant, sua praesentia illustrasset: qua de causa, Deo annuente, tali modo in honorem accurrerit „.

XCVI. “Mane facto, Gonzaga missam celebraturus, ad expiandam primo de more suo conscientiam senem quendam de ipso conventu confessarium evocans, hanc ei sancti Patris gratiam revelavit; de reliquo cum nullo hominum de hoc locutus, statim ac aliquis super his verba faceret, suspirans vel lacrymans sermonem alio divertebat „. Facti memoriam litteris consignarunt Franciscus de Trivillo in mss. historiae provinciae Mediolanensis, Hippolytus Donesmondi in eius vita aliique.

XCVII. Absoluto totius ordinis regimine, ad humile s. Sebastiani coenobium in castro s. Martini ab Aggere, dioecesis Cremonensis, in provincia s. Antonii Venetiarum a germanis suis erectum se recepit, ut divinis rebus unice vacaret. Novum ibi tyrocinium quodammodo aggressus, die ac nocte precibus vacabat, flagellis corpus caedebat, ac super nudam tabulam brevi somno indulgebat. Humilitatis spiritu ductus, panem ostiatim emendicabat, coenobium verrebat, et coquinae utensilia abstergebat. Summa interim caritate et alacritate infirmorum fratrum curam gerebat.

XCVIII. Cum haec tanto animi sui solatio ac tranquillitate praestaret, anno MDLXXXVII. ad Cephaludensem ecclesiam moderandam destinatur. Oblatae dignitatis nuntium moerens accepit; verum ne divinae voluntati refragari videretur, summi pontificis votis licet invitus cessit. Eo tamen in munere singulas sui instituti austeritates retinuit ac prosequutus est usque ad obitum. Igitur ad suam ecclesiam adveniens, optimi pastoris munia sollicite explere studuit. Synodum dioecesanam quolibet anno, simulque suae dioecesis visitationem pro cleri ac christifidelium reformatione habere voluit. Iis autem absolutis, simul cum canonicorum senatu praesto erat in choro ad divinas laudes persolvendas, christifidelibus sacramenta ministrabat, infirmorum curam gerebat ac egenis propriis manibus largas eleemosynas erogabat. Interim canonicorum numerum auxit, principem ecclesiam aedemque episcopalem ampliavit et exornavit. Clericorum seminarium de novo omnium primus in Sicilia erexit, fratrum conventualium, praedicatorum, carmelitarum, capucinorum ac monialium ordinis s. Benedicti domicilia adauxit, et minorum de observantia coenobium camet in urbe fundavit.

Annal. min. ad an. 1587. n. 211.

Annal. min. ad an. 1589. n. 48.

XCIX. Anno MDXCIII. defuncto Alexandro Saulio, Papiensi episcopo, ad hanc ecclesiam translatus est hoc eodem anno Franciscus. Verum cum hoc tempore suo viduata esset pastore etiam Mantuana ecclesia, istius urbis dynasta cum a pontifice expostulavit, ut ad hanc regendam ecclesiam destinaret, quod et benevole cessit summus pontifex Clemens VIII., aegre id ferentibus Papiensis urbis optimatibus. Inter omnium ordinum gaudia Mantuae exceptus manus illico admovit ad instaurandam pietatem, deviosque ed rectam vivendi normam ea qua praeditus erat eximia comitate adducendos. Clericorum seminarium et ibidem instruxit, et aedes pro sacris virginibus perditisque mulieribus aere proprio fundavit. Singulo quoque anno et gregem sibi commissum visitabat, et synodum dioecesanam cogebat. Evangelicae paupertatis dives, haereditariam partem ex testamento patrui ac duorum suorum germanorum sibi debitam admittere noluit, praeter quandam denariorum summam, quam in pauperes erogavit. In oppido Ossiani, montem quem vocant pietatis et instituit.

Ibid. ad an. 1593. n. 69.

C. Ad tantam suae sanctitatis, prudentiae ac in rebus agendis dexteritatis opinionem devenerat, ut romanis pontificibus ac regibus carus acceptusque et ad quaedam difficilia negotia explenda ab eis missus fuerit. Eo enim usus est Clemens VIII. ut apostolico nuntio ad pacis foedus ineundum inter Henricum IV. Galliarum et Philippum II. Hispaniarum reges; qui quidem una cum Bonaventura Secusio, totius ordinis supremo moderatore, et cardinali Alexandro de Medicis, summi pontificis legato, ita egit, ut eos ad concordiam revocaret.

Ibid. ad an. 1596. n. 15 ad an. 1597. n. 4.

CI. Quaedam alia eidem etiam commisit pontifex. Eius voluntate praesedit comitio generali fratrum carmelitarum coacto in

Mazzara tom. III. p. 227.

coenobio vulgo *la Galeazza* prope Mirandulam ac subinde altero eiusdem instituti Mantuae habito. Causam interim cognovit canonicorum ac monachorum ordinis s. Benedicti, Rhegii Lepidi in Aemilia, circa corpora ss. Prosperi, illius urbis episcopi, ac Venantii monachi eiusdem instituti, quorum exuviae ambo in propria ecclesia sibi habere gloriabantur. Hinc ad haec dissidia removenda, illas s. Venantii ad propriam ecclesiam et similiter s. Vincentii reliquias ad eiusdem nominis ecclesiam de nocte transtulit. Ita compositum fuit dissidium multis abhinc annis inchoatum. Prae sui autem humilitate adduci non potuit, ut pro quibusdam explendis negotiis in Germaniam se conferret, ut legati munus summi pontificis nomine apud imperatorem obiret.

CII. Iis igitur licet distentus curis assiduis, tamen sanctis operibus operam dabat. Postquam autem Mantuanam ecclesiam per annos XXVII sanctissime rexisset, meritis cumulatus di XI. Martii anno aetatis suae LXXIV. vitam commutavit cum morte, tumulum nactus in sepulcro sibi parato, inter omnium ordinum luctum, in sua cathedrali ecclesia, hoc inciso monumento in nigro marmore: Fr. Franciscus Gonzaga ordinis minorum s. Francisci de observantia generalis ministerio annos octo perfunctus, Cephaludensis, inde Ticinensis et demum Mantuanus episcopus, mortis memor, ne clerus et populus ipsius sit immemor, medium inter utrumque sibi vivens hic locum elegit. Orate pro eo. Obiit aetatis suae LXXIV. Domini vero MDCXX.

CIII. Vix defunctus, typis incisa fuit eius imago, hisce verbis in ea appositis: *Sibi nihil, omnibus omnia: dispersit, dedit pauperibus.* Ut autem viri Dei occasus innotuit Paulo V. pontifici, epistolam dedit doloris plenam ad dynastam Bozzoli Scipionem, nepotem eiusdem Francisci, qua eius sanctitatem mire commendat.

CIV. Aliqua ad eius tumulum evenisse signa tradunt. Ea autem in causa fuerunt, ut acta agerentur in curia romana pro viri Dei canonizatione, quae anno MDCXXVI. prelo Dominici Roncalioli Neapoli vulgata fuerunt. Laudabilia sui ingenii monumenta ad posteros transmisit. Ad totius ordinis supremam praefecturam assumptus, scripsit *epistolam ad universos ordinis superiores de pace et unione conservanda.* Annal. min. ad an. 1579. n. 21. Anno MDLXXX. Romae typis H. H. Antonii Blandii vulgavit *regulam s. Francisci cum declarationibus et aliis* a se collectis. Parisiis per Michaelem Somnium anno MDLXXXII. eius iussu collectus prodiit *manipulus fratrum minorum.* Iussit etiam, ut ederetur *catechismus fratrum minorum*, in quo agitur de potestate tradita singulis seraphici instituti professoribus. Forte id opus idem est ac *manipulus fratrum minorum.* Pisauri eodem anno prelo Ioannis Concordiae una cum aliis multis *actis capitularibus* prodiit eius *epistola encyclica ministris commissariis* etc. data Romae hoc anno sub die XIX. Martii. Ex coenobio Florentino sub die XXVII. Aprilis eiusdem anni misit quasdam constitutiones ad moniales clarissas et sorores de tertio ordine, italice scriptas. Nos ad annum MDLXXXIII. vulgavimus *statuta generalia* Annal. min. ad an. 1582. n. 40. 70. 1583. n. 14. 1587. n. 32.

Barcinonensia ab eomet revocata *ad sacri concilii Tridentini canones* et a patribus recepta in congregatione Toleti habita. Postremo Romae anno MDLXXXVII. edidit opus *de origine seraphicae religionis.*

Wadd. et Sbaral. lit. F. CV. Factus episcopus sequentia scripsit nimirum *libros de doctrina christiana*, quos typis mandavit et subditis suis gratis distribuit. Ad suam dioecesim Mantuanam misit *epistolam pastoralem* Lutetiae excusam, dum munus legati agebat apud Henricum IV. Galliarum regem. Curavit etiam, ut italice redderetur *speculum disciplinae* seraphici doctoris. Composuit *officia de ss. quorum festum celebrat ecclesia Mantuana* et ea adprobari curavit a s. rituum congregatione. Interim scripsit *instructionem pro sacerdotibus suae dioecesis*, *tractatum de tribus votis essentialibus ad moniales suae civitatis et constitutiones societatis pauperum.* Haec cum *libro de fundatione suae ecclesiae, privilegiis, synodis* etc., quem describi fecerat, Mantuae typis commisit una cum *pastoralibus suis.* Anno MDXCIX. prelo Francisci Osannae prodierunt Mantuae eius *considerationes spirituales ad sacerdotes et parochos suae dioecesis Mantuanae.* Edidit etiam *constitutiones synodales pro sua Mantuana ecclesia dioecesique.*

Greiderer tom. II. p. 173. 215. Sbaral. lit. T. CVI. Augustae Vindelicorum decessit die XXIII. Septembris vir pius et doctus Tobias Hendschelius Landishutanus, Bavarus, fratribus observantibus adscriptus in provincia Argentinensi. Custos provinciae Tyrolensis minister renuntiatus, non multo post Viennense coenobium sacram theologiam moralem docturus advenit, ubi solitariam et inculpatam vitam duxit. Multa opera e latino in linguam teutonicam transtulit, nimirum *vetus et novum testamentum sixtinorum bibliorum; de quatuor novissimis* a Gabriele Inchino canonico lateranensi italico idiomate compositis; *librum Scipionis Amati i. u. d. romani de conversione regni Voxui in Iaponia per p. Ludovicum Sotelum franciscanum procurata.* Huic operi vulgato anno MDCXVII. Ingolstadii adiecit *libellum de dignitate religionis seraphicae.* Postremo transtulit librum et eadem in urbe typis mandavit a p. Ioanne de Carthagena compositum *in canticum beatae Mariae virginis.* Ipse autem Tobias scripsit *libellum de indulgentiis et privilegiis confraternitatis Matris dolorosae,* Suazi apud franciscanos erectae, et laudato anno et eadem in urbe vulgavit.

Wadd. et Sbaral. lit. M. CVII. Postremus commemorandus venit cl. Marius a Calasio, qui et hoc anno occubuit in conventu Aracaelitano de Urbe. Eius vitae synopsis habetur in priori volumine suae *concordantiae sacrorum bibliorum hebraicorum*, anno MDCXXI. Romae typis commissae, Gregorio XV. summo pontifici nuncupatae. Nos tanti viri acta, prout sunt, exscribimus et vulgamus.

CVIII. " Marius a Calasio ita cognominatus ab oppido nativo, quod inter Samnitum montana non longe *(idest XV milliaria)* distat ab Aquila civitate... humili sed honesto genere satus, adolescens divi Francisci *(observantium)* instituto nomen dedit. Expletis non sine fructu tyrociniis, artium liberaliorum et theologiae curriculis, addi-

scendae linguae hebraicae eiusque percipiendis et custodiendis mysteriis totus incubuit. Tantos in hoc studii genere fecit profectus, ut eum generalem in Urbe sacri idiomatis magistrum instituerit doctorisque privilegiis et titulo sui sodalitii viris inassueto et pene interdicto decoraverit fel. mem. Paulus V., bonarum litterarum optimus parens. Cuius rei honorificum exstat vestigium in bibliotheca vaticana ex ea parte, quae noviter adiuncta est Sixtinae, in qua inter cetera tanti pontificis egregia monumenta, illud penicillo et litteris exprimitur, quod Marium tum ex nostra familia aliosque tum praedicatorii ordinis, tum alterius generis doctos hebraei idiomatis in Urbe creaverit et foverit professores „.

CIX. " Multos habuit hic *(in Urbe)* et diversis provinciis advenientes discipulos in aede divi Petri in Monteaureo, quam aliquando rexit, et postea in Aracaelitana. Eo totum eius tendere desiderium et propendere videbatur affectus, ut uberior et frequentior fieret huius linguae notitia, quam ille pleniorem, quam familiari sermone explicare poterat, continuo quadraginta et plurium annorum labore adeptus est. Tempus nullum nec quod in fratrum triclinio necessariae refectioni supererat, absque lectione praetermittebat, nec absque codiculo hebraeo in populum vel in campos exibat. Facilem habuit accessum ad Paulum V., cui in minoribus familiaris et a confessionibus. Ipso sui obitus die longiorem cum eo protraxit sermonem de his operibus cudendis, quae ut auctore superstite in lucem prodirent, pontifex maxime desiderabat, sed post viri obitum accurate edi praecepit. Humilem et ad sui instituti normam, pauperem semper vitam egit, semper etiam serius in studiis. Obiit septuagenarius et ultra ex rupto apostemate, psalmos cantans hebraice, audita Salvatoris passione expletisque et praemissis cunctis christiani hominis officiis IX. calendas Februarii MDXX „.

CX. Eius laudes hebraicis carminibus ac syriacis contexit Franciscus Donati, ordinis praedicatorum, suosque labores commendant Michael Angelus a s. Romulo, Lucas Waddingus, minoritae aliique permulti. Scripsit etiam *grammaticam doctam ad hebraicam linguam addiscendam, et dictionarium hebraicum.*

CXI. Alii ex eodem instituto litteris ordinem illustrabant. Alexander Albertinus a Rocca Contrada, Picenus, Romae edidit opus pro liberandis obsessis, cui titulum imposuit *malleus daemonum*, sive *quatuor experimentatissimi exorcismi ex evangeliis collecti.* Sacra indicis congregatio sub die IV. alias XXII. Martii opus prohibuit. Bonaventura Hossaeus Hibernus, restitutae provinciae Angliae definitor et collegii Anglo-Duacensis guardianus, patrio idiomate *carmen* luculentum scripsit, quo ecclesiam romano-catholicam solam veram esse clare tuetur, eoque pseudo-archiepiscopum Cassenensem Magrarth, olim minoritam, ad catholicam fidem forte hoc anno revocavit. Caesaraugustae typis Petri Cabarte Franciscus de Torres hispanus, provinciae Aragoniae, vulgavit patrio idiomate *consolationes devotorum immaculatae conceptio-*

Wadd. et Sbaral. lit. A.

Iidem lit. B.

Iidem lit. F.

Iidem lit. G. *nis Deiparae virginis.* Guilielmus Spoeltergius Bruxellensis, ex provincia Germaniae Inferioris, Antuerpiae edidit *catholicam instructionem contra catechismum Philippi Marnixii Domini de s. Aldegonda, Antuer-*
Iidem lit. H. *piensium olim consulis.* Item Antuerpiae hoc tempore Henricus Sedulius, eiusdem provinciae typis mandavit *elogia in ss. imagines, qui ex*
Iidem. lit. I. *tribus ordinibus s. Francisci relati sunt inter divos.* Ioannes Boucher Gallus Parisiis prelo commisit opus *de magnificentiis divinis Virgini factis in montana Iudeae.* Opus idem est ac illud notatum a Waddingo,
Iidem lit. ead. et lit. H. cui titulus *sermones in canticum b. Virginis.* Ioannes de Carthagena hispanus, provinciae Conceptionis, Antuerpiae edidit opus *de ortu, progressu et viris illustribus ordinis Montis Carmeli.* Id opus ex latino hispanice reddidit Hieronymus Pancorus, item hispanus, Hispali anno
Sbaral. lit. P. MDCXXIII. impressum. Philippus Boscherius Belga aetatis suae anno LVIII. Duaci vulgavit opus latine scriptum, cui titulus *quinta*
Wadd. lit. A. *naufragii tabula*, sive *sobria ientacula Christi et Samaritanae.* Angelus Caelestinus, provinciae Principatus, Venetiis prelo commisit tomum IV. suorum operum, qui ita incipit *Auster caelestis*, ubi dulces uti-
Wadd. et Sbaral. lit. B. lesque fructus et flores orationis explicat. Balthassar de Victoria Salmanticensis, provinciae s. Iacobi, hispanice scripsit *theatrum Deorum gentilium* duobus tomis partitum. Primus Salmanticae apud Antonium Ramirez hoc anno prodiit, postremus prelo Didaci de Cussio vulgatus fuit anno MDCXXIII. Scripsit etiam opus rhetoricum *emblematum* LIX, quod mss. exstabat penes fr. Iacobum de Castro.

CXII. Alii etiam viri docti hoc tempore florebant inter eos. Ma-
Wadd. lit. D. triti prelo Didaci Flamenci prodiit opus a Bartholomaeo Guerrero, provinciae s. Michaelis, scriptum *de controversia immaculatae conceptio-*
Idem lit. ead. *nis virginis Mariae.* Benedictus Cinquanta Mediolanensis edidit Mediolani a se compositum *epulonem divitem.* Sylvae ducis apud Ioannem
Idem lit. C. Scheffer Cornelius Thielmanus Bruxellensis, provinciae Germaniae Inferioris, prelo commisit *compendium ss. ordinis s. Francisci cum eorum*
Idem lit. H. *imaginibus aeri incisis, et martyrii Gorcomiensium fratrum.* Hugo Carbonellus Gallus, provinciae Aquitaniae, latine scripsit et Parisiis vulgavit *commentaria in psalmum XIX.: Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, commentaria in libros Scoti *de anima*, sermones *in evangelia*
Idem lit. ead. *quadragesimalia* et alia opuscula. Hugo Cavellus, hibernus Dunensis, vir valde pius et doctus, provinciae s. Iacobi, unus ex primis fundatoribus collegii s. Antonii Lovaniensis, licet distentus curis, summo omnium plausu scripsit et edidit Scoti *commentarios in quatuor libros sententiarum*, a se recognitos magno labore ac industria. Eisdem commentariis *vitam Scoti* praemisit, *apologiam pro eodem vindicando ab iniuriis allatis per Abrahamum Bzovium, et appendicem diffusam ad quaestionem primam distinctionis tertiae libri tertii, positam in calce eiusdem libri pro asserenda immaculata conceptione virginis Mariae.* Cuncta hoc anno Antuerpiae prelo Ioannis Keerbergii prodierunt. Bri-
Idem lit. I. xiae Ioannes Perottau gallus edidit opus *de cultu et laudibus nominis*
Idem lit. ead. *Mariae liber unus.* Ioannes de Turribus, provinciae Castellae, scripsit

ediditque Caesaraugustae librum hoc titulo *consueto de los devotos de la Concepcion de la Vergen santa Senora nuestra.* Venetiis Octavianus Idem lit. O. Spatavius ab Incisa, Hetruscus, vulgavit *methodum de modo corrigendi regulares.* Ioannes Baptista Canotus sive Cavotus de Melphia, provin- Idem lit. I. ciae Romanae, edidit Romae *lectiones in caput I. epistolae s. Iacobi.* Tandem N. Negroni Goënsis Indus, sanctitate vitae et doctrinae com- Sbaral. lit. N. mendatus, septem voluminibus Ulyssipone prelo mandavit *historiam primorum fratrum, qui Indorum regionem sub Lusitanis ad fidem Christi perduxerunt.*

CXIII. Paschalis de Torrellas Hispanus, provinciae s. Gregorii fra- Sbaral. lit. P. trum discalceatorum, descripsit accurate *historiam venerab. martyrum Molucensium fr. Sebastiani a s. Ioseph et fr. Antonii a s. Anna, provinciae s. Pauli eiusdem instituti.* Romae hoc anno idem auctor typis commisit *eorundem martyrum miracula una cum iconibus.* Antonius Fer- Idem lit. A. rer, forsan ex familia s. Vincentii Ferrerii, Valentinus, provinciae s. Ioannis Baptistae eorundem fratrum, vir eximiae sanctitatis et doctrinae, scripsit et vulgavit Oriolae *artem cognoscendi Iesum Christum eique placendi.* Nicolaus Albaspina, Gallus recollectus, edidit patria Wadd. lit. N. lingua Tolosae apud viduam Iacobi Coloniers *artem ad intelligendam et practicandam s. Francisci regulam.* Anonyma Granatensis hispana, Sbaral. lit. A. incola monasterii capucinarum eiusdem urbis, vernacule scripsit opus religiosis valde utile hoc titulo *convento espiritual.*

CXIV. Capucini fratres hoc tempore et habuere praestanti doctrina viros. Daniel a s. Severo, provinciae Aquitaniae, latine scripsit Wadd. et Sbaral. lit. D. et Tolosae typis Colomiez vulgavit *acta disputationis Bearnensis contra ministrum Carolum.* Epiphanius Lindsday, Scotus genere, pietate ac Sbaral. lit. E. litteris clarus, saepe cum haereticis conflixit eosque disputationibus suis convicit. Quas autem habuit cum eis hoc anno, scripsit hoc titulo *controversias de fide.* Maceratae apud Petrum Salvionum Flami- Idem lit. F. minius de Grittis Italus, vir innocens et concionator eximius, edidit vulgari sermone *pias meditationes* sive *praeparationes ad sancte moriendum.* Franciscus a Rodrasem, Polonus, missionarius apostolicus in Wadd. et Sbaral. lit. ead. Bohemia, latine composuit et vulgavit Raudonici *tractatus de quibusdam controversiis, sive responsiones ad septuaginta obiectiones ab haereticis confictas.* Eos subinde auctor transtulit in idioma theutonicum. Fran- Sbaral. lit. ead. ciscus a s. Severino, provinciae Neapolitanae minister, italice vulgavit Neapoli typis Hiacynthi Passeri *vitam v. fr. Ieremiae Valachi eiusdem instituti sanctimoniae fama illustris.* Ioannes Maria Hieracensis Siculus, Idem lit. I. philosophia ac theologia instructus, italice nomine fratris sui Philippi Placiensis Messanae apud Petrum Bream edidit opus mysticum, hoc titulo *currus Eliae.* Sequentia etiam post sui mortem mss. reliquit nimirum *opuscula ascetica et disputationes varias theologiae scholasticae et moralis.* Thomas Taurensis, summus verbi Dei praeco, edidit Bono- Idem lit. T. niae *conciones aliquot de Sanctis, habitas Bononiae in ecclesia.* Basilius Wadd. lit. B. Lugdunensis Lugduni prelo commisit *praxim veri servi Dei, praeclara ad bene et christiane vivendum documenta suppeditantem, et preces et hu-*

Idem lit. G. *milem ad Deum et Sanctos recursum tempore pestis grassantis.* Gratianus Monfortius, provincialis Burgundiae, apud s. Michaelem in Lotharingia typis Francisci du Bois vulgavit librum controversiarum ita inscriptum: *tarantula simiae Genuensis contra Christophorum Guenard apostatam* Idem lit. M. *haereticum.* Marcellinus de Ponte Bavvesino Allobrox, acerrimus haereticorum insectator, gallice edidit Lugduni prelo Ludovici Muguet *fallacias ministrorum et falsitatem* religionis calvinistae, simul veritatem catholicam a domino de Pasthee, nobili Delphinate, cognitam. Idem lit. I. Eadem in urbe typis Ioannis Lautret item vulgavit *sermones octo ab* Idem lit. T. *eo Lugduni habitos de ss. eucharistiae sacramento.* Franciscus Engolismensis, provinciae Parisiensis, Mariae Mediceae Galliarum reginae confessarius, edidit Lugduni *septem fontes meditationum super attributa* Idem lit. A. *divina.* Archangelus de Puy, provinciae Lugdunensis et Tolosanae commissarius, gallice edidit Lugduni apud Ludovicum Muguet *responsum solidissimum ad motiva conversionis cuiusdam Christophori Guenard Gallo-Sequani ad religionem calvinistarum.*

Sbaral. lit. L. CXV. Ex tertio saecularium ordine litteris florebat Lupus Felix Vega Hispanus, qui prelo Salvatoris Viader Conchae edidit *de passione Domini carmina assona XIV.* Matriti vero typis Alphonsi Martini vulgavit *philomenam una cum epistolis variis et apologo fortunarum Dianae* Wadd. et Sbaral. lit. T. *et decursionem poeticam pro beatificatione b. Isidori Agricolae.* Thomas de Albeinga sive Thomas de Veiga Lusitanus, Ulyssipone prelo Wadd. lit. V. misit *considerationes super dominicas post pentecosten.* Vincentius Mussart Parisiensis, primus pater et reformator tertii ordinis congregationis Gallicanae, gallice Parisiis vulgavit *regulam poenitentium tertii ordinis s. Francisci cum declarationibus summorum pontificum et expositionibus Dionysii carthusiani.*

Sbaral. lit. A. CXVI. Andreas Verna Venetus, ex minoritis conventualibus, latine Venetiis typis Ioannis Baptistae Guerilli edidit *biblicentones gratulatorii Ioannis Theupuli, patriarchae Venetiarum,* et italice ibidem edidit *dialogum sanguinis miraculosi et naturalis Iesu Christi.* Bartholomaeus Mastrius patre Mediolanensi, matre vero Ferrariensi, provinciae Bononiensis minister, circa hunc annum scripsit, Bononiae excu- Idem lit. M. sum, *poema heroicum in laudem s. Bonaventurae.* Matthaeus Ferchius Veglensis, provinciae s. Bonaventurae minister, Bononiae apud Sebastianum Bonosium lucem aspexit eius *apologia historica Scoti in Paulum Iovium Novocomensem.*

Annal. min. ad an. 1613. Benedictus XIV. de actis quinque ss. tom. 7. pag 19. CXVII. Apud Helveticos haereticorum salutem mire operabatur s. Fidelis a Sigmaringa capucinus. Iis quae de eo enarravimus, sequentia adiecimus ex compendio eius vitae, edito inter opera summi pontificis Benedicti XIV. Multa enim pro Christi fide mala ab haereticis forti animo sustinebat vir Dei; verum "voluntariis hisce frequentibusque veluti pugnis atque conflictibus exercebat sese athleta Christi fortissimus praeparabatque ad magnum illud periculosumque certamen, quod erat paulo post pro amplificanda religione catholica subiturus. Non multos ante annos Rhaetii, qui illam incolunt Alpium

partem, qua Germania ab Italia dividitur, ex nimia cum pagis helveticis vicinitate haereseos peste contracta, infeliciter tabescebat. Quin etiam cum iam prope esset, ut in vicinas catholicas valles penetraret, maxime verendum erat, ne ob assiduam cum illis populis consuetudinem et mercimoniorum commoditatem sensim omnem Cisalpinam Galliam labefactaret. Huic tam gravi morbo tantoque vitandi periculo, cum magno praesentique periculo opus esset, re diligenter a summis pontificibus Paulo V. et subinde Gregorio XV. considerata, statutum est, doctos aliquos religiososque viros in Rhaetiam esse mittendos, qui religionis zelo inflammati et evellerent et dissiparent et plantarent et aedificarent. Quoniam autem diuturno experimento compertum fuerit, capucinos, sicuti apostolicam vivendi formam adeo egregie et fideliter imitantur, ita omnium aptissimos esse apostolicis hisce muneribus obeundis, ii potissimum inter ceteros delecti sunt, quibus id muneris committeretur. Cum vero inter capucinos morum integritate, scientiarum splendore, vitae sanctimonia, prudentiae luce, linguarum peritia, religionis zelo unus Fidelis omnibus emineret, dubitandum diu non fuit, cui inter alios, tanquam duci, huiusmodi provinciam superiores ordinis demandarent „.

CXVIII. "Eam autem quam forti alacrique animo Fidelis susceperit, quam egregie praeconceptae de sua virtute opinioni responderit, norunt ii omnes, qui imperterrita quadam corporis animique constantia et diuturnos maximosque exantlantem labores viderunt, et certissima capitis pericula subeuntem; novit ecclesia, quae tot errantes miseros filios in viam salutis Fidelis opera revocatos in sinu suo laetissima excepit; norunt haeretici ipsi, qui cum Spiritui sancto per Fidelem loquenti resistere minime possent, egregium de eius sanctitate, zelo testimonium summa ipsius laude ferre coacti sunt. Et revera, ut pretiosissimo Christi sanguine redemptas animas lucrifaceret suumque ministerium impleret, non hyemales montium asperrimorum altissimae nives, non intentae ab haereticis minae, non fames, non nuditas, non sitis, non frigus, non persecutio, non gladius deterrere potuerunt. Imbre madidus, sudore perfusus, viribus destitutus montana quaelibet ardua conscendebat, loca omnia nivibus et glacie quantumvis obsita penetrabat, et in ipsis haereticorum templis catholicae fidei dogmata praedicare non verebatur „.

CXIX. "Inter haec vero ut propositum sibi finem facilius assequeretur et universam provinciam brevissimo tempore ab omni haereseos labe purgaret, in eo praecipuam operam duxerat collocandam, ut principes et nobilissimi regionis illius homines ad saniorem mentem, eiuratis erroribus, primo revocarentur; ut ii, qui apud haereticos praedicantes vocantur, supremo edicto principis ab universa Rhaetia exulare iuberentur; ut omnino bis in hebdomada adesse catholicis dogmatibus explicandis audiendisque concionibus cogerentur. Quae omnia cum ipsi feliciter contigissent, stratam sibi gaudebat sanctissimus vir amplissimam viam ad victoriam certissime consequendam.

Neque spe sua frustratus est; licet enim eam inde victoriam non omnino fuerit consecutus, quam animo reputabat, triumphum tamen inde in semetipso retulit singularem. Inde scilicet factum est, ut scelestissimi quidam inter haereticos pertinacissimi, cum de rebus suis diffiderent, si diutius Fidelis viveret, furore in sanctissimum virum amentes de ipso mactando nefarium consilium inirent atque executioni mandarent „.

Davila Teatro ecclesiastico tom. 2. pag. 68.

CXX. Ad ecclesiam Nazianzenam in partibus infidelium promotus est die XXVII. Ianuarii Carolus Weinberger; die XVII. Augusti Ludovicus Hieronymi de Ore ecclesiam s. Iacobi obtinuit Civitatis Imperialis in regione Chiliensi Indiarum occidentalium; die XV. Novembris Gregorius Petrocha fit episcopus Aquensis sub archiepiscopatu Mediolanensi; die XIV. Decembris Ferdinandus de Campo delectus est episcopus Ussellensis in Sardinia et coadiutor cum futura successione episcopi Baracensis in Peruviano regno. Franciscus Velasquez in historia mss. provinciae Angelorum tradit, ad episcopatum Chilensem urbis s. Iacobi promotum fuisse Petrum Cabezudo, illius provinciae sodalem. Hi singuli spectant ad minoritas de observantia. Munus inquisitoris generalis contra haereticam pravitatem pro urbe Senensi consequutus est Vincentius Baldi a Perusio, minorita conventualis.

CXXI. Quaedam statuit summus pontifex. Iubet superioribus regularibus civitatis et dioecesis s. Fidei, ne mittant suos subditos ex defectu scientiae reprobatos ad alios episcopos pro sacris ordinibus recipiendis: *Cum sicut*, die XVII. Iulii; quaedam statuit pro fratribus capucinis et sodalibus tertii ordinis congregationis Gallicanae: *Ex iniuncto*, die XIV. Aprilis; confirmat capitulum provinciale fratrum discalceatorum provinciae s. Iosephi, et aliqua statuit pro felici illius provinciae regimine: *Romanus pontifex*, die VIII. Februarii; interdicit extractionem sacrarum reliquiarum ab ecclesia coenobii oppidi de Cadafalso: *Conservationi*, die X. Iulii; interdicit extractionem librorum e bibliotheca s. Francisci observantium Miranden. erecta a Paschalo de Frias, parocho ecclesiae loci de Carrasedo de Monte Nigro, dioecesis Miranden.: *Cum sicut*, die XIII. Februarii; iubet, ne amoveatur Balthasar de Angelis ab officio confessarii in monasterio discalceatorum oppidi Matriti, Toletanae dioecesis: *Cum sicut*, die V. Decembris; iubet, ne denuo assumantur in custodes reformatorum, qui munus suum per triennium mox expleverunt: *In supremo*, die XII. Septembris; committit Ascanio patriarchae Constantinopolitano, ut fratres reformati conventus Viennae recipiant summam novem millium florenorum eis relictam a Ioanne Balthasare de Hoyos, sacrae caesareae maiestatis consiliario, pro fabrica coenobii perficienda: *Exponi nobis*, die XI. Ianuarii; committit archiepiscopo Rothomagensi, ut moniales tertii ordinis oppidi Gisortii, subiectae ministro provinciae observantium, transeant ad regimen ministri provinciae s. Dionysii: *Cum sicut*, die XXVIII. Ianuarii; confirmat cessionem ecclesiae s.

Mariae de Oliva prope civitatem Imolae largitam sodalibus ss. stigmatum s. Francisci a Ferdinando illius urbis episcopo: *Exponi nobis*, die IV. Maii; confirmat mandatum Pauli papae III. qui statuerat, ut moniales monasterii s. Clarae oppidi de Castellione, Dertusen. dioecesis, subiiciantur ministro provinciae observantium: *Exponi nobis*, die XX. Septembris; instituit ministrum provinciae Austriae Antonium Fabritium minoritam de observantia: *Religionis zelus*, die VI. Iunii; indulget, ut Bernardinus de Moncalvo, vicarius generalis ordinis, in absentia generalis ministri etiam fratribus reformatis praesideat: *Cupientes*, die XX. Iunii; indulget, ut fratres conventuales, conventus s. Francisci oppidi Trappani Mallecariensis dioecesis novum oratorium s. Catharinae instruere valeant, veteri diruto: *Exponi nobis*, die XXII. Iunii; ut confratres archiconfraternitatis ...? de Urbe possint aggregare alias confraternitates, et iam aggregatas confirmat: *Complura*, die I. Novembris.

CXXII. Erigit confraternitatem s. Rochi in ecclesia eiusdem nominis in oppido Casalismaioris, dioecesis Cremonensis: *Cum sicut*, die XXIV. Octobris; confraternitatem b. Mariae fugientis in Aegyptum in ecclesia conventus observantium oppidi Sicli, dioecesis Syracusanae: *Cum sicut*, die XXIV. Octobris; confraternitatem Conceptionis in ecclesia eiusdem nominis oppidi de Maxagata, Limacensis dioecesis: *Cum sicut*, die XI. Aprilis; confraternitatem nominis Iesu in ecclesia conventualium Eboli, dioecesis Salernitanae: *Cum sicut*, die IX. Ianuarii; confraternitatem Conceptionis in ecclesia fratrum praedicatorum s. Mariae Regalis de Nilva Segobien.: *Cum sicut*, die XV. Februarii.

CXXIII. Sequentia diplomata ex Petro de Alva notamus. Pro monasterio monialium capucinarum Novarien.: *Debitum pastoralis*, III. idus Octobris; erectio monasterii s. Clarae de Roman. Viennen.: *Debitum pastoralis*, III. idus Octobris; pro monialibus domus Romutae Neapolitan.: *Ex iniuncto*, XVII. calendas Iulii; beneficium Conceptionis in ecclesia s. Ioannis del Mercado Valentin.: *Dignum*, X. calendas Iulii; simplex beneficium ad altare Conceptionis eiusdem ecclesiae: *Vitae ac morum*, X. calendas Iulii; capellania ad altare Conceptionis in ecclesia s. Flaviani Iuliae Novae Aprutin.: *Dignum*, VI. calendas Februarii; pro coenobio fratrum conventualium civitatis Cuman.: *Ex iniuncto*, nonis Iulii.

CXXIV. Datis litteris sub die VIII. Septembris indulget pontifex Hectori de Sella Falcao equiti Lusitano, ut corpus s. Caii pontificis in coemeterio Callixti in via Appia de Urbe ab anno CCXCVI. tumulatum, in Lusitaniam transferret. Impense colitur in ecclesia clarissarum s. Alorsi episcopi Iuliae Pacis, quibus idem Hector donavit; eius memoria solemniter celebratur die XXII. Aprilis. Agiol. Lusit. ad diem 22 Septembris.

CXXV. Corpus b. Iacobi Tiphernatis anno MCCXCII. defuncti in coenobio eiusdem urbis sepositum sub altari maiori ecclesiae die XVII. Septembris in arca deaurata occlusum, illatum fuit ad saccel- Wadd. ad an. 1399. n. 12. Iacobilli lib. 1 tom. II.

lum marchionum Vitelli, ubi summa christifidelium frequentia et pietate honoratur, praesertim die I. Maii, quo illud integrum repertum fuit cum recentibus oculorum palpebris. Licet litteris instructus, maluerat tamen Deo in humili laicorum statu deservire. Praestans fuit in arte sculpturae; suggestum ecclesiae affabre elaboratum eius est opus.

Ciaconius tom. IV. col. 319.

CXXVI. In medio chori ecclesiae s. Petri in Ianiculo de Urbe tumulum accepit Dominicus Tuschus Rhegiensis s. r. ecclesiae cardinalis, defunctus die XXVI. Martii, cuius ecclesiae titulo insignitus fuerat a Clemente VIII. die XVII. Martii anno MDXCIX. Paulo post s. Onuphrii titulum obtinuit. In eius sepulcro haec pauca insculpta leguntur.

DOMINICI . CARDINALIS . TUSCHI . OSSA.

Idem ibid. col. 165.

CXXVII. Sacrarium ecclesiae Aracaelitanae de Urbe exuvias excepit Antonii Mariae Galli Auximatis, s. r. ecclesiae cardinalis, primo titulum adepti ecclesiae s. Agnetis in Agone, ac inde s. Praxedis. Obiit die XXX. Martii. In eius marmoreo sepulcrali lapide hoc obviat epitaphium:

ANT. . MARIAE . CARD. . GALLO . SACRI . COLLEGII . DECANO . PATRITIO . ET . EPISCOPO . AUXIMANO . ALMAE . DOMUS . LAURETANAE . PROTECTORI . PETRUS . STEPHANUS . GALLUS . EX . TESTAMENTO . HAERES . PATRUO . BENEMERENTI . POSUIT.

ARGUMENTUM.

Paulus V. summus pontifex decedit, cui succedit Gregorius XV. Item Philippus III. Hispaniarum rex occumbit, regiminisque clavum assumit eius filius Philippus IV. qui multa agit pro assequenda definitione mysterii Deiparae immaculatae. Minores observantes celebrant generalem ordinis congregationem. Erigitur custodia s. Catharinae v. et m. Fluminis Viridis. Discalceati et reformati fratres consequuntur a pontifice vicarium generalem. Domicilia pro utroque sexu parantur. Pii viri et sorores petunt caelestia, et quorundam venerabilium corpora elevantur. Viri docti inclarent, instituuntur episcopi et mandata pontificis exponuntur.

I. Eucharistico pane refectus sacroque oleo perlinitus, animam Deo reddidit XXIX. Ianuarii, Apostoli verba illa repetens: *cupio dissolvi et esse cum Christo*, Paulus papa V. romanus pontifex, annos numerans ferme LXX, regiminis sui XV, menses VIII, dies XIII. Corpus ad basilicam Vaticanam delatum, ibidem quievit usque ad diem sequentem. Qua die, comitante basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae canonicorum senatu aliisque de Urbe clericis, religiosis, collegiis et seminarii romani adolescentibus, translatum fuit ad basilicam s. Mariae Maioris in Exquiliis. Sequenti die XXXI. Ianuarii, adstantibus sacri collegii cardinalibus XXXV, praelatorum magno numero et civium innsitata frequentia, peracta fuerunt iusta super excelsam funeris molem. Novendialibus Pauli V. expletis, X. Februarii sanctae romanae ecclesiae cardinales in comitiorum loco coacti, sequenti die communi omnium voto salutarunt Alexandrum Ludovisi, Bononiae nobili genere natum, patriae suae archiepiscopum et cardinalem titulo s. Mariae Transpontinae, imposito sibi Gregorii XV. nomine. Ob ingenii sui praestantiam, in rebus agendis dexteritatem morumque integritatem summe commendatus.

Ciaconius tom. 4. col. 383

Idem ibid. col. 465.

II. Superna et petivit die XXXI. Martii pientissimus Philippus III. Hispaniarum rex, anno aetatis XLIII. regni XXIII. In eius solemni funere orationem habuit Alphonsus de Valdiviesso, minorita de observantia, Murciae hoc anno editam. Vitam duxit inculpatam; at cum impense ab adolescentia coluerit seraphicum parentem s. Franciscum Assisiensem, tertii poenitentium ordinis, ad se accito Benigno a Genua, supremo franciscalium moderatore, ante sui occasum vestem sibi donari ab eo postulavit. Plures fratrum et sororum aedes erexit, et eorundem coenobia perlustrans, cum fratribus sacra peragebat, benevole cum eis diversabatur; comitio generali Toleti anno MDCVI. habito interfuit, et in solemni fratrum per urbem supplicatione una cum eis incessit. Prae ceteris autem in eo emicuit summa pietas in Deiparam immaculatam, cuius studio solemnis legatio instructa fuit ad pontificem pro consequenda definitione eiusdem mysterii, franci-

Wadd. in legat. ad pont. pag. 432. Sbar. lit. A.

Spondanus tom. 2. ad hunc an. n. 3.

Annal. min. ad an. 1606. n. I.

scalium opera usus; quae licet non assequuta, ubique tamen gentium invaluit in eandem Virginem immaculatam affectus. Tanti principis iacturam moerens accepit pontifex, qui litteris datis Margaritae Austriacae, sanctimoniali clarissae degenti in monasterio Matritensi, commendans nuntium suum, Philippi regis virtutes mire depraedicavit.

Gregorius Papa XV.

Dilectae in Christo filiae salutem et apostolicam benedictionem.

In vita Margaritae ab Austria p. 279.

Negare sane non possumus, quin nobis adeo acerbus acciderit obitus carissimi in Christo filii nostri Philippi III. Hispan. regis, ut ex oculis nostris uberes lacrymas elicuerit; non enim cor nostrum lapideum, neque fortitudo aenea fortitudo nostra. Quis contendere audeat nobis maximam doloris causam obiectam non esse, eo principe moriente, quem christianae pietatis exemplar, pontificiae auctoritatis praesidium, atque italicae pacis munimentum fuisse, consentiens omnium populorum vox semper testabitur? Sed profecto non est cur ipsius causa magnopere doleamus, qui consolationes e caelo usque petitas usurpare christiani homines possumus. Is enim emori desiit ea die, qua mortem oppetiit; nam eam cum vivens continenter timuerit, tunc feliciter vicisse credendus est, cum e vita demigravit. Quidni? cum princeps tot veteris novique orbis provinciis imperitans, cuius imperio sol nunquam occidit, tunc demum triumphare sibi videretur, cum Christi, per quem reges regnant, passionem proprio animo circumferens, a mortali corpore poenas humanae fragilitatis pro saevitia repeteret. Haec dum commemoramus, in eius praesentem felicitatem oculos lacrymis suffusos adiicimus atque inde dolori nostro non modica profecto solatia quaerimus. Iam vero gaudeamus, ei successorem obtigisse non minus paternae pietatis, quam imperii haeredem, cuius potentiam spes est, ut absque dubio maximum totius Europae decus, ita praecipuum catholicae religionis praesidium fore. Hunc ei paterni animi nostri sensum non ita pridem apostolicis litteris significavimus; tamen, cum decere visum fuerit, ob id istuc apostolicum nuntium legare selegimus vener. fratrem Io. Stephanum archiepiscopum Thebanum, praesulem genere nobilem, virtutibus insignem, austriacae domui non solum subiectum, sed etiam sponte addictissimum. Ab eo litteras has nostras accipies, qui tibi nostro nomine apostolicam benedictionem impertiens, paternam caritatem, qua te regia nobilitate in terris clarissimam, christiana vero pietate caelo maxime gratam, in visceribus Iesu Christi peramanter complectimur, significabit. Ei ergo perinde ac nobis ipsis credes, cui si auctoritate qua polles, ubi usus venerit, suffragaberis, sedi apostolicae pietatem observantiamque tuam eo officii genere luculentissime declarabis.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVII. Octobris MDCXXI. pontif. anno I.

Ioannes Ciampolus.

III. Totius regni clavum parentis sui mox defuncti voluntate obtinuit eius filius primogenitus Philippus hoc nomine IV. XVI annos natus, quem salutari documento, scriptis sua manu notulis ad pietatem et regiminis iustitiam adhortantibus, moribundus instruxit. In adolescente rege in primis eximium ingenium et prudentia supra aetatem, sed prae ceteris singularis prorsus pietatis affectus in Deiparam immaculatam patuit, et hoc liquet ex litteris primo datis duci Alburquerquio, suo in Urbe oratori, qui sub die X. Martii parenti scripserat, modo expedire, ut studia suspenderentur circa propositam controversiam. Nam licet eius consilio acquiesceret Philippus, censuit tamen, id negotii pacatis rebus prosequendum, hac vulgata epistola. Wadd. in legat. p. 432.

Rex

Dux Alburquerqui consanguinee, mihi a consiliis et Romae legate.

Vidi tuas litteras datas X. Martii, quibus respondes ad ea, quae dominus meus et pater (cuius anima in gloria requiescat) tibi scripsit circa purissimam conceptionem dominae nostrae. Attamen, quamvis ego non minori ferar devotionis affectu in hoc sanctum mysterium, volui tibi intimare hic iudicari, quod modo expedit suspendere ulteriores diligentias et instantias in hac re. Interim, dum rerum status et conditio permiserit, stabitur ultimo et favorabili decreto sanctissimi d. Pauli V., dum turbatis rebus necessario efficacius adhibendum sit remedium, certior fies. Ibid. p. 434.
Matriti XII. Maii MDCXXI.

Ego Rex.
De mandato domini regis
Antonius de Arostegni.

IV. Alias etiam litteras sub die XX. Iunii dedit dux ad regem et ad Antonium de Arostegni, eiusdem regis a secretis, se nihil modo acturum dicens in hoc negotio absque novo regis praecepto. Spondet tamen se nihil omissurum, quod regi placeret, neque iudicaret se tepescentem in precibus et omnino desistentem ab ulteriori apud pontificem instantia pro consequenda deiparae conceptione. Hisce a rege auditis, sequens ad eum misit responsum. Ibid. p. 435.

Rex

Dux Alburquerqui consanguinee, mihi a consiliis et a legationibus romanis.

Percepi quae in tuis litteris XX. mensis Iulii respondes ad ea, quae statui circa suspendendam sollicitudinem in causa purissimae conceptionis sanctissimae virginis Mariae. Retulit etiam mihi Anto- Ibid p. 435.

nius de Arostegni, quae ipso eodem tempore circa eandem materiam ipsi scripsisti. Nihil vero occurrit, quod modo tibi praescribam, quam quod illorum, qui in Urbe huic muneri assistunt, diligentias seu sollicitudines non interrumpas aut praepedias, constitutam tamen in nuperribus meis litteris ipsemet observes. Quale tamen ego tibi praescripserim, si illi ad tuam in hac causa taciturnitatem explorare vel scire instanter cupierint, revelare poteris, meliori quo iudicaveris modo. Matriti III. Augusti MDCXXI.

Ego Rex.
Ex mandato domini regis
Antonius de Arostegni.

Ibid. p. 436. V. Ut Alburquerquius regis litteram accepit, monuit d. Augustinum Daza, canonicum et decanum ecclesiae Segobiensis, aliorum theologorum legationis socium in Urbe degentem, ut nullis laboribus parceret, eidemque in promovenda causa Deiparae immaculatae adiunctum voluit germanum fratrem Antonium Daza minoritam, nuper electum commissarium curiae romanae. Interim rex aliam ei misit epistolam, ut, nova interposita prece, quod erat in votis pontifici aperiret. En regis verba.

Rex

Dux Alburquerqui consanguinee, mihi a consiliis et a legationibus romanis.

Quantumvis statim, ut in horum regnorum dominatu successi meis progenitoribus, iussi tibi scribi quae accepisti circa purissimam conceptionem virginis Mariae, nihilominus, quia modo aliter res postulat, et quia singulari feror devotione in hoc sanctum mysterium, decrevi destinare suae sanctitati hanc quam mitto epistolam, cuius etiam exemplar ad te mitto. Eam praesens dabis ipse et conformiter ad ea quae scribo, loqueris suae beatitudini significabisque, quanto me afficiet consolatione et gaudio, si tandem hoc opus perfecerit, quod ex sanctis suis manibus me accepturum confido. Quidquid fiat, statim rescribe.
Matriti X. Novembris anno MDCXXI.

Ego Rex.
De mandato domini regis
Antonius de Arostegni.

Ibid. p. 437. VI. Iniunctum sibi a rege munus explevit apud pontificem, praemissisque de more erga eum officiis, sui principis nomine fervens exposuit desiderium pro definienda controversia immaculatae conceptionis Mariae, regis tradens epistolam.

Sanctissime Pater.

Horum Hispaniae regnorum reges, mei praedecessores, magno colebant affectu purissimam conceptionem dominae nostrae virginis Mariae, sed prae ceteris rex, pater et dominus meus, magno fervore eandem veneratus est. Instillata etiam mihi a progenitoribus pecu-liaris huius sacri mysterii et sanctae festivitatis devotio, quam vestrae sanctitati propalandam duxi, humiliter deprecans, ut in felici tuo pontificatu id curare digneris, ut exaltetur et extendatur in populo christiano haec pietas in virginem, iis appositis remediis, quae sancto tuo zelo, mirae eruditioni et rerum experientiae potius expedire et magis ad obsequium et honorem Dei et Domini nostri suaeque benedictae genitricis conducere videbuntur. Deus sanctam tuae beatitudinis personam custodiat incolumem.
Datum Matriti X. Novembris anni MDCXXI.

Sanctitatis Vestrae

Devotus admodum et humilis filius Philippus, Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae, utriusque Siciliae, Hierusalem, Portugalliae, Navarrae, Indiarum etc., qui sanctos tuos pedes et manus osculatur. Rex.

De mandato domini nostri regis
Antonius de Arosteoni Secretarius.

VII. Gratulatus pontifex adolescenti regi eximiam pietatem erga Deiparam immaculatam, oratori respondit, se etiam cogitaturum, quatenus piis devoti principis votis possit satisfieri. Regis precibus suas ad pontificem etiam addiderunt aulae principes, nimirum Isabella regina, Ferdinandus cardinalis, germanus regis, et Margarita Austriaca Maximiliani imperatoris filia, eiusdem regis amita, clarissa monasterii Matritensis, singuli controversiae Deiparae conceptionis immaculatae felicem exitum postulantes. Principum litteras subiicimus. Ibid. p. 439.

Beatissime Pater.

Antiqua devotio, qua universa nostri dominii regna semper prosequuta sunt angelorum reginam et dominam nostram, excitavit in eisdem et in me fervida desideria, ut foveatur apostolica determinatione pia et secura veritas, de pura et munda eiusdem virginis conceptione. Et quantumvis iampridem ferventer de hoc ipso institutum est, gloriosum hoc facinus reservatum iudicio fausto et felici vestrae beatitudinis tempori, quae tot signis devotissimum se exhibuit erga immaculatam conceptionem; proinde summa securitate et confidentia, omni quo possum affectu (ut aliqualis ex hac parte meriti

particeps tiam) humiliter obsecro vestram beatitudinem, ut dignetur universa haec regna consolari per ultimam determinationem in causa adeo rationabili. Porro, si propter rei gravitatem longiori mora opus fuerit, affectuosius et supplex oro, ut vestrae beatitudini complaceat statuere, quod, dum non pervenitur ad ultimam definitionem, non liceat nec disputando nec altercando contrariam defendere sententiam in publico nec in secreto. Adeo etenim adversa est universali devotioni harum provinciarum, ut iam in illis evaserit scandalosa. Magnam induo confidentiam de consequenda hac gratia a vestra beatitudine, cuius sanctissimam personam Deus custodiat incolumem ad felix et prosperum universae ecclesiae regimen.
Matriti V. Novembris anno MDCXXI.

Vestrae Beatitudinis

Humilis admodum et devota filia D. Isabella, Dei gratia regina Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Navarrae etc., quae beatitudinis vestrae sanctos pedes et manus exosculatur.

Regina.

Sanctissime Pater.

VIII. Adeo antiqua et recepta est in his regnis pia devotio erga Ibid. p. 440 mundam et puram virginis Mariae dominae nostrae conceptionem, ut quicumque velit contrarium etiam per modum disputationis tueri, notorium excitet scandalum. Propterea toties et tam instanter supplicatum est, ut vellet sedes apostolica infallibili sua determinatione tollere omnem libertatem contra immaculatam conceptionem sentiendi. Quod vero hucusque factum non sit, ego tribuendum puto divinae voluntati, quae ita disposuit, ut gloriosum hoc facinus felicissimo vestrae sanctitatis pontificatui servaretur, quae alias tot signis suam in immaculatae conceptionis mysterium devotionem ostendit. Eadem etiam ego commotus necnon fervidis desideriis omnium incolarum horum regnorum, securus et supplex oro vestram beatitudinem, ut dignetur totaliter resolvere negotium, quod in omnium votis est et magni censetur momenti. Si vero rei gravitas moram exegerit, deprecor, ut interim prohibeat vestra beatitudo defendi contrariam sententiam tam in publico quam in secreto; adeo etenim adversatur communi hominum devotioni, ut in omnibus scandalum generet. Dominus noster sanctissimam personam vestrae beatitudinis custodiat incolumem ad multos et felices annos pro christianae reipublicae emolumento.
Matriti V. Novembris anno MDCXXI.

Sanctissime Pater,

Osculatur sanctos tuae beatitudinis pedes suus humillimus filius. Cardinalis Infans.

Sanctissime Pater.

IX. Mei officii et obligationis esse iudicavi, intercedentibus rege et regina pro definienda beatae Mariae virginis conceptione, cuius decisionem distulit Deus ad vestrae beatitudinis tempus, ut et ego humiles meas intermiscerem supplicationes. Supplex ergo deprecor quo possum affectu, ut iam tandem determinare dignetur vestra beatitudo pro omnium desiderio, quid in hoc sancto mysterio tenendum et credendum sit, per quod scandalorum causae tollentur, et omnium summa et universalis erit exultatio. Hoc mecum deprecantur omnes huius religiosae aedis piae sanctimoniales, quibus et mihi, ut vestra beatitudo suam impartiri dignetur benedictionem, humiliter obsecramus. Sanctissimam vestrae beatitudinis personam ad prosperum universae ecclesiae regimen Deus Opt. Max. ad felices annos custodiat. Matriti X. Novembris anno MDCXXI. Ibid. p. 444.

Sanctissime Pater,

Osculatur vestrae beatitudinis pedes humilis et obediens filia, soror Margarita a Cruce.

X. Segobiae in Hispania die XXIX. Maii, praeside reverendissimo Benigno a Genua, celebrata fuit intermedia congregatio generalis fratrum minorum, in qua loco Ioannis Venido electus est commissarius generalis cismontanae familiae Bernardinus de Senis ex provincia Portugalliae; Ioannes autem Venido commissarius praeteritus inter definitores perpetuos adnumeratus est. Procuratoris generalis in curia romana munus accepit Bonaventura de Massiniano, provinciae Marchiae administer, et commissarius ordinis in eadem curia Antonius Daza ex provincia immaculatae Conceptionis. Chronol. Seraph. tom. I. p. 599

XI. Definitoris generalis officium obtinuerunt Alphonsus Vargas, Carthaginensis provinciae custos, Didacus de Vera, provinciae s. Pauli discalceatorum minister, Ioannes Cusfeldius, provinciae Coloniensis commissarius, Hugo Cavellus, provinciae Hiberniae custos, Iacobus Lafroigne, provinciae Franciae Parisiensis custos et Petrus Cordurerius, provinciae s. Ludovici custos. Terrae sanctae guardianus et commissarius delectus fuit Thomas a Novara, Romanae provinciae pater, et guardianus Constantinopolitanus Didacus a Roma, istius provinciae concionator.

XII. In hoc comitio a patribus cautum fuit, ut recognita expensa novoque ordine Barchinonensia statuta disposita, typis commissa, ad singulas ordinis provincias transmitterentur. Nos ea duximus omittenda, cum praesto sint in ordinis chronologia. Ad annalium nostrorum integritatem ponimus tamen epistolam ministri generalis eisdem praefixam hoc titulo. Chronol. Seraph. tom. I. p. 604

Prologus

Etsi nihil sub sole novum, verumtamen renovandam ut aquilae iuventutem nostram regius psaltes cecinit, et faciem terrae renovari precatur, et spiritu mentis nostrae renovari novumque induere hominem apostolica voce praecipimur. Non igitur mirum, cum homo nunquam in eodem statu persistat, si pro eius mutabilitate et pro temporum varietate etiam statuta regularia, quae spiritualem hominis renovationem ipsiusque in melius conversionem enixe intendunt (eorum tamen immobili permanente intento), interdum renoventur et reformentur interdum. Ipse etenim Dominus ea quae in veteri testamento instituerat, laudabiliter renovavit in novo. Nam quae usu vilescunt antiqua, pariter et renovata delectant; neque secundum canonicas sanctiones reprehensibile est iudicandum, si propter temporum vicissitudinem statuta varientur humana. Hinc est, quod post illa sacrosancta nostrorum priorum patrum et zelo et pietate sancte fulgentium Narbonensia statuta sub seraphico doctore s. Bonaventura, tunc nostri ordinis generali ministro, edita et post alia, quae antiqua nuncupantur, in capitulo Perpinianensi (ut creditur) anno Domini MCCCXXXI. in duodecim capita reducta, utraque pro universo ordine condita, patres vicarii provinciales regularem nostri ordinis observantiam in hac cismontana familia tunc temporis amplectentes, in conventu s. Mariae de Iesu Barchinone anno a mundo redempto MCDLI. capitulariter congregati, apostolica d. Eugenii IV. et Nicolai V. sibi indulta facultate, statuta tum apostolica quam ordinis in unum compegentes, multisque pro tunc minus necessariis omissis et quibusdam permutatis et abbreviatis, et nonnullis quae commoda videbantur adiectis, nunquam satis laudata statuta, quae Barchinonensium hucusque nomen retinent, per novem capitula disposita in lucem dederunt. At vero unione omnium fratrum observantium sub uno capite in duabus familiis coniunctorum, et eorum a conventualibus separatione omnino per sedem apostolicam facta, a commissario generali et vocalibus cismontanis in capitulo Tolosae anno salutis MDXXXII. legitime congregatis, eadem met Barchinonensia statuta (quae paulo antea anno videlicet MDXXVIII. Parmae per capitulum generale fuerant probata), perpenso maturoque habito consilio examinata, discussa et emendata, addendis additis et detrahendis semotis, in novam formam redacta prodierunt. Postea vero in quadam congregatione generali Burgensi anno MDXLIX. decretum est, ut statuta ipsa Barchinonensia simul et alia in comitiis generalibus edita, in epitomen redigerentur per quosdam ministros ibidem designatos. Quod tamen effectu caruit usque ad comitia generalia Salmanticae anno MDLXIII. celebrata, in quibus utraque familia, cismontana videlicet et ultramontana, ipsa eadem Barchinonensia statuta nonnullis mutatis complectens, ad duodecim regulae capitula, singulis pro singularum observantia applicata, sub titulo Salmanti-

censium sive Monelianensium per universum ordinem servanda, amplissima d. Iulii III. apostolica confirmatione accedente, promulgaverat. Attamen in generali capitulo Vallisoletano, anno MDLXV. habito sub d. card. Elibello, sedis apostolicae legato et eiusdem capituli praeside, nostra cismontana familia sua Barchinonensia statuta reassumens, per illa dumtaxat (Salmanticensibus debita cum reverentia vale dicto), ipso domino legato apostolico annuente, obtinuit ut antea gubernari. In capitulo autem intermedio sive congregatione generali Toleti habita sub rever. p. fr. Francisco Gonzaga, ordinis generali ministro, anno MDLXXXIII., ipsamet statuta et patrum nostrorum decreta Barchinone edita et Tolosae renovata, ad normam sancti concilii emendata et iuxta decreta pontificia discussa et secundum temporum exigentiam accommodata, demptis quae iam erant omnino abrogata, et nonnullis ex nostri ordinis statutis (Salmanticensibus praesertim supra memoratis), quae ad praestantiorem ordinis gubernationem visa sunt necessaria, assumptis, noviter reformata et correcta, ex speciali auctoritate apostolica ipsi ministro generali commissa, remanserunt. Cum vero temporibus succedentibus et a summis pontificibus quamplurimae sint emanatae sanctiones et in generalibus comitiis subsequentibus iuxta temporum et personarum varietates diversa sint condita statuta, a sancta sede apostolica probata et confirmata, visum fuit patribus ad comitia generalia congregatis iterum Toleti anno MDCVI., ut per patres ad id destinatos omnia supradicta statuta et decreta in compendium redigerentur et debita forma disponerentur, quatenus typis mandari possint. Hoc autem, ut consultius ageretur, dilatum est usque ad comitia generalia iterum Salmanticae habita anno MDCXVIII., ubi statuta omnia ordinis cum apostolicis sanctionibus ad singula regulae capitula iterum coaptari et ad illorum ordinem in lucem prodire placuit; sed familia fere tota aegre ferente, Barchinonensium statutorum nomen et ordinem omittere, infectum remansit opus. Unde cum confusione non modica ob tantam constitutionum indigestam multitudinem simul ac ignoratione earundem emergentibus, omnium observantiam collabi vereatur: nos minister et commissarius generalis simul atque totum capitulum generale intermedium cismontanae familiae anno Domini MDCXXI. in conventu s. Francisci civitatis Segobiae in festo pentecostes legitime congregatum, praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, auctoritate nobis in hac parte iure concessa freti, maturo praehabito consilio, ipsa Barchinonensia statuta, Toleti ut dictum est, reformata, diligenter examinavimus, singulorum originem sive primaevam institutionem accurate exquirentes, et ea quae iam erant omnino abrogata adimentes, alia ex nostri ordinis statutis pro hac cismontana familia in comitiis generalibus, videlicet Romae anno MDLXXXVII., Vallisoleti MDXCIII., Victoriae MDXCVI., Romae iterum MDC., Toleti MDCVI., Romae rursus MDCXII. confectis concinnavimus, et ceteris aboletis iuxta temporum et personarum qualitatem, quaedam tum ex

vetustioribus nostris tum ex ultramontanis desumpta addenda censuimus, cum certis antiquis laudabilibus tamen (quae oblivioni tradebantur) consuetudinibus, vel ad maiorem rerum iam praescriptarum explicationem aut moderationem, vel quia in iis frequentius peccari compertum est, vel quia nondum superinde satis opportune prospectum esse videretur. Nonnulla etiam quae in praesentibus comitiis sunt noviter instituta et insuper decreta omnia pontificia a regularibus observanda recognovimus, et in propriis locis praescripsimus, eaque omnia ad compendium et certam methodum redigi ac ordinari diligenter curavimus. Quae nimirum, etsi multa videantur numero, consideratis nihilominus tam multis variis ac diversis nostri ordinis per universum mundum mirum in modum dilatati muniis, officiis, ministeriis et functionibus (quae legibus indigent), omnia non solum utilia, sed omnino necessaria debent iudicari, praesertim cum philosophus doceat, maxime expedire, bene institutas leges omnia quaecunque possunt complecti ac definire minimamque partem iudicum arbitrio relinquere. Et quamvis fere omnia, quae in his constitutionibus continentur, decreta sint in statutis et constitutionibus capitularibus nostri ordinis iamdudum a sancta sede apostolica probatis, nihilominus tamen haec et omnia et singula quae in hac generali congregatione Segobiensi disciplinae instaurandae ac retinendae studio ad Dei omnipotentis laudem et gloriam acta, decreta et constituta sunt, ea qua debemus obedientia, humilitate ac reverentia pedibus sancti domini nostri papae et eiusdem sanctae sedi, suo iudicio, auctoritate et censura emendanda et corrigenda subiicimus et subiecta esse profitemur. Omnes autem et singulos nostrae religionis fratres hortamur in Domino, stricte qua possumus auctoritate praecipientes, ut ea quo debent suae professionis spiritu suscipiant, ac suscepta eodem christianae pietatis et religionis studio in usum et consuetudinem inducant et inviolate servanda curent.

XIII. Edenda etiam iusserunt patres statuta pro universis conventibus recollectorum in provinciis Hispaniarum degentibus. Eisdem praefixus est

Prologus

Familiare enim esse solet cunctis, qui christianae perfectionis viri
Ibid p. 660. amatores esse censentur, legem ad eum finem accommodam, quam semper exquirant, ardenti animo postulare. Cumque plures religiosi sint, qui ad nostrae regulae arctiorem observantiam cum totius populi christiani aedificatione adspirent, hinc enim necessarium esse visum est reverendissimo patri fratri Francisco Gonzaga, generali ministro, certos quosdam patres utriusque status deputare, qui simul coacti, maturo praemisso examine, quandam vivendi normam ab eodem reverendissimo patre pro reformatis fratribus Italicae familiae excogitatam recognoscerent, fratribusque recollectis nostrae familiae cismontanae mutatis

mutandis accommodarent. Quae nimirum vivendi methodus, sicut in capitulo generali intermedio apud s. Ioannem Regum urbis Toletanae celebrato in die pentecostes anno Domini MDLXXXIII. fuit summa omnium patrum consensione suscepta et approbata, ita et in praesentibus comitiis generalibus Segobiae habitis anno MDCXXI. sub r. p. f. Benigno a Genua, ministro generali, renovata exstitit, nonnullis additis, quae in capitulo generali Vallisolet. ordinata sunt. Atque adeo praedictum capitulum generale statuit et decernit, ut omnes religiosi recollecti non solum statuta generalia, quae pro universa nostra familia in eodem capitulo statuta sunt, observent; sed etiam has constitutiones pro dictis fratribus recollectis conditas exsequantur, volentes, ut si quae sint speciales caeremoniae et vivendi formae in domibus vel provinciis recollectis ad strictiorem regulae observantiam, ad plenum observentur, dummodo non sint sacris canonibus et concilio Trident. adversae et contrariae.

XIV. Multiplicatis christifidelibus in confiniis provinciae ss. Petri et Pauli de Mechoacan fratrum observantium labore, eorum patrum consilio cautum est de instituenda nova custodia titulo s. Catharinae v. et m. Fluminis Viridis, a laudata provincia omnino separata et commissario generali Novae Hispaniae immediate subiecta. Ex veteri mss. novimus praeter unum coenobium eam octo domus doctrinales habuisse pro cura neophitorum ad fidei lumen advenientium, eamque custodiam LXX. leucas distare a postremo illius provinciae coenobio. Anno MDCLXXI. Clemente X. pontifice, provinciae dignitatem obtinuit. *Ibid. p. 600.*

XV. Paulo Matritensi laico ex provincia s. Iosephi discalceatorum in Urbe agente, revixit controversia circa vicarium generalem ab eisdem discalceatis expetitum, ab anno MDCIV. scripta. Is opera Didaci Bononiensis item laici reformatae provinciae romanae in primis assecutus est a pontifice lato brevi: *Ad uberes*, die X. Septembris proprium procuratorem generalem, domo eideni adsignata in vertice Urbis pro explendis sui instituti negotiis. Id munus prima vice commisit pontifex Balthasari del Pliego, provinciae s. Iosephi filio. Altera constitutione: *Ex iniuncto*, die XXIV. Septembris commissarium apostolicum eorundem fratrum designavit pontifex Ioannem a s. Maria, virum probatae vitae et eximiae doctrinae, ea tamen lege, ut in die pentecostes insequentis anni, coacto comitio, una cum suarum provinciarum administris ad electionem vicarii generalis devenirent. Vix autem ipse pontificis mandatum accepit, litteras ad suos misit, quibus omnes hortabatur, ut pro singulari hoc beneficio impensas gratias summo pontifici agerent. *De Gubernatis tom. II. p. 295. Annal. min. ad an. 1603. n. 58 et ad an. 1604 n. 38 et seqq.*

XVI. Haec aegre tulit Antonius Daça, commissarius generalis in curia romana, qui multa egit, ut discalceatorum votum suo careret effectu. Simile ad id operis studium contulerunt Benignus a Genua, supremus ordinis administer, et Bernardinus a Senis, commissarius generalis ultramontanae familiae Matriti degentes, immo et ipse Philip- *De Gubernatis ibid. p. 301*

pus IV. Hispaniarum rex cavit Ioanni a s. Maria, ne receptis iam apostolicis litteris uteretur, aut impositum sibi officium exerceret, donec de causae vel iustitia vel iniustitia novum a pontifice rescriptum haberetur. Supplices iterum litteras pro ea re idem rex oratore suo usus ad pontificem mandavit; at frustra, nam vicarium generalem discalceatis concessum haud passus est revocare.

XVII. Ut autem idem pontifex benevolum se redderet etiam fratribus reformatis Italiae, cessit votis Pauli a Liburno, Didaci Bononiensis ac Pauli Matritensis conversorum, qui omni studio laborarunt pro separanda eorum familia ab observantium praesidibus. Quare pontifex, sub die I. Septembris dato brevi: *Onerosa*, eisdem concessit edixitque, ut imposterum solus reformatorum custos et cum voce tantum activa ad observantium provinciale capitulum accederet, nullusque de reformatis in regulari observantia officium vel dignitatem exercere posset. Alia plura circa observantium et reformatorum transitum et econtra, atque de huius procuratore generali ordinavit, de quibus agit in eius epistola. (Idem ibid. p. 372.)

XVIII. Eo tandem processit pontifex, ut licet multas gravesque protulerit in oppositum rationes Bonaventura a Massiniano, procurator generalis in curia romana, attamen lata constitutione: *Ex iniuncto*, die XXIV. Novembris eisdem reformatis concessit vicarium generalem cum plenitudine potestatis eorundem familiam moderandi, quem omnium primum Antonium Strozzi delegit, annum sextum nondum a suo religionis ingressu explentem. Is Ravennae in ditione pontificia natus, politioribus litteris sedulam operam navavit, et Urbem subinde petens, sacras litteras didicit. Varias orientalium linguas, praecipue vero chaldaeorum idioma callebat; unde anno MDCXV. eo usus est pontifex, ut acta synodi chaldaeorum ad se missa a Thoma Novariensi, franciscano de observantia, legato pro unione chaldaeorum cum ecclesia romana, in latinum verteret. Prae sui in rebus agendis facilitate inter aulicos Urbis proceres educatus, munus obivit moderatoris Reatinae provinciae. Matura in aetate inter fratres reformatos, Umbriae custodiae, cooptatus amore flagrabat eximio in consequenda ac in aliis promuvenda evangelica perfectione. Hinc, relaxato spiritus sui fervore, familiam sibi commissam, omni qua decet prudentia destitutus, perturbavit; calepodia enim a suis movere soleasque iniungere et alias novitates superinducere studuit. Quae ei evenerunt, anno sequenti dicemus. (Annal. nun. ad an. 1615. et a. 1617.)

XIX. Iidem fratres reformati iterum hoc tempore sedulam operam contulerunt, ut in Germania Superiori finitimisque provinciis eorundem vivendi normam instituerent. Hinc licet anno MDCX. a Polonia pulsi, duce tamen eodem Didaco Bononiensi laico eiusdem familiae una cum generali procuratore Silverio de Podiosidone quod optaverant, obtinuerunt. Igitur pontificis mandato Fabritius Verallus, totius ordinis patronus, datis litteris designavit Alexandrum Patavinum com- (De Gubernatis ibid. p. 427.)

missarium generalem pro reformatione stabilienda in polonico regno.

Fabritius miseratione divina s. r. e. tit. s. Augustini presbyter card. Verallus, totius ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia protector, corrector et gubernator.

Dilectio nobis in Christo p. fr. Alexandro Patavino eiusdem ordinis, reformationis vero nostrae Mediolanensis provinciae sacerdoti, confessario, concionatori ac theologo salutem in Domino.

Cum a nonnullis Polonorum dominis ad ss. d. n. d. Gregorium divina providentia pontificem XV. recursus habitus fuerit, eidemque supplicatum, quo reformationem ordinis minorum in regnum Poloniae introduci facere, Italos reformatos illuc transmittere, commissarium, qui praefata omnia exsequatur, eligere et deputare, eidemque omnimodam potestatem, quae ad ea executioni demandanda necessaria visa fuerint, concedere dignaretur, et ab eodem ss. supplicatio huiusmodi cum facultate praefata omnia et singula faciendi, prudentemque, pium, probum inculpataeque vitae eiusdem instituti patrem, qui eo cum auctoritate opportuna se conferat, eligendi et deputandi remissa nobis fuerit: propterea de tua prudentia, pietate, probitate, zelo ac fide necnon doctrina atque in rebus agendis usu, experientia ac dexteritate plurimum in Domino confisi, te in provincia nostra Poloniae de mandato ss. ut supra, commissarium nostrum eligimus, instituimus ac deputamus, ac electum, institutum ac deputatum per praesentes ad triennium duraturas declaramus. Dantes paternitati tuae in hac parte vices nostras et potissimum omnimodam facultatem et potestatem in dictam provinciam introducendi reformam ordinis minorum strictioris observantiae nuncupatam, iuxta fel. rec. Clementis papae VIII. et Pauli V. summorum pontificum constitutiones, conventus recipiendi, tres sive quatuor de tua reformatione, prout tibi visum fuerit, patres sive fratres, de licentia tamen tui custodis, tecum conducendi eosque regendi et gubernandi, capitulum quoque in ea reforma convocandi, aliisque omnibus tam custodis quam discretorum custodialium, guardianorum aliorumque superiorum quovis nomine nuncupantur, electionibus et institutionibus interessendi et praesidendi, eosque sic electos et institutos confirmandi, dictamque reformationem in praefatam Poloniae provinciam introductam, nostrae reformae romanae aggregandi, omniaque alia et singula ibidem gerendi et faciendi, quae nos ipsi gerere et facere possemus, si personaliter praefatis omnibus interessemus, ac prout apostolica instituta, sive alia ad reformationem spectantia et pertinentia quomodolibet exigunt atque requirunt. Pro quorum plena executione auctoritate nostri officii et de mandato ss. ut supra, iubemus et in virtute s. obedientiae stricte praecipiendo mandamus sub excommunicationis omniumque actuum legitimorum privationis poena universis

et singulis patribus ac fratribus illius reformationis, ut tibi tanquam eorum legitimo praelato et commissario nostro quemadmodum et nobis in omnibus et per omnia obtemperent et de facto obediant. Et ut in tali munere obeundo tibi prospere et absque ullo obice et impedimento cuncta succedant, p. provinciali dictae provinciae, sive in eius absentia commissario nunc et pro tempore existenti, ceterisque dictae provinciae patribus ac fratribus cuiuscunque sint dignitatis in virtute s. obedientiae et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda praecipimus et mandamus, ut te et fratres tuos reformatos nunc et pro tempore existentes nullo modo sub quovis praetextu aut quaesito colore audeant seu praesumant, seu aliquis ipsorum audeat seu praesumat perturbare seu inquietare. Si quis autem ausu temerario harum executioni se opposuerit, praeceptis et censuris tuis subiiciatur. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex palatio nostrae solitae residentiae die XIII. Iulii MDCXXI.

XX. In oppido Sambucae, dioecesis Agrigentinae in Sicilia, studio fr. Innocentii a Clusis eiusdem instituti erectum fuit pro eis coenobium sub invocatione s. Mariae de Iesu opibus Vincentii marchionis loci. Eis accessit in provincia Bavarica Deiparae assumptionis conventus Ingolstadiensis.

Conv. Sambucae. Pirrus tom. I. p. 751.

Conv. Ingolstadii. Greiderer t. II. p. 276.

XXI. Aquensi in urbe admisit Paulus Huraulte del Hospital archiepiscopus recollectos fratres in aedem s. Laurenti titulo; anno MDCXXIV. iacta fuerunt ecclesiae fundamenta. Nicolao Coeffaerean ordinis praedicatorum episcopo, iidem fratres immissi fuerunt in urbem Massiliae.

Conv. Aquensis. Gallia christ. t. I. p. 336.

Conv. Massiliae. Ibid. p. 669.

XXII. In provincia s. Bernardini initium accepit pro eisdem fratribus coenobium Aquarum Sextiarum sub invocatione s. Ludovici Galliarum regis, impensis domini Francisci Aychardi. Rem probavit Ludovicus XIII. datis litteris in mense Ianuario ad Guidonem Urtando del Hospital, Augustopolitanae urbis archiepiscopum. Altero coenobio aucta est haec provincia titulo Dominicae nostrae de Excessu Arcarum, olim constructo partim a carthusianis partimque a civibus; sed cum ab urbe longe distaret, ideo communi maiorum consilio iuxta urbem novum pro eis aedificatum fuit.

Conv. Aquarum Sextiarum. Mon. prov.

Conv. Excessus Arcarum. Mon. prov.

XXIII. Hieronymus Ferelli Scurculensis recipit domum annuntiationis Deiparae positam in dioecesi Pennensi, provinciae Aprutinae, pro suis sodalibus de tertio ordine claustralium.

Conv. Pennensis. Bordonius p. 394.

XXIV. Quae sequuntur coenobia minoritae de observantia obtinuerunt hoc anno. Diximus a perduellibus haereticis anno MDCXVIII. e conventu s. Bernardini Olomucensi, in provincia Bohemiae, post multas illatas contumelias fratres pulsos fuisse et in exilium missos. Cum autem coenobium et ecclesia nova ferme indigerent reparatione, hinc refectis aedibus denuo illuc redierunt Ferdinandi II. caesaris voluntate.

Conv. Olomucensis. Greiderer t. I. p. 617. Annal. min. ad an. 1618.

XXV. Licet Rudolphus II. caesar anno MDXCII. et MDCII. iussisset, ut coenobium s. Wolfangi Puppingaui in provincia Austriaca eisdem fratribus restitueretur, tamen principis voluntas suo caruit effectu, tum ob fratrum penuriam tum ob oppositionem d. Erasmi de Starhemberg. At opera Hieronymi Strasser, ministri et commissarii generalis provinciae, Ferdinandus II. sequens tulit mandatum pro illuc inducendis fratribus missum ad capitaneum provinciae Austriae Superioris.

Conv. Puppingani Idem ibid p. 335. et seqq

Nobilis dilecte fidelis!

Id quod nobis N. generalis commissarius, minister provincialis et omnes religiosi, ordinis minorum strictioris observantiae provinciae Austriae, pro reconsignando claustriolo Puppingano humillime supplicando attulerunt, ex adiectis diffusius intelliges. Cum igitur iam olim Rudolphi imperatoris piae mem. diversa seriaque in specie a capitaneatu supra Onasum anno MDCII. mandata poenalia ad Erasmum, dominum de Strarbemberg, ut dictum claustriolum ordini resignet extradatque, fuerint expedita, quibus usque modo nulla fuit praestita paritio, ideo etiam nostrum gratiosissimum adiungimus mandatum, ut tu quamprimum constituas commissarios et dictum claustriolum ordini s. Francisci, non obstantibus quibuscunque exceptionibus consignari cures, eundemque ordinem in pacifica possessione manutenéas et protegas. In hoc satisfiet nostrae gratiosissimae voluntati et intentioni etc.

Datum Viennae die II. Februarii anno MDCXXI.

XXVI. Haereticorum Hungarorum et haydonum manibus exustus fuit coenobium eorundem fratrum Deiparae assumptae Windpassingensis, dioecesis Tauriensis, in eadem Austriae provincia ab anno MDXC. positum. Refectis aedibus anno MDCXXVI. eo redierunt; at ob amorem paupertatis anno insequenti illud dimiserunt, cum fundatores quaedam inmobilia in usum fratribus illicitum nullatenus permutare voluerint. Flammarum etiam vi periit conventus Leobschiensis, provinciae Silesiae eorundem fratrum.

Conv. Windpassingensis exustus. Idem ibid p. 401

Conv. Leobschiensis incensus. Idem ibid. p. 829.

XXVII. Sunt litterae summi pontificis: *Cum sicut*, die XXVII. Iunii missae ad archiepiscopum Moguntinum, ut immittat fratres de observantia in conventum oppidi Selestadii, Argentinae dioecesis, ferme dirutum, a conventualibus ab annis sexaginta circiter derelictum. In provincia Flandriae recipiunt conventum erectum in oppidum Bastoniae ducatus Luxemburgensis, instructum opibus Claudii Humyg, regis catholici consiliarii. Incolitur a XXX fratribus.

Conv. Selestadii

Conv. Bastoniensis. Mon. prov.

XXVIII. Urbis Clarasci placito vocati fuerunt iidem observantes ad sacra peragenda in templò s. Antonio magno dicato, s. Mauritii et Lazari equitibus annuentibus, ad quos illud spectabat. Civium impensis iuxta ecclesiam novum anno MDCXXIV. habitaculum auspi-

Conv. Clarasci. Mon. prov. Britius p. 108.

cati sunt. Penes eiusdem moenia olim exstabat coenobium erectum sub invocatione seraphici Parentis, quod saeviente bello vel anno MDXXXV. vel anno MDLVII. solo aequatum fuisse tradunt.

Conv. in Montanis Iudeae. Quaresmius t. II. p. 269.

XXIX. Vigili studio Thomae Novariensis, commissarii Terrae Sanctae, obvenit eisdem fratribus conventus in Montanis Iudeae uno milliario ab Emmaus, faventibus moderatore et supremo Hierosolymitano senatu. Locus idem est ac domus s. Zachariae prophetae, in quo Deipara virgo foeta per tres menses mansit cum Elisabetha cognata, et Ioannes Baptista praecursor natus, circumcisus et in spelunca absconditus, ne cum pueris bethlemiticis ab Herode necaretur. In eius superiori parte quondam fuit ecclesia, eo nempe loco, quo Zacharias Spiritu sancto repletus prophetavit et canticum protulit: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Prope hanc domum fratrumque habitaculum fons est a beatae Virginis nomine adpellatus, ex quo ipsa aquam haurire consueverat, cum esset apud Elisabetham.

Idem ibid. p. 675

XXX. Idem Thomas ad sacrum antrum nativitatis Domini, praesepis et adorationis magorum sacellum et altare erexit dicavitque s. patriarchae Iosepho, Deiparae electissimo sponso, et ut christifidelium votis obsecundaret et ut locus honoraretur, in quo tempore immaculati partus sponsae suae in sancto hoc antro habitavit munusque explevit nutritii et custodis suae virginitatis, filiique sui patris studiosissimi.

Hospitalia duo Lecoviensia.

XXXI. Ratam habet summus pontifex: *Superna dispositione,* die VI. Decembris congregationem hospitalitatis nuncupatam, erectam impensis quorundam piorum virorum atque mulierum in oppido Lecoviensi, dioecesis Ebroicensis in regno Portugalliae, pro consulendis necessitatibus pauperum ac aegrotorum, maxime vero peregrinorum a longinquis partibus illac iter habentium, et insimul ut eis etiam opera misericordiae spiritualia praestarent. In aede mulierum praesunt piae quaedam matronae; altera moderatur a viris probatae vitae. Utrumque domicilium subest ministro generali ordinis.

Ex albo Michaelis a Tugio.

XXXII. Capucini fratres recipiunt coenobium castri s. Ioannis de Olubra, dioecesis Placentiae in provincia Longobardiae; coenobium Iustinopolis in provincia Veneta; coenobium Mendrisii, Comensis dioecesis in provincia Mediolanensi; coenobium Camporum, dioecesis Genuensis in provincia Genuae; coenobium Speluncati, dioecesis Marianensis in provincia Corsicae; coenobium Salve, dioecesis Urgentinae in provincia Hydruntina; coenobium Suterae, dioecesis Agrigentinae in provincia Panormitana; coenobium Brunovii, dioecesis Salisburgensis in provincia Bavariae; coenobium Baccharavi, dioecesis Trevirensis in provincia Rhenana; coenobium s. Florentini, dioecesis Laudensis et coenobium Montrolii, dioecesis Ambianensis in provincia Parisiensi; coenobim Fiscani, dioecesis Rothomagensis in provincia Normandiae; coenobium Roscovii, dioecesis Leonensis in provincia Britanniae; coenobium Seinae, dioecesis Toloncnsis in provincia s. Ludovici; coenobium Orthensii, dioecesis Aquensis in provincia Aqui-

taniae; coenobium Epilae, dioecesis Caesaraugustanae in provincia Aragoniae. Sunt etiam summi pontificis litterae: *Ex solita*, pridie idus Aprilis, quibus adprobat concordiam Basilii Calalli pro constructione eorundem conventus Amaltheae in provincia Cosentiae.

XXXIII. Ludovicus de Salignac, episcopus Sarlatensis, inmisit sorores clarissas in monasterium positum intra moenia eiusdem urbis suae iurisdictioni subiectum. Octavio Bandinio, archiepiscopo cardinali Firmano, agente, item virgines clarissae incoluerunt aedem eisdem paratam in oppido Petrituli, suae dioecesis, cui parent. Summi pontificis voluntate: *Apostolatus*, die II. Aprilis erectum fuit in urbe Neapolis monasterium pro monialibus *vulgo* capucinis, archiepiscopo loci subiectis. Moniales tertii ordinis s. Francisci de poenitentia in monasterio Monachii degentes clausurae legibus se sponte dederunt.

Monast. Sarlatense. Gallia christ. t. II. p. 1528.

Monast. Petrituli. Gasparini t. III. mss p. 596.

Monast. Neapolis. Grederer t. II. p. 479.

XXXIV. Aliquot sacrae virgines hoc anno pie occumbunt. In monasterio s. Clarae de Spe Villae Vitiosae, dioecesis Eborensis in provincia Portugalliae, die IV. Martii obdormivit in Domino, vix illis prolatis: *in pace in idipsum dormiam et requiescam,* Catharina de Salvator aetatis suae anno XXI. Tenella in aetate corpus macerabat ieiuniis, flagellis ac asperrimo cilicio, licet summa innocentia exornata, annum agens XVI. opibus avitae gentis suae valedicens, in monasterium ingressa mirantibus sororibus dixit: *laetatum est cor meum; haec requies mea in saeculum saeculi.* In instituto magis magisque floruit virtutibus. Caelestia alta mente recolebat, et daemonis astus orationis praesidio devincebat. Die XII. Iunii pie decessit Isabella de Charitate in monasterio de Experanza Abranhes eiusdem provinciae, expleto s. Athanasii symbolo. Ferventissimae erat orationis, in qua die et nocte fundebat lacrymarum dono exornabatur. Peculiari obsequio Deiparam virginem sub immaculatae conceptionis mysterio colebat. Francisca de Chagas, incola monasterii clarissarum Ulyssipone multis exornata meritis, caelestia florenti in aetate petivit, quae parentis suae s. Clarae intercessione a Deo obtinuit, ut quamcitius e carnis vinculo solveretur.

Catharina de Salvator. Agiolog lusitan. ad diem 4 Martii

Isabella de Charitate. Ibid. ad diem 12 Iunii

Francisca de Chagas. De Esperanza t. II. p. 126.

XXXV. In monasterio Conceptionis, oppidi de Torrixos provinciae Castellae, rapta est Catharina a Conceptione, Christi Domini aliquando visione donata. Emicuit prae ceteris in recolenda eius passione, ita ut quadam die prae sui doloris vi ex uno oculorum copiosus sanguis effluxerit. Belvisii in monasterio s. Ioannis de poenitentia provinciae Angelorum occurrit obitus Mariae de s. Francisco, quae defuncto viro quem invita duxerat, anno quadragesimo vitae suae inter clarissas cooptata, mire illuxit in corporis poenalitatibus. Diris namque flagellis se caedebat, catena ferrea membra iugiter donabat, nudisque pedibus interim incedens. Post sui mortem e corpore suavis odor manavit. In monasterio s. Iosephi de Gondalcanal eiusdem provinciae obdormivit in Domino Anna de Trinitate, virgo vitae puritate et omnimodae austeritatis commendata. Crucem ligneam super humeros gestabat, dum de more una cum sororibus pietatis officia exercebat.

Catharina a Conceptione. Mon. prov.

Maria a s. Francisco De Gandalupe p. 602.

Anna de Trinitate. Idem p. 618.

XXXVI. Die XXX. Novembris in monasterio omnium ss. Graecensi, provinciae Austriae, obiit Barbara Stozin abbatissa, omni caritate erga sorores praedita. Humilitatis spiritu et in pauperes misericordia ducta, eorum vestimenta reficiebat. In deliciis habuit orationis studium et divinarum rerum contemplationem. Anno MDCLI. effosso corpore, eius ossa suavem odorem sparserunt. Eodem anno et die ibidem occubuit Elisabeth Fallerin, virgo item eximiae caritatis erga egenos. Prae suae virtutis opinione inter sororum lacrymas tumulum accepit.

Barbara Stozin. Greiderer t. I. p. 468.

Elisabeth Fallerin. Idem ibid.

XXXVII. Quas subnectimus ipsae ad tertium ordinem de poenitentia spectant. Die XXI. Ianuarii diem clausit extremum in monasterio s. Vincentii de Beira, provinciae Portugalliae, soror Maria a Visitatione, virgo mirae asperitatis; nam singulis diebus membra castigabat ieiuniis, cilicio, flagellis. Nudis interim pedibus incedebat. Summo compassionis affectu recolebat Iesu Christi sponsi sui cruciatus; prae ceteris vero in die veneris; de nocte enim, imposita sibi in humeris lignea cruce et corona spinea in capite, gemitibus et lacrymis pectus lapide tundebat. Eius acta scripsit vulgavitque Emmanuel de Experanza Lusitanus.

Maria a Visitatione. Agiolog. lusitan. ad diem 21. Ianuarii

XXXVIII. Die V. Iulii obiit Francisca Antonia Masconi in urbe Paternarum, provinciae s. Bernardini recollectorum, nobili genere nata, quae defuncto coniuge, cui nupserat parentum voluntate, inter sorores tertii ordinis adscripta, mox edidit peculiaria sanctimoniae specimina. In primis eius in proximum caritas effulsit et in pauperes infirmos, quibus opitulabatur; hac illac enim discurrens pharmaca eisdem praebebat et amplas eleemosynas erogabat. In iis agendis aliquando accidit, ut varii gravi morbo afflicti sanitatem recuperarent. Alta interim mente versabatur in contemplanda Iesu Christi passione, ut ad eius memoriam tota commoveretur, vultu saepius insolito irradiata fulgore. Saeva ac longaeva aegritudine eam Deus probavit, quam fortiter ac constanti animo, prae nimio amore sui Iesu crucifixi, inter divinas laudes laeta sustinuit. Post sui mortem, cum de more curaretur corpus, in eius parte laeva pectoris reperta fuit impressio imaginis vulnerum Christi ita elaborata, ut penicillo efformatam dixisses. Eius vulnus ad unius assis magnitudinem rubrum adparebat, in centro quasi infixus clavus cernebatur, ex quo manabant quatuor radii vulnerum quadrangulum mire praeseferentes. Ad rei novitatem perculsae sorores ad coenobium fratrum accurrunt, et ipsi collata re cum generali vicario urbis, plenum hoc negotium committunt viris in arte peritis, ut cuncta expenderent et pro rei veritate sententiam edicerent. Quod et egerunt, miraculi veritate comperta. Sepulcrum accepit in ecclesia s. Mariae Boni Iesu Paternarum.

Francisca Antonia Masconi. Mon. prov.

XXXIX. In principe ecclesia oppidi Catabuturi, provinciae Siciliae, quiescunt exuviae sororis Franciscae Munari, item de tertio ordine s. Francisci de poenitentia, die VI. Augusti defunctae cum sanctitatis opinione. In oratione et caelestium meditatione saepe in ecstasim

Francisca Munari. Mazzara. Legend. francisc. t. 8. p.

spectante populo rapiebatur. Commendabatur etiam prae vitae puritate corporisque mortificatione.

XL. Minoritae de observantia vitae sanctitate et decedunt. Die XIII. Maii Franciscus Valleso, sacerdos ex provincia Burgensi, quievit in coenobio s. Francisci de Ribadeo, provinciae s. Iacobi, ad quam nudis pedibus se contulerat veneraturus s. Iacobi apostoli exuvias. Nunquam cellam et stratum admisit, morbo correptus cellam maiorum imperio incoluit; quiescebat tamen super sarmentorum fasciolum. Singulis noctibus rerum caelestium meditationibus et precibus in choro indulgebat, dirisque sanguinis usque effusionem flagris se caedebat. Duodecim annorum spatio vino, carnibus et piscibus abstinuit. Assiduum denique illi fuit ieiunium. Burgensi in s. Francisci eiusdem provinciae coenobio occubuit die XVIII. Novembris Didacus Lopez, item sacerdos, vir omnimodae humilitatis; nam nunquam adduci potuit, ut primaria ordinis munia obiret. Praestanti doctrina dives divini verbi praeco renuntiatus, innumeros devios ad Christum adduxit, erectis pro avocandis a turpi lucro mulieribus domiciliis. Sanctissimi nominis Iesu cultor eximius, eius obsequium ubique promovit, solemnia festa instituit cunctisque commendans, ut invicem se obviantibus hoc ineffabili nomine salutem darent verbaque proferrent: *benedictum et laudatum sit nomen Iesu.* Eius funus honestatum fuit magno christifidelium numero, servi Dei sanctimoniam profitentium.

Franciscus Valleso. Mon. prov.

Didacus Lopez. Mon prov.

XLI. S. Iosephi Iucatanicam provinciam beata morte nobilitavit Garcias de la Barrera sacerdos, die II. Iunii defunctus. Ita placidis moribus exornabatur, ut a cunctis angelus pacis diceretur. Fervebat amore Dei, assiduisque poenalitatibus corpus macerabat. Post aliquot annos reserato tumulo, corpus recens viventique simile repertum fuit. In conventu de Macocha, eiusdem provinciae, raptus est die II. Octobris Franciscus Gutierez, item sacerdos, antea adscriptus inter sodales societatis Iesu. Literis bonisque moribus instructus maiorum suorum mandato Romam advenerat expleturus officium procuratoris generalis eiusdem instituti. At divina gratia excitatus, fratribus de observantia nomen dedit, emissa solemni professione in coenobio de Cunkul laudatae provinciae. Sacrae theologiae et concionatoris munus ipsi demandatum cum laude explevit. Humilitati et supernis meditationibus sedulus studebat.

Garcias de la Barrera. Lopez p. 554.

Franciscus Gutierez. Idem p. 553.

XLII. In conventu s. Iacobi de Porcuna, provinciae Granatensis, ad superos evolavit Bartholomaeus Nunez, sacerdos intemeratae vitae, cuius imperio daemones ab obsessis corporibus expellebantur; in coenobio s. Antonii Ubedae mss. adservatur ab eo exaratum *de abiurationibus* titulo. Ad eius funus accurrerunt cives, ut sui habitus et chordae particulas pro devotione reciperent; dum tumulo mandaretur, sudoris copiam ex corpore manasse tradunt. Iaenae in conventu laudatae provinciae obiit Franciscus Galianus, sacerdos et saepe coenobiorum praeses. Expletis sui officii muniis, cellam petens totum se

Bartholomaeus Nunez De Torres p. 322.

Franciscus Galianus. Idem p. 923.

dabat ferventibus precibus, corpus castigans et in servitutem redigens. Ab eo regimine tandem solutus, magis magisque in assequendis virtutibus operam impendit, prae ceteris vero in macerando corpore flagellis, catenis et ieiuniis. Decessit oculis in caelum elatis manibusque in formam crucis compositis.

Bernardinus de Dunarobba. Mon. prov.

XLIII. Tuderti in provincia Umbriae fratrum reformatorum cessit e vita Bernardinus, natus in oppido de Dunarobba, multis virtutibus cumulatus. Ea enim erat in macerando corpore eius asperitas, ut sustentari diceres ieiuniis, divinis contemplationibus ac Dei amore. Hisce donis ditatus, concionatoris officium exegit, et hac illac pedibus discurrens per nivem et glaciem christifidelium corda ad poenitentiam flectebat. Novitiorum curae etiam delectus, tyrones ad sectandam evangelicam perfectionem verbo et exemplo alliciebat. Eodem anno die XXVIII. Aprilis, qua praedixerat hora, apud conventum reformatorum Camaioris agri Lucensis obiit Sanctes a Cotanio, nobili Insubriae oppido natus. Animarum salvandarum zelo ductus, posthabitis quibus excultus erat rhetoricae floribus, nihil aliud se praedicare gloriabatur nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Hinc divino cooperante auxilio caelestia eloquia adeo ignita promebat, ut pro lubito dominari videretur contra publica secretaque deviorum vitia. Florentiae quadragesimali tempore e rostris dicens, unica concione viginti quinque mulieres e via iniquitatis ad poenitentiam adduxit, quibus omnibus suo sermone eleemosynam tantam obtinuit, ut cunctis in claustro aut in matrimonio collocandis abunde sufficeret.

Sanctes a Cotanio. De Gubernatis in mss. antiquis p. 76.

Seraphinus a Panormo Mazzara tom. I. p. 245.

XLIV. Parentibus generis nobilitate illustribus ortus est Panormi Seraphinus, in baptismate Gabriel vocatus. In adolescentia lubricam vitam aliquando duxit; sed cum quadam die introisset in oratorium s. Caroli illius urbis, et ibi ante oculos occurrissent verba illa: *limina ingredere purus*, facta super eum manu Domini, e laxiori vita revocatus, novam arripuit omnimodae poenalitatis. Licet suis reluctantibus, post varios eventus habitum reformatorum obtinuit et inter laicos cooptari voluit humilitatis exercendae causa; in qua prosequenda virtute ita praestans evasit, ut ceteris consodalibus admirationi foret et exemplo. Maiorum iussu clericali militia initiatus et diaconatus ordine decoratus, magis magisque virtutibus assequendis incubuit. Carnis fraenum illi perpetuum fuit in ieiuniis supra modum, in vigiliis, in oratione, in flagellis ac silentio. Annos numerans viginti sex crucifixi imaginem amplexatus et Deiparae nomen dulciter ingeminans die XIV. Ianuarii placide obiit in conventu s. Mariae de Iesu Panormi. Audita morte, eum cuncti cives sanctum acclamabant. Mortalitatis exuvias deposuit die XVIII. Iulii in conventu de Casolis, provinciae s. Nicolai, Silvester a Cupertino laicus, cuius acta fusa oratione descripsit Benedictus Mazzara. Is ab infantia usque ad obitum eam innocentiam retinuit, quam assequutus fuerat in baptismate; illam tamen sepivit vigiliis, poenalitatibus, oratione et summo obsequio erga Deiparam immaculatam. Noctes saepe ducebat vigiliis, caelestibus

Silvester a Cupertino. Idem tom. VII p. 340.

in choro vacans meditationibus. Multis licet a Deo exornatus dotibus, ea tamen erat humilitate, ut solitaria loca peteret, hominum laudem declinans. Multa tulit a daemonibus verbera et infestationes, ut eum ad iram et impatientiam excitarent, quos tamen fugabat invocato Dei et Mariae nomine. Prophetiae, scrutationis cordium et curationis dono emicuit. Tumulum accepit separato in loco.

XLV. In conventu s. Zitae, dioecesis Ulyssiponensis, fratrum claustralium tertii ordinis de poenitentia, provinciae Portugalliae, e vita migravit Franciscus a s. Michaele laicus; diu exegit officium coquinae curatoris, quod summa caritate explebat dicens, non hominibus, sed angelis, idest fratribus suis cibaria parare debere. A suis missus ad valetudinarium de Tomar, infirmis sodalibus summa caritate deserviebat. Franciscus a s. Michaele. De Esperanza tom. I. p. 624

XLVI. Varii inter capucinos fratres pie quieverunt. Laureti in Piceno obiit Petrus a Salfaria sacerdos, antea inter fratres conventuales cooptatus. Capucinis se addixit maioris perfectionis causa; unde brevi tempore pluribus virtutibus decoratus adparuit. Obsessos a daemone liberabat cordiumque secreta aperiebat. Eius corpus post mortem arca lignea occlusum fuit. Bernardinus a Rupe, Ursinorum familia ortus, Maceratae item in Piceno occubuit, qui ab ineunte aetate usque ad senectutem singulari pietate prosequutus est Deiparam caelorum reginam. Aliquando militaribus copiis nomen dedit; sed quae mundi sunt fastidiens, triginta septem annos natus, eorumdem habitum obtinuit, asperrimam vitam ducens in ieiuniis, flagellis et vigiliis. Amictus erat tunica ita veteri et obsoleta tineisque erosa, ut ad aeris iniuriam propulsandam impar omnino foret. Scabie affectos et leprosos in suam cellam benigne inducens lavabat, medebatur, reficiebat, indusiis interim et calceis eisdem paratis a germana sua per eleemosynam acceptis. Scripsit opusculum saepe prelo commissum *de patrocinio b. Virginis cum variis precibus.* Tuderti in Umbria e vita migravit Richardus a Schiopo, sacerdos, diu novitiorum magister. Ob senectam cum vires ei defecissent, et praesto haud esse valeret divinis obsequiis una cum sodalibus in ecclesia, in cellula divina recolens, angelica adparitione recreari meruit. Montani item in Umbria e vivis sublatus est Marinus a Casa Castalda laicus, cui speciale orationis donum caelitus collatum, die nocteque huic exercitio vacabat non sine lacrymarum profluvio cordisque voluptate. Perusiae eiusdem provinciae obiit Aegidius a Castello s. Angeli laicus; humilitatis et patientiae virtutibus decorus. Aliquando Deiparae colloquio fuit recreatus. Petrus a Salfaria. De Pise tom. I. p. 394. Bernardinus a Rupe. idem ibid. p. 395. Richardus a Schiopo. Idem ibid. p. 396. Marinus a Casa Castalda. Idem ibid. Aegidius a Castello s. Angeli. Idem ibid. p. 397.

XLVII. In oppido s. Secundi, provinciae Bononiensis, occubuit Ludovicus laicus, eodem in oppido ortus. Varia a daemone tulit, ut eum a recta vivendi ratione revocaret. Amorem in Deum, caritatem in proximum, paupertatem, humilitatem, patientiam impense coluit. Qui sequuntur splendore virtutum ornarunt Siciliae provincias. Panormi raptus est Marianus Alcamensis sacerdos, qui profectus in Ludovicus ab oppido s. Secundi. Idem ibid. Marianus Alcamensis. Idem ibid. p. 399.

Germaniam pro tutanda fide catholica ab haereticorum manibus effugit Deiparae virginis praesidio. Electus minister provinciae, ceteris praeibat virtutis exemplo. In eodem coenobio fatis cessit Bonaventura a Corleone sacerdos, paupertatis zelo, trito habitu semper usus est. Ineffabili caritate ductus mendicos solabatur eisque opitulabatur, esurientes pascebat, sitientes potabat, capita tondens et lavans. Ibidem occubuit Bonaventura a Corleone laicus, humilitate, oratione, abstinentia, flagris et caritate praesertim erga pauperes illustris, edoctus illa Christi Domini sententia: *qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Item Panormi obiit Antonius Ciramensis a Messana laicus, vir singulari humilitatis exemplo. De nocte tanto cordis affectu Deum orabat, ut fratres eum videntes haud possent se a lacrymis temperare. Fuit etiam nimiae simplicitatis eximius. In conventu Motucensi e vivis sublatus est Ludovicus Motucensis sacerdos, iugi oratione et erga Deiparam nimio fervore affectus. In conventu Patermonis obiit octuagenarius Ioannes Baptista Catanensis sacerdos, qui tanto erga Deum amore flagrabat, ut ex eius ore nihil omnino nisi divinum exciderct. Quotidie antequam sacrum perageret, nudatis scapulis flagello se dire tundebat, ut ex illis copiosus cruor effiueret.

Bonaventura a Corleone. Idem ibid. p. 401.

Bonaventura a Corleone. Idem ibid. p. 402

Antonius a Messana. Idem ibid p. 404.

Ludovicus Motucensis. Idem ibid. p. 403.

Ioannes Baptista Catanensis. Idem ibid. p. 404.

XLVIII. Romae in conventu veteri s. Bonaventurae animam Deo reddidit Ioannes Baptista a Monte sacerdos, paupertate, austeritate, abstinentia admirabilis. In eodem coenobio caelestia petivit Alexius a Settio laicus, vir magnae humilitatis et iugis orationis. Serrae in provincia s. Angeli abiit in caelum Chrysostomus a Collo Nisi sacerdos, qui pacto foedere cum oculis suis nullius feminae aut maris vultum aspexit. Ecstasis dono a Deo cumulatus fuit. Coriolani in provincia Cosentiae obiit Hilarius ab Acri, sacerdos inculpatae vitae, qui in extremo agone meruit animam exhalare in beatissimae Virginis aspectu. Neapoli mortem oppetiit Franciscus ab Illyrico laicus, in Slavoniae regione oriundus. Aeris iniurias nudo capite patiebatur et totius anni tempus ad instar quadragesimae transigebat.

Ioannes Baptista a Monte. Idem ibid. p. 406

Alexius a Settio. Idem ibid. p. 407.

Chrisostomus a Collo Nisi Idem ibid. p. 405

Hilarius ab Acri. Idem p. 406.

Franciscus ab Illyrico. Idem ibid.

XLIX. In provincia Pedemontana raptus est Iacobus a Ferrero laicus. Is tanta in Deum caritate acceptus erat, ut etiam hyberno tempore preces fundens, sudore copioso totum eius corpus aspergeretur. In domo peregrina provinciae Valentiae caelestia petivit Ambrosius ab Alcoy sacerdos, qui totius anni tempore vitam quadragesimalem agens, cibo tam modico utebatur, ut corpus eius vel exsangue pellem solum et ossa ostenderet. Avenione in provincia Massiliensi cessit e vita Henricus a Corteso sacerdos, qui flexis genibus longo tempore orabat. Humi prostratus, iunctis manibus et aperto capite sacram scripturam meditabatur, et illatas iniurias patientissime tolerabat.

Iacobus a Ferrero. Idem ibid. p. 408.

Ambrosius ab Alcoy Idem ibid.

Henricus a Corteso. Idem ibid p. 409.

L. Martyrum coronam accepit die XIV. Februarii Dominicus Matzuro Iaponensis, ex tertio ordine s. Francisci de poenitentia, eo quod fratres Petrum de Abula et Vincentium a s. Ioseph verbi Dei

Dominicus Matzuro m. Ioan. a s. Antonio lit. D.

praecones hospites haberet, ac erga eos caritatis officia exerceret. Lento namque igne combustus, lanceisque transfixus, demum in odium fidei capite caesus Nangasachi occubuit. In mense Iulio martyrii item palmam obtinuit Venurae in eodem regno Franciscus Fampilapo, ex tertio minorum ordine, quod fratres franciscanos missionarios apostolicos summo studio foveret. (Franciscus Fampilapo m. Idem ib. F)

LI. Quorundam venerabilium fratrum corpora elevantur. Michael Angelus Seghitius, episcopus Laudensis in Insubria, catalogum sanctorum et beatorum suae dioecesis exhibens, de corpore b. Iacobi de Oldo, presbyteri tertii ordinis b. Francisci Laudae anno MCDLV. defuncti, haec iussit: *Ossa Iacobi de Oldo, fundatoris ecclesiae s. Iuliani, quem publicis documentis et antiquis imaginibus capite radiatis, beati nomine hactenus insignitum fuisse compertum est, leventur e depresso pavimenti situ, quo ex antiqua aede translata leguntur; et decentiori loco secus altare constituantur intra sex menses, sumptibus obtinentium tutelares huius ecclesiae portiones, servato ritu provincialium conciliorum circa reliquiarum sacrarum compositionem praescripto.* (Acta ss. ad diem 18. Aprilis tom. II. p. 599, n. 1)

LII. Alexander Camerini, patricius Camers monumentum addidit ecclesiae Aracaelitanae de Urbe, iterum reclusis in columna lateritia dextera sacelli maioris b. Iuniperi reliquiis in dolato lapide, superius inscriptis verbis: *Ossa fratris Iuniperi socii s. Francisci.* Inferius vero nigro in marmore: *D. O. M. Alexander Camerinus, patritius Camers, bullariae apostolicae praeses, fratris Iuniperi olim diem functi ossibus, pietatis ergo decentius supra repositis, ea prope sibi, mortalitatis suae memor, monumentum vivens in solo posuit anno salut. M. D. C. XXI.* (Wadd. ad ann. 1251 n. 56)

LIII. De corporis elevatione b. Hieronymi Garibi Niciensis, franciscani anno MDII. defuncti in conventu s. Francisci conventualium Bononiae, haec habent Bollandistae ex p. Azzoguidi minorita conventuali, rerum conventus Bononiensis accuratissimo scriptore. *Hic tradit primam* b. Hieronymi *sepulturam fuisse in veteri crucifixi sacello; quod quum anno MDCXIV. amplificatum est, delatas esse pias* b. Hieronymi *exuvias in sacellum s. Francisci, quod iam ab anno MDCIX. a societate laicali s. Francisci, commutatione quadam inita, acquisierant conventuales Bononienses; ab his porro anno MDCXV. hoc s. Francisci sacrarium in profanos conversum esse usum; quocirca iterum translatum fuisse* b. Hieronymi *corpus, non quidem in sacellum crucifixi, nondum forte absolutum, sed in ipsum templum publicum, sub altare scilicet s. Laurentii; post chorum nec longe ab introitu capellae crucifixi.* (Acta ss. ad diem 25 Octobris tom. IX. p. 860, n. 26.)

LIV. Die III. Martii frater Gabriel Parianus de Arvello, praeses coenobii s. Francisci Fulginatensis, ecclesiam ornaturus et maiorem sacro pignori b. Angelinae a Corbaria venerationem allaturus, intulit ad nobilius et patentius sacellum sanctae Annae sacrum, ut quae in sanctae Annae virginum collegio quievit, in sacello eiusdem coleretur obsequio. Leo XII. summus pontifex cultum ei ab immemorabili tempore praestitum probavit. (Annal. min. ad ann. 1435, n. 21)

LV. Stephanus de Muneyra Caephaleditanus, delegatus aposto- (Ex processu p. 334.)

licus pro expendendo cultu exhibito a christifidelibus b. Gandulpho de Binasco, presbytero franciscano, sequentem vulgavit epistolam die XXI. Novembris circa eiusdem festivitates celebrari solitas in urbe Politii in Sicilia. *Stante supplicatione porrecta ex parte magistratus civitatis Politii regni Siciliae, sanctissimo domino papae Gregorio XV. et provisione, quod fiat solitum circa venerationem servi Dei Gandulphi, facta per praefatum sanctissimum urbis Romae VI. Aprilis MDCXXI. et iuribus adductis, articulatis et probatis per dictum magistratum et coram nobis Politii degentibus ex causa praedicta ob intimationem eis a nobis factam ad ostendendum rationes, quibus moti sunt magistratus et populi et clerus ad venerationem et cultum publicum praedicti servi Dei Gandulphi; quibus probationibus et scripturis constat, vera esse ea, quae fuerunt expressa in supplicatione praedicta, porrecta praefato sanctissimo. Illisque visis et consideratis, causa cognita, consulto decernimus tam auctoritate ordinaria nostra, quam delegata a sancta sede apostolica in his fungentes, quod deinceps circa venerationem praedictam et cultum publicum, celebrationem missarum et festivitatem XVII. die Septembris, et in festo pentecostes et aliis diebus solitis, serventur ea, quae hactenus servata fuerunt ex immemorabili consuetudine iam satis ostensa, usque ad aliud mandatum apostolicum. Mandantes omnibus subditis nostris, ut ita observent observarique faciant, nihil prorsus innovando in praeiudicium dictae immemorabilis consuetudinis et possessionis, in qua hactenus magistratus et clerus praedicti exstiterunt.*

LVI. Decessit hoc anno die XXVI. Februarii inter observantes magni nominis vir Henricus Sedulius, tumulatus in choro coenobii Antuerpiensis, de quo plura scripta notavimus. Inter fratres reformatos occubuit Bonaventura Moroni Tarentinus Neapolitanus, cuius acta descripsit Dominicus de Angelis in vitis litteratorum Salentinorum comparatus cum Tullio, Demosthene et Hieronymo. Funebrem de eo habuit orationem p. Mastrilli e societate Iesu. Praeter edita, scripsit *rhythmos sacros*, vulgatos Neapoli et Venetiis hoc anno, et *carmina sacra super salutationem angelicam* et super antiphonam *salve regina*, typis commissa Venetiis anno MDCXXII. Reliquit mss. *mirandum panegyricum super linguam s. Cataldi* asservatum in sacrario Tarentinae metropolis.

Wadd. et Sbaral. lit. H. Annal. min. ad ann. 1587. n. 161. et ad ann. 1598. n. 6. et 14. et ad ann. 1609 n. 26. Ibidem lit. B.

LVII. Qui sequuntur viri docti hoc tempore sunt inter observantes. In primis sese offert Lucas Waddingus in edendis voluminibus Marii a Calasio, franciscani de observantia, *de concordantiis sacrorum bibliorum hebraicorum* in quatuor ingentes tomos distributis, *in quibus*, ut ipse scribit, *chaldaicae etiam concordantiae librorum Esdrae et Danielis suo loco inseruntur; deinde post thematum seu radium omnia derivata et usus latius deducta, ac linguarum chaldaicae, syriacae et arabicae, vocabulorumque rabinicorum cum hebraicis convenientiam latina ad verbum versio adiungitur, ad quam vulgatae et septuaginta editionum differentia fideliter expenditur, demum ad ultimi tomi calcem nomina propria sacrorum codicum novo ordine digeruntur. Opus hoc insigne cum auctor per-*

Annal. min. ad ann. 1620 Wadd. lit. M.

factum reliquisset, nec suppeterent imprimendo expensae, ego impense egi cum praedicto fel. rec. Paulo V. et cum Benigna Genuensi, generali ordinis ministro, ne periret, sed ad publicam utilitatem et sacrae doctrinae subsidium ederetur. Tandem ita factum est, ut stabilita in domo minorum Aracaeli in Urbe completa typographia, in lucem sit emissum anno MDCXXI., praemissis a me omnibus praeliminaribus, etiam iis, quae sub aliorum nominibus praeleguntur.

LVIII. Idem Waddingus epistolam gratulatoriam misit ad Gabrielem cardinalem de Treio, qua impense commendatur eius obsequium in seraphicum parentem, cuius tunica ornari et adnumerari voluit inter sodales tertii ordinis de poenitentia. Tunc et ipse *epistolam diffusam eruditione et pietate refertam* ad eum scripsit, summe collaudans doctrinam s. Francisci eorundemque sodalium, vulgatam in ss. Francisci et Antonii operibus pag. 21. anno MDCCXXXIX. editionis Pedepontinae, quae prae sui praestantia aliqua ad rem nostram exscribimus. *At tu, inquit, admiraris et solemnibus celebrare cupis encomiis, me post purpuram cardinalitiae dignitatis, habitum tertii ordinis induisse et solemniter tertium patris nostri Francisci regulam professum fuisse. Sed quomodo, qui me ipsum et omnia quae habeo Francisci esse profitebar, possem qualecumque exhibere devotionis signum, nisi me ipsum suae religioni devoverem? Anne indignus est Francisci funis, quo regia purpura cingatur? Eo praecinctus Ludovicus rex Galliae, Elisabeth Ungariae princeps in sanctorum numerum relati; imperatrices, reges, reginae et alii principes viri? quorum numerum tempore mortis suae devotissime habitum suscipiens, auxit hoc anno Philippus III. Hispaniarum et paulo ante serenissima Hispaniae regina Elisabeth, Philippi IV. domini nostri uxor, et nobilissima princeps Maria eiusdem Philippi IV. germana soror, quae etiam huic tertiae religioni nomen dederunt; quas cum potentissimo et piissimo rege Deus diu incolumes servet. An forte non decet regiam dignitatem cilicium? Decet certe et tempore Elisaei prophetae eo usum regem Israel, narrat historia sacra. Unde ergo miraris, quod cardinalis cinericium habitum purpurae imponat et chorda se praecingat? Dicis: humilis habitus est tantae dignitati. At ego respondebo: ideo suscipiendum hoc tempore*, cum tanto humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione: *et nobis humilitatem hoc tempore, quo ad talem evecti sumus dignitatem*, tanto magis arbitror esse necessariam, quanto maior noscitur materia suppetere superbiendi. Genus, aetas, scientia, cathedra et quod maius est primatus praerogativa, cui non essent insolentiae comes et evelationis occasio? quamquam esse possint et humilitatis. Meditantibus quidem honores blandiuntur, sed onera pensantibus taedio sunt atque formidini. *Sed superbire honoribus communius est*, saepeque transitoria potestas animum per abrupta elationis rapit; plerumque enim se animo accepta potestas obiicit, eamque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimae considerationis deprimendus est tumor elationis. *Hinc Paulus ad apostolatus et magisterii di-*

gnitatem evectus nobis elucet, serviens Domino cum omni humilitate; memor humilitatis quae his qui praesunt maxime congruit, eo quod facillime in arrogantiam tolluntur. *Nonne hoc nos docent a natura instructae grues, quae in altiora elevandae, ne a ventis huc illucque proiiciantur, lapides pedibus portant, ut pondere securius volare possint, quae leviores ventis cedere compellerentur? Nonne navim onerat nauta, ut sic depressa et demissa humilior licet, securior tamen iter agat suum, nec ita facile a procellosis undis agitata, huc illucque iactata demergatur, et quo altioribus natare cupit undis, eo se maiore gravat onere? Quid ergo ego facerem eo tempore, quo indignus ad tam supremum ecclesiae evehebar gradum, nisi humilitate Francisci me tueri, quo securius possem oneris iniuncti procellas, labores et onus sustinere? Sed quid multa? nonne cinericus habitus Francisci vere purpureus est, quo ornari possit regia et cardinalitia dignitas?* Vere purpureus est, quem Christi signat cruor et passionis eius coloravit fides; *et quem Christi vice proprio sanguine e sacris stigmatibus effluente rubrefecit Franciscus. Anne humilitas Christi servitus est?* Servilis non est, quam regalis nobilitat purpura, ornamentum est purpura regium. Hunc si quis vel dedignetur vel abhorreat habitum, respiciat quod non griseus, sed purpureus sit: humilitas namque suscepta pro Christo regiam praefert dignitatem. *Quid ergo feci? purpuram purpura contexi, cardinalitiam regia; tantum abest, quod me humiliaverim, ut merito dubitare possim, an superbierim. Denique ut verum franciscanae religionis amatorem me ostenderem, inter eius filios connumerari volui; et quem corde portabam exterius praeferre, quo modo possem, habitum religionis, cui me devinctissimum filium profiteor, et oh utinam talis operibus apparerem! Age igitur, mi frater, et patris nostri quas collegisti in medium profer reliquias operum et laborum, quorum nova luce ultima illustrata saecula resplendeant et tanti patris laboribus laetentur. Cuius officii te nunquam poeniteat, nec aliam desideres utilitatem quam fecisse; muneris autem tanti in me collati semper memor ero. Vale et in sanctae romanae ecclesiae obsequium te Deus servet incolumem, virtutibus augeat, de cuius bonitate confido meritis tuis praemia nequaquam defutura. Dat. Tibure III. Iulii anni MDCXXI.*

LIX. Mexici in provincia s. Evangelii, prelo Ioannis de Alcazar
Sbaral. lit. D. Didacus de Medina edidit hispanice *panegyrim de s. Hippolyto m., ur-*
Idem lit. C. *bis patrono.* Cornelius Ghiraldellus Bononiensis edidit Bononiae apud
Mascaronem *considerationes astrologicas* super eclipsi diei 21. Maii anni
Wadd. lit. F. 1621. Michael Ascensius ex provincia Aragoniae typis Caesaraugusta-
Sbaral. lit. M. nis edidit librum a se auctum Francisci de Robles sui consodalis, cui
titulus *copia sive ratio accentuum omnium fere dictionum difficilium tam*
linguae latinae quam hebraicae, nonnullarumque graecarum, sed praecipue
Sbaral. lit. G. *earum, quae in bibliis, breviario et martyrologio romano reperiuntur.* Georgius Gamefeld germanus vernacule concinnavit vulgavitque Coloniae
de vitis antiquorum eremitarum, adiectis illustrationibus, libros quinque.
Idem lit. I. Panormi apud Orlandum prelo dedit Iacobus Bonincontrus Siculus
Idem ibid. italice *orationem funebrem in exequiis Caroli II. Hispaniarum regis.* Ia-

cobus Pierius Hetruscus Florentiae imprimi curavit a se auctas et expurgatas *contradictiones in 1. et 2. sentent.* Scoti, quas Lucas de Cutiliano eiusdem instituti adnotaverat. Ioannes de Sylva, provinciae Castellae, Matriti apud viduam Ferdinandi Correo vulgavit opus *de recta administratione temporali ac spirituali Indiarum.* Lucidus Mancinellus Picenus, natus non procul a Recineto, humanis litteris eruditus, edidit *libros V. orationum variarum.* Salamanticae apud Didacum Cusium editus est a Ludovico Miranda, provinciae s. Iacobi, *de immaculata conceptione Deiparae virginis tractatus alter.* Lupus Felix de Vega Matritensis praelo Alphonsi Martini, incolae eiusdem civitatis, commisit opus *de metro polito sive affectato.* Iacobus Niger, Athensis Belga, theologus insignis, poeta latinus et gallicus edidit gallice Leodii *viridarium spirituale amoris.* Hispali hispanice a se scriptas edidit *summulas seu regulas orationis ad Deum habendas* Ioannes del Palma, provinciae Angelorum, commissarius generalis ultramontanae familiae, a sacris confessionibus serenissimae infantis Margaritae a Cruce Austriacae, filiae Maximiliani II. imperatoris, ordinis s. Clarae, nec non Isabellae Borboniae, Hispaniarum reginae eiusque filiae Mariae. Petrus de Roxas seu de Roias Hispanus scripsit ediditque Matriti *de concordia evangelistarum libros seu partes duas.* Prodierunt Venetiis apud Marcum Ginammum *regula, testamentum, officium parvum stigmatum s. Francisci, b. Mariae virginis, s. Iosephi et alia opuscula*, quae scripsit in unum libellum collecta Valerius Martellus Italus. Anonymus Hispanus, provinciae Aragoniae, Caesaraugustae typis Ioannis Lanaia vernacule edidit *enarrationem cuiusdam miraculi, quo Deus decoravit mysterium immaculatae conceptionis Deiparae in oppido Zuera, Caesaraugustanae dioecesis, in regno Aragonum die XVII. Martii.* Sunt eius etiam mss. servata in archivo s. Francisci Matriti *informatio* pro *immaculata virginis Mariae conceptione* incip. *doctores, quos patres* etc. cum aliis *tractatibus* de hoc argumento.

Idem ibid. Sbaral. lit. L. Sbaral. lit. cod. Idem ibid. Wadd. lit. I. Idem ibid. Idem lit. P. Wadd. lit. V. Sbaral. lit. A. n. 319.

LX. In reformatorum fratrum familia hi sunt scriptores. Antonius a Francavilla, provinciae romanae, italice Neapoli edidit apud Franciscum Savium *circulum seraphicum divini amoris.* Hieronymus Combonus Salodiensis, provinciae Brixiensis, hebraicae linguae peritus, scripsit italice *conciones in laudem b. virginis Mariae, distinctas per septem dona seu praerogativas eiusdem sacratissimae virginis, quibus quasi totidem columnis domus mariana fulcitur*, et *expositionem in canticum Magnificat in decem lectiones iuxta versuum numerum distinctam.* Utrumque opus typis Ioannis Baptistae Bozzolae Brixiae vulgavit.

Wadd. lit. A.

LXI. Inter discalceatos floruerunt Bartholomaeus de Molina iunior, provinciae s. Iosephi, qui scripsit hispano idiomate *panegiricam orationem tit. tractatus brevis virtutum Ioannis Garcia Alvarez de Toleto*, comiti Oropesae dicatam, typis Alphonsi Delgado; Hieronymus Strasser Germanus, Viennae in Austria edidit librum, cui titulus *Dux fratrum minorum* continens *regulam s. Francisci* cum aliquibus *bullis.* Eum fuisse electum episcopum tradit Petrus de Alva in apparatu ad in-

Sbaral. lit. B. Idem lit. H. Wadd. et Sbaral. lit. P.

dicem bullarii seraphici. Petrus de Cetina, provinciae s. Gabrielis, dedit ad Benignum a Genua, ministrum generalem ordinis, *historiam praedictae provinciae.* Ioannes a s. Andrea, provinciae s. Ioseph, edidit Matriti hispanice *arborem spiritualem vitae et mortis.* (Idem lit. I.)

LXII. Fratres minores conventuales litteris inclarent. Aemilius Cybo Bononiensis in Poloniam adveniens Cracoviae typis edi curavit *constitutiones ordinis minorum conventualium in regno Poloniae commorantium*, quas una cum binis fratribus Polonis condiderat. Iacobus Montanari Balneocaballensis, provinciae Bononiae, edidit apud Alexandrum Bazachium *acta capitulorum provinciae Bononiensis.* Marcus Antonius Capellus Atestinus, provinciae Venetae, per Ioannem Kinkium Coloniae typis mandavit opus *de summo pontificatu Petri*, et aliud *de successione episcopi romani contra duos anonymos.* Thomas Vandini Bononiensis apud Sebastianum Bonhomium fecit editos Bononiae lingua vulgari *sermones funebres ss. et nuptiales.* Augustinus Conti de Castilione Aretino Hetrusens scripsit italice, et Florentiae typis Ceccarelli edidit *iter Iesu ad Calvariam, tutaque peccatorum via ad caelum.* Sanctorus Messanensis ex conventualibus reformatis, provinciae Siciliae custos, Panormi praelo commisit *meditationes pro hebdomadae diebus* tit. *zodiaco spirituale.* Scripsit etiam *gesta patrum reformatorum conventualium in Sicilia.* (Sbaral. lit. A. — Idem lit. I. — Idem lit. M. — Wadd. et Sbaral. lit. T. — Sbaral. lit. A. in supplem. — Idem lit. S.)

LXIII. Postremo fratres capucini suos habent viros doctos. Sanctes Thesaurus Romanus Venetiis typis Deuchini vulgavit italice *declarationem regulae s. Clarae secundum mentem seraphici patris s. Francisci illius institutoris.* Frater Franciscus Ruginius Cotoniensis sui instituti in eius operis laudem cecinit *tetrasticho.* Zacharias Boverius Saluthinsis Mediolani praelo commisit *censuram paraeneticam in eosdem libros* scilicet *in libros a se editos contra Marcum Antonium de Dominis, olim archiepiscopum Spalatensem, postea vero s. r. e. apostatam et in Angliam transfugam.* (Wadd. et Sbaral. lit. S. — Wadd. lit. Z.)

LXIV. Duce Petro Baptista commissario, Maniliam advenere fidei Christi disseminandae causa Ginesius de Quesada, Franciscus de s. Ildefonso, Alphonsus de Ciudad-Rodrigo, Franciscus de Huerta, Alphonsus de Penaranda, Mathias Argente, Hieronymus de s. Bonaventura, Franciscus Chavarria, Christophorus de Fuensalida, Lucas de Torre, Alphonsus a Matre Dei, Franciscus a s. Hieronymo, Ioseph de Valentia, Philippus de s. Luca, Petrus Baptista, Marcus Toletanus, Petrus Iayme, Franciscus de s. Anna et Michael a s. Maria sacerdotes. Eis et adhaeserunt uti laici Didacus de la Torre, Christophorus a Nativitate, Ioannes a s. Didaco, Antonius de s. Paulo et Petrus Munique. (Martinez. lib. 4. p. 469.)

LXV. Magnum hoc anno clarissarum instituto decorem intulerant quaedam sacrae virgines, quae summi pontificis, catholici regis et ordinis maiorum placito, posthabitis terrae et maris periculis ex Hispania adnavigaverunt Maniliam, ut earundem sororum collegium eadem in urbe instituerent. Earum nomina notamus. Ex monasterio (Idem. ibid.)

s. Elisabeth Toleti delecta fuit, ut caeterarum praeses, Hieronyma ab Assumptione, cui adhaeserunt ex eodem monasterio Anna de Christo et Ioanna de s. Antonio novitiae; ex monasterio s. Crucis eiusdem civitatis Maria Magdalena de Christo; ex monasterio Benalcazar Hispalensi Maria de Trinitate et ex altero s. Clarae, eiusdem urbis, iuvenis Aloisia de s. Francisco, cui habitum tunc donavit laudata Hieronyma abbatissa. Mexicum duce Iosepho a s. Maria, viro inter discalceatos fratres vitae sanctitate eximio, advenientes in monasterio clarissarum Visitationis hospitarunt; ubi pariter eis nomen dederunt duae sorores, nimirum Leonora a s. Bonaventura et Maria de Angelis, quae omnes inter omnium ordinum gaudia anno insequenti exceptae fuerunt in urbe Maniliensi. Domum eis paratam sub invocatione immaculatae Conceptionis incoluerunt sub fratrum discalceatorum regimine. Petrus a s. Paulo, illius provinciae praeses, ibidem viginti puellas ad tyrocinium admisit. Monast. Maniliae.

LXVI. Inter minores conventuales die XXI. Iunii designatus est episcopus ecclesiae Ansarensis in Dalmatia Caesar Nardi. Ex Theulo in appar. min prov. rom. lib. I. cap. 4. ad ecclesiam Firminen. delectus fuit Chrisostomus Carletti Capranicensis. Inquisitoris generalis officium in magno ducatu Florentin. obtinuit: *Volentes* die XXX. Octobris Michael Masserotti Bononiensis. Munus episcopale acceperunt inter observantes die XV. Novembris pro ecclesia Fessen. in partibus infidelium Emmanuel de Angelis Elborensis, archiepiscopi Elborensis suffraganeus deputatus; eadem die designatus est episcopus ecclesiae Congen. et Augolen. Simon Mascharenus. Ferdinandum de Campo factum fuisse hoc anno episcopum ecclesiae Ussellensis in Sardinia tradit Petrus de Alva et Astorgia in indiculo sui bullarii. Fuit is antea conventus Salmanticensis superior, et ob insignes animi dotes eiusdem urbis civibus ac Paulo V. pontifici gratus, uti ex sequentibus liquet.

Dilectis filiis civitatis Salmantinae.

Paulus PP. V.

Dilecti filii etc.

Pergratum sane nobis fuit testimonium, quod perhibuistis pietati, religioni, doctrinae vitaeque integritati dilecti filii, religiosi viri, Ferdinandi de Campo, guardiani conventus fratrum franciscanorum apud vos, quia libenter audimus laudes proborum religiosorum et mirificam iucunditatem capimus de studio atque benevolentia, qua illos prosequuntur populi. Facile enim in hoc agnoscimus non mediocrem utrinque reperiri bonitatem. Erant sane non ignota nobis huius adeo a vobis laudati viri merita, eum propterea paterna in Domino caritate non vulgariter prosequebamur, sed commendatio vestra nobis carior erat; et per occasionem signa cum in Archiv. vatic. secret. Pauli V. Minut.

vos, tum ipsum, benevolentiae illi dabimus. Interim vobis apostolicam benedictionem nostram impartimur.

Datum Romae, apud s. Marcum XIII. Cal. Iulii, 1617.

Die XXI. Iunii electus est episcopus pro ecclesia Alexiensi in Albania Benedictus Ursini. Is non Papuae sed Ragusii ortum habuit iuxta Hyacinthum a Sospitello, qui in Albania plaries cum eo sermonem iniit. In qua ordinis provincia observantibus nomen dedisse incompertum est, patet tamen salutis animarum divinique honoris amore flagrasse.

Melissanus de miss. novis. ms. lib. 4. cap. 5. § 1.

LXVII. Hic unus est ex episcopis Alixiensibus, qui nostratibus ad illum agrum dominicum missis in omnibus favit, et non tantum facultatibus apostolicis uti plenissime concessit, sed etiam ubique domos erigere permisit. Quia episcopus Scutarensis et ipse ex regulari observantia Turcicas declinaturus persecutiones, in Italiam transfretaverat, nullusque erat, qui illam super dioecesim intenderet, de mandato sacrosanctae sedis illum episcopatum administrabat ipse Benedictus. Non semel aut iterum, sed saepissime captivitatis periculum adivit eo maxime, cum sicut Dei dispensator volebat exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere, qui cum male habeant Christi asseclas, ecclesiasticos praesertim, sacrificium afferre arbitrantur, cum illos persequuntur ad omne vitae discrimen. Impii pecuniam inhiantes omni negotio querunt antistites, ut pretio soluto, de eorum manibus se redimant.

LXVIII. Omnium maximum periculum est, quod in generalissima persecutione subiit. Nullam persecutionis occasionem Musulmanis dederat; audito nihilominus a quibusdam improbis duos Venetos ballistarios quadam nocte (ipso inscio) in eius domum divertisse, tamquam de proditione suspectus, a satrapis Alexiensibus ad tribunal vocatus fuit, qui etsi recedens posset evadere, tamen suam ostensurus innocentiam stetit ante iudices. Porro apud impios et barbaros exleges subita comparitione nihil profuit, quin cum altero ex dictis ballistariis in arcem duceretur. Hic in angustiis vitaeque periculis nunquam celebrare permissus, supra vigintiquinque dies transegit pane lacrymarum enutritus. Catholici cives ob fugam sui parochi lupis expositi, proprii antistitis commiserati, non obstantibus oppressionibus quibus vexabantur, et quod a Mahometanis tanquam rebelles haberenter, suppliciter institerunt apud urbis praetorem aliosque satrapas, ut ipsis suum concederent praesulem, qui sacramenta ministraret. Ab initio petitionibus contradixerunt, sed tandem victi eisdem assenserunt, dummodo a civitate et suburbiis non exiret, ipsique postulantes bonis suis pro fuga cautionem facerent. Dura visa est haec conditio et durus sermo, tamen propter reverentiam et amorem quibus ferebantur in episcopum, qui in pignus fideiussoribus res suas tradidit, petitioni acquieverunt. Itaque ab arce dimissus descendit in civitatem, et ovium consolationi atque ministerio vacans, apud eos

pascha transegit. Occasione autem suae captivitatis multum profuit Nicolao Veneto, quem in vinculis constitutum, in fide adeo confirmavit consolidavitque, ut Turcicis contemptis blanditiis et minis, pro ea mortem subire non dubitaverit.

LXIX. Huiusmodi Nicolai morte perterritus Benedictus corde concidit eoque magis timuit, quo sibi relatum est, Turcas mussitare: *hodie laicum occidimus cras autem presbyterum occidemus.* Dum autem huiusmodi occupatus angustiis et timoribus in suo tugurio vespere iaceret, sub sera descendit ad ipsum ab arce quidam Mahometanus eius familiaris, gubernatoris famulus, qui in haec prorupit verba: *Domine antistes, certum facio per panem, quem toties mihi elargitus es, quod morieris; et si centies viveres, centies occumberes; haec a dominis meis audivi, eapropter super te commiseratione motus, propter amorem quo te prosequor, descendi moniturus te, quod si mortem evitare desideras, fuga tibi est necessaria.* His acquiescens, illico dimisit sacerdotem et nepotem, quem secum detinuerat, et ipse licet aetate provectus ab eodem Musulmano usque ad primum lapidem a civitate ductus fugit ad montes et solus, humani prorsus auxilii expers, pedester per sylvas atque praerupta loca transiens totaque via sponte errans in tutum ascendit locum. Non diu latuit pontificis fuga; quamobrem Musulmani eadem nocte miserunt viros, qui iuga montium ascenderent et illum fortiter in vincula custodirent; sed quia non est, qui possit resistere voluntati altissimi, si decreverit salvare Israel, dominus ipse dissipavit eorum diligentias et confregit eorum custodias, etenim fecit, ut antistes tres dies sederet in nemore montis vicinioris, quo ipsum convenit sacerdos, qui pro victu pauxillum panis et vini eidem deferebat; quibus elapsis transiit ad Diberos inter quos neque tutus, ascendit ad Miriditas et illic remansit, donec sedatis rebus paceque cum persecutoribus inita, permissum fuit ad plana descendere et non tantum in propria, sed etiam in Scutarensi et Sappatensi dioecesibus, ad quas sui pontifices accedere non potuerunt, munus pontificale complere. Tunc tamquam alter Athanasius suae sedi restitutus et ex tot tantisque periculis divinitus ereptus, plenus dierum et bonorum operum incertis die et anno, in senectute bona quievit.

LXX. Carolus Weinberger olim patris vicarii generalis ordinis ad fratres provinciae Hungariae commissarius, provinciae suae s. Bernardini Austriae custos, qui ob singularem verbum Dei adversus haereticos Lutheranos propagandi gratiam iam episcopus Narianzenus, hoc anno dioecesium Viennensis es Neostadiensis in Austria, administrator nominatur, uti subnexae pontificiae litterae testantur:

Gregorius Papa XV.

Venerabili etc.

Prospero et felici ecclesiarum Viennensis et Neostadien., quarum dilectus filius noster Melchior, s. r. ecclesiae praesbyter cardinalis Cleselius nuncupatus, ex concessione et dispensatione apo- Archiv. secret. vatic. Brev. Greg. XV.

stolica praesul et administrator respective existit, statui atque gubernio quantum cum Dominio possumus consulere volentes, supplicibus et charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, Romanorum regis in imperatorem electi, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut amotis aliis quibuscumque earum ecclesiarum, seu illarum bonorum administratoribus, venerabilem fratrem Carolum, episcopum Nazianzenum, in earumdem ecclesiarum administratorem in spiritualibus et temporalibus cum facultate omnia et singula, quae ad huiusmodi administratoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet spectant, faciendi, gerendi et exequendi auctoritate nostra, accedente praedicti Melchioris cardinalis consensu, si fieri poterit, sin minus absque consensu huiusmodi, sine tamen ullo eiusdem Melchioris cardinalis praeiudicio, constituas et deputes; nec non ut ecclesiarum praedictarum redditus in eiusdem Melchioris cardinalis usum, ut prius, expendantur, et residuum, assignata eidem Carolo episcopo congrua portione, sicut hactenus factum est, conservetur, eadem auctoritate provideas, donec aliud a nobis et apostolica sede ordinatum fuerit. Super quibus plenam et amplam eadem auctoritate tenore praesentium facultatem tibi concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum praedictarum etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consvetudinibus, privilegis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem ecclesiis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes etc.

Datum Romae apud s. Mariam die VII. Augusti MDCXXI. anno primo.

LXXI. Aliqua iubet summus pontifex et indulget. Iubet ne alii regulares capucinorum fratrum habitum vel nomen usurpare audeant: *Ex iniuncto* die IX. Decembris; supprimit provinciam Sardiniae min. observ. eamque ut custodiam subiicit provinciae Catalauniae: *Cum sicut* die XX. Decembris; unit duo monasteria clarissarum Neapolis in uno virginum collegio: *Cum sicut* die X. Septembris; firmat concordiam quoad fratres observantes provinciae Mexicanae: *Ex iniuncto* die XIV. Maii; confirmat ad aliud triennium Iosephum Vasquez in munere commissarii generalis romanae curiae: *Cum sicut*, die XXII. Martii; confirmat Franciscum Nigron observ. rectorem collegii de Manaposer in provincia s. Thomae in Indiis occidentalibus: *Religionis zelus*, die XXIX. Maii; componit dissidium inter fratres conventuales et reformatos eiusdem instituti: *Cum sicut*, die XVIII. Augusti; adprobat quaedam pacta inita inter fratres tertii ordinis in Italia et congregationis Bogardarum vulgo Zepperensis in Belgio: *Romanus pontifex*, die XVIII Augusti; rata habet statuta et constitutiones con-

cessas fratribus tertii ordinis congregationis Gallicanae: *Iniuncti nobis*, die X. Septembris; iubet ut non recipiantur in provincia Gallicana fratres cuiusvis ordinis sine consensu ministri illius provinciae: *Romanum*, die ultima Maii; quaedam statuit pro reformatis Italiae: *Onerosa*, die I. Septembris; iubet ne aliis mutuentur sacra supellectilia e coenobio s. Francisci reformat. Caven; *Cum sicut*, die IX. Iunii; similia iubet fratribus reformatis coenobii Cancellarae Hacherunt. *Conservationi*, die XXI. Iunii; similia iubet fratribus observ. conventus s. Francisci Lucan. *Conservationi*, die XXI. Septembris; subiicit ordinario loci monasterium s. Clarae Murani antea moderatum ab observantibus: *Ex debito*, die VII. Aprilis; item ordinario loci subiicit monasterium oppidi de Leval Coenaman. dioecesis olim ab eisdem fratribus moderatum: *Ex debito*, die ultima Martii; item et monasterium s. Pauli oppidi de Caceres Carien. dioecesis in Hispania: *Piis* die V. Novembris; confirmat litteras Pauli V. Pontificis: *Ad ecclesiae militantis*, die V. Septembris anno MDCVI. ut fratres reformati citra montes degentes possint fundare novos conventus: *Alias*, die XXIII. Decembris.

LXXII. Quaedam indulget pontifex. Ut Lupus Paez minorita de observantia munus apostolici concionatoris gerat in aula regis catholici Hispaniarum: *Religionis zelus*, die XXVII. Septembris; concedit privilegia Antonio episcopo Scardonen. et administratori Bosnen. *Cupientes*, die XXVIII. Septembris; ut Margarita Austriaca clarissa in monasterio discalceatarum Matritensi possit uti quibusdam bonis sibi relictis a regibus Hispaniarum: *Religionis zelus*, die XXIV. Decembris; mittit Hiacynthum a Casali capucinum ad tractanda religionis negotia in Germaniam et Hispaniam privilegiis munitum: *Cum tu*, die XXIII. Octobris; eumque commendat Ioanni Svicardo Moguntino, Ferdinando Coloniensi et Lothario Trevirensi archiepiscopis: *Catholicae religioni*, die XXV. Ianuarii; Leopoldo archiduci Austriae: *Deus ipse*, die XXV. Iunii; Carolo episcopo Wratislaviensi: *Adeo praeclarae*, et sub eadem die: *Quae nos*, Maximiliano Bavariae duci: *Divina*; Paridi archiepiscopo Salisburgensi: *Deo*; comiti de Ognat: *Mittimus*; et *Perduellium*; Ioanni Olderico baroni de Eechembergh: *Nobilitati tuae* et *Abuteremur*; Carolo comiti de Harrach: *In his* et *Quanti*; Martino Becano e societate Iesu: *Gravi* et *Debes*; Ioanni Georgio comiti de Hochenzolleren: *Nostri* et *Decrevimus*; et Wolffgango Guilielmo, duci Neoburgi: *Compertum est*; Francisco cardinali de Dietrichstein: *Habet*, die XII. Iulii; Federico cardinali de Hochenzolleren: *Filios* sub eadem die; Maximiliano comiti de Trautmansdorff: *Caesaris*, die XIV. Augusti; Philippo Christophoro, episcopo Spiren. *Etsi*, die XVIII. Septembris; Godefrido episcopo Herbipolensi: *Si coram* eadem die; Maximiliano Bavariae duci: *Ex litteris*, die IV. Novembris; Ioanni Svicardo archiepiscopo Moguntino: *Etsi*, die XIII. Novembris; Philippo Hispaniarum regi: *Quam magnus*, die XV. Octobris; N. comiti Beneventi: *Eo nos* eadem die; Balthasari a

Iugius tom. 3. bull. p. 241. et seqq.

Zuniga: *Germania* eadem die; Antonio de Sotomaior ordinis praedicatorum: *Pietatis* eadem die; Gaspari comiti de Olivares: *Accepimus* eadem die; N. duci Infantado: *Decet* eadem die; nobili Augustino Mescia: *Possunt*, et N. duci Montis Leonis: *Italici*, die XV. Octobris.

LXXIII. Circa patrum praecedentiam sequens decretum tulit Fabritius Verallus cardinalis, ordinis nostri patronus.

Fabritius miseratione divina tituli s. Augustini s. r. e. cardinalis Verallus, totius ordinis s. Francisci min. de observantia protector, corrector et gubernator, omnibus patribus utriusque familiae supradicti ordinis has nostras visuris, lecturis et audituris salutem in Domino sempiternam.

De Gubernatis tom. 1. p. 399. Cum ad notitiam nostram pervenerit mediantibus sanctissimo domino nostro porrectis et ad nos remissis, ut tanquam protector totius ordinis seraphici provideremus, aliquos patres provinciarum ultramontanae familiae in dubium revocasse locum et praecedentiam, vigore constitutionum generalium dicti ordinis debitam patribus, qui pro dicta familia functi fuerunt officio procuratoris seu commissarii respective in hac romana curia, asserentes hoc non esse expresse declaratum in praedictis constitutionibus et proinde non debere praecedere alios, qui in praedictis provinciis functi fuerunt officio ministrorum provinciarum. E contrario praedicti officiales romanae curiae intendere significabant dictam praecedentiam esse illis omnino concessam supra illos, qui in propriis provinciis fuerunt ministri provinciales, vigore dictarum constitutionum et praesertim constitutionis generalis Toletanae anno MDCVI. sub titulo *de voto et praecedentia patrum*, in qua pro utraque familia renovantur et confirmantur statuta Neapolitana, quae concedunt votum et praecedentiam in omnibus congregationibus etiam capitularibus patribus ordinis et provinciarum ibi assignatis, scilicet illis, qui fuerunt functi officio procuratoris vel commissarii officialium curiae romanae, definitorum ordinis, ministrorum provincialium etc. sicut in praedicta constitutione plenius continetur. Quare ad tollendum omne dubium et occasionem dissensionis vel altercationis inter praedictos patres super dicta praecedentia, et dictarum constitutionum intelligentia ortarum, quae scandalum generant: nos Fabritius cardinalis Verallus, totius ordinis protector, corrector et gubernator supradictus, re mature considerata, visis de verbo ad verbum constitutionibus ordinis factis anno Domini MDXC. in congregatione generali Napolitana pro cismontana familia, et postea acceptatis et confirmatis in capitulo generali Toletano anno Domini MDCVI. pro utraque familia; visa etiam declaratione reverendiss. patris fr. Archangeli a Messana, totius ordinis generalis ministri, facta Romae XXI. Februarii MDCVIII. de quibus nos suo loco egimus, quibus constitutionibus praesuppositis et praesupposita supradicta declaratione reverendiss. generalis fr. Archangeli a Messana pro utraque familia, et praesupposito etiam, quod dictae constitutiones et declaratio respective non sint revocatae in aliqua con- (Annal. min. ad ann. 1608 n. 3.)

gregatione vel capitulo generalibus, a sede apostolica confirmatis, necnon etiam praesupposito, quod non sit aliquod breve vel constitutio apostolica in contrarium, declaramus officiales romanae curiae vigore supradictorum omnium debere omnino praecedere omnes illos patres, qui fuerunt ministri provinciales in provinciis propriis et omnes alios, qui non fuerunt ministri, vicarii vel commissarii generales in ultramontana familia, sicut de facto in hac cismontana familia praecedunt virtute eiusdem constitutionis et declarationis, servato tamen inter eosdem tempore suarum electionum; praecipientes per sanctam obedientiam in virtute Spiritus Sancti omnibus patribus dictae religionis tam superioribus quam inferioribus, cuiuscumque gradus et conditionis existant, ut hanc nostram declarationem ad unguem observent et observari faciant, et praedictos patres, qui fuerunt officiales romanae curiae in possessionem dictae praecedentiae constituant. In quorum fidem has nostras declaratorias litteras fecimus, subscripsimus et sigillo nostro munivimus.

Datum Romae in aedibus nostris hoc die VII. Februarii MDCXXI.

Loco ✝ sigilli.

Fabritius card. protector.

LXXIV. Die XIII. Iulii pie occubuit aetatis suae sexagesimo secundo serenissimus Albertus, archidux Austriae et Belgicarum provinciarum moderator, qui iussit, ut in ecclesia fratrum observantium Bruxellis humaretur tunica eorundem fratrum indutus. Magnum sui desiderium Belgis reliquit ob sui pietatem et mansuetudinem, et moerorem, quia post sui obitum cum nullos reliquerit liberos, Belgium iterum ex iure transactionis cessionis rediturum esset sub imperio regis Hispaniarum. Eo defuncto, Isabella, praedicti principis electisssima coniux, Hispaniarum infans, die IV. Octobris in solemnitate seraphici parentis mundanis pompis valedicens Bruxellis sororibus de tertio ordine aggregari voluit, earumdem tunica induta a patre Andrea de Soto, suae conscientiae moderatore ac generali commissario. Anno insequente solemnem emisit professionem iu manibus mox laudati commissarii. Eodem tempore, una cum serenissima domina sua Isabella, in idem domicilium intrarunt poenitentium regulam professurae d. comitissa de Brony, d. Dorothea Clara de Croy, ducissa, Dotaria vidua aliaeque nobiles de aula sua virgines.

LXXV. Corporis exuvias deposuit in cathedrali templo urbis Castrensis in Tuscia Ioannes Irenaeus Brasavola, Ferrariae nobili genere natus, anno MDCXVII. die XVI. Iannari illius ecclesiae electus episcopus. Morum suavitate et doctrinae praestantia commendatus. Aliqua scripsit et edidit, de quibus nos suo loco. In cuius laudem scripserunt Marcus Antonius Guarinus in compendio historiae ecclesiasticae Ferrariae lib. 5. pag. 346., Possevinus in appar. sacro

tom. 2., hist. gymnasii Ferrarien. lib. 4. pag. 334. et Augustinus Superbus in appar. illustri Verrar. part. 1. Ante mortem ipse mandaverat hoc epitaphium incidi in eius tumulo.

Ughel. tom. 1. col. 582.

FR. IOANNES IRENAEUS BRASAVOLUS
FERRARIENSIS
ORDINIS MINORUM DE OBSERVANTIA
EPISCOPUS CASTRENSIS
IMMUTAVIT
FORMAM IN FIMUM
HONORES HORRORES
FAMAS FUMUM
SOLUM POLUM

ARGUMENTUM.

Absolvitur solemnis legatio franciscalium Philippi IV. Hispaniarum regis nomine ad summum pontificem pro definiendo Deiparae immaculatae conceptu. Pius papa IX. inter fidei dogmata mysterium ipsius immaculatae conceptionis adscribit. Ordinis gloria augetur venerabilium fratrum martyrum, praesertim s. Fidelis a Sigmariga capucini memoria, confessorum ac virginum numero, provinciarum ac aedium erectione, virorum illustrium doctrina et dignitate, missionibus ac pontificiis iussibus et favoribus.

I. Solemni prorsus apparatu advenit in Urbem comes Montisregii, a Philippo Hispaniarum rege orator missus, ut apud pontificem sedulo ageret pro festinanda Deiparae immaculatae conceptionis definitione, ab annis multis optata. Die XXII. Martii pontificem alloquutus petiit sibi exhiberi favorem, ut quamprimum fieri possit pro malorum quotidie exorientium remedio, pro summa regis pietate et communi regnorum pace, ultimam apponat manum molestae et iam satis discussae quaestioni; vel dum differenda sit definitio, sopienda sint scandala et praevenienda imminentia mala illius opinionis silentio, quae peccatum statuit in virgine Deipara. Aperuit etiam rei statum in Hispania et graviorum eventuum narratione; suam postulationem aequam et pontificis assensum necessarium verbis et scripto probavit. Pontifex his auditis, principis precibus ab altero, tertio et quarto oratore propositis annuendum iudicavit, et ante comitis Montisregii recessum aliquid de ea controversia statuendum promisit. Wadd. in leg. ad pontif. p. 445.

II. Laetus hoc audiens orator, assumptis sibi sociis Gondisalvo Albarnozio iesuita, Antonio Daza commissario et Luca Waddingo franciscanis, scriptum tradiderunt sacro cardinalium senatui, ex quo ipsi iudicarunt illud a pontifice dumtaxat peti, ut dum non procederetur ad definitionem, neque defendi ullo modo publice aut secreto possit affirmativa sententia, neque in cultu divino amplius liceret uti voce aut ritu *sanctificationis*. Eorum votis cessit sacrae inquisitionis congregatio; nam ea duplex decretum tulit, nimirum vetuit, ut nullus publice adserere auderet b. Virginem fuisse una originali peccato conceptam, ac in ecclesiastico cultu peragendo nulli liceret uti *sanctificationis*, sed *conceptionis* verba, ut christifidelium scandala e medio tollerentur. En decretum.

Sanctissimus dominus noster, post longam et maturam discussionem, auditis votis ill. et rev. dd. cardinalium, contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, re accurate et diligenter perpensa, provide considerans quod quamvis in constitutione fel. rec. Sixti IV. super

conceptione beatissimae virginis Mariae, pro submovendis inter christifideles scandalis, rixis et contentionibus edita, a s. Trid. synodo innovata et deinde in alia constitione san. mem. Pii V. super eadem re, quas similiter sanctitas sua innovavit cum quibusdam provisionibus et adiectionibus poenarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi et etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit vel non fuerit concepta cum peccato originali, et dum tamen neutra veluti erronea aut haeretica damnetur; nihilominus ex occasione assertionis affirmativae in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et actibus publicis, quod eadem beatissima virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo christiano cum magna Dei offensa scandala, iurgia et dissensiones: propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit et praecepit omnibus et singulis, cuiusvis ordinis et instituti regularibus et aliis quibuscumque, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis et dignitatis tam ecclesiasticae quam saecularis, etiam si specialis, specifica et individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posterum, donec articulus huiusmodi a sancta sede apostolica fuerit definitus vel per sanctitatem suam et sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus et aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem beatissima virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere et subiecit censuris et poenis, contentis in supradictis constitutionibus suorum praedecessorum et sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen provisionem sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis in quibus de praesenti reperitur, praeterquam quoad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris et poenis mandans quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in praedictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent. Insuper voluit et expresse mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictae constitutiones firmae et illaesae remaneant et exacte observentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter abservari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus et aliis omnibus in contrarium facientibus.

Hoc suo praesenti decreto, ex eisdem causis evitandi scandala, dissensiones atque discordias in populo christiano, quae pari ratione oriri possunt, et, ut accepit, in aliquibus regionibus iam ortae sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativae, extendit et ampliavit etiam ad privata colloquia et scripta, *mandans et praecipiens omnibus et singulis supradictis, ne de cetero donec articulus huius-*

modi a sede apostolica definitus vel per sanctitatem suam et sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus et scriptis privatis audeant asserere, quod eadem beatissima virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen quibus a sancta sede apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem nec ei ullum prorsus praeiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus reperitur, praeterquam quoad in sopradicto fel. rec. Pauli V. et hoc suo decreto disposita.

Eodemque sanctitas sua voluit et expresse mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi huiusmodi decretis non adversantur, constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. et Pii V. ac Pauli V. eius praedecess. super conceptione beatissimae virginis firmae et illibatae remaneant, et exacte observentur perinde ac si huiusmodi deretum non emanasset.

Et insuper eadem sanctitas sua cum s. r. e. de beatissimae virginis conceptione festum solemniter et officium celebret, omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam saecularibus quam cuiusvis ordinis et instituti regularibus *mandat ac praecipit, ut in sacrosancto missae sacrificio ac divino officio celebrandis tam publice quam privatim, non alio quam conceptionis nomine uti debeant.* Contravenientes autem sanctitas sua voluit et declaravit subiacere debere et subiecit censuris et poenis, contentis in supradictis constitutionibus ac praefato decreto suorum praedecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decrevit et mandavit ubique inviolabiliter observarvi; non obstantibus in hac parte constitutionibus suprascriptis, decreto praefato Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus nec non omnibus et singulis, quae praedecessores praedicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volens et decernens pro observatione et executione praesentis decreti et omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores etiam regulares cuiusvis ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos et alias quascumque ecclesiasticas et saeculares personas cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis aut dignitatis tam ecclesiasticae quam saecularis, tam episcopi et praelati, superiores aliique ordinarii locorum, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant et in eos severe animadvertant, tribuens eis et eorum cuilibet liberam facultatem et auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi ac poenis coercendi et puniendi. Voluit demum ne praemissorum ignorantia etc.

Die XI. Iunii MDCXXII. pontificatus sui anno II.

Octavius Spada mag. curs.

III. Vulgato decreto, gratulati sunt omnes causae Deiparae immaculatae studiosi non solum, verum etiam christifideles totius ferme orbis et Hispaniarum praecipue provinciae, editis ubique solemnibus Ibid. p. 447.

laetitiae signis. Hinc pontifex comitis Montisregii, legati Philippi regis, ope, sequentem ad eum misit epistolam pii principis collaudans in Deiparam immaculatam impensum obseqnium.

Philippo regi Hispaniarum

Gregorius Papa XV.

Charissime in Christo fili noster salutem.

Catholicae religionis decus et Austriacae pietatis argumentum Ibid. p. 451. est regem potentissimum, cui utriusque orbis provinciae amplissimae famulantur, tanto studio sanctorum laudibus et beatissimae virginis dignitati inservire. Benedicimus maiestati tuae charissime fili, dignamque tibi a dominantium Domino regia pietate felicitatem precamur. Sane tibi et populorum fidem et hostium oppressionem polliceri haud temere possumus, cum eius tibi virginis patrocinium conciliare studeas, quam terribilem esse ut castrorum aciem ordinatam, divina oracula testantur. Vix diei potest quanto nos gaudio cumularint nuperae litterae maiestatis tuae de immaculatae Deiparae conceptione disserentes. O curam catholico rege dignam et Christi vicario gratissimam! ne quid tamen novi tanta in re decernatur in praesentia, monet tum negotii magnitudo, cum romanorum pontificum praedecessorum nostrorum exemplum. Spiritus sancti enim voci auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in divinae sapientiae cathedra christiano orbi a Deo praefecti sumus: quare cum nondum aeterna sapientia ecclesiae suae tanti misterii penetralia patefecerit, in Dei romanorumque pontificum auctoritate debent fideles populi conquiescere. Magni tamen apud nos ponderis fuerunt preces maiestatis tuae, tantumque negotium iterum accuratiusque pensavimus, aliquod tibi regnisque tuis solatium afferre cupientes. Tum autem valde timuimus ne veterator ille serpens, qui boni malique scientiam propriis parentibus pollicens maximis humanum genus miseriis cumulavit, ipsius pietatis armis abutatur ad christianae plebis pacem dirimendam. Quae enim opinionum dissensio est, fieri potest animorum contentio, dum magnificum victoriae genus plerisque videtur, ubi quid in controversiam venit, de aliorum ingeniis triumphare. Quare dissidiorum semina extinguere cupientes, antequam asperior in istis provinciis pullulet zizanii proventus, ingeniorum pervicaciam libertatemque disserendi pontificio decreto coercendam censuimus. Ex eo et ex dilectis filiis nobilibus viris oratoribus tuis, comite Montisregii et duce Alburquerque, mentem nostram uberius cognoscet maiestas tua. Cum enim nobis regiam petitionem elegantissime exponerent, luculenter intelligere potuerunt, quam inviti refragentur et quam alacriter semper gratificaturi sumus tanto regi, quem Europae ornamentum et catho-

licae ecclesiae gaudium esse arbitramur, ac maiestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impartimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die IV. Iunii MDCCXXII.

IV. Accepta a rege summi pontificis littera, illico iussit oratori suo in Urbe agenti, ut eidem pontifici et cardinalibus, sacrae congregationis inquisitoribus, epistolas sua manu porrigeret. Eas ut sunt vulgamus.

Rex

Dux Alburquerqui cognate mihi a consilis et legatione romana.

Per vestras datas IV. mensis praeteriti vidi decretum suae sanctitatis circa mysterium purae conceptionis Dominae nostrae et summe laetatus sum, ut favorabilem hanc resolutionem intellexi, in qua obtinenda bene vestrum eluxit studium et diligentia. Inclusas scribo suae beatitudini debitas solvens gratias, ut in earum conspicies exemplari. Expedict ut confestim exhibeatur epistola, et quam ferventer significes magnum quod ego et regina ex hoc successu concepimus gaudium, propter singularem nostram in hoc sacrum mysterium devotionem; caeteraque adiunges, quae tibi videbuntur opportuna ad explicandam eam quam fovemus spem, quod sua sanctitas tandem definiet quaestionem, ut firmetur haec doctrina in Dei et Genitricis eiusdem obsequium. Dabis etiam alias super hac eadem re cardinalibus iuxta authographum quod mitto, meoque dices nomine, quod convenientius iudicaveris, ut intelligant quanti fecerim illorum in hoc eventu adiutorium. Demum rescribes quidquid in hac causa occurrerit. Ibid. p. 453.

Madriti XIV. Iulii anno MDCXXII.

Ego Rex.
De mandato domini regis
Antonius de Arostegni.

Beatissime Pater.

Dux Alburquerquius et comes Montisregii me monuerunt decreti, quod a sanctitate vestra emanavit in favorem purissimae conceptionis Dominae nostrae, ad quod peculiari affectus sum laetitia, dum considero, quam sancta et vestra beatitudine digna fuerit haec resolutio, quantaque gloria hinc resultabit Deo sanctissimaeque Dei Genitrici, et fidelibus populis consolatio, qui tanto fervore et fiducia expectarunt successum hunc in felici vestrae beatitudinis pontificatu. Porro propter consolationem et exultationem, quam concepimus ego, regina et fratres mei ad bonum hoc nuncium sanctas vestrae beati- Ibid. p. 453.

tudinis exosculor manus, sancte asseverans inter summe grata hoc unum me computare et ultra quam dici potest magni me aestimare, quod mea intercessio aliqualem habuerit in hac re partem, sicut largius significabit vestrae beatitudini dux Alburquerquius, cuius relationi me remitto. Dominus noster sanctam vestrae beatitudinis personam servet incolumem ad bonum et prosperum totius regimen ecclesiae.
Madriti XIV. Iulii anno MDCXXII.

Vestrae Sanctitatis

Per quam devotus et humilis filius Philippus, Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae etc.

Rex
Ex mandato domini regis
Antonius de Arosțegni.

Philippus Dei gratia rex Castellae, Legionis, Aragoniae etc.

Ibid. p. 454. Peculiare habui gaudium propter decretum, quod a sua sanctitate nuper emanavit in favorem purissimae conceptionis Dominae nostrae, cuius nec non vestrae in hac re praestitae operae me moverunt dux Alburquerquius et comes Montisregii. Ego proinde cuius tantopere hoc interest, singulares vobis reddo gratias, quia adiuvistis et defendistis causam adeo instam et piam. Et deinde affectuosissime vos rogo, ut eandem adhibeatis operam in eo, quod superest, donec sua beatitudo tandem dignetur controversiam definire, in quo singulariter mihi complacebitis sicut particularius intelligetis ex duce Alburquerqio ad quem me remitto.
Madriti XIV. Iulii NDCXXII.

Ego Rex.
Antonius de Arostegni.

V. Coronidis loco ponimus litteram senatus Hispalensis ad pontificem missam, qua ei gratias agit pro edito decreto Deiparae immaculatae, quam cuncti peculiari prosequebantur affectu, et ipsius pontificis responsum eorumdem in Deiparae pietatem eximiam collaudans.

Beatissime Pater.

Urbs haec et universa adhaerens provincia ita se locupletatam Ibid. p. 460 agnoscit magno illo bono et favore, quem resultasse ex sacro decreto vestrae beatitudinis circa mysterium immaculatae conceptionis virginis sanctissimae, Deigenitricis et Dominae nostrae cognoscit, ut prostrata ad sanctissimos vestrae beatitudinis pedes perquam effectuo-

sas reddat gratias, quales debentur immortali huic et veluti divino beneficio. Quod fausto hoc vestrae beatitudinis pontificatu, caelitus impulsa adeo concupitam hanc gratiam praestiterit vestra sanctitas felicissimis suae maiestatis regnis (per quam aeternum suum reddidit nomen, nullo unquam aevo a cordibus fidelium abolendum) civitas haec peculiari conatu, nulli secundo, iuxta debitae gratitudinis et perpetuae obligationis mensuram semper Dominum orabit, ut vestram beatitudinem plurimis et felicissimis annis tueatur incolumem iuxta christiani orbis necessitatem.
Datum Hispali Iulii XII. Anno MDCXXII.

Beatissime Pater

Osculantur vestrae beatitudinis pedes humillimi sui filii Hispalenses.

Dilectis filiis senatui civitatis Hispalensis.

Gregorius Papa XV.

Opulentae Indiarum classes non tantum urbi vestrae decus afferre possunt, quantum catholicae religionis cultus et christianae pietatis studium. Magnum quidem est alterius orbis divitias in vestrum convehi, sed profecto longe praeclarius thesauris divinae gratiae animas vestras locupletari, praeterquam quod ea opulentia multos exterarum nationum homines ad Hispalensia littora convocat; at enim pietas militiam caelestis exercitus in vestras arces introducit, et angelorum opem consuetudinemque piis fidelium cordibus conciliat. Beati profecto estis, dilecti filii, cum intelligatis quanto perituris divitiis praestantiora sint eloquia Domini, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum. Proinde nos, quorum felicitas christianarum nationum salute continetur, paterno solatio litterae vestrae cumularunt, quas nobis non ita pridem reddiderunt dilecti filii Matthaeus Vasquez et Bernardus de Toro. Ex illarum enim sententia et ex horum sermone intelleximus quo studio beatissimae Virginis gloriae inserviatis. Ita sentire, ita loqui par est civitatem a dominantium Domino custoditam et solidae pietatis fundamentis innixam. Neque enim vera mortalium laus atque gratulatio a caelestis aulae gloria seiungitur. Vos autem scientiam salutis praeclare didicisse ostenditis, cum beneficium vobis tributum esse profitemini eo apostolico decreto, quo altercantium theologorum dissidia tollere et caelestis reginae dignitati consulere nuper voluimus. Non deerit vobis renumeratio ab eo, qui dives est in misericordia, et beneficentia illius virginis perfuemini, quae causa est nostrae laetitiae, et divinae ultionis flagella tam saepe a catholicae plebis capite averruncat. Nos autem paterna vos charitate in visceribus Iesu Christi complectimur ac super urbem Ibid. p. 461.

istam non minus virtutibus quam divitiis abundantem apostolicae benedictionis thesauros liberaliter effundimus, Deum beatissimamque Deiparam orantes, ut Hispalensem civitatem illustrioribus semper locupletent divinae benevolentiae documentis.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die IV. Novembris MDCXXII. pontificatus II.

V. Suspicatissima tandem dies advenit, qua post lapsum annorum biscentum triginta duorum immaculatae Deiparae conceptum inter fidei nostrae mysteria accenseri dignatus est Pius papa IX. edita die VIII. Decembris quam damus constitutione.

Pius Papa IX.

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulcra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus sanctus voluit, et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei matris dignitate omnino cohaerentem catholica ecclesia, quae a sancto semper edocta Spiritu co-

lumna est ac firmamentum veritatis, tanquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et caelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem virginis conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius virginis conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum ecclesia nonnisi de sanctis dies festos concelebret. Atque ideirco vel ipsissima verba, quibus divinae scripturae de increata sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere, et ad illius virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de immaculata virginis conceptione doctrinam ipsa quoque romana ecclesia, omnium ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria huius ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit eiusdem ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem romana ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis immaculatam virginis conceptionem, eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta romanorum pontificum, decessorum nostrorum, quibus in persona apostolorum principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi ecclesiam.

Enimvero praedecessores nostri vehementer gloriati sunt apostolica sua auctoritate festum conceptionis in romana ecclesia instituere, ac proprio officio propriaque missa, quibus praerogativa immunitatis ab hereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis regnisque, ut Deiparam sub titulo immaculatae conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis sodalitatibus, congregationibus, religiosisque familiis ad immaculatae conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub immaculati conceptus titulo erexerint, aut sacra-

menti religione interposita immaculatam Deiparae conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere conceptionis festum ab omni ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum nativitatis, idemque conceptionis festum cum octava ab universa ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac pontificiam cappellam in patriarchali nostra Liberiana basilica die virginis conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de immaculata Deiparae conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam virginem sine labe originali conceptam colendam et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis litaniis, et in ipsa missae praefatione immaculatus eiusdem virginis proclamaretur conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum praedecessorum vestigiis inhaerentes non solum, quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta probavimus et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV. proprium de immaculata conceptione officium auctoritate nostra munivimus, illiusque usum universae ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit, et in ambiguo versetur, idcirco decessores nostri romani pontifices omni cura conceptionis cultum amplificantes, illius etiam obiectum ac doctrinam declarare, et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de virginis conceptione, atque uti falsam, et ab ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem, qui non conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de immaculata virginis conceptione doctrinam excogitato inter primum atque alterum conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque praedecessores nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimae virginis conceptionis festum, et conceptionem pro primo instanti tanquam verum cultus obiectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII. decessor noster const. *Solicitudo omnium ecclesiarum* VIII. Decembris MDCLXI. sinceram ecclesiae mentem declaravit inquiens: " Sane vetus est Christifidelium erga eius beatissimam matrem virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi, eius filii, humani generis redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu eius conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, et celebrantium ".

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem decessoribus nostris doctrinam de immaculata Dei Matris conceptione sartam tetamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam qua immaculatam virginis conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et eiusmodi, quam romana ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa liturgia solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de immaculato virginis conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice sive privatim defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adiecere sanctionem, quae omnia laudatus praedessor noster Alexander VII. his verbis est complexus.

"Nos considerantes, quod sancta romana ecclesia de intemeratae semper virginis Mariae conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit iuxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni et festo ac cultui secundum illam exhibito, in ecclesia romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, exemplo favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi, et celebrandi beatissimam virginem, praeveniente scilicet Spiritus sancti gratia a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis amotisque scandalis conservare: ad praefatorum episcoporum cum ecclesiarum suarum capitulis, ac Philippi regis, eiusque regnorum oblatam nobis instantiam ac preces, constitutiones et decreta, a romanis pontificibus, praedecessoribus nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, animam beatae Mariae virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus conceptionis eiusdem virginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris et poenis in eisdem constitutionibus contentis observari mandamus.

"Et insuper omnes et singulos, qui praefatas constitutiones, seu decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis eius examinandae, sive sacram

scripturam aut sanctos patres, sive doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint, praeter poenas et censuras in constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, et per praesentes subiicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa et passiva in quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum, et interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus poenis nonnisi a nobis ipsis, vel a successoribus nostris romanis pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint; nec non eosdem aliis poenis nostro, et eorundem romanorum pontificum, successorum nostrorum, arbitrio infligendis, pariter subiacere volumus, prout subiicimus per praesentes, innovantes Pauli V. et Gregorii XV. superius memoratas constitutiones sive decreta „.

" Ac libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, et disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub poenis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus „.

Omnes autem norunt quanto studio haec de immaculata Deiparae virginis conceptione doctrina a spectatissimis religiosis familiis, et celebrioribus theologicis academiis ac praestantissimis rerum divinarum scientia doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint sacrorum antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei genitricem virginem Mariam ob praevisa Christi Domini redemptoris merita nunquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo iuxta sacrarum scripturarum sanctorumque patrum, ac probatissimorum conciliorum testimonia statuit ac definivit, omnes homines nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et immaculatam virginem Dei genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini patres, ipsam beatissimam virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis litteris, nihil ex traditione,

patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae virginis praerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de immaculata beatissimae virginis conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa ecclesia semper extitisse veluti a maioribus acceptam, ac revelatae doctrinae charactere insignitam illustria venerandae antiquitatis ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa caelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.

Equidem patres ecclesiaeque scriptores caelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas scripturas, vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis summam virginis sanctitatem, dignitatem atque ab omni peccati labe integritatem, eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquiens « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius » docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis redemptorem, scilicet unigenitum Dei filium Christum Iesum, ac designatam beatissimam eius matrem virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum eo coniuncta una cum illo, et per illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium, singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem caelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magnitudinem iidem patres viderunt tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad caelum usque pertingere vidit

Iacob, cuius gradibus angeli Dei ascendebant, et descendebant, cuiusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, sed pulcre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cuius fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, eiusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse patres tradiderunt.

Ad hanc eamdem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam iidem prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Ierusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis, et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et reginam illam, quae deliciis affluens, et innixa super dilectum suum ex ore altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi patres, ecclesiaeque scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab angelo Gabriele sublimissimam Dei matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt, hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit *benedicta Tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non loculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui potens est, ea caelestium donorum vi, ea gratiae plenitudine, eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei genitricis innocentiam iustitiamque vindicandam, non eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum, sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit,

sed beatissima Virgo originale donum iugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum amoenissimumque innocentiae, immortalitatis, ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, quod semper vireas ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter status communesque leges effloruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait, inimicitias ponam inter te et mulierem, praedictam, quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit; ac propterea affirmarunt, eamdem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram, ac liberam ab omni contagione et corporis et animae et intellectus, ac semper cum De conversatam, et sempiterno foedere cum illo coniunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis conceptione loquentes testati sunt naturam gratiae cessisse, ac stetisse tremulam pergere non sustinentem; num futurum erat, ut Dei genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu sancto formatum, et purpureae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulcra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tanquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua conceptione immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur iniuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicavit non culpa, immo prorsus decebat, ut sicut unigenitus

in caelis Patrem habuit, quem seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis numquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo maiorum mentes animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulcritudine pulcriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem, et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis cherubim et seraphim et omni exercitu angelorum *natura pulcrior, formosior* et *sanctior*, cui praedicandae caelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque liturgiae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere ampliterque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti una incorrupta pulcritudinis columba, veluti rosa semper vigens, et undequaque purissima, et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae numquam fuit laesa, et altera Heva, quae Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum si de immaculata Deiparae virginis conceptione doctrinam iudicio patrum divinis litteris consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque ecclesiae iudicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius ecclesiae pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam virginem, absque labe originali conceptam, ubique colere, venerari, invocare, et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus sacrorum antistites, ecclesiastici viri, regulares ordines, ac vel ipsi imperatores et reges ab hac apostolica sede enixe efflagitarunt, ut immaculata sanctissimae Dei genitricis conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI. praedecessori nostro, ac nobis ipsis oblatae sunt tum ab episcopis, tum a clero saeculari, tum a religiosis familiis, ac summis principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulare animi nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae providentiae consilio ad hanc sublimem Petri cathedram evecti totius ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei genitricem virginem Mariam veneratione, pietate

et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae virginis honor augeretur, eiusque praerogativae uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium religione, consilio ac divinarum rerum scientia illustrium congregationem, et viros ex clero tum saeculari, tum regulari, theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae immaculatam virginis conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad nos deferrent. Quamvis autem nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando immaculata virginis conceptione perspectus esset plurimorum sacrorum antistitum sensus, tamen encyclicas litteras die II. Februarii anno MDCCCXLIX. Caietae datas ad omnes venerabiles fratres totius catholici orbis sacrorum antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga immaculatam Deiparae conceptionem pietas, ac devotio, et quid ipsi praesertim antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut, quo fieri solemnius posset, supremum nostrum iudicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus, ubi eorumdem venerabilium fratrum ad nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam iucunditate, laetitia ac studio nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cuiusque cleri, populique fidelis erga immaculatum beatissimae virginis conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a nobis expostularunt, ut immaculata ipsius virginis conceptio supremo nostro iudicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum venerabiles fratres nostri s. r. e. cardinales commemoratae peculiaris congregationis, et praedicti theologi, consultores a nobis electi, pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum, hanc de immaculata Deiparae conceptione definitionem a nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus consistorium, in quo venerabiles fratres nostros, sanctae romanae ecclesiae cardinales, alloquuti sumus, eosque summa animi nostri consolatione audivimus a nobis exposcere, ut dogmaticam de immaculata Deiparae virginis conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro immaculata sanctissimae Dei genitricis virginis Mariae conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus ecclesiae sensus, singularis catholicorum antistitum ac fidelium conspiratio et insignia praedecessorum nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum nobis esse censuimus supremo nostro iudicio

immaculatam ipsius virginis conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in ipsa unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas nostras et publicas ecclesiae preces Deo Patri per Filium eius offerre, ut Spiritus sancti virtute mentem nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae caelestis curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra declaramus, pronunciamus et definimus doctrinam, quae tenet, beatissimam virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quopropter si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Iesu Domino nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimae suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo, quae tota pulcra et immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque prophetarum apostolorumque praeconium, et honor martyrum, omniumque sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud unigenitum Filium suum mediatrix, et conciliatrix, ac praeclarissimum ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium cunctas semper interemit haereses, et fideles populos gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica ecclesia, cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus, ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat, ac re-

gnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adiutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac institiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant haec nostra verba omnes nobis carissimi catholicae ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei genitricem virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum ipsa duce, ipsa auspice, ipsa propitia, ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et caeli terraeque regina a Domino constituta, ac super omnes angelorum choros sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris unigeniti filii sui, Domini nostri Iesu Christi, maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis ecclesiae notitiam haec nostra de immaculata conceptione beatissimae virginis Mariae definitio deducatur, has apostolicas nostras litteras, ad perpetuam rei memoriam extare voluimus; mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrae declarationis, pronunciationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae VI. idus Decembris anno MDCCCLIV. pontificatus nostri anno IX.

Pius PP. IX.

VI. Martyrum gloriam subnectimus. Primus sese offert s. Fidelis a Sigmaringa capucinus, cuius acta prosequimur et absolvimus. “Vitchyrchio, quo se ad paucos dies contulerat, redux in Rhaetiam Fidelis, peragratis aliquot oppidis pluribusque concionibus habitis, in pago quodam (Luceyn incolae dicunt) tunc forte constiterat concionaturus. Interea ex vicino Seviensi pago delecti sunt, qui Fidelem pietatis simulatione adeuntes rogarent, ut dominica prima ad eorum

Annal. min. ad annum 1620. Benedictus XIV. de actis quinque s. s. tom 7. p. 45. et seqq.

ecclesiam sese conferret concionem ad populum instituturus. Quin etiam, quo facilius scelestissimi homines voti compotes fierent, multis pollicentur se dicto audientes futuros, nihilque praetermissuros, quod ipse faciendum praestandumque proponeret. Intellexit quidem vir prudentissimus se fraudibus et insidiis circumveniri, quod postea ipso rei exitu probatum est. Sive vero quam tamdiu concupiverat, martyrii palmam sibi tandem oblatam respuere minime vellet, sive apostolico quo fungebatur muneri aliqua ex parte deesse videri nollet, illorum simulationi morem gerendum putavit „.

VII. " Postero itaque die, cum in primis rem Deo sacram fecisset, profectus ad ecclesiam in Sevis, concionem ad frequentissimum populum habiturus suggestum ascendit. Ibi vero patefactis subito insidiis, tempus illud praesens esse cognovit, quod prophetico illustratus lumine venturum saepe praedixerat, quo scilicet sibi erat, illata ab haereticis crudeli nece, obeundum. Vix enim in rostris fuit, cum haec verba certissimum imminentis mortis indicium ibi inscripta perlegit: *hodie praedicabis et non amplius.* Qua tamen re ceteri animum despondissent, et periculi magnitudine territi mente concidissent, tantum abfuit ut Fidelis commoveretur, quin etiam caelesti inflammatus caritate erectus et confirmatus est. Divina igitur virtute fretus maioremque praeter consuetudinem alacritatem ostendens, impavidus concionem sacram aggreditur. Cum subito armata hominum haereticorum manus impetu repentino in ecclesiam irrumpit, altissimos insanosque clamores tollit, ingentique concitato tumultu adstantem populum incredibili terrore et confusione perturbat. Quin etiam audacior quidam et furibundus, ignito globulo contra Fidelem exploso, eumdem in ipso suggestu traiicere conatus est. Cum vero globulus, eo inoffenso contra sicarii mentem fuisset alio delatus, Fidelis periculo, quod declinare non poterat, animadverso, invictum sedatumque animum gerens inter populi strepitum clamoresque descendit et ante maiorem aram flexo utroque genu procumbens certissime moriturus se, catholicos suosque ipsosmet hostes haereticos Domino commendavit. Veritus vero, ne in tanta rerum perturbatione atque tumultu multi, qui ex catholicis aderant, sui causa mali aliquid paterentur, per patentem ex ecclesiae latere portam egressus est. Vix autem secesserat aliquantulum e templi foribus, cum furore amentes, crudelitatem rabiemque toto ore spirantes nefarii quidam Fidelem circumveniunt, ensibus ferratisque fustibus immanissime caedunt et repetitis frequenter ictibus tamdiu contundunt, quamdiu vulneribus supra viginti saucius suo sanguine foedissime maculatus, oculis ad caelum quoad poterat paulo sublatis, animam plaudentibus et mirantibus superis, exhalavit octavo kalendas Maii anno salutis nostrae millesimo sexcentesimo vigesimo secundo „.

VIII. " Porro quanta fuerit in obeunda morte Fidelis animi magnitudo, ipsi haeretici satis norunt atque testati sunt. Cum enim quidam ex illa sicariorum cohorte gloriabundus in omnium coetu nar-

raret Fidelem praesentissimae mortis aspectu nec territum nec perturbatum, immo hilari laetoque vultu in suo corpore vulnera quaelibet excepisse, haereticus praeco tanta commotus animi fortitudine, eiurata illico haeresi, catholicus effectus est „.

IX. “ Sacrum martyris corpus prope eumdem locum, ubi fuerat interemptus, primo sepultum, ad ecclesiam deinde Curiensem ab austriaco exercitu triumphali pompa delatum est die quinta Novembris eiusdem anni, clero universo populoque euntibus obviam, illudque ea insigni veneratione prosequentibus, quae tanta Christi martyri debebatur „.

X. “ Haeretici vero diuturnam ex tanto facinore voluptatem capere minime potuerunt; eam enim a Leopoldo, tunc temporis Austriae archiduce, per summum nefas defecissent collectisque copiis adversus Austriacos arma coepissent, dum signa cum ipsis conferunt, sese illis tanquam Austriaci exercitus caput spectandum Fidelis praebuit divino lumine circumfusum, ensem manu vibrantem aspectuque eos terribili minitantem, quem cum inter ceteros ipsemet haereticorum dux fuisset intuitus, territus et semianimis fugam statim capessere coactus est. Cuius rei fama multorumque insignium miraculorum, quae ad manifestandam sui martyris gloriam a Deo patrata fuerant, longe lateque vagata, summo postmodum fuit principibus populisque incitamento, ut tanti martyris patrocinio se multis precibus commendarent. Quoniam vero eos inter operarios, qui excolendam vineam Domini iussu sacrae congregationis de Propaganda Fide susceperant, primus Fidelis fuerat, qui eam proprio sanguine irrigaverat et foecundaverat, hinc ut etiam de seipsa tam benemerito protomartyri suo maiores, quas in terris poterat, grati animi vices eadem congregatio rependeret, eiusdem opera subito factum est, ut de eo inter gloriosiores Christi martyres recensendo ageretur. Quod ut citius obtineretur, dato ad Urbanum VIII. pontificem maximum supplici libello, sacra eadem congregatio impetravit, ut omissis iis processibus, qui auctoritate ordinaria fieri consueverunt, apostolici tantum conficerentur „.

XI. “ Qui vero probe riteque confecti cum fuissent et ad Urbem delati cumque ad rigidissimum examen de more revocati fuissent, cum martyrium et causa martyrii, tum signa atque miracula, quae ipsum fuerant consequuta, demum in generali rituum congregatione coram Benedicto XIII., pontifice optimo maximo, habita die vigesima quarta mensis Februarii anni millesimi septingentesimi vigesimi noni decretum est: *constare*, quod in odium catholicae fidei interemptus vere Fidelis fuerit quatuorque ex pluribus adprobata miracula. Primum est, quod exorto in arce Maienfeldensi maximo incendio, post invocatam Fidelis opem, statim extinctum est. Secundum, quod cum soror Caecilia Munsingerin, sanctimonialis ordinis cisterciensis, mamillam dexteram horribili quodammodo inflammatam haberet, doloresque acerbissimos pateretur, invocato Fidelis auxilio, statim tumor

omnis, omnis dolor evanuit. Tertium quod cum infantulus Franciscus Papussin, vix in lucem editus, dexterum oculum primo fluentem, mox densum suffusione obnubilatum habuisset, foramen quoque in medio ocelli conspectum de humore crystallino profluente suspicionem maximam ingessisset, medicus vero tanquam re desperata, opem ferre recusavisset, matre ad Fidelis opem confugiente atque vovente, se diem vigesimam quartam Aprilis, qua martyrium passus fuerat, inter solemnes habituram, soluto voto, puer ita sanatus est, ut nullum in oculo remanserit praeteritae infirmitatis indicium. Quartum denique quod cum Gaspar Stigher, ex pago Gisingensi, quinque annorum spatio laterum tergorumque tam acerbo dolore fuisset afflictus, ut cuique labori immo etiam motui impotens esset, postquam se Fidelis patrocinio commendavit eoque gladio contactus fuit, quo dicebatur fuisse percussus, illico pristinae sanitati primisque viribus restitutus est „.

XII. " Quapropter cum sacra eadem congregatio servum Dei inter beatos solemni ritu recenseri posse dixisset, idem Benedictus XIII. dato diplomate die decima secunda mensis Martii anni millesimi septingentesimi vigesimi noni de Fideli beatorum fastis adscribendo decretum emisit indulsitque, ut in universo ordine minorum s. Francisci capucinorum, in urbe Curiensi, Sigmaringae, Friburgi atque Vitebyrchii in eius honorem officium ac missa de communi unius martyris quotannis anniversaria illius mortis die recitaretur. Percrebrescente vero postmodum illius sanctitatis fama, pontificia sanctione permissae sunt propriae de beato Fideli martyre lectiones a sacra rituum congregatione, audito fidei promotore, adprobatae, eiusque nomen una cum illis, quae in romano martyrologio leguntur, annumeratum „.

XIII. " Causa iterum reassumpta novi paulo post efformati fuerunt apostolica auctoritate processus, ut quae post cultum indultum dicebantur patrata, miracula probarentur. Itaque post perpensam diligenter admissamque eorum validitatem, ad examinandam eorumdem miraculorum veritatem atque substantiam deventum est, cumque in pluribus congregationibus fuissent bene discussa, et in ultima generali duo ex quatuor plenis patrum suffragiis adprobata, tandem aliquando die decima octava mensis Ianuarii anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti sanctiss. dominus noster Benedictus XIV. pontifex optimus maximus, peculiari decreto suo apostolicae confirmationis iis robur adiunxit. Primum ex iis fuit fr. Carolus a Mediolano, ex ordine capucinorum professus, a morbo epileptico, quo per decennium laboraverat, momento sanitati pristinae adeo restitutus, ut infirmus fuisse nullatenus videretur. Alterum in Iosepho Kirner puero quadrienni patratum est. Hic enim ob rachitidem triennalem omnem pedum usum amiserat; sed a matre ad ecclesiam capucinorum cum fuisset ductus, beatoque Fideli ante eius imaginem fervidis precibus commendatus, consolidatae subito sunt bases eius, relictisque quibus corpus regebat fulcris, ita recte ambulavit, ut suis ipse pedibus domum redierit, sanusque semper incesserit „.

XIV. „ Postremo cum die vigesima quarta mensis Martii eiusdem anni in generali congregatione coram sanctitate sua solemnem beati Fidelis canonizationem tuto perfici posse patres unanimes affirmassent, eadem sanctitas sua preces prius ipsa fundere statuit, et ut a christifidelibus funderentur indixit. Die demum vigesima quarta mensis Aprilis, quo martyrii beati Fidelis anniversaria memoria recolitur, cum in ecclesia capucinorum fecisset sacrum ad illud altare, quo eiusdem beati martyris reliquiae erant expositae publicae fidelium venerationi, decretum expediri mandavit, ut sanctorum albo idem Fidelis adscribi posset. Pro cuius decreti executione post regum, principum, sacraeque congregationis de Propaganda Fide supplicationes usque a causae initio sanctae sedi porrectas, humillimas etiam preces suas reverenter exponit tota capucinorum familia „. Tandem idem pontifex III. calendas Iulii anno MDCCXLVI. edita constitutione: *Vinea electa* eius canonizationem promulgavit. Sanctum Fidelem latine scripsisse *apologiam doctrinae catholicae ecclesiae, et disputationem contra quosdam haereticos Praetivogienses de sancto missae sacrificio* impressas sine nomine et loco tradunt. Insuper *symbolum fidei* composuit typis datum iussu sedis apostolicae ad usum Germanorum provinciae Rhaetiae. Sbaral. lit. F.

XV. Apud lapones decima, magna nuncupata, contra Christi legis cultores persecutione, quinquaginta duo Nangasachi die X. Septembris martyrii coronam obtinuerunt. Ex dominicana familia numerantur XXXVIII. quorum quinque sacerdotes, duo clerici, unus laicus professus, ceteri triginta catechistae et sodales confraternitatis ss. Rosarii. Ex societate Iesu IX. bini sacerdotes, ceteri familiares. Inter franciscanos duo sacerdotes, unus laicus et ex tertio de poenitentia ordine vir unus et mulier una. Haec novimus ex albo summarii sacrae rituum congregationis pag. 74, Romae vulgato anno MDCXC.

XVI. Primus omnium inter franciscanos die X. Septembris palmam martyrii consequutus est Richardus Trouve, a s. Anna dictus, ex provincia Flandriae natus anno MDLXXXV. in oppido Ham-surheure nunc dioecesis Tornacensis in Belgio. Quadriennem a lupo fuisse extra oppidum abreptum, et a viro eo transeunte ex eius faucibus liberatum tradunt, invocato vel a se vel parente sua s. Annae nomine. Vitam inculpatam egit in adolescentia et aliquando puerilibus ludis indulgens, haec verba coram coaetaneis suis laeto animo proferebat: *ero martyr, ego volo esse martyr.* Primo humanioribus litteris vacavit, mox vero suorum mandato sarcinatoriae artis munus ad annum usque MDCV. obivit. Richardus a s. Anna m. lapon. mon. prov.

XVII. Hoc tempore Bruxellis commorans fatali eventu cuiusdam iuvenis perditae vitae publico a Deo percussi, de quo Adrianus Lyreus iesuita in mariano tragico pag. 469., perterritus Richardus ad franciscalium coenobium Bastoriense, Deo vocante, illico advolavit, petens a loci praeside habitum sibi donari in humili tamen conversorum statu, quod et obtinuit, expleto tyrocinii sui anno. Ingenti

pietatis fervore vitaeque austeritate ita emicabat, ut tam ante suae professionis tempus, quam post emissa solemnia vota omnium in se fratrum oculos animosque converteret. Viliora sui instituti munia erant illi gratiora, et ad ea peragenda solicite ferebatur. Licet multis virtutibus decorus, tanta humilitate exornabatur, ut veniam suarum culparum flexis genibus dimissoque ad terram capite non solum a maioribus, magistris, sed et a novitiis postularet. Altissimam paupertatem coluit; detritam enim tunicam de saccis aliisque petiis repetiatam semper gestavit. Non semel ob sui humilitatis exercitium nuncupabatur hypocrita, dum humi prostratus suam culpam dicebat. Castitatis eximius cultor, nunquam oculos, licet portarii officium ageret, in mulierum faciem iniecit. Exardescebat amore eximio erga ss. eucharistiae sacramentum et immaculatae Deiparae conceptionem, quam fovebat precibus assiduis die ac nocte. Membra domabat ieiuniis, flagellis, catenis ferreis. Lectulum illi erat pavimentum asseribus stratum, submisso capiti ligno.

XVIII. Maiorum suorum iussu Urbem petens, ob sui simplicitatem animique candorem commissarius generalis Indiarum eum sibi socium delegit. Cum autem hoc tempore collectum haberetur fratrum pro infidelium conversione apud Hispaniae regiones, hinc una cum ceteris et ipse designatus fuit pro illius vineae cultura, tribulis et spinis oppleta. Laetus id accepit Richardus et itineri se committens, ut Matritum advenit, epistolam scripsit ad fratrem Engelbertum suum in tyrocinio moderatorem, ignitis erga Dei amorem ita verbis expressam: *credo vos non latere, quod mihi Romae commoranti sors haec occurrerit suspicatissima, ut ego expresse delectus ab Archangelo a Messana, generali ordinis ministro, aliis fratribus quinquaginta me sociarem, qui Pauli V. placito se conferunt ad Iaponum regna Iesu Christi evangelium annuntiaturi, ubi multi ex nostris et christianis indigenis cruci affixi martyrii coronam acceperunt. Quis cognovit sensum Domini? Quis, inquam, scit an non eiusdem bonitatis dono tam grandi sim ego cumulandus, licet indignus? Hac spe profecto sustentor. Orate Deum, ut per unigenitum sui merita me faciat tanto munere dignum.*

XIX. Maniliam adveniens, fratrum consilio in clericorum numerum cooptatus, sacrae theologiae studiis incubuit quatuor annorum curriculo, in quo tam praestans evasit, ut doctrina non acquisita sed divinitus infusa ei videretur. Sacerdotali dignitai anno aetatis suae XXII. initiatus, vix dici potest quanto consolationis affectu fuerit perfusus, zeloque exarserit in disseminando inter gentes Dei verbo. Ea in civitate commoranti recurrit Marcus Donades Hispanus, qui in coenobio Nivellensi tyrocinium cum Richardo expleverat. Cum autem ab eo accepisset se in Floridam insulam, ad procurandam infidelium salutem, sicut et ipsum in Iaponum regna destinari, impensas Deo egerunt gratias, quod binos operarios insisset, qui pro Christo legatione fungerentur in extremis mundi regionibus. Ille igitur in Florida concionibus suis multos retulit animarum fructus, de quibus ante sui

martyrium scripsit idem Richardus epistolam gratulatoriam ad fratrem Engelbertum, magistrum suum Novellae incolam, dicens: quod Marcus Christo filios genuisset sicuti novellas plantationes in iuventute sua. Sibi ipsi interim gratulabatur, quod omnipotens Deus dignatus fuisset ipsum suscitare de pulvere et de stercore elevare pauperem, ut collocaret eum ecclesiae principibus.

XX. In Iaponiam accitus, nata contra verbi Dei praecones persecutione, exulare coactus est post paucos menses. Insulas Philippinas moerenti animo repetiit; sed novo velut indutus fidei dilatandae zelo et martyrii desiderio flagrans, eo iterum anno MDCXVI. rediit. Gravitatem et diuturnitatem huiusce persecutionis, ab octo annis excitatae, novimus ex epistola ab eo scripta ad fratres Nivellenses. *Ab annis octo, ait, praeivere nobis ad martyrium innumeri viri, feminae, virgines; alii per ignem, per ensem alii, aliique pedibus suspensi, nonnulli sepulti viventes, quidam inter duo ligna collisi, quidam membratim concisi. Praeter duos e nostris, quorum unus in regno de Moluco nuper decapitatus est post tormenta gravissima, alter columnae per tres dies affixus, ferreisque uncinis excarnificatus ad caelestia regna pervenerunt. Inter memorates huius regni martyres, alii octo de ordine nostro fuerunt; e dominicanis duo, quorum unus Antuerpiensis crematus alter capite plexus; ex augustinianis similiter duo; e societate Iesu pares perpessi poenas etiam duo, omnes praeclarum testimonium dederunt fidei nostrae. Iapones ipsi constantiam in patiendo plane stupendum demonstrant; nam eorum X lento igne combusti; X crucifixi; XV decapitati; V in ergastulo suffocati fuerunt. Inter combustos iuvenes duo frater et soror, tyranno pollicente non solum vitam, sed honores quoque plurimos, si consentirent renuntiare fidem solam exterius. Masculus ingenti fervore respondit de medio ignis: o vos spectatores ne probro tribuatis nostras passiones; cum potius tales nobis invidete triumphos; quo dicto consumptis igne funiculis, ad propriam accurrit matrem similiter patientem et exhortans eum dixit: sume animum, o mater, quoniam adstat Dominus Iesus adiuvans te, modica passio, gloria infinita; ac tum eam fortiter amplectens et cum ipsa simul exspirans eductus in refrigerium; soror autem et ipsa, funibus exustis, liberior assumpsit carbones, quos exosculata capiti suo superimponens, admirandae exultationis signum edebat; mos quippe Iaponum est, ut quod reverentur et aestimant, super caput suum elevent. Huic spectaculo praeter infideles sine numero adfuerunt christiani bis mille, qui vestiti albis provocabant in se iudicem, clamantes eodem se supplicio dignos, ut qui Deum eumdem adorarent; sed tortores pertaesi tantae multitudinis abstinnerunt ab ulterioribus cruciatibus inferendis; ipsi vero fideles sustulerunt corpora, chordas, titiones, carbones et quidquid servierat cruciandis martyribus usque ad cineres, quantumvis prohiberentur percussione pugnorum et gladiorum. Lucrum arbitrabantur mori pro Christo, gloriantes in plagis, in carceribus, in fame, siti, nuditate, persecutionibus. O providentiam Dei vere admirandum in eo, quod non minuitur persecutionibus ecclesia, sed augetur, et aquae multae non possunt exstinguere charitatem! O vere admi-*

randam s. evangelii virtutem, qua fit, ut etiam sine miraculis in prima ecclesia fieri consuetis, Iapones isti convertantur ad fidem, operante gratia divina.

XXI. In eadem epistola de se suisque sociis loquens: *militiae huius, inquit, sumus consocii et speramus eiusdem fore consortes, aegre sustinentes coronae dilationem. Verum quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, nos ipsos subiicimus eius dispositioni, qui nimirum scit teneras eiusmodi plantas non posse tam cito destitui ministrorum evangelicorum opera et adiutorio.* Quae vero quotidie ab infidelibus mala sustinebant enarrans dicit: *quod saepe ab urbibus erant proscripti, saepius expositi puerorum clamoribus in foribus, saepissime luto, lapidibus iactati, et adhuc recenter expulsi de eorum aedibus, quarum quinque solo aequarunt.*

XXII. Saeviente Iaponum aestu contra fidei catholicae cultores opera potissimum et consilio cuiusdam Iosephi, qui e sinu ecclesiae abierat, latum fuit mandatum, ut carceribus manciparetur idem Richardus Vomurae commorans. Vix id innotuit fratri ordinis praedicatorum, amico et individuo comiti laborum suorum trium annorum spatio, ad aedem Luciae de Fleitos sororis de tertio ordine advenit, ubi gravi morbo laborabat Richardus, eumdem admonens de vulgata contra eum sententia eique interim consulens, ut sibi prospiceret, hospitio cito mutando. Vir autem quidam nobilis ei obtulit domi suae latebras, ut securus evaderet ab inimicorum furore, ne vinea Domini sua opera destitueretur. Ut Dei servus martyrii cupidus amicorum suorum consiliis posthabitis, laetus cuncta accepit et a morbo illico sanus evadens christianorum confessiones audivit usque ad vesperas. Quo tempore irruentibus satellitibus domi dictae Luciae captus et vinctus ad Nangasachi moderatorem adducitur multisque aerumnis afflictus, die IV. Novembris anni MDCXXI. carceribus includitur, in quibus et christifideles et religiosi viri plurimi detinebantur. Silentio haud praetereundum est, quod eius in fidei institutione discipulus nomine Leo Satzuma, tertio ordini adscriptus, ut haec rescivit, satellitibus se obtulit dicens: *ego etiam sum religiosus et comes illius patris* mox carceri mancipatur. Quibus auditis, in ergastulo ponitur, ut subinde cum ceteris extremo supplicio mulctaretur.

XXIII. Laudati Richardi epistola etiam habetur data ad suos Nivellenses paucis ante sui martyrium diebus, qua hisce verbis describit sui suorumque commilitonum carceris formam ac supplicii genera. Mon. prov. *Ab uno, inquit, vel circiter anno detineor in carcere crudeli una cum XXXII. sociis nostri ordinis, VIII s. Dominici, VIII societatis Iesu, VI reliquis in evangelii ministerio coadiutoribus. Carcer est viginti quatuor pedum in longo, sexdecim in lato, et quasi totus sub dio. Aliqui de nostris ab annis quinque, alii a quatuor et infra, ego captus ultimus ab uno tantum anno; omnes tenuissimo victu, oryza scilicet et aqua utcumque sustentamur. Alii duo, ab annis duobus hinc erepti, vitam adepti sunt sempiternam, ad quam nobis iter fecerunt huius terrae naturalium*

fere CCC. virorum, mulierum et virginum tenellarum, variis cruciatibus interemptarum. Nos vero, qui residui sumus religiosi sententiam mortis accepimus igne lento cruciandi una cum illis, qui nos in suis domibus exceperunt; reliqui tum nostri coadiutores, tum alii christiani adhuc numero fere XXX gladio feriuntur.

XXIV. Postrema est eius littera ad eosdem fratres data, quam merito vulgamus. *Sit in aeternum benedictus, qui me dignatus est suscitare de pulvere et terra, de mundo et patria mea, ut faciat me videre magnalia sua et consedere inter principes populi sui. Optarem habere plus otii ad referendum vestris charitatibus magnalia, quae Dominus Christus operatur in hac christianitate per constantiam christianorum in persecutionibus, adeo ut sperem futurum hic alteram Romam in suis martyribus, quos sibi quotidie Deus eligit. Reverendissimus pater commissarius Indiarum, quem in Hispania semper fui comitatus, in aula regis catholici Madriti residens, sciet totam seriem nostri martyrii, ex quo poterit vestra charitas fieri certior. Hac autem occasione praesenti scribo ad congratulandum et incalescendum ad Dei obsequium et animarum salutem. Non vacat ultra scribere, quia expectamus in singulas horas rapi de isto carcere ad ignem. Omnibus fratribus vestri sancti conventus millenas salutationes et singulis amplexum pacis in Christo Iesu. Singulariter v. p. Iacobo de Gand, v. fr. Ioanni Engelberto, fr. Enrico Miruuat, et N. N. N. siqui ex eis dormierint, requiescant in pace. Reliquos vero expectaturus in caelum pergo, quos omnes Iesu Christi amore succensos tandem aliquando amplecti desidero. Iterum atque iterum in Domino valete.*

Ex Iaponia civitate Nangasachi die I. Septembris MDCXXII.

Indignus vestrae charitatis pauperculus
Fr. Richardus de S. Anna.

XXV. Optatissimus illi dies tandem illuxit X. Septembris currentis anni, qua eductus e carcere laeto animo ad triumphi campum properabat. Cuncta, quae evenerunt in martyrio fratris Richardi, indubia relatione patent patris cuiusdam dominicani, qui tanti viri per tres annos comes fuit in evangelica divini verbi praedicatione et praesens interfuit eiusdem martyrio. Is enim in Urbem reversus omnia a se visa exposuit Theodoro Gerinceaux provinciae Flandriae custodi, eo anno MDDXXV. ad generale capitulum accito. Acta eius et sociorum etiam fideliter scripsit Didacus a s. Francisco, commissarius generalis discalceatorum in Iaponia, a quo sequentia mutuamus. Richardus una cum ceteris de carcere Vomurae eductus ad Nangasachum ducebatur, per viam intrepide praedicabat Iesum Christum, obvios christianos exhortando ad perseverantiam et constantiam in fidei confessione dicens: *usque modo vos sermone docuimus fidem in Iesum Christum; nunc autem eamdem fidem opere confirmamus certo certius adserentes, quod sicut unicam a Deo accepimus vitam, pro eiusdem*

fidei defensione libentissime profundimus, ita si nobis plures essent, pari prorsus libertate profunderemus amore Iesu Christi, qui suam pro nobis omnibus posuit immenso suae dignationis affectu. Infidelibus vero annuntiabat aeternam damnationem, nisi dimissis erroribus converterentur ad Deum verum et unicum filium eius Iesum Christum, in quo solo est vera salus.

XXVI. Cum ad martyrii locum, in quo erant ipse et eius socii lento igne cremandi, accessissent, palos, quibus alligandi erant, singuli flexis genibus animoque alacri amplexati dulcissimis lacrymis irrigabant. Tunc in eos irruere carnifices et stipitibus impositi levibusque funiculis stramineis, ut lento igne comburerentur, colligati crudele lethum subiere. In eo agone non fuit aequalis omnium temporis duratio; aliqui enim citius, aliqui tardius occubuere. Richardus noster post binas horas flammarum vi fumoque extinctus caelestia petivit Iesu Chisti nomen cum ingenti fervore ingeminans.

Petrus de Abula m. Martinez lib. 3. p. 198.

XXVII. Eadem die X. Septembris lento igne combustus est Nangasachi Petrus de Abula Hispanus, sacerdos ex provincia discalceatorum s. Iosephi, qui ab ineunte aetate virtutibus florens, in instituto ita eas auxit, ut omnimodae sanctitatis exemplar ab omnibus haberetur. Zelo dilatandae fidei percupidus anno MDCXVII. in socium se dedit Ludovico Sotelo, Iaponum apostolo, ut eisdem gentibus evangelium praedicaret. In eo munere obeundo multos retulit animarum fructus, tum ob animi sui comitatem morumque elegantiam, tum etiam ob vitae suae miram asperitatem. Ab anno MDCXX. a furentibus fidei hostibus, carceribus una cum ceteris inclusus, multa pro Iesu nomine ab eis tulit ad usque hoc tempus, in quo sanguinem fudit aetatis suae anno XXX. In ipso carcere varias epistolas scripsit ignito eloquio plenas, quarum una missa ad fratrem Didacum a s. Francisco eius commissarium, vulgata legitur in hist. Iaponensium, Maniliae anno MDCXXV. cap. 17, pag. 46 edita. Insuper detentus in custodia varia scripsit hispanice ad fideles Populae de Angelis et ad suum provincialem s. Didaci in Mexico de quibus sic: *varias cartas que son una relacion o noticia de la priseon y trabaios de los cristianos en el Iapon.* Cum autem ad martyrium duceretur ceteris commilitonibus praeibat, extenso triumphali vexillo. Vincentius a s. Ioseph laicus in oppido Ayamantis, dioecesis Hispalensis, natus, similia tulit eadem die in urbe Nangasachi, flammarum vi inter divinas laudes consumptus. Martyrii coronam item cum eis assequutus est Leo e regno Satzuma, aliis Iaponensis, tunica tertii ordinis s. Francisci de poenitentia donatus, ob suae vitae candorem a fratre Richardo a s. Anna, quem suum in praedicatione evangelica socium adhibuit, munus ei demandatum pro institutione infidelium in catholica fide impigre exegit, licet multis aerumnis affectus et ab Indis ludibrio expositus. Carceribus Nangasachi item inclusus eadem die et anno lento igne crematus cum morte vitam commutavit. Eadem in urbe martyrium subiit igne Thomas Quizo capo, tertii ordinis,

Beristain lit. I.

Vincentius a s. Ioseph m. Martinez ibid.

Leo Satzuma m. Idem ibid. p. 199.

Thomas Quizo m.

socius in tribulationibus fr. Didaci a s. Francisco. Eum e carcere epistolam scripsisse tradit Ioannes a s. Antonio tom. 3. biblioth. Francisc. pag. 126.

XXVIII. Martyrum certamini praesto aderat etiam Lucia, tertio ordini de poenitentia adscripta, lectissima et nobilissima femina, Nangasachi nata. Invenili in aetate nupsit Philippo de Fleitus Lusitano, viro catholico bonisque moribus exornato, ex quo novimus ipsam olim sacro baptismatis lavacro ablutam fuisse. Ambo erant in religionis et virtutum studio anima una et cor unum. Omni humanitatis sensu singulos operarios evangelicos domi suae excipiebat, ubi sacrum faciebant et christifidelibus sacramenta ministrabant. Eis etiam impensas suppeditabat, ut hac illac discurrentes inter infideles facilius verbum Dei disseminarent. Zelo interim fidei accensa Iaponem, ab ecclesiae sinu devium, coram institiae administris acriter reprachendit. Iis igitur ab ea peractis, sententiam mortis et ipsa una cum aliis tulit. Cum e carcere ad rogum duceretur gestiens in manibus crucifixi imaginem viros ac mulieres hortabatur patria voce ad profundendam vitam pro Iesu Christi amore, insimul decantas Deiparae virginis laudes. At carnifices, evulso de eius manibus crucifixo, pugnis et flagellis ad tacendum adigebant, sed frustra. Hinc in medium flammarum iniecta, immota permansit, hilari vultu dilecto suo animam reddens, martyrii corona decorata fuit LXXX. aetatis suae anno. Lucia de Fleites m. Idem ibid.

XXIX. Hic loci non est silentio praetereunda quaedam mulier, cui nomen Ines sive Agnes, quae ultro se obtulit carnificibus dicens: *et ego etiam praedicatores in aedibus meis excepi: ergo me una cum ipsis eodem mortis supplicio mulctate.* Quo dicto, vestibus denudatam virgisque caesam publicae illusioni expositam dimiserunt. Altera mulier assumpto parvulo inter manus ad martyres conversa aiebat: patres una mecum cum parvulo Deo hostiam offerte; et his dictis matris et triennis filii caput amputatur. Simili exitio vitam consummarunt alii multi infantes decennes, octennes, sexennes sine fletu, sine formidine, immo solo gaudio perfusi.

XXX. Haec Nangasachi. Alii etiam die XII. Septembris de sacro praedicatorum ordine, de societate Iesu una cum franciscanis fratribus martyrium subiere in urbe Vomurae, eiusdem regionis. Inter franciscanos in primis occurrit memoria fratris Apollinaris Franco, nobili genere nati in oppido Aguillar de Campo, provinciae Castellae Veteris. Studiorum curriculum explevit in universitate Salamanticae, doctoris laurea tum in sacris literis, tum in utroque iure decoratus. Miram ab ipsa sui adolescentia modestiam, pietatem et in Deiparam devotionem coluit. Ut autem Deo intimius adhaereret, franciscalium de observantia habitum sumpsit in eorum coenobio urbis Salamanticae, provinciae s. Iacobi. Ab eo tempore flagrabat zelo disseminandi Dei verbum inter infideles, vitamque suam pro eorum salute, si opus esset, profundendi. Dum haec alta mente recolebat, se obtulit occasio, quod Ioannes Pauper nuncupatus collectum fra- Apollinaris Franco m. Martinez lib. 3. p. 196.

trum haberet pro fidei dilatatione inter gentes, tunc illi anno MDCI. in socium se dedit in Iaponiae regnum migranti. Eo perveniens vix dici potest quot ad ecclesiae sinum adduxerit, quot a fide devios Christo reconciliaverit, quot christifideles ad perferendas pro nomine Iesu aerumnas animaverit. Is una cum Alphonso de Navarette, ordinis praedicatorum, auctor fuit, ut pro consulendis necessitatibus christifidelium nuper ad fidem adductorum, erigeretur sodalitium *charitatis* nuncupatum, quod mirum fidei incrementum protulisse tradunt. Ante annum MDCXVIII. grassante contra fidei cultores imperatoris persecutione, suorum mandato ibidem mansit occultus, Iaponum more habitu indutus, hac tamen illacque discurrebat, ut fidelibus esset solatio et infideles sacris ablueret aquis. At eo anno a fidei hostibus carceribus Vomurae inclusus, inter maximas calamitates angelicam prorsus vitam agebat; corpus interim asperis flagris ita caedebat, ut Thomas Zummarraga, sacerdos dominicanus, in passione socius, scribens ad Didacum a s. Francisco, commissarium franciscalium, hortaretur, ut sua auctoritate Apollinaris poenalitates temperare satageret. Die igitur XII. Septembris e vinculis eductus, et fune constrictus, ad locum martyrii deveniens, submisso ad palum in quo alligatus erat igne, vultu sereno animam Deo reddidit. Tunica viri Dei igne consumpta, in eius corpus patuit cilicium ferreum tenaciter costis inhaerens. *Varias* e carcere scripsit *epistolas*, quarum aliquae vulgatae sunt a chronologo provinciae s. Iacobi Salamanticae anno MDCCXXI. Alteram exhibet Mazzara datam ab eo e carcere XXI. Februarii anni MDCXX.

Ex processu p. 22.

De Torres in prov. Granaten. p. 206. Mazzara t. 9. p. 159.

XXXI. Martyrii palmam et promeruerunt duo invenes Franciscus a s. Bonaventura et Paulus a s. Clara Iapones, quos idem Apollinaris in pietate et litteris erudierat in eodem carcere, et ibidem tyrocinio absoluto et emissa professione, inter clericos adnumeravit. Innocentia vitae et patientia prope singularis, in aerumnis, in fame et siti, frigore et nuditate exornabantur. Hi capitis poenam subiere in ipsa Vomurae civitate. Simili letho passus est Vomurae Ioannes de Iquenda item Iapo, tertio ordini de poenitentia adscriptus, socius laudati Apollinaris, et non in carcere, sed in loco martyrii, ad quem advenerat, ut martyrum reliquias pro eorum pietate colligeret.

Franciscus a s. Bonaventura et Paulus a s. Clara mm. Martinez lib. 3. p. 195.

Ioannes de Iquenda m. Idem ibidem.

XXXII. Hoc eodem anno martyrii desiderio percupidi, Sinensium more habitu amicti intrarunt in Iaponiam, ut fidei lumen in eas regiones diffunderent Franciscus de s. Maria, Bartolomaeus Laurel, Ioannes de s. Philippo et Bernardus de s. Ioseph, quorum duo primi subinde martyrii coronam acceperunt, alter laboribus aerumnisque confectus occubuit; postremi acta et exitum ignoramus.

Idem lib. 1. p. 172.

XXXIII. Inter illustres fidei nostrae martyres accensendus est etiam Blasius Palomino urbe Illiturgis natus regni Andalusiae, parentibus genere et opibus praestantibus, a primis suae aetatis annis emicabat devotionis summa erga Deiparam, quam ferventibus precibus exorabat, ut ab unigenito filio suo obtinere dignaretur, qua ra-

Blasius Palomino et Socii mm. ibid. p. 175.

tione eidem posset famulatum exhibere. Hinc divino adiutorio suffultus, corpus macerabat ieiunio ferme assiduo, flagrisque se caedebat ante Iesu Christi imaginem, cuius agones lacrymarum imbre recolebat. A Deo inter observantes franciscanos vocatus vix eorumdem habitum in conventu s. Francisci Mantiliae provinciae Granatensis induit, asperrimo cilicio membra revinxit, tantumque vitae fervorem tantamque modestiam et reverentiam praeseferebat, ut angelus carne et spiritu vocaretur.

XXXIV. Exardescebat charitate erga Deum et proximum, maxime vero erga illos, qui lumine fidei destituti in umbra infidelitatis misere sedebant. Votis suis cessit misericors Deus; nam anno MDCIX. suorum voluntate in Iaponiae regna advenit apostolus. Maniliae commorans lingua tegala mox excultus evasit. Varias regiones peragravit, in quibus licet multis adhibitis laboribus, parvum tamen ob obdurata eorum corda retulit animarum fructum, si excipias incolas provinciae de Itay et de Binangonan, affines regni Macassariae nunc insulae s. Laurentii. Postremo pervenit ad insulam de Matheo, Molucensi insulae proximam, una cum tribus sodalibus eo missis a Martino de s. Ioanne commissario, ubi dolo exceptus a loci moderatore Mohometano, lanceis cum sociis confossus, martyrum palmam accepit. Corpora post sex menses eruta, illata fuerunt in coenobium observantium s. Antonii de Molucha. Eorumdem acta descripta fuerunt a fratre Petro de Conceptione, commissario et laborum participe. Alphonsus de Torres in sua chronica provinciae Granatensis unam inter ceteras *graves litteras* ab Apollinare scriptas edidit tract. 3. cap. 14.

XXXV. Inter observantes pie quievit in conventu Basteriensi, provinciae Flandriae, die XXVIII. Novembris Ioannes Sohier sacerdos, praeclarus theologus, eximius verbi Dei praeco. Commendabatur ob sinceram humilitatem, fervidam orationem et animi candorem. Licet quotidie munus concionatoris obiret, tamen die ac nocte praesto erat in choro in fundendis cum ceteris Deo precibus in ecclesia. Aliquando provinciam administravit et nudis pedibus Compostellanam s. Iacobi peregrinationem instituit. Coloniae Agrippinae ad Rhenum, ut pestifero morbo affectis opitularetur pie occubuit die XVIII. Octobris Simon Ribphius sacerdos, multis virtutibus dives. Antequam minorum instituto adscriberetur, pupillorum causas agebat apud forum ecclesiasticum, nullo exacto pretio.

Ioannes Sohier. Mon. prov

Simon Ribphius. Hueber ad diem 18 Octobris.

XXXVI. Penes eremitorium conventus s. Mariae de Gratia Alonae, in provincia Valentiae, occubuit Balthasar Reussel laicus, illius loci incola quadraginta annorum curriculo, ubi omni asperitatis genere corpus edomabat. Miraculorum gloria floruit. Crucis signo vas olei plenum mox obtinuit, quo carebat, ut lampas collluceret ante altare Deiparae, quam impense colebat. Eodem crucis signo a lethifero morbo incolumem reddidit gregem cuiusdam sui familiaris. Corpus illatum ad ecclesiam coenobii s. Francisci eiusdem urbis inter ingentem populorum affluxum, triduo insepultum remansit pro eo advenientium solatio.

Balthasar Reussel. Mon. prov.

Franciscus Gonzalez. Mon. prov.

XXXVII. Die XXII. Iunii raptus est Franciscus Gonzalez de la Lama in coenobio Vallisoletano, provinciae Conceptionis, nobili genere ortus, qui defuncta uxore pietatem colens, nudis pedibus varias peregrinationes, nimirum Romanam, Lauretanam et Campostellanam instituit. Dormiebat super nudam tabulam et membra macerabat assiduis poenalitatibus. A Deo subinde vocatus in instituto minorum de observantia, humilitatis gratia inter laicos adscribi postulavit et obtinuit. Ab eo tempore asperrimum semper gestavit cilicium, carnes, pisces vinumque nunquam degustavit. Cellam nusquam habuit, sed die ac nocte in ecclesia versabatur, ut caelestia recoleret.

Bartholomaeus Agricola.

Sbaral in addit. p. 725

Wadd. ad ann. 1234 n. 16.

XXXVIII. In coenobio s. Laurentii m. Neapoli die XIII. Martii obiit Bartholomaeus Agricola, minorita conventualis, natione Germanus ex Palatinatu de Amberga, vir omnimodae sanctitatis et miraculorum gloria illustris, etiam hoc nostro tempore, de quo inter praetermissos agunt et Bollandistae ad hunc diem, Lucas Waddingus agens de viris illustribus huiusce coenobii sequentia scribit: *beatus*, inquit, *Donatus; necnon nostrorum dierum vir Bartholomaeus Agricola de Ambergh Germanus, cuius solemnis ibi agitur memoria, cuiusque sepulcrum, dum praesens adorarem, vidi multis tabellis et votis exornatum, a populo frequentatum et in reverentia habitum. Compendium vitae et publicos sermones in anniversariis eiusdem habitos, apud me habeo excusos, ex quibus potiora, Deo annuente, suis dabo temporibus.* Scripsit librum hoc titulo asservatum mss. Assisii in biblioth. conventus s. Francisci: *Vallis deliciae, idest centum meditationes de passione Domini et alia pia.* Funebrem de eo orationem habuit Thomas Gaudentius, clericus regularis, editam Neapoli typis Ioannis Dominici Roncaglioli. Eadem in urbe apud conventum s. Luciae mortem pie occubuit die XVII. Februarii vir religiosus ex tertio ordine nomine Apostolus, forte cooptatus inter fratres reformatos conventuales, qui hoc tempore eo loci degebant. Apostolorum vitam imitatus, paupertate, poenitentia et in adversis tolerantia valde emicuit.

Apostolus N. Arturus ad diem 17. Februarii.

Laurentius Picenus. Mon prov.

XXXIX. In provincia romana reformatorum obiit in conventu s. Francisci Transtyberim de Urbe die I. Octobris Laurentius Picenus, natus in oppido Roccheccontradae, nunc Arceviae, qui inter reformatos adscriptus, mira de se edidit sanctitatis specimina. Precibus ita deditus erat, ut semper videretur orare. Sine potu et cibo per hebdomadam tres dies transigebat. Summo in pretio erat ob sui simplicitatem Bartholomaeo a Saluthio, concionatori eximio. Die IX. eiusdem mensis ibidem et decessit Angelus de Rochantiqua, in audiendis christifidelium confessionibus assiduus, quas sanctis exhortationibus ad meliora charismata sectanda alliciebat. Crucis signo infestos a daemone mox liberabat. Die XIII. Septembris obiit in conventu Calii, provinciae Picenae, Bonaventura de Monte Labete eiusdem instituti, prae suae opinionis fama a cunctis summo in pretio habitus.

Angelus de Rochantiqua, Mon. prov.

Bonaventura de Monte Labete Mon. prov.

XL. Apud Siculos in conventu s. Mariae de Iesu Panormi die XV. Februarii superna petivit Antonius a Nicosia, laicus item refor-

natus, vir invictae patientiae in sustinendis adversis et corporis infirmitatibus toto ferme vitae suae tempore. Die ac nocte assiduis precibus se dabat. Prophetiae et miraculorum dono interim inclaruit.

Antonius a Nicosia. Mazzara t. 2. p. 255.

XLI. In discalceatorum familia aetatis suae anno LXVIII. obiit Antonius Sobrinus sacerdos, Salamanticae illustri genere natus, qui antequam discalceatis fratribus se coniungeret, in aula Philippi II. regis catholici munus obivit officialis maioris secretariae status summo ipsius regis solatio. Aetatis suae anno XXII. habitum discalceatorum obtinuit, et in ipso tyrocinio laudabilem se praebuit in virtutum exercitio. Carnis macerationi, ieiuniis, ciliciis aliisque asperitatibus iugiter intendebat. Solo pane, aqua et herbis sylvestribus saepius reficiebatur. Nudis pedibus hyemali etiam tempore incedebat, et somno se dabat super tabulam; quod vitae genus per plures annos egit usque dum gravibus et assiduis aegritudinibus afflictus, obedientia coactus temperavit. Paupertatem, mansuetudinem, humilitatem mire colebat; assiduus erat orationi, in qua novem horas genuflexus insumebat, non semel ecstases passus. Aliquando in iis precibus fundendis, miro splendore circumdatus videbatur. Divinis revelationibus multoties a Deo exornabatur, et cordis arcana aperiebat; spirituque prophetico cumulabatur. Charitate Dei et proximi vulneratus divini verbi semina per urbes, oppida aliaque loca spargebat, tantaque erat apud omnes eius sanctimoniae fama, ut eum etiam de loco in locum multi sequerentur, et sanctum acclamarent. Miraculorum etiam gloria emicuit. Officia sibi commissa a maioribus ministri provinciae, definitoris et commissarii generalis visitatoris multa cum laude obivit. Tandem die X. Iulii crucem manibus accipiens ac devote osculans dulcissimumque nomen Iesu singulari pietatis affectu pronuntians e vivis ereptus est in conventu s. Ioannis Baptistae a Ripa prope Valentiam.

Antonius Sobrinus. Panes part. I. lib. 4. a capite 7. ad 59.

XLII. Multa scripsit. Eius *vita spiritualis et perfectio christiana* edita fuit Valentiae anno MDCXI. typis Ioannis Chrisostomi Garriz. Praeter *materias praedicabiles* aliaque latine a se scripta, cetera eius opera hispano idiomate asservantur mss. in archivo provinciae s. Ioannis Baptistae. Seripsit enim *in Apocalypsim notationes* tom. 2, in 8; *commentaria in Apocalypsim* in 8; *expositionem aliam in Apocalypsim* cum *elucidatione in commentaria super eamdem Apocalypsim Benedicti Arias Montani; de singulari privilegio ac mysterio immaculatae Deiparae virginis* X *dialogis* librum ad Paulum V. missum; *dominicale a prima dominica adventus usque ad sextam dominicam post Epiphaniam cum concionibus ss. occurrentium; quadragesimale a septuagesima usque ad 2. diem resurrectionis* tom. 2. in 8. *conciones miscellaneas* in 4. *viridiarium* continens *fabulas gentilium moralizatas; emblemata moralizata; exempla varia; de virtutibus et vitis; adnotationes morales in Apocalypsim; de aphorismis Hippocratis ad mores; et locos communes de virtutibus* in 8. *thesaurum Dei ven. tertiariae Franciscae Lopez revelatum* tom. 3., postremo *epistolas* plures vulgatas a fr. Antonio part. I. libr. 6. in chronic. provinciae.

Sbaral. lit. A.

XLIII. In eodem coenobio Valentiae a Ripa quievit die X. Novembris Christophorus Martinez laicus, vir summae perfectionis et flagrantissimae caritatis in Deum; nam multoties ex impetu divini amoris extra se raptus omni prorsus sensu carere videbatur.

Christophorus Martinez. Panes part. 1. lib. 4. cap. 60.

XLIV. Provinciam s. Iosephi discalceatorum pia morte nobilitarunt in primis Lucas a Cruce, sacerdos defunctus in coenobio s. Catharinae v. et m. Alcobricensi die XXIII. Novembris, qui humilitate, obedientia et observantia regulari ita praefulsit, ut a ceteris consodalibus summo in pretio haberetur. In conventu s. Annae Tulabricensi die XXIX. Augusti occubuit Petrus Baptista Torraconensis, sacerdos a Deo benedictionibus dulcedinis praeventus a sua inventute, nam semper inculpatam vitam tenuit auxitque peculiaribus virtutibus usque ad sui mortem tum assiduis poenalitatibus, tum Iesu Christi pietate erga sanctissimum eucharistiae sacramentum, tum etiam observantia ergo Deiparam immaculatam. In effundendis de genu precibus crebro elevabatur, micantibus igneis globulis super eius caput. Die XVIII. Ianuarii superna petivit in coenobio s. Antonii de Padua Caracensi Ioannes a s. Antonio, natus in oppido Veldela Cuesta, sacerdos castitatis, paupertatis et regularis observantiae sedulus cultor. Ad corporis poenalitates ferrea catena usus est et ciliciis.

Lucas a Cruce Mon. prov.

Petrus Baptista Torraconensis Mon. prov.

Ioannes a s. Antonio Mon. prov.

XLV. In conventu s. Bernardini Matritensi die XVIII. Novembris ad superos evolavit Ioannes a s. Maria Portocarrero, nobili familia Beneventi in Veteri Castella, provinciae s. Ioseph, natus, humilitatis et poenitentiae exercendae gratia inter discalceatos adscriptus. Vix ordinem ingressus omnium asperitatum genera carnem macerabat; nam catenulis ferreis quotidie nudato in corpore gestabat. Fervebat amore erga sanctissimum eucharistiae sacramentum et in coelorum reginam Deiparam virginem, quam suam spiritualem stellam nuncupabat. Super tabulam quiescebat, licet multis infirmitatibus affectus. Eo reluctante, tamen maiorum imperio confessarii Mariae imperatricis munus obivit, et cum summa virtute ac scientia clareret, commissarius romanae curiae, item commissarius generalis, et vicarius generalis discalceatorum fuit designatus. Numquam tamen adduci potuit, ut episcopalem dignitatem ecclesiae Chilensis, Legionensis et Zamorensis ei a Philippo III. oblatam admitteret. Eodem spiritu humilitatis officium resignavit confessarii electissimae infantis Margaritae Austriacae regiique monasterii discalceatarum Matritensis. Scripsit hispanice *chronica praedictae provinciae et aliarum, quae ex ipsa prodierunt*, edidítque tom. I. Madriti ex typographia regia anno MDCXV. tom. II. ibid. anno MDCXVIII. *rempublicam sive politicam christianam pro regibus et principibus et pro iis, qui illorum vices gerunt* Barcinone typis Laurentii Deu anno MDCXIX. *vitam et gesta b. Petri de Alcantara* eodem anno Madriti apud viduam Alphonsi Martini; *vitam s. Antonii Patavini* versibus expressam fecit, *acta bb. Martyrum Iaponensium* Matriti edita anno MDCI. et part. 4. Chronic. s. Francisci per Baretium cusa: *monita et statuta ad usum provinciae s. Ioseph*

Ioannes a s. Maria. Gonzalez in Theatr. Matriten. Ioannes a s. Antonio t. 2. aliique.

Wadd. et Sbaral. lit I.

iterato praelo data; tandem *historiam iacturae Genesii Perez gubernatoris Maniliensis*, quae mss. legitur in prologo chronic provinciae s. Gregorii.

XLVI. Die XXIX. Iulii e vita migravit in conventu de Pila, provinciae s. Gregorii Insularum Philippinarum, Michael de Talavera Granatae natus, qui cum parentibus adveniens in urbem Maniliae habitum discalceatorum obtinuit. Totius vitae suae tempore in conversione infidelium versatus, innumeros ad Christi fidem adduxit, solo aequatis idolorum delubris. Carnis fraenum ieiuniis ac flagris coercebat. Corporis infirmitates patientia summa sustinuit triginta annorum spatio, nihil omittens quod sui erat muneris. Multa scripsit lingua tagala maxime utilia pro suis consodalibus in gentium conversione et christifidelium spirituali salute. Egregia eius volumina eodem idiomate sunt *figurarum sacrae scripturae in laudem sanctorum* tom. 1. *moralitatum et exemplorum* tom. 2. *sacrae paginae ac ss. patrum* tom. 1. *mariale seu conciones de purissima virgine* tom. 1. *enchiridion* autem *conscientiae* hispano et tagalo idiomate et scripsit omnium eruditorum laude impressum Maniliae MDCXVII. Michael de Talavera. Martinez lib. 1. p. 178.

XLVII. In provincia s. Bernardini recollectorum Avenionis die III. Aprilis occurrit memoria obitus fr. Petri Martini laici, Lucinionensis ditionis Pictaviensis, ab ipsa pueritia humilitate, innocentia et oratione spectabilis, ita ut ab ipso sui ordinis tyrocinio virtutes potius infusae quam acquisitae in eo viderentur. Donis prophetiae, scrutationis cordium, vivus ac mortuus miraculis a Deo fuit cumulatus, de quibus multa notantur in mss. monumento illius provinciae. Eius funus honestarunt utrinsque sexus incolae miram suam sanctitatem commendantes. Tumulum accepit lapideo in marmore super eo incisa praegrandis Christi patientis effigie, spinea corona divino sanguine purpurata. Carpis ad pectus cancellatis funeque colligatis, ac toto corpore plagis interciso, vultum ita dolentem ostendit, ut non sit qui eius aspectu non emolliatur. Obviant in eo haec bina epitaphia. Petrus Martini Mon. prov.

I.

PETRA TEGIT PETRUM PETRI VIRTUTIS ALUMNUM
EMINET HUIC PETRAE PETRA CRUORE MADENS
QUEM CHRISTUM ILLA REFERT PETRUS QUI CONDITUR INTUS
EXPRESSIT VIVENS NOBILIORI MODO
SCALPUNTUR PETRAE SPINAE SAEVIQUE DOLORES
INTERIORA PETRUS VULNERA SENTIT AMANS
PETRE DEDIT TUMULUM HUNC TIBI SEDES ALTERA PETRI
QUIS SCRIBET TITULUM QUEM TIBI PRIMA DABIT.

II.

SUB PEDIBUS QUORUM EST VESTIGIA SACRA SECUTUS
HUNC TUA MEMBRA PIO FESSA LABORE IACENT
CURRERE CUM MAGNO AUSUS HOMUNCIO PARVE GIGANTE
TE PREMIT HOC TUMULO SARCINA GRATA NIMIS
SED DUM PROSTRATUS DULCIQUE SOPORE QUIESCIS
AD SUPEROS MENTEM SUSTULIT ILLE GIGAS.

XLVIII. Inter capucinos aliqui pie occubuerunt. Nursiae in provincia Umbriae obiit Sixtus a Nursia sacerdos, concionator, qui primo conventualium deinde capucinorum institutum amplexus est. Eorum omnium, quae ad regulam et statuta religionis pertinent, erat praecipuus cultor; omnibus fuit acceptus non solum suis, verum etiam peste affectis, quibus opem suam impendebat. Perusiae ad coelum transiit Iacobus a Gaglietola, vir singularis abstinentiae, austeritatis et solitudinis. Qui licet sacerdos viliora tamen coenobii officia exercere in deliciis habebat. Ferrea catena carnem interim domabat. Engubii mortuus est Silvester a Montefalchio sacerdos, qui in maceranda carne quotidie nova decernebat supplicia. Bis in hebdomada panem tantum et aquam sumebat, iugique orationi vocabat.

(Sixtus Nursiensis. De Pise t. I. p. 416. — Iacobus a Gaglietola. Idem ibid. t. 118. — Silvester a Montefalchio. Idem ibid. p. 419.)

XLIX. Maceratae in provincia Picena mortem oppetiit Alexius a Pergula sacerdos, puritate vitae ita praestans, ut virginitatis florem contra daemonum insidias servavit illaesum. Reate in provincia Romana abiit in caelum Andreas Settiensis sacerdos. Ita coluit castitatem, ut dum aegrotaret nunquam sui corporis aliquam partem nudam medicis exhibuerit. Morituro Dei mater apparere dignata est, cuius aspectu recreatus animam exhalavit. In provincia Neapolitana occubuit Rhemigius a Neapoli sacerdos vita contemplativa ac activa insignis. In provincia Panormitana ad astra evolavit Ioseph a Monte sacerdos, vir summae humilitatis et patientiae. Frequentes estases patiebatur in divinis contemplandis. Nicosiae in provincia Messanae obiit Iosephus Maria a Randatio clericus, qui tyrocinium ingressus post sex menses cessit e vita. In eius morte flamma visa est caelum ascendere.

(Alexius a Pergula. Idem ibid. p. 415. — Andreas Settiensis. Idem ibid. p. 420. — Rhemigius a Neapoli. Idem ibid. — Ioseph a Monte. Idem ibid. p. 421. — Ioseph Maria a Randatio. Idem ibid. p. 422.)

L. Romae ad astra migravit, peractis quadragesimalibus concionibus Fidelis a s. Germano sacerdos, provinciae Mediolanensis, iam apostolicus praedicator renunciatus. Erat eximius cultor paupertatis, assiduae orationis et maximae devotionis erga beatam Virginem. Prophetico spiritu dotatus, pontificatum praedixit Gregorio XV. cardinalatus dignitatem ab eodem pontifice oblatam spiritu humilitatis recusavit. Aliqua edidit a nobis adnotata. Augustae Taurinorum in provincia Pedemontana ad caelum transiit Thomas Taurinensis, insignis verbi Dei praeco. Tantoque animarum salutis zelo ardebat, ut eius conciones eodem aestu accensae auditorum corda flecterent. Tau-

(Fidelis a s. Germano. Idem ibid. p. 423. Annal. min. ad ann. 1910. n. 84. et ad ann. 1614. — Thomas Taurinensis. Idem ibid. p. 426.)

rini obiit Ioannes Baptista a Scalenga sacerdos, vir summae orationis et caritatis erga infirmos, virtutis amator strenuus et prophetiae dono clarus. Ibidem occubuit Alexander a Cherio sacerdos, austeritate vitae commendatus, qui ab otio abhorrebat ita, ut in horto et in pannis resarciendis occuparetur.

Ioannes Baptista a Scalenga. Idem ibid. p. 127. Alexander a Cherio. Idem ibid.

LI. Avenione in provincia s. Ludovici cessit e vita Ignatius Thollonensis, provinciae Massiliensis sacerdos, vir probatae virtutis tum in divinis contemplandis, tum in fundendis precibus, tum in humilitatis exercitio. Saepe recreabatur pueruli Iesu apparitione, et amore fervebat erga eucharistiam et Deiparam. In provincia Parisiensi caelum conscendit Rogatianus Parisiensis, sacerdos, qui capucinorum institutum ingressus, humilitatem super omnia adamavit, et ut sibi omnium contemptum conciliaret de industria fatuum se fingebat. Rothomagi astra penetravit dum summo zelo inserviret aegrotis peste affectis patriae suae Illuminatus Rothomagensis sacerdos, peculiarum virtutum factus exemplar. Ibidem peste correptus obdormivit in Domino Iosaphat de *la Poterie* sacerdos, solitudinis cultor, qui saepe familiaritate angelorum fuit donatus. In Monterelaxensi conventu provinciae Turoniae obiit letifera lue Eutropius Islebonensis sacerdos, mirae perfectionis verbique Dei magnus praeco. Plerosque haereticos ad ecclesiae gremium adduxit. Scripsit et edidit absque eius nomine Nannetae *tractatum catecheticum de VII sacramentis ecclesiae pro instruendis iunioribus in fide catholica et doctrina christiana.* Andegavi occubuit Simon Blesensis clericus, moribus ingenuis praeditus, qui tanto fuit amore accensus in sectando religionis institut) invitis parentibus amplexato, ut numquam consanguineorum matrisque conatus eum removere potuerint. Fontiniaci caelum conscendit Michael Angelus Andegaviensis sacerdos, qui animarum zelum, castitatis virtutem et devotionis officia summo studio coluit. Item in eadem provincia abiit in caelum Stephanus a Fedeletino sacerdos, multis virtutibus decorus. Concionatoris officium, orationis et austeritatis exemplo agebat.

Ignatius Thollonensis. Idem ibid. p. 129. Rogatianus Parisiensis. Idem ibid. p. 436. Illuminatus Rothomagensis. Idem ibid p. 442. Iosaphat de *la Poterie.* Idem ibid. Eutropius Islebonensis. Idem ibid. p. 441. Annal. mm ad ann. 1616. Simon Blesensis. Idem ibid. Michael Angelus Andegavensis. Idem ibid p. 446. Stephanus a Fedeletino. Idem [illegible] p. [illegible]

LII. Valentiae in provincia Valentina mortem oppetit Thomas Valentinus clericus ex familia de Ixar, qui defuncta coniuge anno aetatis suae quadragesimo quinto ad capucinos evolavit. Emissa professione semper ut novitius vixit, humilitate vincens saeculi superbiam. Amator fuit eximius austeritatis, paupertatis et obedientiae. In conventu Barcinonensi, Montis Calvariae, provinciae Catalauniae, raptus est Iosephus a s. Columba sacerdos, vir summae pietatis. In eodem conventu migravit e vita Magiunus a s. Celidonio laicus, in orationis studio et passionis Christi meditatione assiduus.

Thomas Valentinus. Idem ibid. Iosephus a s. Columba. Idem ibid p. 451. Magiunus a s. Celidonio. Idem ibid. p. [illegible]

LIII. Aliquot sacrae virgines pie e vita migrarunt. Die VI. Februarii obiit in monasterio s. Ioannis de Poenitentia de Alanis Catharina de la Columna. A duodecimo aetatis suae anno usque ad obitum a virtutis via, quam arripuerat, numquam deflexit. Strata super terram de nocte quiescebat, cilicio asperrimo revincta et la-

Catharina de la Columna. De Guadalupe p. 604.

pide sibi supra pectus imposito. Circa id temporis ibidem et decessit Maria de Conceptione, summa pietate exornata erga Iesu Christi passionem ss. Nazareni titulo. Saepe meruit sua divina praesentia recreari. In eodem monasterio rapta est Beatrix de Corpore Christi, quae ab infantia divinis benedictionibus praeventa, tenella membra domabat cilicio, ieiuniis et vigiliis, et quod mirum est hiemali tempore vestibus in cellula depositis, frigoris vi laeta corpus affligebat. Iesu Christi Domini resurrectionis die super eius caput toto inspectante populo insedisse in cathedrali templo Placentiae nive candidiorem fulgentem columbam tradunt. A Deo ad laudatum monasterium vocata statim spiritus sui aucto fervore ita virtutibus studuit, ut in ipso tyrocinio eius sanctitas consummata videretur. Dies noctesque in caelestibus meditandis versabatur, tantaque erat eius devotio in ss. eucharistiae sacramentum, ut aliquando meruerit in ipsa sacrae hostiae elevatione infantem Iesum videre. In nocte etiam nativitatis Domini eiusdem aspectu recreata fuit una simul cum Deipara virgine sponsoque eius s. Ioseph. Virum impudicitia faedatum suis precibus ad meliorem frugem adduxit. Prophetiae miraculorum et scientiae dono excelluit. Die X. Octobris ibidem occubuit Catharina de Trinitate, virgo singularis perfectionis. Perpetuum sibi indixit silentium, loricam ferream gestavit, nudisque pedibus semper incessit. In monasterio s. Clarae la Columna caelestia petivit Francisca ab Incarnatione, virgo summa abstinentia et ferventi pietate cumulata. Orabat expansis in cruce brachiis lapidibus onusta supra humeros.

Maria de Conceptione Idem ibid.

Beatrix de Corpore Christi. Idem p. 605

Catharina de Trinitate. Idem p. 575.

Francisca ab Incarnatione. Idem p. 596.

LIV. In urbe de Ponte, praecipua civitate Insulae s. Michaelis die XIV. Februarii obiit Aloisia de Angelis, soror tertii ordinis, a primis annis ad pietatem inclinata; toto vitae suae tempore delectabatur ieiuniis, vigiliis et austeritatibus. Aspero amicta erat cilicio. Tot poenalitatibus affecta pellibus et ossibus constare videbatur. Praesto erat nosocomiis, ut monitis et auxilio esset infirmis, quos etiam crucis signo aliquando sanabat. In ecclesia parochiali Calliosae, dioecesis Oriolensis, tumulum accepit Ioanna Godoya tertiaria fratrum discalceatorum, provinciae s. Ioannis Baptistae, quae eorumdem habitum induens vota simplicia etiam nuncupavit. Assiduo cilicio membra cingebat aculeis acutissimis contento et super pectus laminas ferreas gestabat. In fundendis precibus aliquando extra se rapiebatur. Summo pietatis affectu recolebat memoriam Iesu Christi patientis, et viam crucis visitans, interdum meruit ipsum Christum cruce baiulantem eam praecedere. Seraphici parentis et s. Bonaventurae doctoris in sui infirmitatibus dignata fuit visione et colloquio; die I. Septembris obiit in osculo Domini et eius funus cohonestatum fuit magno incolarum affluxu. Urbini in provincia Marchiae sanctitatis fama spectabilis decessit soror Olympia item tertiaria ibidem nata, vigiliis, ieiuniis, aliisque corporis austeritatibus a primis aetatis suae annis dedita.

Aloysia de Angelis. Agiolog. Lusit. ad diem 14. Februarii

Ioanna Godoya. Panes part. I lib 3. cap. 66. et seq.

Olympia ab Urbino. Mon. prov.

LV. Datis a summo pontefice literis: *Sacri apostolatus* die XXVIII.

Iunii erigitur in regno Pedemontano fratrum minorum de observantia provincia s. Thomae Apostoli titulo ex provinciarum albo s. Didaci Genuensis, Mediolanensis, et s. Ludovici instructa, primo delecto moderatore Francisco Blassonio a Saviliano.

Provinciae s. Thomae Apostoli in Pedemontio

CONVENTUS:

1. S. Thomae Taurini.
2. S. Bernardini Astae.
3. Annuntiationis Deiparae Fossani.
4. S. Bernardini Salutiarum.
5. B. Mariae de Platea Montisregalis.
6. S. Bernardini Clavasii.
7. B. Mariae de Belmonte Valpergiae.
8. S. Francisci Crescentini.
9. S. Pauli Villaenovae.
10. S. Georgii Cherii.
11. Annunt. Deiparae Carmaniolae.
12. B. Mariae Lauretanae Sinfredi.
13. S. Ioannis Braydae.
14. S. Francisci Clarasci.
15. S. Francisci Bennarum.
16. B. Mariae de Angelis Cunei.
17. S. Mariae de Angelis Buscae.
18. S. Francisci Saviliani.
19. S. Francisci Vigonii.
20. S. Mariae de Angelis Pineralii.
21. S. Mariae de Bethelem Vercellis.
22. S. Bernardini Hyporediae.
23. de Santia.
24. S. Francisci Gattinariae.
25. S. Crucis Niciae.
26. Observantiae Suspitelli.
27. S. Stephani.
28. Annunt. b. Mariae Marri.

Monialium Monasteria.

1. Ssmi nominis Iesu Astarum.
2. S. Clarae Saviliani.
3. S. Clarae Montisregalis.
4. S. Clarae Gattinariae.
5. Ss. Trinitatis Tridini.

LVI. Siciliae item minoritarum observantium provincia ab comet

pontifice: *Ad uberes* die VIII. Octobris partitur, adsignatis conventibus et moderatoribus nuperis Vallis Mazzariae, Vallis Demonis seu Messanae et Vallis Nethi erectis provinciis.

Vallis Mazzariae provinciae
CONVENTUS:

1. S. Mariae Angelorum Panormi.
2. S. Mariae Iesu Cameratae.
3. S. Francisci Saccae.
4. S. Mariae Iesu Drepani.
5. S. Mariae Iesu Thermarum.
6. S. Mariae Iesu Mazzariae.
7. S. Mariae Iesu Alcami.
8. S. Mariae Iesu Politii.
9. S. Laurenti Carenii.
10. S. Mariae Iesu Leocatae.
11. S. Mariae Iesu Recalmuti.
12. S. Mariae Iesu Villefranchae.
13. S. Ioannis de Baida Panormi.
14. S. Mariae Gratiarum Panormi.
15. Ss. Cosmae et Damiani Panormi.
16. S. Francisci Vicari.
17. S. Mariae Miraculorum Marsaliae.
18. Spiritus S. Camicattemi.

Vallis Demonis seu Messanae provinciae
CONVENTUS:

LVII. 1. S. Mariae de Iesu Superioris Messanae.
2. S. Mariae de Iesu Maioris Messanae.
3. S. Francisci Taurominii.
4. S. Mariae de Iesu Castriregalis.
5. S. Mariae de Iesu Adernionis.
6. S. Mariae de Iesu Nasi.
7. S. Mariae de Iesu oppidi s. Petri supra Pactas.
8. S. Mariae de Iesu Ficarrae.
9. S. Mariae de Iesu oppidi Sanctae Luciae.
10. S. Mariae de Iesu Randatii.
11. S. Francisci S. Angeli.
12. Annunt. b. Mariae Raccendiae.
13. S. Mariae de Iesu Capitii.
14. S. Nicolai Caephaladiae.
15. S. Aatonii de Padua Castriboni.
16. S. Francisci Pelagini.
17. S. Viti Brontis.

18. S. Blasii Acis.
19. S. Agathae Cathanae.
20. Ss. Trinitatis Venetici.
21. Ss. Annuntiationis Galati.
22. S. Catharinae Fortiae.
23. S. Mariae de Succursu Castellutii.
24. S. Antonii de Padua Pactarum.
25. S. Antonii de Padua Barcinonae.

Monialium Monasteria.

1. Montis Virginum Messanae.
2. Montis Virginum Cathanae.
3. S. Clarae Cathanae.
4. S. Clarae S. Angeli.
5. S. Clarae Adernionis.
6. S. Hieronymi Cathanae.

Vallis Nethi provinciae
CONVENTUS:

LVIII. 1. S. Mariae de Iesu Motycae.
2. S. Mariae de Iesu Neti.
3. S. Mariae de Iesu Scicli.
4. S. Crucis Inspicefundi.
5. S. Mariae de Iesu Solae.
6. S. Antonii Abbatis Mililli.
7. S. Mariae de Iesu Palatioli.
8. S. Mariae de Iesu Bidenii.
9. S. Mariae de Iesu Leontinorum.
10. S. Mariae de Iesu Francofontis.
11. S. Mariae de Iesu Syracusarum.
12. S. Mariae de Iesu Terraenovae.
13. S. Antonii Abbatis Minci.
14. S. Mariae Gratiarum Occhiulae.
15. S. Mariae de Iesu Calatabieronis.
16. S. Maria Gratiarum Agustae.
17. S. Mariae de Iesu Massareni.
18. S. Margaritae Buterae hoc anno erectus.
19. S. Mariae de Iesu Cussari.
20. S. Mariae de Iesu Vallettae in Insula Melitae.
21. S. Mariae de Iesu urbis Notabilis eiusdem Insulae.

LIX. Idem summus pontifex sequentibus litteris apostolicis custodiam Matris Dei de Malaca, fratrum discalceatorum in Indiis orientalibus positam dividit a provincia s. Thomae et provinciarum albo adscribit.

Gregorius P. P. XV.

Regesta famil. ultramont. vol. II. fol. 267.

Ad perpetuum rei memoriam. Sacri apostolatus ministerio divina disponente clementia praepositi, quid pro Christi fidelium quorumlibet, praesertim sub arctioris disciplinae regulis Altissimo famulantium, felici progressu, paceque et quiete conferat diligenter prospicimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes propensius impartimur, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Hinc est, quod nos prospero dilectorum filiorum, fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia, reformatorum nuncupatorum, Matris Dei, provinciae s. Thomae fratrum minorum eiusdem ordinis de observantia etiam nuncupatorum in partibus Indiarum Orientalium regimini atque gubernio, quantum cum Domino possumus consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, custodiam praedictam illiusque domos seu conventus et alia loca regularia, tam hactenus erecta et instituta quam deinceps erigenda et instituenda in provinciam, a provincia dictorum fratrum minorum de observantia separatam, cum omnibus et singulis praeminentiis, praerogativis, privilegiis, indultis et gratiis, aliis fratrum reformatorum dicti ordinis provinciis a sede apostolica concessis, apostolica auctoritate tenore praesentium erigimus et instituimus, eamdemque provinciam per praesentes erectam, illiusque religiosos quoscumque congregationi fratrum discalceatorum eiusdem ordinis Hispaniarum auctoritate et tenore praedictis aggregamus, ac obedientiae vicarii generalis congregationis huiusmodi submittimus et supponimus, decernentes praesetes litteras validas firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum et inane si secus superius a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis praedicti, etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etc.

Provinciae Matris Dei

CONVENTUS :

1. Matris Dei in urbe Goae.
2. s. del Pilar. } In distinctu Goae.
3. s. Deiparae Virginis del Cabo. } In distinctu Goae.
4. s. . . . . urbis de Chaul.
5. s. . . . . urbis de Fana.
6. s. . . . . urbis de Damas.
7. s. . . . . urbis de Dis.
8. s. . . . . in urbe de Cochin.
9. s. . . . . in urbe de Columbo eiusdem dioecesis.
10. s. . . . . in urbe Amachai episcopatus Sinensis.

LX. Monasterium in urbe Amachai; fratrum reformatorum, variae custodiae initiantur. At primo in Sicilia summi pontificis voluntate: *Ad uberes* die XXIV. Februarii eriguntur tre custodiae Vallis Mazzariae, Vallis Demonis sive Messanae et Vallis Nethi, facultaet concessa Innocentio a Clusa, eorumdem fratrum custodi: *Nuper* die ultima Martii, cui aliqua etiam mandat. Coenobiorum et custodum album ignoramus.

LXI. Etiam in provincia s. Thomae apostoli in Pedemontio instituta fuit pro iisdem fratribus custodia s. Didaci hisce coenobiis instructa. Dritius lib. I. p. 27.

Custodia s. Didaci in Pedemontio

CONVENTUS:

1. S. Mariae de Cimeliis Niciae.
2. S. Antonii Abbatis Clarasci.
3. S. Francisci Suspitelli.
4. S. Mariae Marri.
5. S. Pancratii Lantuschae.

LXII. Bavarica fratrum reformatorum custodia, quae ab anno MDCXX. exordium sumpsit, studio patris Antonii de Galblato hoc tempore perfectionem accepit. Qua in re summus pontifex gratulatoriam scripsit ad Maximilianum Bavariae ducem epistolam, miram eius pietatem commendans. Greiderer tom. II p. 256. Annal. min. ad ann. 1620

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecto filio nobili viro Maximiliano, duci Bavariae.

Collapsam religiosorum virorum disciplinam restituere nil fere aliud est quam pietatis arces et sanctimoniae domicilia novis aggeribus communire. Quare tantae curae id esse nobilitati tuae non mediocriter gaudemus. Cupimus enim non minus in claustris enitere religionem tuam, quam fortitudo tua triumphavit in arce. Egregium vero decus esse arbitramur honorificum promereri nobilitati tuae, optimique principis, parentis tui, testimonium; cum enim id virtutis praemium habere velitis, facile coniicere possumus, quibus artibus illud consecutus est dilectus filius frater Antonius de Galbiato, quem Argentinensis provinciae monasteriis salutarem esse asseveratis. Nos autem misericordiarum patri gratias agentes, quod in istis Germanicarum seditionum tempestatibus tutissimum portum periclitanti religioni in Bavaria patefecerit, tuam parentisque tui pietatem iis laudibus decoramus, quibus in ecclesia Dei illustrari par est apostolicae maiestatis defensores ac virtutum patronos; quod autem ad conventuum reformationem et commissarii utilitatem spectat, non passi su-

mus frustra nos rogari a nobilitate tua, cuius testimonio freti difficultates omnes libentissime profligavimus. Cognosces id uberius ex litteris dilecti filii Ioannis Baptistae Crivetii, qui negotium hoc obivit ea prudentia atque industria, qua patrocinium nostrum et amorem nobilitatis tuae promeretur. Apostolicam tibi benedictionem impartimur, haeresis edomitae et propagatae religionis gloriam nomini tuo exoptantes.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XI. Iunii MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

Custodiae Bavariae

CONVENTUS:

1. S. Antonii Patavini Monacensis.
2. Ss. Petri et Pauli Landishutani.
3. Deiparae Assumptae Ingolstadiensis.
4. S. Michaelis Archangeli Kellhamensis.
5. S. Francisci Frisingensis.
6. M. B. Mariae Lauretanae Reutthergense 3. ord.

De Gubernatis tom. II. p. 430. Annal. min. ad ann. 1621.

LXIII. Summus pontifex: *Alias* die XXIV. Maii etc. *Alias* die XII. Decembris cum iussisset, ne in Poloniae regno fratrum reformatorum familia intraduceretur ob spectatam vivendi rationem minoritarum de observantia ibi degentium; attamen agente Cosmo cardinali de Torres apud serenissimum Sigismundum III. Poloniae Suetiaeque regem, statutum fuit eamdem reformationem fore introducendam novis pro eisdem fratribus coenobiis erigendis, quod et praestiterunt anno insequenti. Laudati cardinalis mandata ponimus.

Cosmus miseratione divina s. r. e. presbyter card. de Torres pro ss. d. n. Gregorio papa XV. eiusque s. sede ad Sigismundum III. Poloniae Svetiaeque regem etc. cum facultatibus legati a latere nuncius, universis et singulis praesentes litteras visuris etc. salutem in Domino sempiternam.

Noveritis, quod cum anno praeterito rever. pater Alexander Patavinus, ord. min. s. Francisci de observ. reformatorum, fuerit ab illustr. et rever. d. Fabritio card. Verallo, eiusdem ord. protectore, de mandato ss. d. n. d. Gregorii papae XV. in hoc regnum missus, ut reformationem suam per totum regnum Poloniae eiusque provincias et dominia illi adnexa induceret. Rev. patres minorum de observantia, nuncupati *Bernardini*, asserentes huiusmodi reformationis introductionem non sine maximo eorum damno fieri posse, ad sacram congregat. regularium et ad ss. d. n. Gregorium XV. recursum habuere, a quo breve tenoris infrascripti obtinuerunt.

Gregorius Papa XV.

Alias a fel. rec. Paulo papa V., praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet ven. frater etc. benedictionem. Licet alias ven. frater noster Antonius Maria, episcopus Praenestin. s. r. e. card. Gallus nuncupatus, de mandato nostro scripserit ven. fr. episcopo Regien. in isto quo fungeris munere praedecessori tuo, quod amplius non erat instandum, ut bulla reformationis ordinis fratrum min. de observ. extenderetur aut introduceretur in regnum Poloniae, et propterea idem episcopus omnibus petitionibus et tractatibus desuper habitis finem imponeret, cum ex gravium et fide dignarum personarum relatione cognovissemus eosdem fratres minores de observ. in dicto regno degentes, primaevum eiusdem ordinis institutum retinuisse; nihilominus nobis super expositum fuit de introducenda huiusmodi reformatione in dicto regno tractari, ac dilectum filium ministrum generalem eiusdem ordinis, nostrae huiusmodi voluntatis nescium, id mandasse. Quapropter cum dictos fratres de observantia in priori instituto servando, divina adspirante gratia, perseverare neque reformatione indigere agnoverimus, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut nihil circa praemissa innovari permittas, omnibusque et singulis etiam a praedicto ministro generali, visitatoribus seu commissariis aut alio quocumque titulo ed praedictam reformationem in dictos fratres regni praedicti introducendam quomodolibet deputatis, auctorit. apost. inhibeas, ne in dicto negotio sub poenis arbitrio tuo irrogandis ullatenus se immisceant, prout nos tenore praesentium inhibemus, praecipimus et mandamus, irritumque decernentes et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. praedicti ministri generalis quibusvis patentibus litteris, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die ultima Octobris MDCVIII. pontificatus nostri anno IV. Cum autem sicut dilecti filii fratres ordinis et regni praedictorum nobis nuper exponi fecerunt ipsi primaevum dicti ordinis institutum semper observaverint et ad praesens observent, et propterea sibi per nos ut infra opportune provideri summopere desiderent, nos eorundem fratrum votis quantum cum Domino possumus annuere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ven. fratrum nostrorum s. r. e. card. negotiis regularium praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut nihil circa praemissa innovari permittas, omnibusque et singulis etiam a ministro generali dicti ordinis visitatoribus seu commissariis aut alio quocumque titulo ad praedictam reformationem in dictos fratres regni praedicti introducendum quomododlibet sub poenis, arbitrio tuo irrogandis, ullatenus se immisceant, prout nos tenore praesentium inhibemus, praecipimus

et mandamus, irritumque decernimus etc. attentari. Non obstantibus praedicti ministri generalis quibusvis patentibus litteris ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIX. Maii MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

Quod quidem breve cum rev. patres observantes praesentassent et illius vigore a nobis petiissent, ut dicto rev. p. Alexandro Patavino, ord. s. Francisci strict. observ. reformato, in regnum Poloniae commissario, inhibere vellemus ne reformationem praefatam in regno Poloniae amplius introducere auderet, nos, qui per litteras illustr. et rev. cardinalis Ludovisii ss. d. n. nepotis. ss. dominum nostrum velle omnino introductionem dictae reformationis in regnum Poloniae sciebamus, litteris nostris ad praefatum illustr. et rev. d. card. Ludovisium datis, certiorem ss. d. n. super reformationis praefatae introductionem in hoc regnum requisivimus voluntatem. A quo cum responsum per litteras ill. et rev. card. Ludovisii datas Romae die XXVII. Augusti MDCXXII. in cancellaria registratas habuerimus, ss. d. n. omnino velle, ut reformatio ord. min. s. Francisci de strictiori observ. in regnum Poloniae introducatur, absque eo tamen, quod praedictam reformationem in conventibus patrum Bernardinorum, seu de familia introducere praetendant, iuxta bullam s. m. Clementis VIII.: nos igitur volentes ss. d. n. mentem et voluntatem omnibus patefacere et quieti praedictorum religiosorum, in quantum possumus consulere cupientes, notum facimus et attestamur omnibus posse rev. patres ord. min. de observ. reformatos nuncupatos per totum Poloniae regnum, necnon eius provincias, ducatus et dominia quaecumque reformationem suam introducere, monasteria iam inchoata perficere, aliaque de novo recipere et fabricare, ceteraque officia eorum religioni in aliis provinciis solita exercere; non posse tamen eorum reformationem ad rev. patres Bernardinos de familia inducere neque illorum monasteria seu conventus acceptare, vel eorum aliquem ex fratribus ad reformatos recurrentem recipere, nisi debitas circumstantias et conditionem habuerint; videlicet licentiam a suis superioribus in scriptis, vel licentiam publice petitam et non obtentam, et a patribus fide dignis subscriptam prout habere tenerentur, si ad aliquam religionem strictiorem transire vellent; necnon e converso dictos rev. patres Bernardinos nullum impedimentum dictis rever. patribus praestare debere et praedicta omnia sub excommunicationis poena per dictos religiosos praesenti publico nostro edicto, omnino et inviolabiliter servari mandamus. In quorum fidem etc.

Datum Warsaviae die XXVII. Septembris MDCXXII.

Mon. prov. LXIV. Hinc coacto die II. Novembris Warsaviae capitulo, erectae fuerunt pro iisdem fratribus binae custodiae, quarum altera titulo s. Antonii Patavini Maioris Poloniae, postrema sub invocatione s. Ma-

riae Angelorum Minoris Poloniae, distributis coenobiis praesidibus et custodibus. In custodia s. Mariae Angelorum eisdem obvenit conventus s. Crucis Glivicensis in Silesia, dioecesis Uratislaviensis, erectus pro observantibus anno MDCXIV. Alter eis accessit conventus sub invocatione s. Mariae Angelorum Zaklicinensis, dioecesis Cracoviensis, primo ex lignis erectus deinde ex muro aedificatus una cum ecclesia. Pro custodia s. Antonii Patavini et pro eis fundatum fuit coenobium s. Valentini m. titulo in oppido Osciezna, dioecesis Posnaniensis, alterum s. Crucis in Monticellis in campestribus oppidi Garka eiusdem dioecesis.

LXV. In provincia Austriae studio Leopoldi, archiducis Austriae et episcopi Argentinensis, statutum fuit aedificium conventus s. Antonii Patavini, in Greinburgensi urbe, pro minoritis de observantia. Primum in eo lapidem posuit die XXVI. Aprilis anni insequentis Maximilianus, canonicus regularis s. Augustini canoniae praepositus. Apud Vigilium Greiderer habetur authographum de consensu praestito a laudato Leopoldo episcopo. In eadem provincia obtinuerunt iesuitae Ferdinandi II. caesaris iussu monasterium clarissarum annuntiationis Deiparae in urbe Sancto-vitensi Lutheranorum furore incolis destitutum aliquot ab hinc annis, anno vero MDCXL. Ferdinandus III. fratribus reformatis concessit.

Conv. Greinburgensis. Greiderer tom. I. p. 342.

Idem ibid. p. 356.

LXVI. Teste Pirro hoc anno erectum fuit coenobium titulo s. Francisci Castri ad Mare, dioecesis Mazzarien. in provincia Siciliae, opibus ducissae Montisfaldi. In eo degunt quinque fratres. In eadem provincia eademque dioecesi exstitit etiam conventus s. Mariae Angelorum ad quinque milliaria ab urbe Salemis, aere publico constructus, custode fr. Bernardo Fa'lara. Oppidanorum sumptibus excitatum fuit pro reformatis coenobium prope ecclesiam s. Mariae Gratiarum oppidi Inliani, dioecesis Aversanae, provinciae Terrae Laboris. Antonius de Nola ipsum dicit esse sub invocatione s. Alexii. In ecclesia veneratur corpus s. Iulii senatoris.

Conv. Castri ad Mare. Pirrus tom. I. p. 898.

Conv. Salemis. Idem ibid. p. 891.

Conv. Iuliani. Antonius de Nola in chron. prov. p. 246.

LXVII. Fratres claustrales de tertio ordine recipiunt conventum derelictum a capucinis sub invocatione s. Mariae de Laureto, positum in suburbio Viglevani. Summus pontifex ratam habet: *Exponi nobis,* die XXX. Iulii huiusmodi possessionem. Lapsu temporis inter suppressos adnumeratur.

Conv. Viglevani. Bordonius in prov. Mediolanensis p. 336.

LXVIII. Fratres recollecti provinciae s. Dionysii recipiunt conventum Rothomagensem sub invocatione s. Mariae Angelorum et conventum Clameriensem titulo Deiparae virginis, die V. Aprilis et die XXIV. Octobris, quibus indulget ut erigantur duo collegia sacrae theologiae in conventibus fratrum conventualium tum Pragae tum Cracoviae.

Conv. Rothomagensis et Clameriensis. Mon. prov. Collegio Pragae et Cracoviae

LXIX. Fratres capucini incoluerunt hoc anno conventum Tulfae in provincia Romana, dioecesis Sutriensis; conventum Hispelli in provincia s. Francisci dioecesis Spoletanae; conventum Avilianae dioecesis Taurinensis et Vercellarum in provincia Pedemontana; conventum Pedicuriae in provincia Corsicae, dioecesis Alericensis; conven-

Ex albo Michaelis a Tugio.

tum Montifalconis in provincia s. Angeli Apuliae, dioecesis Triventinae; conventum Cellae Ratholdi, dioecesis Constantiensis, et conventum Rottemburgi eiusdem dioecesis in provincia anterioris Austriae; conventum Wassemburgi, in provincia Bavariae, dioecesis Salisburgensis; conventum Dinckhispilae in eadem provincia, dioecesis Augustanae; conventum Viennae in provincia Austriae; conventum Iuliaci in provincia Coloniae, dioecesis Coloniensis; conventum Augii in provincia Normanniae, dioecesis Rothomagensis; conventum Eremi, dioecesis Nannetensis et conventum Lamoni, dioecesis Trecorensis, in provincia Britanniae; conventum s. Amandi, dioecesis Bituricensis; conventum Borbonii Lancei, dioecesis Augustodinensis, et conventum Borbonii, Arcambaldi, dioecesis Bituricensis in provincia Lugdunensi; conventum Gessiae in provincia Sabaudiae, dioecesis Genevensis; conventum Iussegi in provincia Burgundiae, dioecesis Bisuntinensis; conventum Oleroni et conventum Iarbi in provincia Aquitaniae; conventum Tannarum in provincia Alsatiae, dioecesis Basileaensis, et conventum Belsini in provincia Aragoniae, dioecesis Tirasonensis.

LXX. In provincia Valentiae apud Villam de Oliva fundatum fuit monasterium clarissarum sub invocatione visitationis s. Elisabeth, venia concessa a d. Francisco de Borgia, duce de Gandia. Ad illud moderandum adductae fuerunt duae moniales e monasterio s. Francisci Alonis; paret episcopo Valentino. In urbe Praenestina, provinciae romanae, intrarunt moniales item clarissae in monasterium s. Andreae titulo donatum a confratribus ss. Crucifixi. Franciscus, princeps Columnensis de Urbe, contulit eidem monasterio omnia bona ecclesiae s. Mariae del Truglio, cuius patronatu fruebatur, addita pactione perpetuo nominandi iuvenem in eo collocandam. Prudentia Freveni et Eugenia Ambrosi moniales Anagniae huc venerunt uti praesides. Summus pont. *Ineffabilis*, die VII. Aprilis ratam habet erectionem monasterii sororum eremitarum s. Augustini Immaculatae Conceptionis tit. in urbe Neapolis, sub regimine clericorum regularium.

(Monast. de Oliva. Mon. prov. — Mon. Praenestis. Petrini memorie Prenest. p. 236. — Mon. Neapolis.)

LXXI Inter observantes decessit Petrus Selleras natus in oppido *Torre los nigros*, Caesaraugustanae dioecesis, in provincia Aragoniae, virtutibus et miraculis clarus, qui scripsit nonnulla *opuscula*, spiritualia hoc titulo, nimirum *carmina spiritualia — diarius excitator — diarium horarium et meditationes breves Marianae pro singulis hebdomadae diebus* edita Caesaraugustae anno MDCCIII. apud Ioannem Perenz. In fratrum conventualium familia obiit Caesar Lippus a Mordano, episcopus Caven. praestans prosa et versu latino et vulgari, de quo aliqua notavimus. Hetrusca lingua scripsit *conciones quadragesimales, methaphisicalium quaestionum* tom. 2. mss. itemque in *4. sent. lib.* tom. 4. mss. Patavii vulgavit libellum: *de perfectione et laudibus b. Virginis et conciones varias.* Reliquit etiam mss. *commentarios super formalitates Scoti, tractatum de futuris contingentibus et de praedestinatione, commentarios super universam logicam, conciones de tempore et sermones,* ac

(Sbaral. lit. P. — Sbaral. lit. C. Annal. min. ad ann. 1592. n. 100. ad ann. 1593. n. 2.)

etiam *commentarium in epistolam d. Pauli ad Romanos.* Morte raptus est Paulus Sansonius Mediolanensis, summo ingenio praestans, eo usus est s. Carolus card. Borromaeus adversus haereticos, dum munus ageret inquisitoris generalis in urbe Tarvisina. Scripsit: *commentaria praeclarissima in Aristotelem* et *alia in universam theologiam* mss. quae donavit coenobio suorum Mediolani adhuc vivens. Sanctitatis et doctrinae fama notus obiit Roderius a Deo Lusitanus discalceatus, ortus in oppido Brstiande, dioecesis Lamecensis iam magister novitiorum, definitor et provincialis administer. Est eius libellus, in quo traditur *methodus* visitandi ac meditandi viae crucis stationes, appositis hymnis, antiphonis et orationibus, quae per viam recitari possunt. In xenodochio s. Ludovici, dum peste laborantibus inserviebat, e vivis ereptus est Angelus de Perona Gallus capucinus, provinciae Parisiensis, concionator et bonis moribus dives, edidit Parisiis: *sermones duos de ss. eucharistiae sacramento ibidem habitos.* Argelati tom. II. col. 1286. Mon. prov. Sbaral. lit. A.

LXXII. Litteris discalceati florent. Alphonsus de Cruce vulgavit tom. 2. Ulyssipone typis Petri Croesbeck *speculum religiosorum.* Anonymus Hispanus nomine suae provinciae s. Ioseph. typis dedit in Urbe *historiam brevem miraculorum s. Petri de Alcantara cum iconibus;* et Antverpiae *exercitia spiritualia ad usum discalceatorum.* Didacus a Conceptione Lusitanus, e provincia s. Antonii, patrio idiomate edidit *apologiam adversus vicariatum discalceatorum* sub Gregorio XV. assecutum. Idipsum et praestitit Ioannes a Plagis, provinciae Arrabidorum in Lusitania minister, vir eximiae pietatis et magni nominis tum inter exteros, cum ageretur de concedendis vicariis generalibus pro fratribus cismontanis et ultramontanis strictioris observantiae, Ulissypone apud Petrum Croesbeck edidit libellum supplicem Gregorio XV. porrigendum, quem inscripsit *discursum seu tractatum, in quo probatur non expedire, quod religiosi franciscani excalceati habeant vicarios generales,* per quos *scinderetur regimen monarchicum ordinis contra regulae franciscanae praeceptum. Relationem* etiam addidit seu historiam non adeo felicis eventus institutionis vicariorum generalium sub concilio Constantiensi, ac insuper *apologiam* pro statu observantium, in qua tuetur non fuisse in eo admissa privilegia, sed fratres vivere vitam regularem. Pinciae typis viduae Francisci Cordubensis Franciscus a Martyribus, provinciae s. Pauli, vulgavit *panegyrim de ss. Ignatio de Loyola et Francisco Xaverio* habitam in Segobiensi urbe occasione eorumdem canonizationis. Ludovicus a s. Ioanne Evangelista, provinciae s. Ioseph, iam commissarius generalis ultramontanae familiae, scripsit lingua vernacula et Matriti edidit typis Ioannis Cuesta *luz de Sacerdotes, y quia de confessores,* ubi continetur *omnis doctrina moralis ex primo Sentent. libro:* sed leg. *ex quarto sent. libro* tom. 2. in fol. Sbaral. lit. A. Idem lit. A. n. 34. Idem lit. D. Wadd. lit. I. Sbaral. lit. F. Wadd. et Sbaral. lit. L.

LXXIII. Inter fratres reformatos Ioannes Baptista Pax Bergomensis, verbi Dei praeco, edidit italice Bergomi praelo Valerii Venturae *compendium vitae b. Ioannis a Capistrano, et apologiam pro religione reformata s. Francisci.* Mariannus de Oscolor, provinciae Argenti- Sbaral. lit. I.

Wadd. lit. M. nae, vulgavit Monachii *thesaurum cordium suavissimi nominis Iesu, quinque gazophylaciis divisum.* Wadd. et Sbaral. lit. I. Typis Dionysii Moreau Parisiis publici iuris fecit Ioannes Marius Scribonius, ex provincia s. Dionysii recollectorum in Gallia, *sermones de verbi incarnatione per totum adventum.* In coenobio s. Mariae Angelorum Taurini adservantur *commentaria super universum testamentum.*

LXXIV. Sequentes spectant ad fratres tertii ordinis. Aegidius Sbaral. lit. A. Paesmans Nobenus Belga, Hasseleti oriundus, ex congregatione Zeppetensi, vir pietate praestans, scripsit *elucidationem catechisticam symboli apostolici, orationis dominicae et solutationis angelicae; et definitionem brevem pro salve regina et ave Maria* contra orthodoxae fidei inimicos Bruxellis typis Pipermanni. Sua etiam sunt sequentia, nimirum Idem lit. C. *tractatus catechisticus de VII sacramentis*, et *conciones XV de passione Domini.* Camillus Angleria, Cremonensis, italice edidit a se scriptum opus Mediolani per Georgium Rollam *la regola del contrapunto e della musicale compositione.* Idem opus ms. habetur *cum adnotationibus fr. Ioan-* Idem lit. G. *nis Baptistae Mariini.* Granatae apud Bartholomaeum de Lorenzana lucem aspexit liber patrio idiomate scriptus a Gabriele Maqueda, provinciae Baeticae, *adversus publicas domos mulierum perditarum.* Lu- Idem lit. L. pus Felix de Vega, Hispanus, Matriti typis Alphonsi Martini edidit opus *de solemnitatibus Lermae factis, simulque de solemniis Matriti factis pro canonizatione s. Isidori Agricolae*, et Compluti apud Ioannem Granum tertio editam *historiam s. Isidori Agricolae* poemate castellano. Postremo loco ponimus Andream Thehith Gallum, qui summi pon- Idem lit. A. tificis indulto saecularibus vestibus indutus et Henrico II. Galliarum regi obtemperans cunctas fere mundi regiones peragravit circumactisque XXIII, suae peregrinationis patrio idiomate conscripsit et edidit opus egregium hoc titulo *cosmographia magna gallica.* De eius tomo primo mentionem fecit d. Paulus Zamorensis in approbatione relationis fr. Blasii de Buyza, minoritae de observantia, Matriti hoc anno impressae.

LXXV. Capucini fratres litteris et inclarent. Dionysius a Monte- Wadd. et Sbaral. lit. D. falco Umbriae provinciae, dictus de Abbatibus, iam iuris utriusque doctor et Aloisi card. Capponi a secretis, saeculo relicto, in instituto religiosis et apostolicis virtutibus emicans scripsit et meliorem in formam italice redactam *artem unionis cum Deo, olim a p. Ioanne Fanensi eiusdem instituti editam,* una cum vita eiusdem p. Ioannis Romae typis Ioan. Fransini impresssam vulgavit. Auctor etiam fuit *vitae b. Felicis capucini* anno MDCXXII. dum erat praeses conventus s. Bonaventurae de Urbe, ubi dum eam scriberet lethali morbo correptus a beato liberatur, donec eam compleret. Franciscus Coriolanus Cala- Idem. lit. F. ber scripsit *summam theologiae ad instar summae d. Thomae, ex operibus s. Bonaventurae compactam variisque annotionibus illustratam* in VII tom. in fol. distributam, ut patet ex bulla Gregorii XV. initio primi tomi impressa *breviarii chronologici.* Tomus primus prodiit Romae typis Wadd. lit. R. vaticanis. Ceteri ob mortem auctoris ms. adhuc adservantur. Remi-

gius a Bozolo, oppido Mantuani ducatus, Monachii sumptibus Petri Kovig praelo commisit *rosetum seraphicum fragrans floscalis* idest figuris singularum historiarum, quae circa mysterium impressionis stigmatum seraphici Parentis contigere, cum elogiis eiusdem fundatoris. Hyacinthus e Casale Muntuae apud Henricum Aurelium Ianuam vulgavit *tractatum de paupertate religiosa.* Ludovicus Parisius, forsan Pipre dictus, scripsit gallice *expositionem litteralem in regulam minorum* Parisiis apud Renatum Goffert impressam. Postremus Ioseph Drucensis item Gallus, provinciae Parisiensis, edidit Parisiis apud Dionysium Thierry *concionem funebrem in obitu r. p. fr. Iosephi de Morlais, concionatoris capucini.* Sbaral. lit. H. Wadd. lit. L. Sbaral. lit. I.

LXXVI. Minoritarum conventualium familiam doctrina illustrarunt in primis Petrus Capuleus, patria Cortonensi ex provincia Tusciae, iam episcopus Cupessanen. in Apulia, scripsit *commentarium in prim. Sentent. s. Bonaventurae librum,* editum Venetiis in fol. apud Ioan. Guerilium, ad Alexandrum card. Perettum missum. Angelus Vulpes a Montepiloso Neapolitani regni, qui multa scripsit, at universa eius sacrae teologiae opera prohibentur decreto congregationis indicis die IV. Decembris MDCCXXV. donec corrigantur. Eorum album exhibet Hyacinthus Sbaralea verbo Angelus Vulpes. Posnaniae Ioanne editore Rosouschio Franciscus Cumomilla Praemisliensis, provinciae Poloniae, edidit *varias orationes* quarum una *in funere Dorothae Brudzeroniae Tielenskae.* Marcus Antonius Capellus Atestinus, provinciae Venetae, auctor operis *de appellationibus ecclesiae africanae ad romanam sedem* Parisiis in VIII. editi. Ludovicus a Castro Leodiensi praelo commisit Leodii typis Christophori Ouwerxamno *castrum monasticum sive apologiam oppositam turri Babel Danielis Hochede, Calviniani, Gallorum Dordraci concionatoris.* Iacobus Montanari Balneocaballensis, provinciae Bononiae, Cracoviae ex officina Francisci Caesarii edidit *exercitia spiritualia omnibus religiosis accomodata.* Dum Venetiis conciones haberet Franciscus Famus a Canthiano, dioecesis Eugubinae, ea in urbe typis Francisci Abae italice vulgavit *monile seu coronam 15 rosarum, in quibus agitur de mysteriis gaudiosis, dolorosis et gloriosis b. Mariae.* Idem lit. P. Idem lit. F. Idem lit. M. Wadd. lit. L. Sbaral. lit. I. Wadd. lit. F.

LXXVII. Sunt ex minoritis de observantia sequentes viri docti. Didacus de Bascunvelos Hispanus, provinciae Burgensis, scripsit et edidit Lucroni *panegirim de immacalata conceptione virginis,* et *conciones de ss. Ludovico Gonzaga ac Francisco Xaverio.* Didacus Robertus, ex provincia s. Bonaventurae in Gallia, Lugduni vulgavit *conciones XVII. super psalmum: Domine quis habitabit.* Emmanuel Iacomellus de Pinarolo, Subalpinus, redegit et edi curavit Saviliani *vitam b. Pascalis Baylon in compendium.* Hieronymus Zapota Hispanus, provinciae Angelorum, Hispali typis Francisci Lyrae edidit *concionem de immaculata conceptione reginae angelorum* pro decreto de ea a Gregorio XV. expedito; et iisdem typis *concionem de conversione s. Pauli apostoli habitam ad Hispalen. ecclesiam.* Ioannes Balderon, provinciae Aragoniae, latine vulgavit Caesaraugustae per Ioannem de Naia *tractatum super* Sbaral. lit. D. Idem lit. D. Idem lit. E. Idem lit. H. Idem lit. I.

miraculum imaginis conceptionis in charta effigiatae, minime a voracissimo incendio in villa de Zuera, Caesaraugustanae dioecesis, combustae nec de-
Idem lit. P. *formatae.* Petrus Beniumea Hispanus, provinciae Baeticae, scripsit vernacule *super litteras Gregorii XV. Militantis ecclesiae* die XXII. Februarii *de abrogatione patrum perpetuorum.* Ioannes Nunez de Torres,
Idem lit. I. provinciae s. Iacobi, moderator conscientiae sororis clarissae Margaritae Austricae, Salamanticae typis Antonii Ramirez vulgavit *exposi-*
Wadd. lit. A. *tionem brevissimam regulae seraphicae ad Gregorium XV.* Antonius Paschalis, provinciae Valentiae, *exhortationes seu collationes spirituales*
Idem lit. B. Valentiae praelo mandavit Blasius de Buyza. ex provincia s. Iacobi, qui subsidium numerosum pecuniarum, in Hispania collectarum, adsportavit ad loca sancta Hierosolymitana, hispanice scripsit et Matriti apud viduam Alphonsi Martinez edi curavit *relationem sive historium novam, rerum, copiosam sacrorum locorum, quae Ierosolymis et in Terra sancta conspiciuntur; nec non misericordiae divinae, quae iis in locis resplendet; laborum insuper et afflictionum, quae pro iis conservandis in obsequium pietatis christianae patiuntur viri religiosi ordinis s. Francisci, qui in eisdem habitant; et demum intollerabilium expensarum, quae*
Idem lit. C. *fiunt pro tributis Turcarum imperatori pendendis.* Cornelius Thielmanns Bruxellensis, provinciae Germaniae Inferioris, Antuerpiae apud Hieronymum Verdussen ex latinis flandrica a se reddita vulgavit *acta sociorum s. Francisci et consororum s. Clarae; vitas* insuper *bb. Paschalis Baylon, Petri de Alcantara, Nicolai Factoris, Francisci Titelmani, Coletae et Ioannae Valesiae, reginae Franciae.* Lugduni italice Franciscus
Idem lit. F. Fichet, aliis Italus aliis Gallus, edidit *exercitia spiritualia pro impetranda gratia Dei.* Franciscus a Totosa, provinciae Cantabriae, iam totius or-
Idem lit. F. dinis administer et episcopus Tudensis in Gallaecia, Iuliobrigae praelo mandavit *demonstrationes catholicas.* Hugo Cavellus Hibernus ex pro-
Idem lit. H. vincia s. Iacobi, Parisiis binos tractatus edidit hoc titulo *tractatum Parisiis compactum, dum simul cum Benigno Genuensi, ministro generali, ageret de reformatione magni conventus;* et *tractatum alterum communium argumentorum, quibus plurimi utriusque sexus specie cuiusdam piae compassionis erga fratres reformari nolentes contra reformationem utuntur,*
Idem lit. M. *solidas et dilucidas solutiones continentem.* Marquardus Leonis Germanus, provinciae Argentinae, Lechusii prope Augustam Vindelicorum latine vulgavit *demonstrationem catholicam et universalem sanctae romanae ec-*
Idem lit. M. *clesiae et eiusdem fidei perpetuae.* Tandem Michael Angelus a s. Romulo, provinciae Genuae, Romae praelo commisit *indicem seu dictionarium vocum latinarum, quibus exponuntur hebraicae, chaldaicae, syriacae et arabicae in concordantiis hebraicis Marii de Calasio.*

LXXVIII. Postremo sese offert Margarita Austriaca, a Cruce dicta, monialis discalceata clarissarum monasterii Matritensis, de qua nos plura diximus. Scripsit *epistolam pro conceptione sanctae et immaculatae b. Virginis ad Gregorium XV.* pag. 429. Antuer-
Wadd. lit. M. piae typis Plantinianis edita fuerunt *exercitia spiritualia ad eius usum ac sanctimonialium excalceatarum Matritensium.* Summus pontifex

misit ad eam epistolam, qua laudans eius miras virtutes nuntium suum commendat.

Gregorius Papa XV.

Dilectae in Christo filiae nobili mulieri, sorori Margaritae a Cruce santimoniali, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae vitiis paupertatem et regiis aedibus religiosas cellas crucis vexillum secuta pretulisti, non videris esse pluribus admonenda quo Dei causam iis, quibus potes, armis tuearis. Decent enim nobilitatem tuam illa Isaiae verba: *Posuit me Dominus sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.* Sagittis enim non ornatur miles sed armatur, casque depromit, ut amicos defendat atque hostes ulciscatur. Ita existimandum est te in istud sanctimoniae diversorium a Deo esse secretam, ut pietas tua ecclesiae salutaris atque iniquitati formidolosa sit. Id autem contingit si religiosis supplicationibus aeternum mundi arbitrum istis regnis conciliaverit nobilitas tua, omnemque qua apud catholicum regem pollet auctoritatem, ad apostolicae ditionis fines proferendas contulerit, de illorum sententiis triumphans, qui inania meditantes divini cultus incrementum a regnorum felicitate seiungunt; sed quum gloriam te hortamur in praesentia, in eius te possessionem iampridem versari comperimus, quare in paternis his admonitionibus laudes suas agnoscere poterit nobilitas tua. Quanti autem te faciamus, qui has litteras defert, idem tibi luculenter testabitur ven. fr. Innocentius, episcopus Britonoriensis, praelatus noster domesticus et assistens. Isthuc enim proficiscitur, ut nostrum et apostolicae sedis nuncium ordinarium agat, cum ven. fr. Alexandrum, patriarcham Alexandrinum, Romam redire cupiamus, alios ex eius praesentia fructus percepturi. Apostolicam nobilitati tuae benedictionem defert episcopus Britonoriensis, cui pontificia negotia obeunti fidem perinde ac nobis habere poteris, eaque qua flores auctoritate suffragaberis praesulem, genere nobilem, ingenio praecipuum, diuturno rerum usu fidei ac prudentiae laudem adeptum, [quem] egregiae nobis artes commendarunt, quae illi haud difficulter favorem conciliaturae sunt nobilitatis tuae . . . .

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXIV. Iunii MDCXXII. pont. nostri anno II.

Io: Ciampolus

LXXIX. Inter fratres observantes delectus est die XXIII. Maii Christophorus a Capranica episcopus ecclesiae Firmienen. in arci-

pelago maris Aegei; die V. Septembris Franciscus Arriva iam episcopus Segobiensis mox Civitatensi, vir apprime doctus, qui Clementis VIII. iussu perficiendum suscepit opus in 4 libros divisum *de conciliatione praedestinationis et gratiae cum humana libertate*, cusum Parisiis typis Laurentii Sonni. Olim erat a confessionibus Annae Austricae, Hispaniarum reginae. Die XIV. Novembris Alvarus de Mendoza Hispanus, episcopus Aquilanus in regno Neapolitano, Ughel tom. I. col. 394. Ex albo episcoporum fr. Hyacinthi Sbaralea novimus hoc anno electum fuisse Ioannem de Gusman episcopum Canariensem.

Sbaral. lit. F.

LXXX. Die II. Mai episcopalem dignitatem obtinuit ecclesiae Scutarensis in Macedonia Dominicus Andrasius, Ragusina in urbe ortus, strenuus in tutanda in sua dioecesi catholica fide Mahometanorum impuritatibus maculata. Et ut rem ab exordio petamus, ex quo Mahometes huius nominis secundus, post mortem invictissimi Georgii Castriotti vulgo Scanderbeg anno MCDLXXIV. Albaniam expugnavit, Scutarensis, Dulcinensis, Sapatensis et Drivastensis ecclesiae vacarunt plures annos, quod catholicae illius regni religioni gravem attulit iacturam. Enimvero saevientibus Musulmanis oves absque pastore dimissae vel suum reliquerunt ovile transfretando in Apuliam et Istriam, vel gregem invadentibus lupis rapacibus, transierunt ad schisma Servianum, vel, catholica eiurata fide, ad Alcoranum confugerunt. Substituit quidem sibi altissimus alios fideles de montibus descendentes, sed et ex his maior pars exiit ab ovile Christi, eorumque sacerdotum nonnulli ad exemplum Graecorum nuptias contra votum ordinibus sacris annexum contraxerunt. Quibus anonymus archiepiscopus Antibarensis obviare voluit, sed tantae multitudini praesto esse non valens, omnia et singula detrimenta avertere nequivit, quin relata contingerent damna. Tandem hic malis providere satagens summus pontifex sicut anno elapso Alixiensi ecclesiae praefecerat fr. Benedictum Ursinum, ita hoc anno ad Scutarensem promovit fr. Dominicum Andriasium eiusdem regularis observantiae et in eadem civitate Ragussina natum. Divinum honorem animarumque salutem vir hic solicite curabat. Vix namque commissam dioecesim salutavit, videns terram incultam non tantum et inviam, sed tribulos loliumque germinantem, et ut cuncta praecideret, evelleret atque de novo plantaret, coepit a minori clero; sed licet per octodecim menses verbo Dei instaret, cum aliud caderet super petrosa, aliud inter spinas et aliud secus viam, vel leves vel nullos messis manipulos reportavit.

Melissanus de miss. novis ms. lib. 4. cap. 5. § 2.

LXXXI. Nihilominus exleges Musulmani antistitis zelum et postoralem solicitudinem metuebant et maximi existimabant; eapropter aliquando cum Turcis primoribus in disputationem acerrimam incidit de mahometana superstione et orthodoxa religione. Iam plurima eaque solida veritatis argumenta et testimonia nimis credibilia perhibuerat, cum excoecatos viros se non posse convincere decernens in haec

ipsemet verba prorupit: missa faciamus verba et ad rem veniamus. Vos domini mei precor aliquo in loco recludere canes, quos inedia macerabitis plurium dierum, post quos vester sacrificulus benedicet carnes et ego similiter benedicam alias, quas primum proiiciam; si meas et non vestri sacrificuli comedent, ero vester et Mahometi nomen dabo: sin autem a meis abstinuerint alias comesturi, vos mei eritis et in Christum Iesum, unigenitum Dei filium, credetis. Assenserunt his disputantes, iamque dies condicta aderat, quando coram eisdem adfuit episcopus, qui habens fidem et non haesitans in corde suo benedixit carnes et proiecit canibus, qui neglecto paulo, perterriti in diversa fugerunt. Alias postea Mahometanus sacrificulus benedixit, quas similiter proiecit et non pervenerunt usque ad terram donec arriperent eas canes et devorarent. Mox immenso gaudio catholici exultant, Musulmani prae confusione contrahuntur. Laudatur et benedicitur praepotens noster redemptor, orthodoxa religio extollitur et Turcica superstitio pudore et opprobrio afficitur, atque posthac noster antistes apud Turcas maiori in honore habetur.

LXXXII. Porro omnium bonorum osor diabolus timens pontificis opera multas sibi defraudari animas, ut ipsum perderet aut ab Epiro eliminaret artem et operam suam impendit. Excitavit igitur et contra episcopum commovit quosdam libertatis amatores sacerdotes, qui correptiones et punitiones non sustinentes ab eo surripuerunt sigillum, eiusque manum simulantes composuerunt et obsignarunt litteras catholico Hispaniarum regi directas, quibus significabatur, regionem circuisse, terram perambulasse et fortalitia reperiisse, quae sine resistentia posse expugnari, ideoque ad subiugandam suo imperio Albaniam accederet, quibus alia addiderunt supposita machimenta. Hae litterae in via repertae ad satrapas deferuntur, qui ira incensi apposuerunt antistitem comprehendere, quem cum apprehendissent, coram se ad quaestionem vocarunt. Tum palam lectis epistolis dixerunt ad illum: usque modo sanctum te duximus, sed nunc proditor manifeste videris. Quibus ille, nunquam talia cogitavi et multominus sum perpetratus; eisdemque replicantibus: negare non vales, cum manus et sigillum tuum te manifestum efficiant reum. Respondit ipse: videntur haec mea, sed non sunt; nec enim caracteres efformavi, nec sigillo mea litteras munivi, viri nequam me prodiderunt. His minime acquiescentes Musulmani addiderunt: quare prodi te sinis? sigillum tuum honor tuus, uxor tua, quod si semper non habes tecum, honorem tuum nihili aestimas. Post haec pontificem et cum eo tredecim alios sacerdotes, inter quos reperiebantur tres criminis seu calumniae auctores miserunt in carcerem, ubi plurimis in angustiis aliquandiu sedit. Tandem pecunia se redemit, sicut concaptivi fecerunt, sed non propter hoc defuerunt persecutiones: quinimo paulo post Musulmani concilium adversus eum ineuntes, statuerunt rursum in vincula coniicere et morti adiudicare. Pravi huius iudicii factus conscius fugam coepit Romamque properavit. Inposterum ad suam sedem redire non

potuit quaesitus ad necem; quanto autem tempore supervixerit et ubi in Domino obdormierit nos latet, quamvis constet usque ad annum MDCXLI. ad ecclesiam Scutarensem nullum alium a sacrosancta sede fuisse promotum.

LXXXIII. Apud Lucernenses valles franciscani de observantia labores suos conferunt pro haereticorum conversione sicuti ab antiquo tempore; nam primo eo accessit Eugenii IV. auctoritate s. Bernardinus Senensis, cui successit Pii II. iussu b. Candidus Vercellensis, ex illustri Ranzacorum prosapia, doctrina et sanctitate clarior. Missum itidem novimus a Sixto IV. pont. b. Bernardinum de Feltrio e Veneta s. Antonii provincia, qui aevo suo nec habuit in conversione animarum aequalem nec in predicationis efficacia tenuit similem. Ad easdem denique valles expedivit Iulius II. b. Thomam Illyricum prae caeteris praedicatione apostolica suis temporibus celeberrimum, qui populorum conversionem summo charitatis ardore anhelans, impia horum novatorum dogmata italico scripsit idiomate et coram serenissimo Carolo III. duce Sabaudo, tunc contra adversam fortunam impavido regnante, octodecim sermones absolvit, in quibus haereticorum mores et errores reserat, fallacias detegit, et apertissime refellit, penitusque infectas novitatis radices evellere curat; quos italice typis impressos Venetiis anno MDLXXXIV. deinde latinitate donatos impressit anno MDXCIV. Ioannes Tonsus Mediolanensis patritius apud Pacificum Pontium. Hi omnes ex ordine seraphico de observantia respective fuerunt aetate sua in primo praedicatorum apostolicorum catalogo, quos tamen credere non decet absque sociis ad hanc expeditionem fuisse destinatos, quorum efficacia, verbo et exemplo dubitare non ausim plures ab haeresis insanie fraeneticos ad Christi fidem revocatos, ceteris obstinatioribus catholicam simulantibus, et ex formidine poenae ovinam pellem ostentantibus. Hi fuere primi in istis vallibus praedicatores apostolici, quasi ad praeparandam consolidalibus suis haereditatem, aut messem abundantissimam praemissi. Eandem operam antiquo tempore contulerunt fratres ordinis praedicatorum et sodales societatis Iesu. Erecta, ut paulo ante diximus, custodia reformatorum in provincia Pedemontana s. Thomae Apostoli minorum de observantia, eiusdem custodiae fratres coniunctis viribus cum observantibus eo accessere verbi Dei precones, prae ceteris vero Bonaventura de Palazzolo ex custodia Romana, qui vigilantia, laboribus, sudore, verbo et exemplo multos a fide devios ad catholicae ecclesiae sinum adduxit.

Idem lib. 2. cap. 2. § 1. Annal. min. ad ann. 1515. n. 15.

LXXXIV. Hoc eodem tempore in Rhetiam destinati sunt etiam capucini ad fidei catholicae puritatem promovendam. Edito enim brevi: *Felicitati*, die VI. Iannarii pontifex eos commendat Leopoldo episcopo Argentinen. et Passavien., designato collectore eleemosynarum pro necessitatibus pauperum locorumque piorum Ignatio de Bergamo: *Tua singularis*, die XXV. Maii, cui plura privilegia largitur: *Tua singularis*, die XXX. Decembris.

LXXXV. In provincia Germaniae Inferioris viri plures pietate et scientia celebres franciscani de observantia ad Belgium confoederatum missi sunt, qui in horrea Domini fructus dignos congregare nunquam cessarunt. Omnium antesignanum putamus p. Ioannem Tyras, qui plures annos haesit Lugduni Batavorum, multaque loca circuivit evangelizando Christi regnum. Cum eo fideliter adlaboravit Iacobus Tyras eius germanus, praestanti animarum zelo exornatus. Plurimum hoc anno item illuxit apostolico in ministerio p. Henricus Huberti, in Frisiam missus occidentalem, ubi a moderatoribus illius regionis detentus Leovardiae, publicis carceribus inclusus et post bimestre ablegatus exivit. Tunc se transtulit Halebariam, Ollandiae urbem, in qua multa passus est, reportatis de sparso veritatis semine fructuosis bonorum operum manipulis. Mon. prov. Germ. Infer.

LXXXVI. Fratres recollecti provinciae s. Francisci Lugdunensis ab anno MDCV. ad usque hoc tempus favore Ludovici XIII. Galliarum regis, miros ediderunt fructus super calvinistarum errores, qua vitae exemplo qua concionibus, qua scriptis magno apparatu vulgatis. Hinc studio prae ceteris fr. Cyrilli Badol a s. Salvatore, viri apprime in sacris litteris instructi, Gratianopolitanae urbis aliorumque finitimorum locorum incolas ad fidei veritatem revocavit. Similia egit una cum sociis apud urbem Annonaeam, apud oppidum Neomagum et apud Botiorum gentes. De Gubernatis de miss. antiquis cap. 2. p. 84. Annal. min. ad ann. 1605. n. 5.

LXXXVII. Idem studium contulere in calvinistarum conversionem etiam fratres recollecti, provinciae s. Bernardini, quae a flumine Varo in Italiae confinio ad Pirenaeos usque provinciam Phocensem sive Gallo-Ligures et Occitaniam cum tractu Avenionensi complectitur, nullus est conventus in quo si haereticos in loco vel in districtu repererint, gloriosissime contra haereses non dimicaverint. Ubi autem primo idem Ludovicus rex Montispessulani civitatem hoc anno victricibus armis subegit, lege cavit, ut urbis fortalitium velut catholicae fidei propugnaculum, quo subditi sub obedientiae iugo continerentur, et insimul hospitium pro recollectis excitarentur eo consilio, ut divina peragerent et conciones pro solatio christifidelium assiduas haberent. At non in eo loco tantum, sed etiam divini verbi semina sparserunt in urbes Aquarii Balneorum, Giniacensis, Claramontis, Bolenae, Digniae, ac Nemausii tanto deviorum fructu, ut vix enarrari possit. In hoc munere obeundo summam laudem sibi promeruerunt Martinus Camarchus et item Martinus Panerius, maxime vero Aegidius sive Gilius Chaysi, auctor operis, cui titulus: *conciones, sive encomia triumphantis ecclesiae super XXI. Apocalypsis*, typis anno MDCXXIV. Parisiis edita. Idem ibid. p. 85. Sbaral. lit. G.

LXXXVIII. In universas Galliarum provincias coniunctis viribus omnium primi minoritae de observantia et postea capucini fratres foedatam item a calvinistis catholicam fidem ad primaevam puritatem adduxerunt. In provincia Aquitaniae Immaculatae Conceptionis iidem recollecti insudarunt contra fidei catholicae hostes doctissimi De Gubernatis de miss. antiquis cap. 87.

viri p. Bernardus Duverger, p. Faventinus Pouilhet, p. Fabianus Mazure, p. Iacobus Bernardi et p. Iosephus de Figalet, qui non modo adversus eorumdem errores pro suggestu declamando, sed et in illorum profanis templis et plateis urbium publice disputando, saepissime eos rubore confusos sese a concertatione subducere, cogebant fere numquam sine notabili fructu, dum populi palam agnoscerent se fuisse, ut antea, illorum versutia deceptos et ab avita religione seductos; unde plurimi passim, abiuratis erroribus, ad ecclesiae romanae sanctam unitatem quotidie revertebantur.

Idem ibid. p. 449. Annal. min. ad ann. 1272. n. 3. ann. 1288. n. 1. ad ann. 1305. n. 12. et seq. ad ann. 1307. n. 5. et seq. ad ann. 1338. n. 3. et annum 1338. n. 3.

LXXXIX. Inductam catholicam fidem studio fr. Ioannis a Monte Corvino in Tartariam Minorem antiquo tempore, franciscani item fratres auxerunt, praesertim in imperio Magni Mogolis, quod Indiae boreali longe lateque dominatur, ubi ab initio fere XV. saeculi inter Persidem ab occasu, magnam Tartariam, et regnum Tybethum a septentrione, Cosminum fluvium et Indiam extra Gangem ab ortu; a meridie vero inter sinum Gangeticum atque peninsulam Indiae intra Gangem protendebatur. Hinc tempore praesenti sacrae congregationis de propaganda fide mandato, ab India orientali digressi fratres de observantia provinciae s. Thomae de Mechoocam et discalceati item fratres provinciae Matris Dei de Malacha, non sine magno labore continuoque perdendae vitae periculo in Magni Mogolis imperium advenerunt, ubi opus suum Deo benedicente, cumulatissimam in horreum Domini messem congregarunt.

XC. Eiusdem sacrae congregationis iussu die VI. Decembris fratres capucini missi fuerunt ad opus evangelizandi fidei mysteria Smirnam et Constantinopolim, quo longe ante Sixtus V. pontifex eodem ex instituto miserat operarios, erectis tum Smirnae tum Perae et Galatae domiciliis non sine fidei et morum incremento.

XCI. Plura mandat summus pontifex: *Inscrutabilis* nonis Februarii circa confessarios tam saeculares quam regulares, circa clausuram monialium, sacrorum administrationem electionemque abbatissarum; revocat privilegia vocis oraculo concessa, iis exceptis, quae a s. r. e. facta et eorum manu firmata: *Romanus pontifex* die II. Iulii; quaedam mandat quoad conventuum erectionem; *Cum alias* die XVI. Augusti; ut bona relicta a christifidelibus pro locis Terrae Sanctae nullus praesumat retinere: *Alias* die XVIII. Novembris; deputat Paulum de Madrid ex discalceatorum familia collectorem eleemosynarum pro cultu Terrae Sanctae: *Religionis zelus* die XVI. Aprilis; indulget, ut fratres discalceati penes eorum hospitium, in Urbe positum, valeant aedificare ecclesiam: *Commissi*, die XXVI Maii; eligit vicarium generalem reform. Aloisium de Cruce: *Alias*, die VII. Decembris; deputat commissarium apostolicum discalceatorum fratrem Ioannem a s. Maria, locoque eius, si obierit, Hieronymum Planis eiusdem instituti: *Alias*, die XIV. Iulii; rata habet coenobia erecta et erigenda pro fratribus recollectis, provinciae Catalauniae: *Ad uberes*, die II. Ianuarii; confirmat quaedam statuta pro bono re-

gimine fratrum recollectorum, provinciae Britanniae: *Ex iniuncto*, die III. Ianuarii; approbat constitutiones et statuta fratrum recollectorum Galliae, a suis praedecessoribus lata: *Ex iniuncto*, die XIII. Septembris; ut munus visitandi ordinis provincias possit generalis minister committere etiam aliis patribus sui instituti: *Pastoralis nostri*, die XXVII. Septembris; iubet fratribus Indiarum occidentalium, ut in eventum mortis aut promotionis maiorum ministrorum eorum superioribus respectivis obediant: *Cum sicut*, die XVIII. Februarii; quaedam statuit pro definitoribus generalibus tertii ordinis: *Ex iniuncto*, die XX. Septembris; iubet amoveri paleum seu tribunam erectam sub choro ecclesiae monasterii clarissarum b. Mariae de las Duenos Hispalen. a marchione de Villanova del Rio pro audienda missa: *Exponi nobis*, die V. Aprilis; eximit a cura observantium monasterium monialium grisearum Leoden. tertii ordinis et subiicit ordinario loci ad decennium: *Ex debito*, die XXIX. Novembris; indulget, ut moniales clarissae de Urbe profiteantur regulam sororum de tertio ordine: *Exponi nobis*, die XIII. Aprilis; ut Dominicus, episcopus Seutaren. sibi assumat fratres minores de observantia pro suae ecclesiae solatio: *Ut necessitatibus*, die XXX. Iulii; ut Antonius episcopus Scardonen. ad triennium munus episcopale expleat in Bosnen. dioecesi: *Cum sicut*, die XIV. Decembris; ut Franciscus episcopus Seguntin. apud se retineat Hieronymum de Cuenca discalceatum pro sua spirituali consolatione: *Fraternitati tuae*, die XXV. Novembris; similia indulget Francisco card. de Lerma pro Iosepho a s. Maria, eiusdem instituti: *Singularia*, die XXX. Augusti; tribuit facultatem Lucio Turcati, tertii ordinis magistro generali, erigendi sodalitium chordigerorum: *Alias*, die XXIX. Decembris; concedit indulgentias confraternitati s. Mariae de Laureto, erectae in ecclesia tertii ordinis Placentin.: *Pastoris*, die XVI. Iunii; tribuit titulum concionatoris apostolici Francisco de Incarnatione, degenti in provincia observ. s. Thomae Indiarum occidentalium: *Religionis zelus*, die XVI. Iunii; similia confert *Francisco Glavinić* pro partibus Hungariae et Croatiae, in quibus grassantur haereses: *Exponi nobis*, die XI. Augusti; indulget monialibus s. Clarae Ambianen. ut recitare valeant officium b. Coletae: *Domini nostri*, die XX. Septembris, et fratribus reformatis officium et missam b. Ioannis a Capistrano: *Domini nostri*, die IX. Septembris.

XCI. Hyacinthum a Casali capucinum, in Belgium reducem, commendat pontifex: *Orthodoxae*, die VII. Maii Isabellae archiducissae Austriae viduae, marchioni Spinulae: *Bellicae laudes*, sub eadem die; eidem Hyacintho facultatem impartitur sacras reliquias ex piis Germaniae, Franciae, Hispaniae et Belgicarum ditionum locis extrahendi, pro se retinendi, vel aliis ecclesiis donandi: *Piis ac devotis*, die X. Iunii; in conventu principum Ratisbonensi eum benigne audiri commendat Ioanni Suicardo archiepisc. Moguntino: *Victoriae*, die X. Septembris; Ferdinando archiepiscopo Coloniensi: *Quoties*, Lothario

archiepiscopo Trevirensi: *Catholicam religionem*, Ioanni Godefrido episcopo Herbipolensi: *Scuto*, Paridi archiepiscopo Salisburgensi: *Multa*, eidemque: *Consilia*, die XXII. Decembris, Ferdinando archiepiscopo Coloniensi: *Excipiet*, Maximiliano Bavariae duci: *Eo felicitatis*, Wolffgando Guilielmo duci Neoburgi: *Docuit*, comiti de Ognat apud caesaream maiestatem oratori: *Caeli terrarumque*, Martino Becano societatis Iesu presbytero, caesaris confessario: *Compertum est.*

Acta ss. ad diem 11. maii inter praetermiss. Ibid. ad diem 26. iunii.

XCII. In coenobio fratrum minorum capucinorum, posito Bononiae extra portam s. Mamoli, impense coluntur exuviae s. Fabii Martyris eo ab Urbe delatae hoc anno. Item Bononiae in ecclesia fratrum conventualium adservatur corpus s. Superii martyris, honoratum officio ecclesiastico sub ritu duplici.

Boetius p. 23.

XCIII. Benignus a Genua, totius ordinis minorum generalis moderator, Parisiis commorans ossa magni viri Alexandri Alensis reponenda curavit nobiliori urna christifidelium eleemosynis ad id operis impensis, sequenti polita memoria XXV. Martii.

R. P.

Alexandri de Ales doctoris irrefragabilis, quondam sanctorum Thomae Aquinatis et Bonaventurae praeceptoris epitaphium.

CLAUDITUR HOC SAXO FAMAM SORTITUS ABUNDE
GLORIA DOCTORUM DECUS ET FLOS PHILOSOPHORUM
AUCTOR SCRIPTORUM VIR ALEXANDER VARIORUM
NORMA MODERNORUM FONS VERI LUX ALIORUM
INCLITUS ANGLORUM FUIT ARCHILEVITA SED HORUM
FACTUS EGENORUM FIT DOCTOR PRIMUS EORUM
OBIIT AN. MCCXXXXV. XII. KALEND. SEPTEMBRIS.
SI QUIS HONOS MERITIS SI QUI VIRTUTE COLUNTUR
HUNC ANIMO PRAEFER HUNC VENERARE PATREM.

XCIV. Marcus Antonius Vipereschi pro sua in seraphicum ordinem pietate valetudinarium instruxit in coenobio s. Francisci reformatorum transtyberino, et alterum in aede aracaelitana observantium

sexaginta et amplius infirmorum capax. Monumentum positum penes altare nunc dicatum s. Ioanni a Capistrano vulgamus.

D. A. M. O.

Marco Antonio Viperesco sanctissimi domini papae utriusque signaturae referendario et canonico lateranen. poenitentium ord. scilicet tertii s. Francisci praecipuo ac perpetuo benefactori conventus huius s. Mariae de Aracoeli, qui pro fratribus aegrotis in hoc coenobio infirmariam a fundamentis erexit et quoad vixit omnia pietatis opera exercuit tandem omnium virtutum genere praeditus ad finem vitae suae vicinus magno affectu haec verba saepe pronuncians: In pace tua Domine dormiam et requiescam: praetiosa morte laetus ad praemia evolavit die XX. Ianuarii M.DC.XXII.

Moerentes patres huius conventus de Aracoeli et maxime dolentes in signum grati et obsequentissimi animi hunc lapidem erigere et ponere voluere.

REGESTUM
PONTIFICIUM

PAULI V.

ANNO CHRISTI 1612. PONTIFICATUS AN. VIII.

XCI.

Confirmat erectionem provinciae s. Thomae in India Orientali. Ex regest. secret. Brevium in mense Octobri pag. 113.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii, fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia, custodiae s. Thomae Indiae Orientalis, quod in capitulo generali dicti ordinis in Urbe nuper celebrato, custodia s. Thomae Indiae Orientalis propter multas et urgentes causas in novam provinciam, novamque fratrum recollectorum nuncupatorum eiusdem ordinis custodiam erecta sit, prout in patentibus litteris desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, fratres praedicti plurimum cupiant erectionem primodictae custodiae in novamque fratrum recollectorum huiusmodi custodiam, ut praefertur, factam pro illius maiori subsistentia et validate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur dictos fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem dictae custodiae s. Thomae in novam provinciam, novamque fratrum recollectorum huiusmodi custodiam, uti praefertur, factam apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, mandantes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat, ut praemissa omnia et singula observent, et observari curent et faciant rea-

liter et cum effectu; non obstantibus constitutionibus etc. Quibus omnibus etc. hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Marcum die prima Septembris pontificatus nostri anno VIII.

XCII.

Catharinae de Sandoval eximiam in sanctam sedem pietatem laudat.

Dilectae in Christo filiae, nobili mulieri Catharinae de Sandoval, comitissae de Lemos.

DILECTA in Christo filia, nobilis mulier, salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus litteras nobilitatis tuae, quas dilectum filium Didaeum de Arce, ordinis minorum sancti Francisci de observantia, [nobis] reddere voluisti, et licet de tua in hanc sedem et nos devotione et observantia minime dubitaremus, non potuit tamen non gratissima nobis accidere tam pia et tam officiosa declaratio voluntatis; reddat tibi Dominus, cui nos in ministerio apostolatus servimus indigne. Ceterum quantum tua causa cupiamus [et] fecerimus, ab eodem Didaco accipies, nostram apostolicam benedictionem tibi iterum impartimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXV. Aprilis MDCXII. pontificatus nostri anno VII.

XCIII.

Praecipit, ut conventus Pischo Indiarum Occidentalium perpetuo maneat penes fratres recollectos. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 133.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXPONI nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Nunez, ordinis fratrum minorum s. Francisci recollectorum nuncupatorum professor ac provinciae XII Apostolorum in Indiis Occidentalibus eiusdem ordinis custos et procurator, quod cum in dicta provincia et loco, Portus Pischi nuncupato quaedam domus regularis fratribus recollectis dicti ordinis a superioribus, ordinis fratrum minorum de observantia, concessa et assignata, et per eosdem fratres recollectos semper retroactis temporibus possessa et habitata fuerit, nihilominus ipsi fratres minores de observantia fratres recollectos huiusmodi dicta domo expellere et se in illam introducere velle iactant; nobis propterea dictus Ioannes humiliter supplicari fecit, ut fratribus recollectis dictae domus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur tam Ioannem quam fratres recollectos praedictos apostolicis favoribus et gratiis prosequi...... volentes, eorumque

singulares personas a quibusvis excommunicationis etc... censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium inhibemus omnibus et singulis, ordinis fratrum minorum de observantia, huiusmodi superioribus et personis quibuscunque, ne eosdem fratres recollectos super praedicta domo illiusque possessione quoquo modo perturbare vel molestare praesumant, decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari, non obstantibus constitutionibus etc... ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die VII. Septembris MDCXII. ponfitificatus nostri anno VIII.

XCIV.

Ratam habet possessionem coenobii penes oppidum Antroduci. Ex reges. secret. Brevium in mense Septembri pag. 59.

Venerabili fratri Episcopo Reatin. seu dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali.

Exposi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus s. Annae, ordinis minorum s. Francisci de observantia, loci Antroduci Reatin. dioecesis, quod ipsi quibus situs dictae domus et illius ecclesiae per dilectos filios universitatem et homines dicti loci, ad quos spectabat, concessus fuit, quique in possessionem ecclesiae huiusmodi per ordinarium loci vigore decreti, per venerabiles fratres nostros s. r. e. cardinalis negotiis et consultationibus regularium praepositos facti, immissi sunt, tum a dilectis filiis fratribus domus ordinis eremitarum s. Augustini eiusdem loci, quominus dictae domus fabricam perficere valeant impediuntur, sub praetextu, quod debita inter utriusque ordinis regulares domos distantia iuxta privilegia ordinis s. Augustini, a sede apostolica concessa, non intercedat. Quare guardianus et fratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur eosdem guardianum et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibus excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, fraternitati tuae frater episcope, seu discretioni tuae fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut stantibus praemissis guardianum et fratres primo dictos in possessione dictae ecclesiae s. Annae apostolica auctoritate manuteneas, nec illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari permittas, quinimmo eisdem, ut etiamsi inter domos praedictas praedicta distantia non intercedat, iuxta privilegia dicto ordini s. Augustini a sede apostolica concessa, nihilominus fabricam eorum domus praedictae perficere libere et licite va-

leant, eadem auctoritate facultatem concedas. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXVIII. Septembris pontificatus nostri anno VIII.

XCV.

Archangelus a Messana fit archiepiscopus Montisregalis in Sicilia. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 484.

Romae die XVIII. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum in quo

Rmo d. cardinali Zapata referente pro rmo d. cardinali Farnesio, sanctitas sua metropolitana ecclesiae Montisregalis in Siciliae regno vacanti per obitum Ludovici, tituli s. Pancratii presbyteri cardinalis de Torres, ad praesentationem catholicae maiestatis providit de persona rmi fratris Archangeli de Messana, ordinis s. Francisci de observantia nuper generalis etc. cum reservatione omnium fructuum pro Leopoldo, archiduce ab Austria, archiepiscopo Argentinae, demptis tamen pro dicto d. Archangelo et successoribus ducentis et sex millibus annuis, ad rationem undecim regalium monetae Hispaniarum, nec non duobus [et] decem millibus rmo Odoardo, cardinali Farnesio, olim reservatis iuxta litteras apostolicas expeditas per dictum d. Archangelum et successores eidem rmo Farnesio praestandis, quae pensio ducatorum decem millium, si ullo unquam tempore extingueretur, caderet ad commodum r.mi Archangeli et successorum. Ipse vero Leopoldus omnia onera incumbentia sustinere tenentur, et cum aliis clausulis ad executionem praemissorum in his exprimendis etc.

XCVI.

Iacobus Suarez episcopus Sagiensis eligitur. Ex eisdem actibus pag. 460.

Romae die IX. Ianuarii in hortis Quirinalibus fuit consistorium secretum in quo

Sanctissimus dominus d. noster ad relationem rmi d. cardinalis de Ioiosa ad nominationem regis christianissimi ecclesiae Sagien. vacanti per obitum Ioannis Berenuld providit de persona religiosi viri fr. Iacobi Suarez a s. Maria, Lusitani, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, eundem ordinem expresse professi, suae maiestatis consiliarii et concionatoris, fidem rite professi, salvis pensionibus antiquis.

XCVII.

Petrus Matthias promotus est ad ecclesiam Carcerensem. Ex eisdem actibus pag. 503.

Romae die XVII. Septembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum in quo.

Rmo d. cardinali Zapata referente, ss. dominus noster ad praesentationem serenissimi regis catholici ecclesiae de Carceres in Insulis Philippinis vacant. per obitum fr. Petri Goudinez providit de persona r. p. fr. Petri Matthiae, ordinis s. Francisci discalceatorum, theologi etc. cum decreto, quod antequam possessionem adipiscatur fidei professionem emittere teneatur.

XCVIII.

Guilielmus Hugoni fit archiepiscopus Ebredunensis. Ex eisdem actibus pag. 501.

Romae die III. Septembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum in quo.

Rmo d. cardinali Gonzaga referente, sanctitas sua ad nominationem regis christianissimi ecclesiae metropolitanae Ebredunen. in Delphinatu Galliae vacant. per obitum Flortii ultimi episcopi providit de persona r. fr. Guilielmi Hugi, generalis ministri ordinis s. Francisci, theologi et presbyteri, cum reservatione annuae pensionis librarum Turonens. mille ducentorum super fructibus eiusdem ecclesiae pro Alexandro de Castellana, clerico Nicen. et cum petita fuisset condonatio iurium, sanctitas sua nihil respondit etc.

XCIX.

Revocat licentias ingrediendi monasteria monialium. Ex Bull. Cherubini tom. III. pag. 309.

Ad futuram rei memoriam.

Monialium statui, quae desideria saecularia abnegantes Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quae religiosam earum quietem et regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter intendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

1. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium mulieribus saecularibus concessas dictis monialibus inferre, nos malis

huiusmodi opportuno remedio providere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas licentias ingrediendi monasteria monialium ubique locorum existentium, ac cum monialibus conversandi et refectionem sumendi corporalem mulieribus cuiuscunque status, gradus et conditionis existentibus, etiam marchionali et ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscunque verborum formis et tenoribus ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque fortioribus et efficacioribus ac insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum a praedecessoribus nostris, romanis pontificibus et etiam a nobis concessas, quarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, apostolica auctoritate, tenore praesentium revocamus, cassamus et irritamus, atque revocatas, cassatas et irritas esse decernimus.

2. Inhibemus mulieribus praedictis licentias huiusmodi habentibus sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobis seu romano pontifice, pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ne monasteria praedicta, praetextu licentiarum huiusmodi, ingredi audeant seu praesumant.

3. Ipsorum vero monasteriorum abbatissis seu priorissis ac superioribus sub eadem ac privationis omnium officiorum, quae obtinent, et inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto, sine alia declaratione incurrendis poenis, ne eas introducere seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant seu praesumant.

4. Quapropter dilectis filiis nostris, et apostolicae sedis pro tempore nunciis ac locorum ordinariis, nec non dictorum monasteriorum praelatis et superioribus praecipimus et mandamus, quatenus praesentes litteras publicari et praemissa omnia observari faciant; contradictores vero etc.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die X. Iulii MDCXII. pontificatus nostri anno VIII.

C.

Iubet, ut abbatissae nonnisi post sexennium expletum ad munus iterum admittantur. De Gubernatis tom. II. pag. 768.

Ad perpetuam rei memoriam.

His, quae pro prospero felicique monasteriorum quorumlibet, praesertim sanctimonialium regimine et gubernio ab eorum praelatis ac superioribus provide facta fuisse dicuntur, ut perpetuo firma et illibata persistant libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii provincialis et fratres provinciarum Portugalliae et Algarbiorum, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, quod ipsi pro felici statu monasteriorum monalium ordinis s. Clarae, eorum curae et regimini subiectorum, provinciarum huiusmodi, in proprio

uniuscuiusque capitulo congregati iustis de causis statuerunt et ordinaverunt, quod abbatissae dictorum monasteriorum suis expletis officiis sexennio vacare debeant, et ad eadem officia nonnisi post elapsum sexennium reeligi possint. Quae quidem statutum et ordinatio a dilectis etiam filiis ministro et definitoribus generalibus, in capitulo generali eiusdem ordinis ultimo loco in Urbe celebrato congregatis, approbata et confirmata fuerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro statuti et ordinationis huiusmodi maiori subsistentia et validitate dicti provinciales et fratres plurimum cupiant illa apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur provinciales et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis etc. absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, statutum et ordinationem praedicta apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Et insuper pro bono regimine dictorum monasteriorum monialium, provinciarum regni Portugalliae et Algarbiorum praedictarum per amplius consulere volentes, officia abbatissae singulorum monasteriorum huiusmodi ad biennium auctoritate et tenore praesentium reducimus, ita ut deinceps perpetuis futuris temporibus abbatissae huiusmodi triennales existant, ac biennio tantum earum officia durent, decernentes irritum et inane quidquid etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XIV. Augusti MDCXII. pontificatus nostri anno VIII.

CI.

Confirmat mandatum Archangeli a Messana olim ministri generalis ordinis. Ex. regest. secret. Brev. in mense Septembri pag. 272.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias postquam venerabilis frater Archangelus archiepiscopus Montis Regalis, tunc existens minister generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae ac privationis officiorum per eos obtentorum inhibuisset commissariis generalibus dicti ordinis, in praedicti ordinis Indiarum provinciis residentibus, ne super aliqua praedicti ordinis constitutione generali vel provinciali absque voto et assensu omnium guardianorum provincialium ac definitorum, provinciarum Indiarum, ubi adessent, et nomine illorum discrepante quo-

quomodo dispensare auderent, nos dicti archiepiscopi tunc ministri generalis supplicationibus nobis tunc humiliter porrectis inclinati, inhibitionem praedictam perpetuo approbavimus et confirmavimus, prout in aliis nostris sub plumbo expeditis litteris plenius continetur. Quoniam vero sicut accepimus nusquam aut raro eveniat, ut omnes guardiani, provinciales et difinitores praedicti in unam eandemque sententiam deveniant exindeque inconvenientia non levia in dies oriantur: idcirco nos praedictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dilecti filii Roderici de Portelli, praedicti ordinis procuratoris generalis, de fratrum dictarum provinciarum nomine, nobis humiliter porrectis inclinati, apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus, commissarios generales Indiarum cum interventu maioris partis difinitorum super praedicti ordinis constitutionibus generalibus et provincialibus dispensare posse. Quocirca nunc et pro tempore existenti commissario generali Indiarum, apud nunc et pro tempore existentem Hispaniarum regem catholicum residenti, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecunque ab omnibus ad quos spectat et pro tempore spectabit inviolabiliter observari faciat, contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XI. Septembris pontificatus nostri anno VIII.

CII.

Ut fratres recollecti habeant unum definitorem in qualibet provincia Indiarum Occidentalium. Ex regest. secret. Brev. in mense Septembri pag. 12.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis officii nostri debito ad ea sollicite semper intendimus per quae religiosorum statui ac paci et tranquillitati opportune consulitur; supplicationibus itaque dilecti filii Ioannis de Hierro, ordinis fratrum minorum de observantia ministri generalis, nobis humiliter porrectis inclinati, apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et ordinamus, ut in posterum perpetuis futuris temporibus fratres recollecti nuncupati eiusdem ordinis provinciarum Indiarum occidentalium, recollectum unum ex quatuor definitoribus illarum provinciarum habere debeant cum facultatibus, honoribus, oneribus solitis et consuetis, sine cuius definitoris licentia et consensu fratres ipsi recollecti de una domo in aliam mutari a ministris provincialibus minime possint nec debeant, neque etiam super constitutionibus aut statutis fratrum recollectorum praedictorum absque eiusdem definitoris consensu et voluntate dispensari, irritumque et

inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut alia forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Marcum die XIII. Septembris pontificatus nostri anno VIII.

CIII.

Irritat electionem duorum generalium definitorum. De Gubernatis tom I. pag. 440.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in capitulo generali ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, proximo celebrato in regnis Hispaniae et Portugalliae unus et in provinciis Italiae alius, scilicet dilecti filii Franciscus Duran et Chrisantus de Nola, dicti ordinis professores in definitores generales ultra solitum et determinatum numerum electi fuerint, ea de causa dilectus filius noster Pompeius, titulo s. Balbinae presbyter cardinalis Arigonius nuncupatus, praedicti ordinis apud nos et sedem apostolicam protector ac in dicto capitulo praesidens per nos deputatus, pro sua prudentia dissensionibus ac controversiis, quae inter aliorum regnorum et provinciarum fratres ea de causa oriri poterant, obviare cupiens in dicto capitulo generali suo decreto electiones dictorum duorum definitorum nullas et irritas fuisse et esse declaravit, nihilominus in quodam definitorio, praedicto Pompeio cardinali absente, celebrato dictus Franciscus Duran pro definitore receptus et admissus fuit: nos pro nostri pastoralis officii debito laudabiles et hucusque observatas praedicti ordinis consuetudines observari et inter religiosos omnem dissensionis materiam removere cupientes, nunc dicti decreti rationem praesentibus pro expressa habentes, motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praedictum decretum dicti Pompeii cardinalis tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint, supplemus, nec non a Francisco et Chrisanto ceterisque fratribus dicti ordinis inviolabiliter observari praecipimus et mandamus; et nihilominus electiones definitorum huiusmodi, ut praefertur, factas, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus revocamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu evacuamus decernentes praesentes litteras etiam ex eo, quod Franciscus et Chrisantus praedicti vocati et auditi non fuerint, sive alio

quovis defectu subreptitionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio notari vel impugnari non posse; sicque et non aliter per quoscunque iudices etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die II. Octobris MDCXII. pontificatus nostri anno VIII.

CIV.

Committit episcopo Pacensi causam satisfactionis legati relicti a Michaele Rubiano antequam professionem emisisset inter fratres reformatos. Ex regest. secret. Brev. in mense Decembri pag. 208.

Venerabili fratri Episcopo Pacen.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Michael Rubianus, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum professor, quod ipse cum adhuc in saeculo esset pro sua erga Deum pietate, et in ultimo testamento seu alia eius voluntate, sub cuius dispositione professionem, per dicti ordinis fratres emitti solitam, expresse emisit regularem, unam perpetuam capellaniam in ecclesia parochiali loci de Vissalva, Pacen. dioecesis, fundari, et in summa quingentorum scutorum vel circiter dotari mandavit, cum hoc, ut illam pro tempore obtinens septuaginta missas celebrare, seu celebrari facere deberet, et ad hunc effectum idem Michael dilectos filios Antonium et Rodericum Vasquez clericos eiusdem loci nominavit, quibus summa quingentorum scutorum huiusmodi consignata fuit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Antonius et Rodericus praedicti, quibus dicta pecuniarum summa consignata fuit, licet a dicto Michaele pluries requisiti fuerint, tamen, Dei timore postposita, eiusdem Michaelis voluntatem exequi suoque muneri satisfacere hactenus neglexerint, et etiam nunc negligant; nobis propterea dictus Michael humiliter supplicari fecit, ut sibi alium seu alios, qui praedictam suam voluntatem exequantur, nominandi licentiam concedere, aliasque desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur dictum Michaelem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, eius hac in parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut stantibus praemissis eidem Michaeli, quod alium seu alios tibi benevisos clericos seu presbyteros loco dictorum Antonii et Roderici, qui praedictam suam voluntatem executioni demandari curent, praedictamque pecuniarum summam ad effectum praedictum a dictis Antonio et Roderico exigere, et alia iuxta eiusdem Michaelis ultimam voluntatem huiusmodi agere, facere et exequi possit, nominare libere et licite valeat apostolica auctoritate licentiam et facultatem arbitrio tuo concedas. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die VIII. Decembris pontificatus nostri anno VIII.

CV.

Pro fratribus reformatis conventus Neritonen. Ex reg.est. secret. Brev. in mense Iulio pag. 450.

Venerabili fratri episcopo Neritonen. seu dilecto filio eius in spiritualibus vicario generali.

Pro fidelium quorumlibet etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis Neritonen. quod ipsi, qui devotionis zelo ducti unum monasterium monialium in dicta civitate suis expensis fundare desiderant, animadvertentes pro fundatione huiusmodi monasterii aedes conventuales domus s. Antonii de Palma, ordinis fratrum minorum reformatorum, apprime commodas esse, suum huiusmodi desiderium guardiano et fratribus dictae domus notificarunt, et in eventum in quem illi concessioni aedium conventualium huiusmodi ad effectum construendi dictum monasterium consentire vellent, novas aedes conventuales prope et extra muros Neritonen. pro eorum usu et habitatione suis similiter expensis construere obtulerunt, ipsi vero guardianus et fratres de consensu suorum superiorum huic rei assensum dederunt, et propterea, si ecclesia sine cura s. Mariae prope et extra muros praedictorum communitatis et hominum expensis constructa, et in titulum beneficii nondum erecta, sed per capellanos ad nutum eorundem communitatis et hominum amovibiles ex indulto apostolico deserviri solita guardiano et fratribus praedictis pro eorum usu concederetur, et apud illam nova aedes erecta aliis sumptibus et expensis communitatis et hominum praedictorum, construeretur, ipsiusque guardiani unius et fratrum ad illam transferantur, ut illiusque ecclesia et pertinentiis universis ordo fratrum minorum reformatorum huiusmodi perpetuo supprimeretur, et in eisdem aedibus postquam ad formam monasterii reductae et et debita clausura munitae fuerint, ac dos sufficiens pro unius abbatissae seu priorissae, et competentis monialium numeri sustentatione ab ipsis communitate et hominibus assignata fuerit unum monasterium monialium ordinis s. Clarae erigeretur, ex hoc profecto religionis et divini cultus augmento consuleretur. Quare pro parte eorundem communitatis et hominum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet votis ad monasteriorum et aliorum locorum propagationem, divinique cultus augmentum, nec non animarum salute et spirituali consolatione tendentibus libenter annuimus, singulares personas communitatis et hominum praedictorum a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae, fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut vocatis qui fuerint evocandi, ex nunc prout postquam communitas et homines praedicti prope dictam ecclesiam s. Mariae novas aedes conventuales suis expensis construi fecerint, guardiano et fra-

tribus dictae domus s. Antonii ad noviter constructas aedes se transferendi licentiam et facultatem apostolica auctoritate concedas, illisque pro eorum usu praedictam ecclesiam s. Mariae perpetuo concedas, ac in aedibus conventualibus ab ipsis guardiano et fratribus relictis dictum ordinem fratrum minorum reformatorum eiusque statum, essentiam et dependentiam ac tenores dicta auctoritate perpetuo supprimas et extinguas, ac in eisdem postquam ad formam monasterii redactae et debita clausura munitae fuerint, ipsique universitas et homines de bonis suis propriis tot census, redditus, proprietates et bona, quorum annuus valor ad competentem monasterii dotem, ac illius abbatissae seu priorissae conventus et ministrorum sustentationem onerumque eis incumbentium supportationem sufficiant, realiter et cum effectu donaverint, et appropriaverint monasterium monialium ordinis s. Clarae pro una abbatissa seu priorissa, et duodecim adminus monialibus, quae habitum, per moniales aliorum eiusdem ordinis monasteriorum gestari solitum, suscipere, et professionem, per illas emitti consuetam, emittere, ac clausuram regularem, statuta, ordinationes et consuetudines dicti ordinis servare teneantur, cum ecclesia, campanili, campanis, coemeterio, claustro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis ceterisque membris et officinis necessariis, sine alicuius praeiudicio, speciali auctoritate similiter perpetuo erigas et instituas, ac eidem monasterio pro eius data eorumdem monialium ac ministrorum praedictorum sustentatione et manutentione praedicta, et quaevis alia bona tam per communitatem et homines praedictos quam alios christifideles donanda et elargienda, etiam postquam donata et elargita fuerint, perpetuo applices et appropries; insuper eidem monasterio illiusque abbatissae seu priorissae, monialibus, conventui, ministris et personis pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis, concessionibus, indultis, favoribus et aliis gratiis, quibus alia monasteria monialium ac loca dicti ordinis illorumque abbatissae priorissae, moniales et personae utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet, in futurum etiam uti, potiri et gaudere libere et licite valeant eadem auctoritate pariter perpetuo indulgemus. Non obstantibus constitutionibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XXI. Iulii pontificatus nostri anno VIII.

CVI.

Confirmat conventum s. Mariae civitatis Carthaginen. in Indiis Occidentalibus. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 134.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex commisso nobis desuper apostolicae servitutis officio votis illis, quae ad divini cultus et catholicae religionis augmentum anima-

rumque salutem et aedificationem faciunt libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi nobis siquidem nuper fecit dilectus filius Franciscus Ortiz de Ormo, ordinis fratrum minorum de observantia recollectorum nuncupatorum s. Francisci, in partibus Indiarum Occidentalium viceeommissarius generalis, quod ipse unam eiusdem ordinis regularem domum sub invocatione b. Mariae virginis, in civitate Carthaginensi, in dictis partibus de ordinarii licentia, servata forma constitutionum dicti ordinis, a sede apostolica approbatarum, fundavit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Franciscus pro maiore fundationis dictae domus validitate et subsistentia illam apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur dicti Francisci votis hac in parte annuere ipsumque specialibus gratiis prosequi volentes et a quibusvis etc. etc. absolventes et absolutum fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum, sanctae romanae ecclesiae cardinalium consilio, erectionem et fundationem dictae domus, quatenus tamen canonice et servata forma litterarum felicis recordationis Clementis papae VIII. praedecessoris nostri desuper editarum factae fuerint, apostolica auctoritate, tenore praesentium... confirmamus et approbamus, nec non eidem domui si, ut praemittitur, erecta et instituta fuit illiusque guardiano et fratribus, quod omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, favoribus, gratiis et indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae eiusdem ordinis regulares domus, illarumque guardiani et patres de iure, usu, statuto, consuetudine aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et potuerunt quomodolibet, in futurum pari modo uti, potiri et gaudere possint et valeant auctoritate et tenore praesentis concedimus et indulgemus; non obstante felic. record. Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri [constitutione], qua cavetur, ne mendicantes nova loca absque sedis apostolicae licentia recipiant aliisque constitutionibus etc. etc... ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die ultima Augusti MDXII. pontificatus nostri anno VIII.

Cobelluthus.

CVII.

Ut studiorum emittendorum causa se conferat in Portugalliae regnum. Ex regest. secret. Brev. in mense Octobri pag. 147.

Dilecto filio Vincentio Salvatoris, ordinis fratrum minorum s. Francisci professori.

Exposi nobis nuper fecisti, quod tu, qui habitum per fratres ordinis minorum s. Francisci de observantia gestari solitum in custodia

sive provincia s. Antonii eiusdem ordinis in partibus Brasilen. suscepisti, et professionem, per eosdem emitti solitam, expresse emisisti regularem, ad regnum Portugalliae, ut audiendo doctores et verbi Dei praedicatores eiusdem regni fructuosior in ecclesia Dei eiusdem verbi praedicator evadas, te transferre, et in illo per aliquod tempus nobis benevisum commorari summopere desideras; sed quia quodam eiusdem ordinis statuto, apostolica auctoritate confirmato, similes translationes sive transitus absque sedis apostolicae licentia fieri prohibentur, nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur te, [qui] apud nos de religionis zelo, vitae ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendaris, huiusmodi intuitu specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut de superiorum tuorum consensu ex praedicta custodia seu provincia s. Antonii ad regnum Portugalliae te transferre, in illoque per triennium ad effectum praedictum dumtaxat in aliqua domo regulari eiusdem ordinis sub illius superiorum obedientia, et non alias nec alibi commorari et degere, ita ut illo finito, ad eandem custodiam redire tenearis, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, ac licentiam impartimur. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die II. Octobris pontificatus nostri anno VIII.

CVIII.

Interdicit eremitis Galliarum deferendi habitum fratrum tertii ordinis congregationis gallicanae. De Gubernatis tom. II. pag. 886.

Ad futuram rei memoriam.

Ex pastoralis officii nostri debito illis, quae pro tollendis abusibus et scandalis citandis provide facta fuisse dicuntur, apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus de Villars, tertii ordinis fratrum s. Francisci de poenitentia reformatorum nuncupati, in regno Franciae professor, et eiusdem ordinis in curia romana procurator, quod dilectus etiam filius Ioannes de Ierro, ordinis minorum s. Francisci de observantia etiam nuncupatorum minister generalis, cui dicti fratres reformati apostolica auctoritate subiecti existunt, provide considerantes, quod in dicti regni provinciis complures habitum eremiticum similem vel quasi similem dictorum fratrum portantes, non sine gravi scandalo male vivunt, et per dictum regnum vagantur, auctoritate sui officii et inhaerens privilegiis, a sede apostolica dicto ordini concessis nunc et pro tempore existenti provinciali, dicti tertii ordinis, quoscumque habitum eremiticum similem vel quasi similem habitui dictorum fratrum reformatorum portantes, non sine gravi scandalo male viventes, et per dictum regnum Franciae vagantes, praedicto habitu spoliandi, castigandi et incarcerandi, iuxta romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, privilegia eisdem ordinibus concessa, auctoritatem suam licentiamque concessit.

§ 2. Prohibuit etiam fratribus sui ordinis, ne quemquam absque praedicti provincialis consensu vestiant aut recipiant, prout in patentibus litteris ipsius ministri generalis desuper confectis plenius dicitur contineri.

§ 3. Cum autem, [ut] eadem expositio subiungebat, dictus Petrus plurimum cupiat licentiam, facultatem et prohibitionem praefatas, necnon litteras patentes desuper confectas huiusmodi pro illarum firmiori subsistentia et validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis [que] propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 4. Nos igitur dictum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, licentiae impertitionem et prohibitionem, ac litteras patentes desuper confectas praedictas, omniaque et singula in eis contenta, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Et nihilominus dicti tertii ordinis nunc et pro tem-

pore existenti provinciali et quoscunque habitum eremiticum similem, vel quasi similem habitui fratrum reformatorum huiusmodi portantes, et cum gravi scandalo male viventes ac per dictum regnum vagantes habitu huiusmodi spoliare et castigare, ac etiam carceribus mancipare libere et licite valeant auctoritate et tenore praedictis facultatem concedimus et impartimur. Decernentes praesentes litteras validas, firmas etc. Quocirca venerabilibus fratribus Lugdunen. et Toletan. archiepiscopis, ac dilecto filio nostro et apostolicae sedis in regno Franciae pro tempore existenti nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi etc., quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere etc.. Contradictores etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XIV. Martii pontificatus nostri anno VIII.

CIX.

Quaedam concedit monialibus urbis Aquensis a malis spiritibus exagitatis.
Ex regest. Secret. Brev. in mense Maio pag. 138.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et fratres, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, provinciae s. Ludovici regni Franciae, quod omnes fere moniales monasterii s. Clarae Aquen. eorum curae subiectae a malis spiritibus possessae sunt. Nos pro nostro pastoralis officii debito dictarum monialium statui quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ut illarum liberatio a Domino libentius imploretur, supplicationibus ministri provincialis et fratrum praedictorum nominibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem ministro provinciali et fratribus dictae provinciae, ac praedicti monasterii s. Clarae abbatissae seu priorissae et monialibus qui et quae vere poenitentes et confessi ac confessae in die festo assumptionis b. Mariae virginis proxime futuro sacram communionem sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris ecclesiae exaltatione, nec non dictarum monialium liberatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper quibuscunque confessariis ab ordinariis locorum approbatis, ut ministrum provincialem et fratres, ac abbatissam seu priorissam et moniales praedictas ab omnibus et singulis peccatis criminibus excessibus et delictis etiam reservatis, haeresis tamen et homicidii voluntarii ac simoniae exceptis, nec non sententiis censuris et poenis ecclesiasticis per eos et illas propterea incursis, iniunctis tamen

iniungendis, semel tantum ad effectum praedictam indulgentiam consequendi, et in foro conscientiae dumtaxat absolvere libere et licite valeant auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Marcum die XIV. Maii Pontificatus nostri anno VIII.

CX.

Adprobat constitutiones fratrum tertii ordinis congregationis gallicanae.
Idem ibid. pag. 860.

Ad perpetuam rei memoriam.

Gratos Domino et regno Franciae totique reipublicae christianae utiles fructus, qui ex tertii ordinis s. Francisci de poenitentia strictioris observantiae nuncupati, in dicto regno, institutione ac felici progressu provenire noscuntur, intra nostri cordis arcana revolventes, his quae pro huiusmodi ordinis regimine et propagatione divinique cultus augmento necnon animarum salute provide statuta atque ordinata fuisse dicuntur, dum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem.

§ 1. Sane pro parte dilecti filii Petri de Villars, dicti ordinis in regno praedicto professoris, et eiusdem ordinis in curia romana procuratoris exhibita nobis nuper petitio continebat, quod superiores et aliae personae eiusdem ordinis capitulariter congregatae ea, quae ad reformationem necessaria et ipsius ordinis regimini, communi iudicio conducere visa sunt, tractarunt, et ex iis decreta et constitutiones ac statuta confecerunt, eaque, quia passim erant dispersa variisque libellis distincta ac decisa, ut in oculis ac manibus religiosorum frequentes esse possent, in compendium et certam methodum redegerunt, superfluis amputatis, addendis additis, moderandis moderatis, et iis, quae contraria videbantur, reconciliatis.

§ 2. Videlicet circa saeculares ad probationis habitum admittendos, ac de iis, qui pro laicis recipiendi sunt, necnon de conventibus ad novitios educandos eligendis, et de iis, qui in novitiatus exordio et aliis, quae quotidie, iterumque aliis, quae in hebdomada, mense, et anno novitiis agenda, prout etiam de iis, quae tempore novitiatus eiusdem cavenda sunt, ac de officiis novitiatus illatoris scilicet et sacristae, ac magistri ipsorum novitiorum eisdemque novitiis ad professionem admittendis, et de iuvenibus professis et clericis, qui sacris sunt initiandi, nec non de vestimentorum ratione, colore, et qualitate, ac de tonsura et voto mandatorum Dei, ac satisfaciendi transgressionibus, distinctione culparum, et poenitentiis propter illas imponendis, de voto obedientiae ac reverentia et submissione romano pontifici pro tempore existenti, ceterisque praelatis et superioribus dicti ordinis exhibenda, de voto paupertatis, de laboritiis et negotiis

ad honestatem minime pertinentibus, de eleemosynis pro praedicatoribus et confessoribus oblatis, ipsisque eleemosynis quaerendis, de fabricis et fundationibus, ac piis legatis accipiendis; de syndicis saecularibus vel procuratoribus fratrum; de provisionibus conventuum, de substitutis syndicorum saecularium; de debitis non contrahendis et de solvendis iam contractis; de depositis nullo in loco recipiendis; de expensis pro euntibus ad capitulum generale faciendis; de computis singulos mensibus reddendis; de conservatoribus diligendis, et de patentibus litteris pro illis delectis; de archiviis quae in eis sunt adservanda; de voto castitatis et de suspectis consortiis vitandis; de ieiunio, de silentio, de examine conscientiae; de sacrosancta missa celebranda et audienda; de verbo Dei fratribus proponendo; de divino officio tam clericorum, quam laicorum; de confessione, de casibus reservatis, prima quidem eorum, qui secundum constitutionem fel. rec. Clementis papae VIII. praedecessoris nostri generali aut provincialibus ministris; altera vero tabellis eorum, qui ex generalibus ordinis constitutionibus eisdem ministris provincialibus ac etiam custodibus reservantur.

§ 3. Necnon de sacra communione, de praelatorum et officiorum ordinatione, de electionibus in genere, et quot debeant esse numero, et a quibus eligendi seu instituendi sint inquisitores, et de qualitatibus eorum, qui ad praedicta officia promovendi sunt; et de generali ministro eiusque officio et potestate, de modo quo generalis minister in unoquoque dicti ordinis conventu recipi debeat; ut de frequentioribus comitiis seu congregationibus, et iis, quae in ea peragenda sunt; itemque illis qui ad congregationem generalem sunt evocandi, et de custodibus eligendis, ac de forma generalis absolutionis in omnibus capitulis tam generalibus quam provincialibus ante electionem canonice et rite celebrandis servanda; de habentibus votum in electione visitatoris generalis illiusque publicationis forma; de definitoribus in capitulo et congregatione generali eligendis, et de iis quae post electionem visitatoris generalis et definitorum peragi debent; de patrum acclamationibus et sequentibus illa suffragiis. De visitatore generali eiusque officio, et potestate; de iis qui ad provincialia capitula quovis iure vel consuetudine accedere debent, de habentibus in eis votum, eorumque qualitate, qui ad praedicta officia sunt promovendi, necnon custodibus ceterisque officialibus in capitulis provincialibus eligendis, de definitoribus provincialibus, et iis quae post electionem huiusmodi agenda sunt; et quales guardiani sint instituendi; de ministris provincialibus eorumque officio et potestate, et illis qui iam officio functi sunt, et iis, qui ex hac vita in officio decedunt; de capitulis localibus, etiam pro electione capitularis discreti, de residentia, et titulis, de praecedentia et sigillis, ac de modo interius et exterius conservandi.

§ 4. Ac de fratribus quavis de causa ad curias accedentibus, de vanis et curiosis vitandis, de cura infirmorum, de visitatione quam praelati debent facere circa fratres et sorores; de venerabili sacra-

mento, ss. reliquiis, et oleo sancto, sacrisque altaribus et cappellis, confessionalibus, de ecclesiis generatim, de sacristia, de loco infirmariae, aromataria, et hospitiis, ac visitandis fratrum cellis, de fratribus coram visitatore visitationis gratia singillatim evocandis, de incorrigibilibus debite compescendis, vel ab ordine eiiciendis, de apostatis, de officiis mortuorum, de sepulturis, de obligatione contentorum in regula, ac de ipsis et decretis, constitutionibus, statutis, nec non de subornatoribus et revelantibus secreta, necnon de verbis indebite prolatis, ac minis et manibus violentis, et conspirationibus, ac ordinis divisionem seu novitatem in eo procurantibus, et ad tribunalia saecularia ac favores recurrentibus, et falsificatoribus ac litteras intercipientibus, necnon in iudicio deponentibus, de simoniacis necnon libellis famosis, et fratrum defectibus opportune detegendis, ac ludis evitandis, et criminibus in genere, et fratribus ad triremes, et ad perpetuos carceres damnatis et iis, qui apud ss. inquisitionis officium abiuraverint, ac de spuriis, necnon punitionibus non differendis, et hospitibus ac diversis delinquentibus ac rebellantibus, necnon poenis impositis et appellatione. Necnon saecularibus tertii ordinis utriusque sexus recipiendis, ac eiusdem tertii ordinis monialibus et ipsorum decretorum, constitutionum et statutorum observatione facta, omnium praesertim insigniorum gravissimis culpis debitorum.

§ 5. Videlicet privationis activae et passivae vocis, et actuum legitimorum et officiorum ordinis, ac proprietariorum et carceris, necnon contra inobedientes, et contumaces, ac talionis, et apostasiae; necnon excommunicationis et eorum, quibus praelati et patres qualificati sunt afficiendi, et contra infamatores et falsos testes praescriptorum, ac denique in genere poenarum recapitulatione et repetitione, prout in iisdem decretis, constitutionibus et statutis plenius dicitur contineri.

§ 6. Cum autem dicta decreta, constitutiones, et statuta de mandato nostro per dilectos filios nostros s. r. e. cardinales super causis et controversiis ad episcopos et regulares spectantibus praepositos examinata et approbata fuerint, pro parte eiusdem Petri fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus decretis, constitutionibus et statutis praedictis robor apostolicae confirmationis adiicere, aliisque in praemissis opportune providere de apostolica benignitate dignaremur.

§ 7. Nos igitur dicti tertii ordinis ac illius fratrum in dicto regno felici statui et augmento consulere cupientes, ipsum Petrum a vinculo excommunicationis etc. ac decretorum, et constitutionum, ac statutorum huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula decreta, constitutiones, et statuta praedicta, ut praemittitur, compacta et redacta, dummodo non sint revocata, nec sub revocatione similium gratiarum comprehensa, sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, et decretis concilii Tridentini, necnon dicti ordinis institutis regularibus non repugnans, apostolica auctoritate ac tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirma-

mus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint, aut intervenisse dici possent, in eisdem supplemus.

§ 8. Et nihilominus omnibus et singulis dicti ordinis superioribus, fratribus, monialibus, novitiis et personis, quatenus decreta, constitutiones et statuta praedicta libenter suscipiant et amplectantur, ac tanquam legem et normam vitae suae inviolabiliter observent, in virtute sanctae obedientiae eisdem, auctoritate ac tenore praesentium praecipimus et mandamus.

§ 9. Ita tamen, ut qui contra decreta, constitutiones, et statuta huiusmodi deliquerit, aliis poenis, quam quae in ipsis decretis, constitutionibus et statutis comminantur, non subiaceat aut obligetur.

§ 10. Ipsaque decreta, constitutiones et statuta nullo unquam tempore a superioribus eiusdem ordinis, vel aliis quavis auctoritate fungentibus, inconsulta sede apostolica, abrogari, rescindi, aut in aliquo immutari posse volumus.

§ 11. Sicque per quoscunque iudices etc.

§ 12. Quocirca omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis in dicto regno existentibus, eorumque officialibus, ac dilecto filio nostro et sedis apostolicae in eodem regno nuntio per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium praesentes litteras et in eis contenta quaecunque ubi, et quando opus fuerit et quoties pro parte dicti Petri, seu aliorum dicti ordinis superiorum et fratrum ac monialium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra, superiores et fratres ac moniales huiusmodi praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui, et gaudere non permittentes, illos desuper a quoquam quavis auctoritate indebite molestari.

§ 13. Contradictores etc.

§ 14. Non obstantibus etc.

§ 15. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Marcum anno incarnationis Dominicae MDCXIII. pontificatus nostri anno VIII.

CXI.

Fit episcopus Scardonensis. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 551.

Romae die XVII. Iunii in Palatio Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Varallo referente, sanctitas sua ecclesiam Scardonen. in partibus infidelium vacan. post obitum illius ultimi episcopi providit de persona r. fr. Antonii, theologi ordinis s. Francisci de observantia, absolvens etc. cum clausulis etc.

CXII.

Fit episcopus Usellensis. Ex eisdem actibus pag. 562.

Romae die XXVI. Augusti in aula Palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Zapata referente, sanctitas sua ecclesiae Usellen. vacan. per translationem R. Laurentii ad ecclesiam Algarien. providit de persona fr. Didaci de Borgia, ordinis minorum s. Francisci de observantia.

CXIII.

Fit episcopus Acernensis. Ex eisdem actibus pag. 570.

Romae die XX. Novembris apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Millino referente, sanctitas sua ecclesiae Acernen. vacan. per obitum Francisci, illius ultimi episcopi, providit de persona r. fr. Ioannis Seram, ordinis fratrum minorum de observantia, absolvens etc. cum clausulis etc.

CXIV.

Iubet usum Ritualis Romani in administratione sacramentorum aliisque ecclesiasticis functionibus. Ex Bull. Cherubini tom. III. pag. 318.

Ad futuram rei memoriam.

Apostolicae sedi per abundantiam divinae gratiae, nullis suffragantibus meritis, praepositi nostrae sollicitudinis esse intelligimus super universam domum Dei ita invigilando intendere, ut opportunis

in dies magis rationibus provideatur, quo, sicut admonet apostolus, omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant; praecipue vero quae pertinent ad ecclesiae Dei sacramentorum administrationem, in qua religiose observari apostolicis traditionibus eo sanctorum Patrum decretis constitutos ritus et caeremonias pro nostro officii debito curare omnino tenemur.

§ 1. Quamobrem fel. rec. Pius papa V. praedecessor noster, huius nostri, tunc sui, officii memor ad restituendam sacrorum rituum observationem in sacrosancto missae sacrificio divinoque officio, et simul ut catholica ecclesia in fidei unitate et sub uno visibili capite beati Petri, successore romano pontifice congregata, unum psallendi et orandi ordinem, quantum cum Domino poterat, teneret, breviarium primum et deinde missale romanum multo studio et diligentia elaborata, pastorali providentia edenda censuit.

§ 2. Cuius vestigia eodem sapientiae spiritu sequutus similis mem. Clemens VIII. etiam praedecessor noster, non solum episcopis et inferioribus ecclesiae praelatis accurate restitutum pontificale romanum, sed etiam complures alias in cathedralibus et inferioribus ecclesiis caeremonias promulgato caeremoniale ordinavit.

§ 3. His itaque constitutis restabat, ut uno etiam volumine comprehensi, sani et sinceri ecclesiae catholicae ritus, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab ipsis, qui curam animarum gerunt, apostolicae sedis auctoritate prodirent, ad cuius voluminis praescriptum in tanta ritualium multitudine, sua illi ministeria tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unique ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu. Quod sane iampridem agitatum negotium, posteaquam generalium conciliorum graece latineque divina gratia editorum opus morari deficit, sollicite urgere nostri muneris esse existimavimus. Ut autem recte et ordine, ut par erat, res ageretur, nonnullis ex venerab. fratribus nostris s. r. e. cardinalibus, pietate, doctrina et prudentia praestantibus, eam demandavimus, qui cum consilio eruditorum virorum variisque presertim antiquis, et quae circumferuntur ritualibus consultis, eoque in primis, quod vir singulari pietate, zelo, et doctrina bon. mem. Iulius Antonius s. r. e. cardinalis sanctae Severinae nuncupatus, longo studio, multaque industria et labore plenissimum composuerat, rebusque omnibus mature consideratis, demum divina adspirante clementia, quanto oportuerit brevitate, rituale confecerunt, in quo cum receptos et adprobatos catholicae ecclesiae ritus suo ordine digestos conspexerimus, illud sub nomine ritualis romani merito edendum publico ecclesiae Dei bono iudicavimus.

§ 4. Quapropter hortamur in Domino ven. fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios eorum vicarios, necnon abbates, parochos universos, ubique locorum existentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum tanquam ecclesiae romanae filii, eiusdem ecclesiae, omnium matris et magistrae, auctoritate constituto ri-

tuali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae catholica ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XVII. Iulii pontificatus nostri anno IX.

CXV.

Ut apud Indos apostolici concionatoris munus gerat. Ex regest. Secret. Brev. in mense Iulio pag. 525.

Dilecto filio Hieronymo de Barrientos, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professori.

Exposui nobis nuper fecisti, quod tu, qui, ut asseris, habitum per fratres ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia provinciae Quiten. in Indiis gestari solitum a triginta sex annis suscepisti, et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti regulares, vicarii provincialis ac commissarii et visitatoris nonnullarum provinciarum et pluribus aliis dicti ordinis muneribus functus fuisti, et propterea a viginti septem annis circiter verbum Dei illarum partium populis ad omnipotentis Dei gloriam eiusque fidei catholicae exaltationem tam hispanica quam indica lingua praedicasti et praedicare etiamnum soles. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tu eorundem populorum animas per verbi huiusmodi praedicationem zelo per amplius acquirere studeas, et propterea ac etiam ut verbum Dei praedictum aliis populis praedicare honorificentius et fructuosius possis tibi per nos, ut infra, indulgere summopere desideres, nos te in huiusmodi pio ac laudabili proposito confovere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi verbum Dei praedictum cum apostolici concionatoris titulo de ordinariorum locorum licentia et cum ipsorum benedictione respective, et alias iuxta concilii Tridentini decreta praedicandi, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur, teque apostolicum concionatorem in eadem provincia sine cuiusque praeiudicio auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die IX. Iulii Pontificatus nostri anno IX.

CXVI.

Petrum Bellot, ministrum provincialem Franciae electum confirmat, licet sexennio non vacaverit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 168.

Dilecto filio Petro Bellot, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professori.

DILECTE filii, salutem et apostolicam benedictionem. Nomine dilectorum etiam filiorum definitorum et fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia, provinciae Franciae, nobis nuper expositum fuit, quod in capitulo provinciali dictae provinciae de mense Iunii anni proxime praeteriti MDCXIII. celebrato tu, qui a tribus annis dumtaxat munere ministri provincialis perfunctus eras, iterum in ministrum provincialem dictae provinciae electus fuisti. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, constitutionibus dicti ordinis apostolica auctoritate confirmatis inter alia caveatur expresse, quod is, qui ministri provincialis munere functus est, ante sexennium iterum ad idem munus eligi non possit: nos sperantes electionem tuam huiusmodi eidem ordini multum in Domino profuturam, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis etc... censentes, supplicationibus eorumdem definitorum et fratrum, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, electionem de persona tua in ministrum provincialem provinciae Franciae, ut praefertur, factam apostolica auctoritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus ac tecum, ut huiusmodi ministri provincialis munus obire valeas dispensamus, non obstantibus etc... ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die X. Iulii MDCXIV. Pontificatus nostri anno X.

COBELLUTIUS.

CXVII.

Didacus de Orce fit episcopus Cassanensis. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 582.

Romae die XVII. Februarii apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

REFERENTE rmo d. cardinali Zapata, sanctitas sua ecclesiae Cassanen. vacan. per translationem rmi d. cardinalis Caietani ad metropolitanam ecclesiam Tarentinam providit de persona r. fr. Didaci de Orce, ordinis minorum s. Francisci de observantia, cum reservatione unius vel plurium pensionum usque ad summam septingenta sexta [sic] monetae illius regni pro persona seu personis nominandis etc.

CXVIII.

Didacus de Ordonez fit episcopus Iacen. Ex eisdem actibus pag. 598.

Romae die XXII. Septembris in aula Palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo D. Cardinali Zapata referente, Sanctitas Sua ad praesentationem serenissimi Regis Catholici Ecclesiae Iacen. vacan. per translationem D. Thomae Cortes ab Ecclesia Ierulen. providit de persona R. Fr. Didaci de Ordonez ordinis minorum s. Francisci de observantia, eumdem ordinem expresse professi, sacrae theologiae doctoris etc.

CXIX.

Hirenaeus Brassavola confirmatur in munere commissarii curiae. De Gubernatis tom. I. pag. 391.

Dilecto filio Hirenaeo Brassavolae, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professori.

Tuo nomine nobis nuper expositum fuit, quod nuper officio commissarii curiae, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, per obitum quondam Salvatoris Romani eiusdem ordinis professoris vacante, dilectus filius fr. Antonius de Treio, vicarius generalis dicti ordinis per suas patentes litteras te commissarium curiae deputavit, et in officio huiusmodi instituit, prout in patentibus litteris huiusmodi plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Paulus Sulmonensis, commissarius generalis dicti ordinis, asserens, praedictum Antonium iuxta regularia eiusdem ordinis statuta a sede apostolica confirmata, non potuisse deputare commissarium curiae absque consilio et consensu fratrum discretorum familiae, ex qua dictus commissarius curiae assumi debet, tibi possessionem dicti officii absque novo praedicti Antonii mandato, tradere recusaverit: nos pro nostro pastoralis officii debito pacem et concordiam mutuumque amorem inter fratres dicti ordinis fovere, materiamque dissidiorum tollere cupientes, cum praesertim praedictorum Pauli commissarii generalis et discretorum ad hoc expressus accedat assensus, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, nec non a quibusvis excommunicationis etc. censentes, deputationem de persona tua in officio commissarii curiae huiusmodi, ut praefertur, factam usque tamen ad proximam futuram dicti ordinis congregationem generalem, in proximis festis pentecostes celebrandam duraturum et non ultra, cum omnibus et singulis praerogativis, honoribus, et consolationibus, similibus commissariis competentibus, ac alias iuxta earumdem litterarum patentium tenorem, apostolica aucto-

ritate, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus supplentes, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint; et nihilominus usque ad congregationem praedictam et alias iuxta praedictarum litterarum tenorem, commissarium curiae constituimus et deputamus, et in locum quondam dicti Salvatoris subrogamus, cum honoribus, oneribus, praerogativis, privilegiis et favoribus, quae tibi vigore praedictarum litterarum patentium, et creationis commissarii huiusmodi, iuxta dicti ordinis statuta competunt. Mandantes praeterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat, ut te in commissarium curiae, ut praefertur, recipiant et recognoscant, tibique in omnibus officio huiusmodi concernentibus faveant et assistant. Non obstantibus etc.

Datum Romae die XXIV Novembris MDCXIV. pontificatus nostri anno X.

CXX.

Quaedam indulget pro peragendo sacro in altari S. Didaci. Ex regest. secret. Brev. lib. X. diversorum pag. 494.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias fel rec. Sixtus papa V. praedecessor noster, postquam b. Didacum ex ordine fratrum minorum s. Francisci in sanctorum Christi confessorum numerum retulerat, altare in quo eodem b. Didaci canonizationis die ipsemet Sixtus praedecessor missam ritu solemni celebraverat, ad cla. mem. Philippum eius nominis secundum, Hispaniarum regem catholicum, misit, ut in capella regia seu aliqua Hispaniarum ecclesia a dicto Philippo rege eligenda collocaretur, et ut idem altare religiosius asservaretur, prohibuit, ne quis nisi s. r. e. cardinalis sive episcopus sive presbyter, aut patriarchali, archiepiscopali et episcopali dignitate praeditus, aut abbas, mitrae tamen et baculi usum habens, vel qui in metropolitanis vel cathedralibus ecclesiis maiorem post pontificalem dignitatem obtineret, sive minister generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci ac prior monasterii s. Laurentii, quod Escurialis dicitur, in Domini nostri Iesu Christi ac gloriosissimae virginis eius genetricis Mariae festivitatibus, quinta etiam feria in coena Domini, ac celebritatis omnium sanctorum, ipsiusque s. Didaci natali die missas celebrare posset, et alias disposuit, prout in ipsius Sixti praedecessoris litteris desuper confectis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus dictus Philippus rex praedictum altare ad ecclesiam domus dicti ordinis Compluten. oppidi Compluti Toletan. dioecesis, in qua ipsius s. Didaci corpus sepultum est, transmiserit, in eodem autem oppido nullus pontificali dignitate

praeditus, aut abbas usum mitrae et baculi huiusmodi habens vel dignitatem in cathedrali seu metropolitana ecclesia post pontificalem maiorem obtinens residere soleat, et idcirco raro in dicto altari celebrari contingat, nomine guardiani conventus dictae domus nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos eiusdem guardiani et conventus, et aliorum christifidelium devotioni erga b. Didacum praedictum consulere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati tenore praesentium facultatem tribuimus provinciali provinciae Castellae dicti ordinis, et eo absente guardiano dictae domus pro tempore existenti ut supradictis festis diebus, si tamen aliqua ex personis ut supra qualificatis in dicto loco tunc temporis non adfuerit, missas in dicto altari celebrare valeant. Non obstant. etc. voluntate Sixti praedecessoris huiusmodi, nec non constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Tusculi die II. Octobris pontificatus nostri anno X.

CXXI.

Ut alio transferat fratres de observantia in oppido de Praa. Ex regest. secret. Brev. in mense Martio pag. 388.

Venerabili fratri Episcopo Angren.

EXPOSUI nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, oppidi de Praa Insulae Tertiae Angren. dioecesis, quod superiore anno ex quodam terrae motu domus eorum regularis tantam ruinam passa est, ut ad inhabitandam inutilis omnino effecta sit, et propterea novas aedes conventuales in loco opportuniori eis beneviso ex piorum eleemosynis construere, et ad illas sic constructas se transferre posse summopere desiderant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de opportuna in praemissis licentia providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut si praemissa veritate niti repereris, guardiano et fratribus praedictis novas aedes cum ecclesia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis aliisque membris necessariis et opportunis ex piorum tamen eleemosynis in loco eis beneviso construendi, seque ad eas, postquam sic constructae fuerint, transferendi licentiam arbitrio tuo concedas. Non obstantibus etc. ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die XX. Martii pontificatus nostri anno X.

CXXII.

Eligit Evangelistam a Fabiano commissarium generalem reformatorum. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 221.

Dilecto filio Evangelistae de Fabiano, commissario generali, ordinis fratrum minorum reformatorum s. Francisci de observantia.

CUPIENTES regimini et gubernio fratrum reformatorum s. Francisci de observantia opportune prospicere, ac de tua pietate, prudentia, religionis zelo, ac in gubernando experientia plurimum in Domino confisi, tibi, durante officio commissarii generalis eiusdem ordinis et absentia ministri seu vicarii generalis dicti tui ordinis, et vice ac loco ipsius universos dicti ordinis fratres reformatos cum eadem auctoritate, superioritate, iurisdictione et facultatibus ministro seu vicario generali totius ordinis s. Francisci de observantia competentibus et competituris, in spiritualibus et temporalibus regendi et gubernandi plenam et liberam facultatem et auctoritatem tribuimus et impartimur. Mandamus propterea dilectis filiis custodibus, et aliis superioribus, et fratribus universis reformatis praedictis, ut tibi debitum honorem et reverentiam exhibentes tua salutaria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Ceterum volumus, ut quae per fel. rec. Clementem papam VIII. praedecessorem nostrum, per eius sub plumbo in favorem eorumdem fratrum reformatorum, seu alias expeditas litteras disposita fuerunt, immutare aut aliquo modo alterare non possis, sed illa observari facere tenearis. Non obst. etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die VIII. Iulii MDCXV. ponfitificatus nostri anno XI.

CXXIII.

Committit archiepiscopo Coloniensi, ut duo coenobia ab aliis occupata fratribus conventualibus restituantur. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 358.

Venerabili fratri Episcopo Coloniensi.

LITTERAS a fraternitate tua III. calend. Maii ad nos datas accepimus, quibus de negotio fratrum conventualium franciscanorum fusius nos certiores facere curasti. Laudamus sane plurimum zelum, vigilantiam atque solicitudinem, qua Dei honorem curas, et catholicae religionis propagationi studes, quod eo laudabilius in te est, ac nobis iucundius, quia religiose accurateque satagere eorum, quae Dei sunt, et ad salutem animarum pertinent, maxime tibi consuetum est.

Ceterum quod ad illa duo monasteria attinet, ea sane ipsis fratribus franciscanis conventualibus, qui illa antea obtinebant, restituere decet ob praeiudicium, quod hoc exemplo factum videretur non tantum huic, sed etiam aliis religiosis regularium congregationibus, quae ab ordinariis exemptae sunt, ex amplissimis privilegiis ab hac sancta sede apostolica obtentis. Itaque fraternitati tuae iterum illud idem scribere voluimus, quod antea aliis nostris litteris tibi significavimus, et uberius nunc dilecto filio notario Manderio, qui negotia tua agit, diximus, velis mandare, ut omnia in pristinum restituantur; nam ut opportune provideatur correctioni illorum duorum monasteriorum nos postmodum, sicut necessitas exigit, et ut expedire videbitur, iubebimus, eumdem nobis finem proponentes, cui te pie admodum pariter, ac prudenter prospexisse intelligimus. Dominus pastorales labores tuos benignus respiciat, et nos cum omni charitatis affectu fraternitati tuae benedictionem nostram apostolicam impartimur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem XIV. calend. Iulii pontificatus nostri anno XI.

CXXIV.

Macariensis ecclesiae episcopus deligitur. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 628.

Romae die XV. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Aldobrandino referente pro rmo cardinali Diatrichstain, sanctissimus dominus noster ecclesiae Macharien. in regno Dalmatiae in partibus infidelium, vacan. a plurimis annis ob Turcarum tyranidem, providit de persona p. fr. Bartholomaei Cacichi, ordinis s. Francisci de observantia, a cuius ordinis fratribus, quae unica est s. Petri in tota eius dioecesi ecclesia, gubernatur etc. cum condonatione iurium etc.

CXXV.

Fit episcopus Albanensis. Ex eisdem actibus pag. 634.

Romae die ultima Augusti in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo domino cardinali Bandino referente, sanctitas sua ecclesiae Albanen. in Epyro certo modo vacan. providit de persona fr. Ioannis Collesii, ordinis s. Francisci de observantia, theologi etc. eumdemque coadiutorem cum futura successione dedit r. d. Nicolao Mechantio, episcopo Stephanen. petenti, cum condonatione etc.

CXXVI.

Firmat concordiam inter fratres Indos et Hispanos in provincia s. Evangelii. Ex reges. secret. Brev. in mense Iulio pag. 507.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex incumbentis etc. Exponi siquidem nuper fecerunt dilecti filii minister provincialis et fratres, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, provinciae s. Evangelii nuncupatae, in partibus Indiarum Occidentalium, quod fratres dictae provinciae partim e regnis Hispaniarum oriundi, qui habitum regularem in dicta provincia susceperunt, iique quingenti circiter existunt, partim vero Hispanorum filii et in Indiis nati sunt, iique Crioli nuncupantur, inter quos ratione gubernii variae discordiae et rixae non sine scandalo saepius ortae fuerunt, quibus ut aliqua tandem opportuna ratione occurrerent, fratres praedicti ad infrascriptam devenerunt concordiam, videlicet, ut dictae provinciae gubernium Hispanis Indisque fratribus praedictis alternatim competat, ita ut minister provincialis, definitores, guardiani ceterique eiusdem provinciae officiales Hispani et subinde Indi, Crioli nuncupati, alterius vicibus eligi, et ab utraque parte novitii aequali numero ad habitum recipi debeant, prout in dicta concordia, quae in capitulo provinciali facta et a vocalibus omnibus, duobus tamen exceptis, acceptata fuit, plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti fratres plurimum cupiant concordiam praedictam pro illius subsistentia et validitate firmiori apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur, fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excom. etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, concordiam praedictam apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Insuper statuimus et ordinamus, ut si quis alicuius quam Hispaniorum ad habitum dicti ordinis in eadem provincia admittatur, ille, si a superiore Hispano, inter Hispanos, si vero a superiore Indo, Criolo nuncupato, recipiatur, inter Indos Criolos huiusmodi connumerari debeat. Decernentes praesentes litteras validas firmas et efficaces existere et fore, et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, irritumque etc. attentari. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Mexican. per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum fuerit requisitus, solemniter pu-

blicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XVIII. Iulii pontificatus nostri anno XI.

CXXVII.

Committit episcopo Adurensi causam electionis abbatissae monasterii de Montech. Ex reg. secret. Brev. in mense octobris 515.

Venerabili fratri episcopo Aduren. dilecti filii Ludovici de la Valletta, ecclesiae Tholosan. administratoris, vicesgerenti.

Expositum nobis nuper fuit pro parte dilecti filii procuratoris generalis, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, ac dilectarum in Christo filiarum conventus monasterii monialium s. Clarae dicti ordinis loci de Montech, Montisalbani dioecesis, curae, visitationi, correctioni, superioritati et iurisdictioni superiorum et fratrum eiusdem ordinis, ut asseritur, subiectarum, quod alias sub die prima Februarii praesentis anni, seu alio veriori tempore, venerab. frater episcopus Montisalbani dictum monasterium ingressus aliquas eiusdem monasterii moniales in privata cella congregari, ac ab iis dilectam etiam in Christo filiam Iaquettam de Murovechio, dicti episcopi sororem germanam, in praedicti monasterii abbatissam, licet dilecta etiam in Christo filia Elisabetha, dicti monasterii monialis, ab eiusdem monasterii monialibus in eorum abbatissam canonice electa fuisset, nulliter et de facto similiter eligi curavit, et subinde scripturas ex archivo dicti monasterii auferri fecit, multaque in ipsius Elisabethae et dictorum fratrum praeiudicium attentavit. Quare minister provincialis, dicti ordinis illius provinciae, ac Elisabetha et moniales praedictae nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus cordi semper fuit, prout est iura sua unicuique tribuere et illaesa conservare, opportunum praemissis remedium adhibere cupientes, ac ministrum provincialem et singulares monialium praedictarum personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae de cuius fide prudentia integritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut citra ullam contra dicti episcopi personam super praenominatis procedendi facultatem, informationes, si quae contra eumdem episcopum habeantur, ad nos diligenter transmittas, scripturas e praedicto archivo, ut praefertur, ablatas eidem monasterio restitui cures, et electionem de persona dictae Elisabethae in abbatissam dicti monasterii, quatenus canonice facta fuerit, ut praefertur, auctoritate nostra confirmes, dictique monasterii privilegia, si in usu

sint, nec sacris canonibus aut concilii Tridentini decretis repugnent, conserves et tuearis, super quibus omnibus et singulis plenam et liberam facultatem dicta auctoritate nostra tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus etc,

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIV. Octobris Pontificatus nostri anno XI.

CXXVI.

Pro fratribus de observantia conventus Ragusii. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 493.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex ex demandata sibi pastoralis solicitudinis cura ad prosperam et salubrem personarum omnium sub suavi religionis iugo altissimo famulantium directionem et felix regimen libenter invigilat. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti fili minister provincialis et fratres provinciae Ragusinae ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, quod alias iussu fel. rec. Clementis papae VIII. praedecessoris nostri reformatio in domo regulari dicti ordinis civitatis Ragusin. introducta, et a fratribus dictae domus acceptata fuit, successu vero temporis experientia compertum est, fratres domus praedictae sub reformatione huiusmodi ob loci conditionem vivere non posse. Quare minister et fratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut domum regularem praedictam illiusque fratres et personas quascumque eidem provinciae iterum unire, et in pristinum statum reponere de benignitate apostolica dignaremur. Quare nos rei necessitatem considerantes, ministrum et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, domum praedictam eidem provinciae apostolica auctoritate tenore praesentium iterum unimus, annectimus, et incorporamus, eandemque domum in pristinum et eum in quo, antequam reformatio introduceretur et acceptaretur, quomodolibet erat, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus. Volumus tamen et declaramus, quod illi qui habitum fratrum reformatorum susceperunt, et professionem per eos emitti solitam in dicta domo emiserunt, in ea remanere, vel ad alias fratrum reformatorum dicti ordinis regulares domos transire possint. Decernentes, praesentes litteras validas firmas et efficaces existere et fore ac fratribus dictae domus in omnibus et per omnia plenissime suffragari irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXI. Iulii Pontificatus nostri anno XI.

CXXIX.

Erigit monasterium s. Clarae, civitatis Carthaginens. in Indiis Occidentalibus. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 175.

Dilecto filio officiali Carthaginensi in Indiis Occidentalibus salutem et apostolicam benedictionem. Decet romanum pontificem aequi bonique supremum assertorem provisionis suae ministerium sedulo adhibere, ut piae testantium voluntates ad monasteriorum et regularium locorum quorumlibet, praesertim sanctimonialium, propagationem animarumque salutem tendentes votivum sortiantur effectum, et quae propterea iudicialiter determinata fuisse dicuntur, ut sublatis quibuslibet impedimentis, firma et illibata persistant, et [in] contentionis scrupulum non relabantur apostolico praesidio communire. Alias siquidem pro parte tunc existentium episcopi Carthaginen. et gubernatoris civitatis Carthaginens. in Indiis Occidentalibus nobis exposito, quod quondam Catharina de Cabrera mulier, dum viveret, dictae civitatis, pio devotionis et religionis zelo ducta, in suo ultimo testamento, sub cuius dispositione decesserat ab humanis, inter alia redditus annuos et perpetuos sex mille quadringentorum et quinquaginta quatuor ponderum monetae illarum partium, mille et quadringentos ducatos auri de camera vel circa constituentium pro fundatione et dotatione unius monasterii monialium reliquerat. Redditus vero huiusmodi valde tenues et exigui existebant ac pro fundatione et dotatione huiusmodi non sufficiebant, et propterea dictae testatricis voluntas debitae executioni demandari nequibat; et [sic] redditus praedicti pro cura et sustentatione infirmorum hospitalis dictae civitatis et dotationis unius perpetuae capellaniae in ecclesia ipsius hospitalis, nec non augmento dotis collegii societatis Iesu, in quo pueri in grammatica et in latinae linguae praeceptis instruebantur, modo et forma ac cum oneribus infrascriptis perpetuo applicarentur et appropriarentur, ipsiusque testatricis voluntas ad id commutaretur, inde profecto ne dum saluti animarum testatricis ac infirmorum, sed etiam eruditioni, institutioni et profectui puerorum huiusmodi plurimum consuleretur. Nos episcopi et gubernatoris praedictorum supplicationibus nobis in ea parte tunc porrectis inclinati, discretioni tuae per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus vocatis, qui forent evocandi, de praemissis auctoritate nostra diligenter [te] informares, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, unam capellaniam perpetuam, de qua, ea prima vice excepta, personis idoneis per loci ordinarium, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, libere provideri posset, pro uno presbytero, futuro inibi perpetuo capellano, qui curam salutis animarum dictorum infirmorum habere, et qualibet hebdomada nonnullas missas arbitrio eiusdem ordinarii designandas celebrare, et alia suffragia pro anima testatricis huiusmodi recitare teneretur, dicta auctoritate perpetuo sine alicuius praeiudicio erigeres et institueres, ac ex redditibus

praedictis tam capellaniae sic erigendae et instituendae pro eius dote ac ornamentis et aliis ad divinum cultum necessariis dictique capellani sustentatione et manutentione, quam hospitalis huiusmodi, pro illius infirmorum cura et subventione ex redditibus praedictis tot, quot tibi viderentur; collegio vero praedicto usque ad valorem annuum quadringentorum ponderum similium ac areas domorum, et aedes, solares nuncupatos, pro constructione dicti monasterii assignatas atque coemptas eidem collegio cum hoc, [ut] in illo pueri dictae civitatis in grammaticae et linguae latinae praeceptis instrui deberent, auctoritate praedicta applicares et appropriares, ac voluntatem testatricis huiusmodi quoad hoc commutares, prout in dictis litteris plenius continetur. Postmodum vero pro parte dilectorum filiorum modernorum, gubernatoris dictae civitatis ac ministri provincialis, ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum provinciae Sanctae Fidei de Bogota, ac Ioannis de Atiensa, unius ex testamentariis executoribus, per dictam testatricem deputatis, etiam nobis exposito, quod licet post obitum eiusdem testatricis, et dudum antequam litterae praedictae emanarent, praedicti executores testamentarii cupientes voluntatem testatricis huiusmodi plenariae executioni demandari, tunc existentem episcopum praedictum, pro eius consensu super dicti monasterii, ordinis sanctae Clarae, sub regula sancti Francisci ac cura et gubernio dictorum fratrum minorum de observantia, iuxta voluntatem eiusdem testatricis, constructione, fundatione et erectione praestando requisivissent, nihilominus sub praetextu, quod annui redditus dictae haereditatis nimis tenues existebant, praesertim attenta magna impensa ad id necessaria, consensum huiusmodi obtinere non potuerant. Immo idem episcopus voluntatem dictae testatricis de facto commutando redditus et proventus eiusdem haereditatis hospitali et collegio praedictis applicaverat, et subinde tacitis praemissis, ipsi, episcopus et gubernator, tunc existentes, litteras praedictas a nobis impetrari curaverant. Verum eisdem litteris tibi praesentatis, ac executoribus testamentariis, nec non fratribus praedictis coram te citatis, et testibus tam super verificatione dictarum litterarum, quam super falsitate in eis narratorum inductis et receptis, ac iuribus partium hinc inde deductis, tu attendens in dictis litteris nullam de ultimo loco narratis mentionem factam, nec alia in eisdem litteris exposita iustificata fuisse, commutationi voluntatis dictae testatricis, per rectorem et collegiales collegii et oeconomum hospitalis huiusmodi vigore dictarum litterarum nostrarum... locum non esse, ac omnia bona ad constructionem et fundationem dicti monasterii spectantia praedicto Ioanni, ad effectum fabricam dicti monasterii prosequendi, restitui debere per tuam sententiam desuper latam declaraveras, ipsaque sententia ob appellationem non interpositam seu quatenus interposita esset, legitime non prosecutam, in rem transiverat iudicatam, et propterea litterae nostrae predictae executionem non mereri, neque in aliquo attendi debere viderentur, ac in executionem dictae sententiae et illius rei iudicatae, minister provincialis

seu commissarius, ordinis fratrum minorum ac guardianus et fratres domus huiusmodi in fundamentorum pro dicto monasterio factorum, et illius ecclesia sub invocatione intemeratae Conceptionis b. Mariae virginis, quasi absolute possessionem immissi fuerant, ac in dicti monasterii fabrica illiusque perfectione et absolutione ex eleemosinis sibi pro illa a piis personis usque ad summam decem millium ponderum dictae monetae septem mille ducatos similes vel circa constituentium, erogatis, diligentissime incumbebant, ac in dicta civitate monasterium huiusmodi, [quod] non modo opportunum, sed etiam valde necessarium existebat [aedificaverant]. Nos modernorum gubernatoris et ministri provincialis ac Ioannis praedictorum supplicationibus in ea parte inclinati, venerabili fratri nostro episcopo Carthaginensi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenus constito sibi de re iudicata sententiae praedictae [tenore], illam exequeretur ac dicta auctoritate nostra monasterium huiusmodi, si et postquam in suis aedificiis absolutum et convenienti clausura munitum foret, in monasterium monialium ordinis sanctae Clarae, pro una abbatissa et duodecim adminus monialibus, quae habitum per moniales aliorum monasteriorum dicti ordinis sanctae Clarae gestari solitum recipere, et elapso probationis anno professionem per eas emitti consuetam expresse emittere, ac perpetuam clausuram, nec non ritus, mores, consuetudines et instituta regularia eiusdem ordinis sanctae Clarae, quoad fieri posset servare, divinisque laudibus et officiis insistere, nec non visitationi, correctioni, obedientiae, iurisditioni et omnimodae superioritati in spiritualibus et temporalibus superiorum eiusdem ordinis fratrum minorum de observantia, dictae provinciae, pro tempore existentium, subiacere deberent et tenerentur, erigeret et institueret, illique sic erecto et instituto pro congrua eius dote et commoda abbatissae seu priorissae et monialium, in eo pro tempore existentium substentatione, onerumque illi incumbentium supportatione, omnia et singula proprietatis bona, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta eidem monasterio erigendo, tam per dictam testatricem, ut praefertur relicta, quam per quoscunque alios in perpetuum, vel ad tempus eroganda et elargienda, postquam erogata et elargita forent, etiam perpetuo applicaret et appropriaret. Insuper eidem monasterio erigendo, illiusque pro tempore existentibus abbatissae, monialibus et personis, ac etiam quibuscunque christifidelibus ecclesiam monasterii huiusmodi pro tempore visitantibus, ac omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, indultis, favoribus et gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alia monasteria monialium ordinis sanctae Clarae eorumque abbatissae, moniales et personae, ac alii christifideles de iure, usu, privilegio, consuetudine, aut alias quomodolibet respective utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, frui, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla

prorsus differentia in omnibus et per omnia, perinde ac si illa monasterio erigendo illiusque abbatissae seu priorissae, monialibus et personis ac aliis christifidelibus praedictis specialiter et expresse concessa essent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, concederet et indulgeret. Praeterea pro monialium in ipso monasterio erigendo pro tempore introducendarum felici directione, ac in ritu, moribus et regularibus institutis, dicti ordinis sanctae Clarae, instructione, duas vel tres moniales dictum ordinem sanctae Clarae expresse professas, ac vitae integritate regularisque disciplinae peritia laudatas, ad id tamen voluntarias, ex aliis monasteriis eiusdem ordinis sanctae Clarae, in illis partibus consistentibus, educi et in novum monasterium huiusmodi introduci curares, ac eisdem monialibus educandis, se ad novum monasterium huiusmodi transferendi et ibidem quoad vixerint permanendi licentiam tribueres; si vero de sententia et re indicata huiusmodi tibi legitime non constaret, causam appellationis huiusmodi auctoritate nostra praedicta cognosceres, et prout iuris foret, sine debito terminares, prout in posterioribus litteris nostris huiusmodi etiam plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita rursus nobis nuper pro parte modernorum gubernatoris et ministri provincialis ac Ioannis praedictorum petitio continebat, tu per sententiam praedictam oeconomum et collegiales collegii huiusmodi ad restitutionem fructuum praedictae haereditatis eidem monasterio faciendam condemnaveris, et a dicta sententia pro illorum parte ad nos seu sedem praedictam appellato, ipsis terminum unius anni ad appellationem huiusmodi prosequendam praefixeris, et partes praedictas ad comparendum coram nobis monueris, ac copiam integri processus de super formati ad hanc Urbem una cum dilecto filio Guilelmo Peraza, ordinis fratrum praedictorum professore, transmiseris ac in ea parte, qua adversarii praedicti ad restitutionem fructuum huiusmodi condemnati fuerunt, licet, tanquam ordinarius id facere potuisses, tamen, uti sedis praedictae delegatus, fines primo dictarum litterarum excesseris, ut qua auctoritate in hac parte functus fueris et de eiusdem sententiae validitate dubitare possit, ac minister provincialis et executores testamenti huiusmodi attento quod dictum monasterium, ut praefertur, coeptum, et pene absolutum reperitur, executione praedictae sententiae in hac parte non indigeat, dictaeque posteriores litterae nostrae eis parum prosint, ac propterea pro eorum parte nobis fuerit humiliter supplicatum, quatenus fundationem, institutionem et erectionem monasterii ac assignationem redditnum, et dotium huiusmodi aliaque praemissa pro illorum subsistentia firmiori approbare et confirmare, nec non duas seu quatuor moniales dictum ordinem sanctae Clarae expresse professas, et ut praefertur qualificatas, ex aliis monasteriis eiusdem ordinis sanctae Clarae, modo et forma praemissis, educendi et in novum monasterium huiusmodi introducendi licentiam et facultatem concedere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui monasteria [et] regularia loca feminei sexus,

nostris potissimum temporibus, propagari piasque testantium voluntates ad id tendentes executioni demandari ac fideles quoslibet a litium et controversiarum molestiis et [expensis] mature explicari, ac in pace et quietis amenitate confoveri sinceris desideramus affectibus, de praemissis omnibus per litteras dicti moderni episcopi, ac etiam ex processu praedicto plene informati, modernos gubernatorem et ministrum provincialem ac Ioannem praedictos eorumque singulos a quibus vis excommunicationis, etc. censentes nec non litis et causae praedictarum statum et merita, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ac quamcunque litem super constructione, fundatione, institutione et erectione monasterii aliisque praemissis quomodolibet exortam, et indecise pendentem harum serie extinguentes, et tam oeconomo hospitalis, quam rectori et collegialibus, collegii huiusmodi perpetuum desuper silentium imponentes, posterioribus supplicationibus huiusmodi inclinati, eidem discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus fundationem, institutionem et erectionem monasterii huiusmodi ex nunc, si sint, alioquin postquam fuerint factae, ut praefertur, auctoritate nostra approbes et confirmes, ipsumque novum monasterium in possessionem omnium bonorum ei legatorum relictorum et donatorum immittas, fructus autem per hospitale et collegium huiusmodi hactenus perceptos et consumptos eisdem hospitali et collegio condones et remittas aliaque in premissis, et circa ea opportuna et necessaria facias, constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae MDCXV. quinto kal. Iulii pontificatus nostri anno XI.

I. Gallaterius loco † plumbi.

CXXX.

Pro Marco Antonio Capello minorita conventuali. Ex Bull. Secret. Brevium lib. XIV. pag. 98.

Dilecto filio Marco Antonio Capello, ordinis fratrum minorum professori, salutem etc.

Religionis zelus etc. Hinc est quod nos tibi, qui ut asseris, ordinis fratrum minorum expresse professus existis, ut commodius sustentari valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, nec non quarumcunque pensionum annuarum tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis apostolica auctoritate reservatarum et assignatarum quantitates praesentibus pro expressis habentes, tibi pensionem annuam ab omni decimaquarta media et quavis alia fructuum, parte subsidio etiam caritativo et excusato, ac quovis alio

ordinario et extraordinario onere quomodolibet nuncupato, fabrica basilicae principis apostolorum de Urbe, cruciata sancta et expeditione contra infideles et haereticos, etiam pro seminario puerorum ecclesiastico et manutentione classis triremium, et quavis alia urgenti, urgentissima et necessario exprimenda causa, etiam ad supplicationem imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum quorumcunque principum ac pro eorum et sedis apostolicae necessitatibus ac alias canonice vel de facto, etiam motu proprio et ex certa scientia nunc et pro tempore impositis et imposterum imponendis, etiamsi in litteris impositionum huiusmodi caveatur expresse, quod pensionarii quicunque pro rata pensionum suarum quantumvis exemptarum praemissis contribuere teneantur, quam ratam infrascriptus Franciscus tam suo quam infrascriptorum suorum nominibus de suo et eorum proprio solvere promittit, absque spe aliquid unquam postea repetere onusque ratae huiusmodi in se et eosdem successores suscipit, et quidquid propterea solverit vel solverint, tibi irrevocabiliter etiam donatione, quae dicitur fieri in terminos, gratiose donat et remittit, nec non belli, pestis, sterilitatis, siccitatis, alluvionis, incursus militum, depopulationis agrorum, devastationis fructuum, redditunm et proventuum amissionis ac quocunque alio fortuito et insolito casu pro tempore contingente, liberam, immunem et exemptam quinquaginta ducatorum auri de camera super fructibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis ac distributionibus quotidianis canonicatus et praebendatus ecclesiae Veliternen. de quibus nos hodie, tum per obitum quondam Nicolai Antonii Tornilii, olim canonici dictae ecclesiae extra romanam curiam de mense Aprilis proxime praeterito defuncti, vacantibus dilecto filio Francisco Marcello, canonico eiusdem ecclesiae, apostolica auctoritate providimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; et si super huiusmodi fructibus aliae pensiones annuae, quas praesentibus haberi volumus pro expressis, aliis personis reservatae existant, tibi quoad vixeris vel procuratori tuo, ad hoc a te speciale mandatum habenti, per dictum Franciscum, cuius ad hoc expressus accedit assensus, et successores suos canonicatum et praebendatum praedictos pro tempore quomodolibet obtinen. annis singulis pro una videlicet in D. N. Iesu Christi a proxime futura incipien. et altera medietatibus pensionis huiusmodi in b. Ioannis Baptistae nativitatum festivitatibus huiusmodi Romae etiam praesentibus eidem Francisco, quas ex nunc pro tibi et successoribus praedictis legitime insinuatis habet, illarumque insinuationi expresse renunciat et successoribus praedictis minime insinuatis vigore tamen praesentium nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit, eo ipso persolvendam etiam per te etiam una cum quibusvis aliis pensionibus tibi reservatis et assignatis in administrationem ad tui vitam ad hoc, ut pecuniam inde provenientem in tuas necessitates ac usus religiosos convertere libere et licite possis percipiendam, exigendam et levandam dicta auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus, constituimus et assignamus. Decernentes pensionem huiusmodi ex quacunque causa

[ad minorem summam] reduci vel annullari aut de subreptionis vel abreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari vel impugnari unquam posse, nec non Franciscum et successores praedictos ad integram solutionem dictae pensionis tibi faciendam iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatum. Ac volentes et eadem auctoritate statuentes quod illi ex Francisco et successoribus praedictis, qui in dictis festivitatibus vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes dictam pensionem per eum tunc debitam non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat a qua, donec tibi vel eidem procuratori de huiusmodi pensione tunc debita integre satisfactum, aut alias tecum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium nequeat obtinere; si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dictorum canonicatus et praebendatus perpetuo privatus existat illique vacare censeantur eo ipso. Quo circa dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, et venerabilium fratrum nostrorum Veliternen. et Tusculan. episcoporum vicariis in spiritualibus generalibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi etc. contradictores etc. Non obstantibus. Nulli etc.

Datum Tusculi anno incarnationis dominicae [MDCXV] VII. idus Septembris, pontificatus nostri anno XI.

CXXXI.

Committit Hieronymo a Castroferrettorum, iam vicario generali capucinorum, visitationem eremi camaldulensium in Ketruvia. Ex Bull. Michaelis a Tugio tom. 1. pag. 59.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Inter multiplices pastoralis officii nostri curas, illa nos non leviter urget, ut divinus cultus et devotio, necnon regularis disciplinae observantia in quibuslibet religionibus et congregationibus, iis praesertim, quorum professores se ad strictioris vitae normam solemni voto devinxerunt, conserventur, maioraque in dies suscipiant incrementa, si vero illa in aliquibus exciderint, remediis, quantum fieri in Domino potest, restituantur opportunis. Hinc est, quod nos prospero et felici eremi camaldulensium Ketruviae statui et salubri directioni consulere volentes, ac de tua fide, prudentia et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut eremum praedictam illiusque eremitas et regulares personas quascunque, semel tantum, auctoritate nostra visites, et in illorum vitam, ritus, morem et disciplinam tam in capite quam in

membris diligenter inquiras; necnon evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, et ss. patrum traditionibus et eorum regulae et constitutionibus a sede apostolica confirmatis inhaerendo, et prout occasio rerumque qualitas exegerit, quacunque mutatione, correctione, emendatione et renovatione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas et etiam de novo condas; abusus quoscunque tollas, regulas, institutiones, et ecclesiasticam disciplinam, ubicunque illae exciderint, modis congruis restituas, ipsasque personas ad debitum vitae modum revoces; maiorem sive priorem dictae eremi ac quorumcunque locorum regularium, membrorum et granciarum ab ea dependentium officiales et ministros eligas, deputes et constituas, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna facias, dicas, mandes, geras et exequaris; super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam dicta auctoritate, tenore praesentium tibi concedimus facultatem. Mandantes propterea omnibus et singulis eremi, ac ab ea dependentium locorum, membrorum et granciarum huiusmodi eremitis, omnibus et singulis aliis, ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, ut tibi in praemissis omnibus et singulis ac maiori et aliis officialibus, per te, vigore praesentium, eligendis, constituendis et deputandis prompte pareant et obediant, teque ac illos ea, qua decet, reverentia prosequantur, tuaque et illorum salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, ut si qua graviora in huiusmodi visitatione repereris, ea necnon informationes omnes, in eadem visitatione sumenda, ad nos fideliter, caute, et diligenter transmittas, ut, quid in illis statuendum sit, matura consultatione adhibita decernamus. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae eremi super immunitatibus, exemptionibus privilegiis quoque hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XVII. Novembris MDCXV. pontificatus nostri anno XI.

CXXXII.

Hirenaeus Brassarola fit episcopus Castrensis. De Gubernatis tom. 1. pag. 390.

Dilecto filio Petro de Spoleto, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professori.

Cum ecclesiae Castrensi certo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, modo pastoralis solatio destitutae de persona dilecti

filii Hirenaei Brassavolae, commissarii curiae fratrum minorum s. Francisci de observantia providere, cumque ecclesiae praefatae in episcopum ac pastorem statuerimus, et dictus Hirenaeus idcirco officium commissarii praefati in manibus nostris sponte et libere cesserit, ac cessionem huiusmodi duxerimus admittendam. Nos de tua prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi te in commissarium curiae huiusmodi, usque tamen ad proximum futurum dicti ordinis capitulum generale celebrandum, et non ultra, cum omnibus et singulis honoribus, praerogativis, et antelationibus similibus commissariis competentibus, et quibus dictus Hirenaeus usus fuit ac uti potuit, apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, creamus costituimus, et deputamus, teque in locum dicti Hirenaei instituimus et subrogamus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, ad quos spectat, ut te in commissarium curiae, ut praefertur, recipiant et recognoscant, tibique in omnibus officium huiusmodi concernentibus faveant et assistant.

Datum Romae die XXI. Decembris MDCXVI. pontificatus nostri anno XII.

CXXXIII.

Quaedam concedit fratribus reformatis conventus Corigliani. Ex regest. secret. Brev. in mense Ianuarii pag. 127.

Venerabili fratri archiepiscopo Rossanen. seu dilecto filio eius vicario in spiritualibus generali.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus, ordinis fratrum minorum s. Francisci reformatorum nuncupatorum, prope et extra terram Corigliani Rossanen. dioecesis, quod alias dilecti filii clerus ecclesiae s. Petri dictae terrae cupientes unam domum regularem dicti ordinis in praedicta terra erigi, quemdam situm prope et extra terram praedictam ac unum hortum valoris in proprietate quinquaginta, annui vero redditus trium ducatorum monetae illarum partium ad clerum praedictos legitime spectantem eisdem fratribus ad effectum praedictum, cum interventu bo. me. Marii archiepiscopi dum vixerit Rossanen. qui se dictos tres ducatos quotannis solvere obtulerat, reservato nostro et sedis apostolicae beneplacito, concesserunt. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat domus regularis eorumdem fratrum in situ eis, ut praefertur, concesso erecta fuerit, etiam dilectus filius Iacobus Castagnanus, praedictae terrae incola, petium terrae annui redditus aliorum trium ducatorum similium clero huiusmodi assignare intendat, nobis propterea guardianus et fratres praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut con-

cessionem praedictam pro illius subsistentia et validitate apostolicae confirmationis robore communire de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae, frater archiepiscope, seu discretioni tuae, fili vicarie, per praesentes committimus et mandamus, ut postquam dictus Iacobus petium terrae annui redditus trium ducatorum adminus dictis clero perpetuo assignaverit, concessionem praedictam auctoritate nostra approbes et confirmes, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas irritumque etc. attentari decernas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIX. Ianuarii pontificatus nostri anno XI.

CXXXIV.

Ut inducat moniales clarissas ad reformandum monasterium Ulyssiponense.
Ex regest. secret. Brevium pag. 129.

Venerabili fratri Octavio episcopo Forosempronien. spoliorum et iurium camerae nostrae apostolicae Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali.

Inter cetera etc. Cum itaque sicut venerabilis frater noster Alexius archiepiscopus Bracharen. nobis nuper exponi fecit, ipso pro felici statu et gubernio monasterii monialium s. Clarae Ulixbonen. eiusdem s. Clarae seu alterius ordinis reformationem in praedictum monasterium introduci, et propterea per nos ut infra opportune providere summopere desideret; nos piis eiusdem Alexii votis quantum cum Domino possumus annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut alicuius monasterii reformati regni Portugalliae monialis maturae aetatis et vitae exemplaris, quam ad huiusmodi munus idoneam esse duxeris, quod a monasterio, in quo professionem emiserit, ad primodictum monasterium pro introducenda in illud reformatione transire possit, dummodo illius et superiorum eiusdem expressus accedat assensus, et a consanguineis gravibusque matronis associata, ab uno monasterio ad aliud absque diverticulo recta tendat, et nullibi pernoctet, nisi causa hospitii eoque casu apud honestas personas dumtaxat, licentiam auctoritate nostra concedas. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXX. Ianuarii pontificatus nostri anno XI.

CXXXV.

Dionysius de Martinis episcopus Nepesinus et Sutrinus. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 70.

Romae die XVIII. Maii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

RMO d. cardinali Muto referente, sanctitas sua Sutrin. et Nepesin. invicem uuitis vacan. per liberam resignationem r. p. d. Thaddaei Sartii providit de persona r. p. fr. Dionysii de Martinis, ordinis s. Francisci strictioris observantiae professi, sanctitatis suae confessarii, cum condonatione iurium etc.

CXXXVI.

Concedit indulgentias clarissis Viennensibus. Ex arch. vatican. secret. Pauli V. Brev. tom. XVI. fol. 98.

CHARISSIMA in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. Ea est nostrae in maiestatem tuam paterna charitas, ut omnis occasio gratissima nobis sit desideriis tuis quantum cum Domino possumus satisfaciendi, praesertim quibus maiestatis tuae eximia pietas et devotio in conspectu Domini augescit. Quapropter indulgentias ecclesiae monialium sanctae Clarae Viennensium, quas postulasti, quanto maius in Domino possumus concedendas iudicavimus, libenti animo concessimus et divinam exoramus clementiam, ut et iis christifidelibus ad divini nominis gloriam grandis exstet spiritualis utilitas, tuae vero maiestatis praeclaris meritis coram Deo et hominibus par incrementum.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIII. Ianuarii MDCXVI. pontificatus nostri anno XI.

S. COBELLUTIUS.

CXXXVII.

Concedit fratribus observantibus conventum Andernensem, et patribus Iesuitis conventum Novesii a fratribus conventualibus occupatos. Ex regest. secret. Brev. in mense Februario pag. 357.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM sicut nobis nomine venerabilis fratris Ferdinandi, archiepiscopi Colonien. expositum fuit, idem Ferdinandus cernens maiori ecclesiae Dei utilitati et divini cultus augmento cessurum, si domus fratrum minorum s. Francisci conventualium nuncupatorum Andernesii

et Novesii, Colonien. dioecesis, aliis regularibus concederentur, priorem dilectis filiis fratribus, eiusdem ordinis s. Francisci de observantia nuncupatis, posteriorem vero domos praedictas clericis regularibus societatis Iesu perpetuo concessit, et cum absque nostra et sedis apostolicae auctoritate hoc facere nequiverit, desideret vero, ut quod ad augendam religionem et animarum salutem a te factum est firmum et validum fuit, dictisque fratribus conventualibus loco damnorum viginti maldiorum siliginis annuum redditum assignare decreverit, nobis humiliter supplicari fecit, ut desuper providere de benignitate apostolica dignaremur. Quapropter nos attendentes, quod publica religionis catholicae utilitas et animarum christifidelium salus a nobis, pro nostro pastoralis officii debito potissime, quantum cum Domino potest, procurandae sunt, concessionem praedictam per dictum Ferdinandum archiepiscopum factam nullam et invalidam declarantes ex nunc, prout, si et postquam dictus Ferdinandus archiepiscopus redditum annuum viginti maldiorum siliginis praedictum dicto ordini fratrum minorum conventualium perpetuo donaverit, nec non omnia et singula bona tam stabilia quam mobilia ac se moventia, redditus, iura et actiones utriusque domus praedictae ordini minorum conventualium huiusmodi tradita, et realiter consignata fuerint priorem Andernesii seu fratribus eiusdem ordinis de observantia nuncupatis, posteriorem vero Novesii regulares domos praedictas clericis regularibus societatis Iesu ad effectum erigendam inibi unam domum dictae societatis Iesu apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et assignamus. Volumus autem, quod utriusque domus sic concessae bona nec non redditum viginti maldiorum siliginis huiusmodi domui, eiusdem ordinis fratrum conventualium oppidi Bennasi, Colonien. dioecesis, titulo depositi consignentur, ut de illis per nos et ordinem ipsum ac dilectum filium illius vicarium generalem ad commodum eiusdem ordinis libere disponi possit, quodque dictarum domorum fratres in alias provinciae eiusdem regulares domos, ubi viget regularis observantia, per suos superiores transferantur. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XIII. Februarii pontificatus nostri anno XI.

CXXXVIII.

Indulget coenobii recollectorum fundationem. Ex regest. secret. Brev. in mense Octobri pag. 428.

Ad perpetuam rei memoriam.

Piis christifidelium praesertim sub suavi religionis iugo altissimo famulantium votis, quae ad religionis propagationem, divinique cultus et ipsorum fidelium devotionis augmentum faciunt, ut optatum sortiantur effectum libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Seraphinus de Cruce, ordinis fratrum minorum s. Francisci reformatorum nuncupatorum regni Franciae professor, quod dilecti filii Alophius de Wignaconrt, magnus magister ac consiliarius hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani fratribus praedictis quemdam situm infructuosum ac penitus inutilem membri de Montellimar, a praeceptoria seu commenda de Valentia prioratus s. Aegidii dicti hospitalis dependentem, ad effectum inibi unam ecclesiam ac domum regularem praedictis fratribus construendi, sub certis pactis, capitulis et conditionibus reservato nostro et sedis apostolicae beneplacito concesserunt, prout in patentibus desuper confectis litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Seraphinus et fratres praedicti plurimum cupiant concessionem praedictam pro illius subsistentia et validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Seraphinum et fratres praedictos spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem praedictam ac desuper confectas litteras et in eis contenta pacta, capitula et conditiones huiusmodi, dummodo tamen illa licita sint et honesta, ac sacris canonibus non contraria et regularibus eorumdem fratrum institutis non adversentur, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque omnibus inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXV. Octobris pontificatus nostri anno XII.

CXXXIX.

Adprobat emptionem domus positae in urbe Assisii, in qua lucem adspexit Seraphicus pater pro incolatu fratrum observantium. **Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 165.**

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Treio, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia vicarius generalis,

quod ipse domum, in qua s. Franciscum natum esse asseritur, in civitate Assisien. iuxta suos notissimos fines sitam, et ad dilectum filium Ioannem Baptistam Diuum iure haereditario spectantem, ab eodem Ioan. Baptista Dino pro pretio trium millium et centum scutorum ad effectum inibi ecclesiam unam seu capellam in ipsius s. Francisci honorem aedificandi emit, prout in publicis desuper confectis instrumentis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Antonius vereatur, ne aliquibus fideicommissis aut aliis vinculis et oneribus subiecta sit, et idcirco plurimum cupiat emptionem dictae domus pro illius subsistentia et validitate firmiori apostolicae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus super praemissis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Antonium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, emptionem dictae domus, ut praefertur, factam, ac prout illam concernunt omnia et singula in dictis instrumentis contenta, licita tamen et honesta, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, et solemnitatum etiam substantialium et formalium, et quosvis alios defectus, si qui in praemissis tam accessorie quam particulariter vel alias quomodolibet intervenerint, supplemus. Et nihilominus ad maiorem praemissorum effectum domum praedictam cum omnibus suis membris et pertinentiis, dummodo pretium in aliis bonis stabilibus dictae civitatis seu eius territorii investiatur, ex nunc et postquam fuerit investitum a quibuscunque fideicommissis, primogenituris et alienarum prohibitionibus tam per viam donationis et contractus inter vivos, quam testamenti et codicillorum ac ultimae voluntatis et cuiuscunque alterius dispositionis sub quibuscunque tenoribus et formis ac verborum expressionibus, et quarumcunque poenarum et sub mulctarum adiectionibus, nec non proximorum, vel aliarum personarum et familiarum, ac forsan ecclesiarum, hospitalium, collegiorum, universitatum et quorumcunque locorum piorum seu alias quantumcunque privilegiatorum vocationibus substantialibus, conditionibus, vinculis, oneribus, hipothecis obbligationibus et cautelis per quoscunque factis et inductis, etiam apostolica auctoritate approbatis, penitus et omnino eximimus et liberamus, ac fideicommissa, prohibitiones pacta, vocationes, substitutiones et alia omnia praedicta tollimus, abolemus et abrogamus, ac fideicommissa, primogenituras, pacta, prohibitiones aliaque praedicta quaecunque in bona stabilia ex illo emenda transfundimus atque transferimus, ac transfusa et translata esse volumus et declaramus, ita quod in fideicommissis, primogenituris, substitutionibus et aliis dispositionibus praedictis quomodolibet vocati, et comprehensi quicunque eorum fideicommissorum, primogeniturarum, substitutionum et dispositionum ac vinculorum, poenarum et clausularum in eis oppositorum vigore, aut alias quomodolibet ullo umquam

tempore super domo, ut praefertur, vendita, aliquod ius, aliquamque actionem habere, praetendere vel intentare, aut alias experiri non possint in quovis indicio tam petitorio quam possessorio, sed ad bona ex illo emcuda huiusmodi se convertere omnino debeant; decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscunque indices etc. ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. Volumus autem quod tria millia et centum scuta praedicta penes aliquam aedem sacram aut personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa quamprimum in emptionem bonorum stabilium convertendi omnino deponantur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die X. Iulii pontificatus nostri anno XI. [XII].

CXL.

Innovat mandata suorum praedecessorum circa mysterium immaculatae conceptionis beatae Mariae virginis. Ex eodem regest. tom. 12 divers. pag. 163.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regis pacifici, quamquam nullo nostro merito, divina dispensatione vices gerentes in terris, ex muneris nostri debito, pacis et concordiae inter christifideles, praesertim ecclesiasticas personas, quae aliis in viam pacis dirigendis, et in unitate spiritus continendis sunt praepositae, conservationi sedulo invigilare cupientes, ea quae a praedecessoribus nostris romanis pontificibus ad scandalorum semina tollenda salubriter constituta sunt, cum hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere coepit, minime observari aut variis modis eludi dignoscuntur, ut inviolata serventur, opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, providemus.

§ 1. Olim siquidem per fel. rec. Sixtum papam IV. praedecessorem nostrum, accepto quod nonnulli diversorum ordinum praedicatores, in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates et terras adfirmare non erubuerant, et quotidie praedicare non cessabant omnes illos, qui tenebant aut asserebant gloriosam et immaculatam Dei genetricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare vel esse haereticos, eiusdemque immaculatae conceptionis officium celebrantes audientesque sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse adfirmabant, graviter peccare, sed et praedictis praedicationibus non contenti, confectos super eisdem suis assertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum assertionibus et praedicationibus non levia scandala in mentibus fidelium exorta erant, et maiora merito exoriri formidabantur

in dies, idem Sixtus praedcssor huiusmodi temerariis ausibus et perversis assertionibus et scandalosis, quae exinde in Dei ecclesia exoriri poterant, obviare volens, huiusmodi assertiones praedicatorum eorundem et aliorum quorumlibet, qui adfirmare praesumerent eos, qui crederent aut tenerent eam Dei genetricem ab originalis peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore, [vel] mortaliter peccare, aut huiusmodi officium conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrere, utpote falsas et erroneas et a veritate penitus alienas, editosque desuper libros praedictos id continentes, quo ad hoc reprobavit et damnavit ac statuit et ordinavit, quod praedicatores verbi Dei [et] quicunque alii, cuiuscunque status, gradus, aut ordinis et conditionis essent, qui ausu temerario praesumerent in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet adfirmare, huiusmodi sic per eum improbatas et damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, a qua ab alio quam a romano pontifice, nisi in mortis articulo, nequirent absolutionis beneficium obtiuere. Similique poenae et censuris subiecit eos, qui ausi essent adserere contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen vel peccatum incurrere mortale, cum nondum id a romana ecclesia et apostolica sede [sit] decisum.

§ 2. Hanc vero Sixti praedecessoris constitutionem oecumenica Tridentina synodus postea innovavit.

§ 3. Ac deinde similis recordationis Pius papa V. etiam praedecessor noster statuit, ordinavit et mandavit, quatenus nemo cuiuscunque ordinis vel dignitatis existeret, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiae alterutra parte disputare rationibus vel doctorum auctoritate, adserendo propriam sententiam et contrariam refellendo vol impugnando, aut de hac ipsa quaestione cuiusvis pietatis aut necessitatis praetextu vulgari sermone scribere vel dictare praesumeret; qui contrafaceret, suspensionis poenam a divinis absque nova declaratione ipso facto incurreret, si modo esset in sacris constitutus, et quocunque praeterea gradu sive dignitate vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso facto privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuae inhabilitatis censurae, ipso etiam facto, obnoxius foret, super quibus nisi a romano pontifice pro tempore existente dispensari sive absolvi non posset, et nihilominus aliis poenis, si opus foret, a proprio praelato pro delicti mensura infligendis subiectus esset, prout subiecit.

§ 4. Ceterum quamdiu per apostolicam sedem altera pars definita non esset oppositaque sententia condemnata, liceret viris doctis in publicae academiae disputationibus sive generalium aut provincialium capitulorum, vel ubi alias interessent, qui rem capere possent, nec scandali ulla subesset occasio, de illa quaestione disse-

rere et argumenta utramlibet asserere vel impugnare; dum tamen neutra velut erronea praedicaretur, servarenturque illa omnia, quae a dicto Sixto praedecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantum ad alias poenas duxit innovanda et innovavit, prout in Sixti et Pii praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

§ 5. Verum licet haec provide statuta sint, nihilominus sicut accepimus, nonnulli in diversis christiani orbis partibus, interminatis quaestionibus nimis intenti, dissentionum huiusmodi, iam pridem ecclesiae disciplinae vigore recisa germina coalescere procurant, indeque contentiones et rixae non sine Dei offensa et scandalo plurimorum exortae sunt, eo graviores in dies ne exorantur, periculum est, nisi a nobis opportune provideatur.

§ 6. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, constitutionem Sixti et Pii praedecessorum huiusmodi veriores tenores praesentibus sub èxpressis, et ad verbum insertis habentes, easdem constitutiones apostolica auctoritate tenore praesentium adprobamus et confirmamus, et etiam quoad earum poenas quascunque etiam absolutionis reservationem innovamus, et inviolabiliter ab omnibus, etiam regularibus cuiuscunque ordinis et instituti, et aliis quibuscunque, tam ecclesiasticis quam saecularibus personis cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis, aut dignitatis tam ecclesiasticae quam saecularis, etiamsi specialis, specifica et individua earum esset necessario facienda mentio, observari praecipimus et mandamus, donec a romana apostolica sede huiusmodi controversia fuerit definita.

§ 7. Ac praeterea si quis quovis modo contravenerit, praeter supradictarum constitutionum poenas respective ipso facto incurrendas etiam concionandi, publice legendi seu docendi et interpretandi facultate, ac voce activa et passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatus existat, necnon [et] concionandi et publice legendi, docendi et interpretandi perpetuae inhabilitatis poenas similiter ipso facto incurrat absque alia declaratione, a quibus nonnisi a nobis ipsis vel successoribus nostris romanis pontificibus pariter absolvi, seu super iis dispensari possit; et nihilominus aliis poenis nostro et eorundem romanorum pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis, subiiciatur, prout eum subiicimus per praesentes.

§ 8. Et contra huiusmodi transgressores, etiam regulares cuiusvis ordinis et instituti, etiam quomodolibet exemptos, et alias quascunque ecclesiasticas et saeculares personas cuiuscunque status, gradus, ordinis aut dignitatis, tam ecclesiasticae quam saecularis, ut prafertur, tam episcopi et praelati, superiores aliique ordinarii locorum quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant et inquirant, atque in eos severe animadvertant. Nos enim iis et eorum cuilibet, contra eosdem trasgressores procedendi et inquirendi, ac poenis coercendi et puniendi liberam facul-

tatem et auctoritatem iisdem auctoritate et tenore tribuimus et impartimur, eosque, ut praefertur, procedere, inquirere et punire praecipimus et mandamus.

§ 9. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die VI. Iulii MDCXVI. pontificatus nostri anno XII.

CXLI.

Adprobat fundationem monasterii sororum tertii ordinis congregationis Gallicanae. Ex regest. secret. Brevium in mense Febr. pag. 3.

Venerali fratri episcopo Aduren.

Alias dilectarum in Christo filiarum Isabellae de Romillon et Franciscae de Bertelier, ac nonnullarum aliarum mulierum viduarum et puellarum, civitatis et dioecesis Tholosan., nomine nobis exposito, quod annis praeteritis ipsae pio religionis et devotionis zelo ductae, probatae aliquod genus vitae, nt facilius aditum sibi ad caelestem patriam pararent, exquirentes sese insimul in qnibusdam aedibus particularibus snb cura et obedientia cuiusdam ministrae congregaverant, ibique more sanctimonialium in dies piis religionis, pietatis et misericordiae operibus assumpto habitu ordinis tertiariorum, strictioris observantiae congregationis Franciae, de licentia superiorum eiusdem ordinis, cni se aggregari etiam obtinuerant, exercere stndebant, piisque christifidelium eleemosynis adiutae quasdam domos ad constructionem unius monasterii opportunas et capaces in loco decenti dictae civitatis emerant, quas in decentem monasterii formam reducere, et ibi seorsum a saeculo, sub regula s. Francisci, vitam transigere intendebant. Nos supplicationibus Isabellae et Franciscae ac aliarum mulierum et puellarum praedictarum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri episcopo Montisalbani, qui civitati Tholosan. cuius sedes archiepiscopalis tunc temporis vacabat, ordinarius vicinior, ut tunc assertum fuit, existebat, dedimus in mandatis, quatenus auctoritate nostra Isabellae et Franciscae ac mulieribus viduis et puellis praedictis easdem domos in decentem monasterii formam reducendi, seu in eorum [fundo] et situ unum monasterium monialium construi et aedificari faciendi licentiam concederet, ipsumque monasterium, postquam constructum ac debita clausura munitum fuit, ac constito sibi quod Isabella et Francisca ac aliae mulieres viduae et puellae praedictae tot bona, ex quibus saltem quadringenta scuta monetae annuatim percipi possent, vere et realiter in communi possiderent, in monasterium monialium viduarum seu puellarum sub invocatione s. Ludovici et s. Elisabethae cum membris et officinis, ad usum monasterii necessariis et opportunis pro unius superioris matris seu ministrae nuncupandae, et duodecim monialium, quae omnes perpetuam clausuram servare et habitum dicti ordinis retinere, seu de

novo suscipere, ac anno probationis elapso professionem regularem ac solemne castitatis nec non paupertatis et obedientiae votum, in ministri provincialis eiusdem ordinis seu ab eo deputati pro prima vice, deinde in matris seu ministrae praedictae manibus emittere, necnon sub ministri generalis seu provincialis dicti ordinis provinciae Aquitaniae visitatione, correctione, cura, regimine et omnimoda iurisdictione, salva tamen et libera superiori seu matri vel ministrae ac monialibus pro tempore existentibus remanente facultate petendi et obtinendi ab eodem ministro provinciali, dum per seipsum id exequi non posset, ordinarios visitatores, qui monasterium huiusmodi, illiusque conventum et moniales visitare, corrigere, ac confessores saeculares, seu cuiusvis ordinis regulares deputare possent perpetuis usu et habitatione perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, erigeret et institueret, et alias prout in nostris desuper in simili forma brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, dictus episcopus Montisalbanen. ad executionem litterarum praedictarum devenerit, et monasterium monialium huiusmodi modo et forma praemissis erexerit et instituerit, ac minister seu provincialis praedictus possessionem seu quasi regiminis eiusdem monasterii apprehenderit, subinde vero ex eo, quod aliae eiusdem ordinis moniales idoneae, quae ad noviter exstructum monasterium huiusmodi pro illius monialium instructione transferrentur in illis partibus non reperiebantur, dilecti filii fratres discalceati ordinis b. Mariae de Monte Carmelo, eiusdem monasterii curam susceperunt, et in praedictum monasterium moniales discalceatas eiusdem ordinis b. Mariae de Monte Carmelo, de consensu monialium dicti monasterii introduxerint, nos eandem et easdem inter ministrum seu provincialem et fratres discalceatos ac moniales huiusmodi super praemissis verten. prout iustitia postulat cognosci, et quamprimum terminari volentes, ac de tua fide integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, tibi, qui ecclesiae Tholosan. administrator apostolica auctoritate deputatus extiteris, eamdem et easdem praedictas cum earum incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis et connexis, totoque negotio personali audiendas et cognoscendas, ac omni et quacunque appellatione remota, auditis partium rationibus decidendas et fine debito, prout iuris fuerit, terminandas cum potestate quos, quibus, ubi, quando, et quoties opus fuerit citandi et inhibendi etiam per edictum publicum, ac sub censuris et poenis ecclesiasticis aggravandi et moderandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi apostolica auctoritate tenore praesentium committimus et demandamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXI. Februarii pontificatus nostri anno XII.

CXLII.

Dirimit controversiam super colore et forma habitus inter nostros fratres Hispan. Indiarumque et inter fratres congregationis s. Ioannis de Deo agitatam. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 188.

Ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis de super apost. servitutis officio christifidelium quorumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo altissimo famulantium votis, per quae eorum paci et quieti opportune consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Iouer, procurator generalis ord. fratrum min. s. Francisci de observantia, quod alias vertente in congregatione ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, negotiis regularium praepositorum, inter fratres eiusdem ordinis ex una ac fratres congregationis [s.] Ioannis Dei Hispaniae et Indiarum ex altera partibus controversia super colore et forma habitus exorta, nec non observatione transactionis inter eos occasione praemissorum initae, praedictae congregationis cardinales, controversia huiusmodi de mandato nostro diligenter examinata, ac utriusque partis procuratoribus auditis, pallium a fratribus praedictae congregationis per civitates et oppida non esse deferendum, sed in itinere dumtaxat ipsos eodem pallio cum pileo nigro uti posse censuerunt, dummodo pallium huiusmodi sit coloris habitus eorumdem fratrum cum collare seu baccaro nigri coloris, et latitudinis sex digitorum, eique sporta semper superferatur, prout in decreto sub die XV. Iulii proxime praeterito desuper facto, plenius dicitur continere. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Petrus plurimum cupiat, decretum huiusmodi pro maiori illius validitate ac subsistentia, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Petrum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum dumtaxat praesentium consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praefatum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Mandantes propterea in virtuté sanctae obedientiae omnibus et singulis ordinis et congregationis praefatorum fratribus, ut praesentes litteras et in eis contenta quaecunque firmiter observent et observari curent et faciant. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi valida, forma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et ob-

tinere debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa ven. fratribus archiepiscopis et episcopis in regnis Hispaniarum et Indiis praedictis existentibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum ordinis praedicti super hoc fuerint requisiti, faciant auctoritate nostra, easdem litteras et in eis contenta quaecunque huiusmodi firmiter observari, contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, conspescendo, invocato et ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii saecularis. Non obstante quatenus opus sit fel. record. Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non dictae congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datis Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XVIII. Aprilis MDCXVII. pontificatus nostri anno duodecimo.

Cardinalis S. Susannae.

CXLIII.

Concedit monialibus Clarissis conventum observantium Farnesii. Ex Casimirio a Roma in chronica provinciae pag. 140.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea ex apostolicae servitutis officio libenter intendimus, quae ecclesiarum, monasteriorum ac personarum illis praesidentium favores ac commoda respicere dignoscuntur. Sane dilecti filii minister seu provincialis provinciae nostrae romanae, fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum, tam suo quam aliorum fratrum domus regularis eiusdem s. Francisci oppido Farnesii, Castrensis dioecesis, provinciae praefatae nominibus, et nobilis vir Marins Farnesius Dominus in temporalibus oppidi praedicti nobis exponi nuper humiliter fecerint, quod alias dictus Marius propagandae religionis zelo ductus, et pro suo erga ordinem s. Francisci devotionis affectu in dicto oppido Farnesii monasterium monialium eiusdem ordinis sub secunda regula s. Clarae, in quo eiusdem oppidi ingenuae virgines aliaeque honestae mulieres, assumpto religionis habitu, in humilitate spiritus et candore virginitatis sub propria clausura vitaeque et disciplinae regularis norma, gratum et perpetuum praepotenti Deo impendere famulatum exoptantes vivere posset, extruere et instituere desiderans, cum nullus locus vel situs ad monasterium huiusmodi construendum, quam domus fratrum praedictorum, olim sumptibus et expensis tunc in humanis agentis Iuliae Aquavivae Farnesiae, dicti Marii matris, constructa in praedicto oppido reperiretur, et situs praedictae domus pro usu et habitatione eorundem fratrum propter novorum murorum constructionem minus capax futurus sit; his igitur rationabilibus causis dictus d. Marius adductus, cupiensque terrena et caduca in caelestia et aeterna felici commercio commutare ac eorundem fratrum commoditati consulere, cum ministro sive provinciali praedicto, nominibus supradictis, necnon facultate sibi a congregatione capitulari in alma urbe nostra coram eo die XVII. Aprilis proxime praeteriti celebrata, attributae inhaerendo ad infrascriptam sub nostro et sedis apostolicae beneplacito devenit conventionem, videlicet quod fratres praedicti dictam domum illiusque ecclesiam s. Rochi una cum viridiario, hortis, hortalitiis, vinea ac omnibus et singulis illius membris, iuribus et pertinentiis, habitationibus superioribus et inferioribus, ceterisque commoditatibus, usibus (reservatis eisdem fratribus sacrestiae ecclesiae huiusmodi aliisque paramentis et ornamentis tam in ecclesia quam in domo praedictis existentibus) ac etiam alia tam sacra quam profana supellectilia pro monasterio monialium huiusmodi constituendo dare, concedere et renunciare; ita tamen, quod dictus Marius aliam domum regularem maioris sumptus et commoditatis pro usu et habitatione eorumdem fratrum cum ecclesia in opportuniori loco eiusdem oppidi

infra trienninm, a data praesentium computando, quae saltem tertiam partem valoris domus et ecclesiae s. Rochi praedicti eo cum situ excedere debeat, construere seu construi respective facere debeat. Nec praedictus Marius alios religiosos vel cuiusvis ordinis, etiam saeculares presbyteros, in primo dictis domo et ecclesia, quam moniales ordinis s. Francisci sub secunda regula s. Clarae, quae ordinarii cura et iurisdictioni omnino subsint, introducere, nec in dicto monasterio aliquam fabricam ad alium quam ad dicti novi monasterii monialium nsum construere possit. Et antequam fratres praedicti a dicta domo egrediantur, praedictus Marius nostrum et dictae sedis beneplacitum tam pro monasterio monialium, quam pro domo et ecclesia regularibus eorumdem fratrum erigendis impetrare teneatur; redituumque annunm pro perficienda fabrica novae domus, ut praefertur, construèndi per dilectos filios dictorum fratrum oeconomos, donec et quousque dicta fabrica peracta et in omnibus partibus absoluta fuerit dumtaxat percipiendum assignare; praedictique fratres omnes et singulas eleemosynas et oblationes tam diurnas quam annuales per quoscunque christifideles eidem ecclesiae s. Rochi quacunque de causa hucusque quomodolibet erogatas et relictas, una cum oneribus eis adnexis secum inde transportare possint, prout in dicta conventione seu concordia, vel publico desuper confecto instrumento contineri dicitur. Cnm autem sicut eadem expositio snbiungebat, conventio seu concordia huiusmodi pro spirituali commodo dicti oppidi, divinique cultus et piorum operum augmento, et dicti ordinis propagatione ad laudem et gloriam Dei omnipotentis facta noscatur, cupiantque exponentes praedicti pro illius firmiori subsistentia per nos et sedem praedictam approbari et confirmari, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt exponentes praedicti, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur veriores instrumenti praedicti tenores, dictaeque domus et aliorum et praedictorum situationes, confines, vocabula et denominationes, qualitatesqne, nuncupationes, invocationes et valores, praesentibus pro expressis habentes, ipsosqne exponentes speciali gratiae favore prosequi volentes, necnon eos ac dictae domus singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati dictam conventionem seu concordiam, et prout illam concernnnt omnia et in singula in instrumento praedicto contenta, licita tamen et honesta ac sacris canonibus, maxime vero concilii Tridentini decretis et apostolicis constitutionibus, nec non regularibus institutis minime contraria, dummodo tamen primo dictae domus guardiani et fratrum ad hoc expressus accedat assensus, et non alias ad partium supplicationem, et praestita prius per dictum Marium sufficienti et idonea cautione de construenda infra triennium dicta domo regulari pro supradictis fratribus, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisqne perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimns, ac omnes et singulos tam inris quam facti et solemnitatum

etiam, quamvis substantialinm ac de iure requisitarum, et quosvis alios defectus, si qnis desuper quomodolibet intervenerit, supplemus et illa perpetuo valida et efficacia, ipsosque exponentes eorumque successores ad illorum omnium observationem perpetuo obligatos esse et fore, et ab illis nullo nnquam tempore resiliri posse; sicque et non aliter per qnoscnnque iudices et commissarios iudicari ac definiri debere, irritum qnoque et inane decernimus, si secus snper his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVI. Augusti MDCXVII. pontificatus nostri anno XIII.

CXLIV.

Ratam habet fundationem conventus discalceatoram fratrum. Ex regest. secret. Brev. in mense Decembris pag. 350.

Venerabili fratri Antonio archiepiscopo Capuan. nostro et apostolicae sedis in regnis Hispaniarum nuntio.

Ex pastoralis officii etc. Sane dilectns filius nobilis vir Emmannel Philibertus a Sabaudia tam sno quam dilectorum filiorum oleri et populi, oppidi civitatis nuncupati Portus s. Mariae, Ispalen. dioecesis, nominibus nobis nuper exponi fecit, qnod clerus et populus praedicti pio devotionis zelo duoti et de animarum suarum salnte sollioiti in praedicto oppido, quod portu maritimo et externorum illnc commercii causa accedentium frequentia insigne existit, unam domnm regularem religiosorum reformatorum, quorum exemplari vita tum ipsins oppidi incolae et habitatores, tum etiam externi ad illud pro tempore appellentes, qnorum nonnulli plerumque a fide catholica alieni snnt, ad virtutis et pietatis amorem ac bonorum operum exercitium inflammari possint, extrui facere snmmopere desiderent, et ad hoc ordinem fratrum minorum discalceatorum nnncnpatorum, provinciae s. Gabrielis, qui non modo exemplaris vitae lande clarent, sed etiam ex forma institutorum regnlarium ipsius ordinis a participatione omnium emolumentorum penitus abstinent, elegerint, et tam a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico, quam a dilecta in Christo filia nobili muliere moderna dncissa de Medina Celi et praedicti oppidi domina in temporalibus licentiam et facultatem ipsam domum oonstruendi in quantum ad eos spectat obtinuerint, ab ordinario vero Hispalen. qui novis locorum regularium fundationibus intra suam dioecesim difficnlter acquiescere solet, licentia et facultas huiusmodi, absque ulla saltem iusta et rationabili causa, eis denegata fnerit, inde autem animabus detrimentum et praedictis incolis scandalum verisimiliter generari, ac pia liberalitas multorum fidelium, qui pro fundatione novae domus huiusmodi eleemosynas conferre et erogare parati sunt, facile refrigerari possit, idque consi-

derans praedictus Emmanuel Philibertus, qui classis maritimae praedicti Philippi regis praefectus generalis existit, ac in praedicto oppido pro magna temporis parte residere consuevit, pari cum clero et populo praedictis devotionis zelo et affectu motus, plurimum cupiat licentiam et facultatem huiusmodi a nobis et sede apostolica ipsis concedi, et alias desuper ut infra provideri; quare idem Emmanuel Philibertus nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecit quatenus ipsos in huiusmodi eorum laudabili proposito confovere ac desuper opportune providere, nec non infrascriptis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum ac christianae religionis propagationem sinceris exoptamus affectibus, Emmanuelem Philibertum ac clerum et populum praedictos eorumque singulos a quibus excom. etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus si est ita, etiam absque consensu ordinarii auctoritate nostra, clero et populo praedictis in praedicto oppido ac loco ibidem decenti et commodo unam domum regularem nunc et quandocunque eis benevisum fuerit, construi faciendi plenam et liberam facultatem concedas, ipsamque domum ex nunc, prout ex tunc postquam constructa, ac omnibus numeris et partibus suis absoluta fuerit in domum regularem dicti ordinis fratrum minorum excalceatorum sub invocatione, clero et populo praedictis benevisa, et per eos eligenda cum ecclesia, campanili, campanis, refectorio, dormitorio coemeterio, claustris, hortis, hortalitiis, cellis, officinis aliisque membris necessariis et opportunis pro perpetuis usu et habitatione competentis numeri religiosorum dicti ordinis, qui habitum per fratres aliarum domorum regularium eiusdem ordinis gestari solitum suscipere ac professionem per eosdem emitti consuetam statim anno probationis elapso emittere, nec non ritus, mores, consuetudines et instituta regularia ipsius ordinis servare, divinisque laudibus et obsequiis insistere debeant et teneantur perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, et dummodo in dicta domo sic erigenda numerus saltem duodecim religiosorum manuteneatur, ac forma decreti fel. rec. Clementis pp. VIII. praedecessoris nostri super novorum conventuum erectione editi servetur, dicta auctoritate erigas et instituas. Praeterea eidem domui regulari sic erigendae etiam ex nunc, prout ex tunc postquam erecta fuerit, ut praefertur, illiusque guardiano et fratribus ac quibusvis aliis personis pro tempore existentibus, nec non christifidelibus illius ecclesiam huiusmodi pro tempore visitantibus ut omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, favoribus et aliis gratiis universis tam spiritualibus quam temporalibus, aliis domibus regularibus praedicti ordinis earumque guardianis et fratribus aliisque personis ac christifidelibus earum ecclesias visitantibus in genere vel specie, etiam per viam simplicis communicationis ac alias quomodolibet nunc concessis et in posterum concedendis, ac quibus illae et illi de iure, usu, privilegio vel consuetudine, aut alias

quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen non sint revocata nec sub ullis revocationibus comprehensa, neque etiam sacris canonibus ac concilii Tridentini decretis repugnent, similiter frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter absque ulla prorsus differentia, in omnibus et per omnia perinde ac si illa domui, ut praefertur, erigendae, illiusque guardiano, fratribus et personis huiusmodi specialiter et expresse concessa essent, etiam perpetuo indulgemus. Praesentes quoque litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam per nos et successores nostros, romanos pontifices, pro tempore existentes, sub quibuscunque verborum expressionibus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, pro tempore quomodolibet factis, minime comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per guardianum et fratres domus, ut praefertur, erigendae pro tempore existentes quandocunque erigendae concessas esse et fore, sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac s. r. e. cardinales etiam de latere legatos et vicelegatos dictaeque sedis nuncios iudicari et definiri deberi, ac irritum etc. Non obstantibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die prima Decembris pontificatus nostri anno XIII.

CXLV.

Indulget erectionem conventus in urbe Calliensi. Ex cod. regest. in mense Octobris pag. 173.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii custos et fratres, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum, provinciae Marchiae, quod dilecti etiam filii officiales et confratres confraternitatis oratorii s. Andreae, civitatis Callien., canonice institutae, dictum oratorium ad confraternitatem huiusmodi spectans custodi et fratribus praedictis ad effectum inibi regularem domum construi faciendi de venerabilis fratris episcopi Callien. consensu donarunt et concesserunt, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, custos et fratres praedicti pro donationis et concessionis praedictarum validitate, ac subsistentia illas apostolicae confirmationis patrocinio [approbari] plurimum desiderent, nos custodem et fratres praedi-

ctos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, donationem et concessionem dicti oratorii per officiales et confratres praedictos ipsis custodi et fratribus, ut praefertur, factas stante consensu dicti ordinarii, et ex eo quia, ut asseritur, officiales et confratres praedicti supradictum oratorium ad perfectionem perducere illudque manutenere non possunt, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die V. Octobris pontificatus nostri anno XIII.

CXLVI.

Michael Bonsus fit episcopus Ravellensis et Scalensis. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 746.

Romae die XIII. Martii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Bonsio referente, sanctissimus dominus noster ecclesiis Ravellen. et Scalen. invicem perpetuo unitis vacan. per obitum r. fr. Francisci Benni, ultimi earum episcopi, providit de persona r. p. fr. Michaelis Bonsii Romani, ordinis s. Francisci de observantia etc. cum condonatione iurium etc.

CXLVII.

Petrus Pitarque episcopalem Firminiensis ecclesiae sedem obtinet. Ex eisdem actibus pag. 747.

Romae die XXVI. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Aldobrandino referente, sanctissimus dominus noster ecclesiae Firminien. in Graecia inter infideles certo modo vacan. providit de persona r. fr. Petri Pitarquae ordinis minorum de observantia cum condonatione iurium etc.

CXLVIII.

Didacus Altauiranus eligitur episcopus novae Carthaginis. Ex eodem regest. pag. 747.

Romae die XXVI. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Borgia referente, sanctitas sua ad praesentationem catholici regis ecclesiae Carthaginen. in Indiis Occidentalibus vacan. per obitum Petri de Vega providit de persona r. fr. Didaci Altauirani, ordinis s. Francisci de observantia, regni del Perù commissarii generalis etc. cum decreto, quod eiusdem ecclesiae possessionem non accipiat, antequam professionem fidei emittat, et ad Urbem transmittat etc.

CXLIX.

Laurentius de Savora episcopus Funcalensis transfertur ad ecclesiam Elvensem Ex eisdem actibus pag. 755.

Romae die XVIII. Septembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Borgia referente, sanctitas sua ecclesiae Elven. per obitum Roderici Piroz, illius ultimi episcopi, ad praesentationem maiestatis catholicae providit de persona r. Laurentii de Savora episcopi Funcalen. ordinis minorum de observantia, cum reservatione annuae pensionis ducatorum 352. auri de camera pro Antonio de Sovares de vico Ulyssiponen. vel alterius civitatis seu dioecesis, salvis antiquis pensionibus, et cum decreto, quod priusquam ipsius ecclesiae possessionem suscipiat, fidei professionem emittat, et ad Urbem transmittat, absolvens illum a vinculo etc. transferens etc.

CL.

Ut capucini in publicis supplicationibus sub propria cruce incedant. De Gubernatis tom. I. pag. 592.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii, quo divina dispensatione nullo nostro merito fungimur, ratio postulat, ut religiosorum maxime strictioris observantiae, paci et quieti, quantum nobis ex alto conceditur, opportune consulamus.

§ 1. Cum itaque sicut dilectus filius procurator generalis, ordinis fratrum minorum capucinorum nuncupatorum, nobis nuper exponi

fecit, nonnullae rixae et dissensiones inter fratres dicti ordinis et dilectos etiam filios fratres, ordinis fratrum minorum conventualium s. Francisci, dum primo dicti fratres processionibus publicis sub eorumdem fratrum minorum conventualium cruce incedunt, interdum oriantur;

§ 2. Nos omnium rixarum et dissensionum praedictarum materiam submovere volentes, dictosque fratres minores, capucinos nuncupatos, specialibus favoribus et gratiis prosequi, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, eisdem fratribus minoribus, capucinis nuncupatis, quod ubique locorum in publicis processionibus huiusmodi crucem propriam ad formam constitutionis fel. rec. Gregorii papae XIII. praedecessoris nostri, quae incipit *Exposcit pastoralis officii* etc. deferre possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas, et efficaces existere etc.

§ 4. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die XII. Octobris MDCXVII. pontificatus nostri anno XIII.

CLI.

Ut fratres conventuales recitare valeant semel in mense officium Seraphici Patris. Ex bull. Cherubini tom. 4. pag. 7.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini nostri Iesu Christi, qui confessores suos aeternae gloriae proemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncti nobis pastoralis officii debito, ut eorumdem Christi confessorum nomen amplioribus in dies honoribus decoretur, libenter procuramus, et christifidelium praesertim sub piis illorum institutis Deo militantium, quae peculiarem erga illos cultum respiciunt, votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius frater Bonaventura Carpanzano, procurator generalis ordinis fratrum minorum conventualium a s. Francisco ad decorem et utilitatem domus Dei universae fundati, nobis nuper exponi fecit, fratres dicti ordinis pro singulari quem erga dictum s. Franciscum eiusdem ordinis, ut praefertur, fundatorem, gerunt devotionis affectum, officium de eodem sancto Francisco, ut infra recitare posse summopere desiderent.

§ 2. Nos piis eorumdem fratrum desideriis in praemissis benigne annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc.

censentes, supplicationibus dicti Bonaventurae nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerab. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eisdem fratribus minoribus conventualibus, ut officium de eodem s. Francisco semel in mense, prima die non impedita alio festo novem lectionum, prout ab ipsis recitatur in festo eiusdem s. Francisci, recitare libere et licite possint et valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem perpetuo concedimus et impartimur.

§ 3. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XX. Martii MDCXVII. pontificatus nostri anno XII.

CLII.

Adprobat erectionem monasterii, et collegii pro virginibus instruendis. Ex regest. secret. Brev. in mense Ianuar. pag. 293.

Dilecto filio officiali Abulen.

Alias nomine dilecti filii Ioannis Garcialuarez de Toledo, comitis de Oropesa, nobis exposito, quod ipse in oppido de Oropesa Abulen. dioecesis unum monasterium monialium cum ecclesia, refectorio, dormitorio, coemiterio, claustris, cellis ac aliis membris necessariis et opportunis, ac intra illius clausuram et septa aedificium amplum et commodum collegium nuncupandum, et a monialium habitatione non solum cellis et officinis, sed etiam choro et loquutorio omnino separatum et diversum, solaque communi ianua ad illas pervia, pro receptione et habitatione tenerioris aetatis puellarum septem annis non minorum, nec viginti quinque maiorum, inibi educationis causa, ad dicti tamen Ioannis comitis et successorum suorum comitum de Oropesa pro tempore existentium nominationem recipiendarum, sub cura et gubernio abbatissae et monialium ipsius monasterii in bonis moribus et virtutibus chistianis instruendarum, opportuna ac decenti fabrica construi fecerat, et tam monasterium ad monialium et collegium huiusmodi ad puellarum usus suppellectibus, quam ecclesiam ipsam paramentis et ornamentis, aliisque ad opus divini cultus inibi requisitis abunde instrui et exornari curaverat, ac in illis omnibus ingentes sumptus summam sexaginta millia ducatorum monetae Hispaniarum excedetem fecerat, nec non monasterio et collegio praedictis, pro eorum congrua et sufficienti dote, ac monialium et puellarum in eis pro tempore existentium commoda sustentatione unum viginti millium super de Villena, et alterum census annuos aliorum viginti millium ducatorum dictae monetae super de Fuente Duena dominiis rite et secure regia auctoritate impositos, ex quibus redditus annui bis mille ducatorum similium quotannis percipi possunt, praetereaque alios redditus et proventus annuos, ex quibus pauperibus et aliis locis piis, ac in primis urgente necessitate

monasterio et collegio praedictis subveniri deberet, perpetuo donare et assignare proposuerat, ac super monasterii et collegii huiusmodi fundatione et donatione, nec non dictarum puellarum numero, receptione, instructione et educatione cum superioribus infrascripti ordinis sub diversis conditionibus et pactis per publicas scripturas desuper confectas, ac per ipsos superiores receptas transegerat, et in eadem expositione subiuncto, quod ipse Ioannes comes monasterium praedictum in monasterium monialium tertii ordinis s. Francisci..... per nos apostolica auctoritate erigi et institui summopere desiderabat, nos supplicationibus dicti Ioannis comitis nobis tunc humiliter porrectis inclinati, tibi per nostras sub plumbo expeditas litteras dedimus in mandatis, ut si et postquam praedictus Ioannes comes pro dicti monasterii erigendi dote ambos census annuos et perpetuos quadraginta millium ducatorum huiusmodi perpetuo donavisset et assignavisset, dictumque monasterium debita et decenti clausura munitum foret, in monasterium monialium tertii ordinis s. Francisci, dummodo esset unus, ex a sede apostolica approbatis, pro perpetuis usu et habitatione unius abbatissae, et viginti quatuor aliarum monialium, quae habitum per moniales aliorum monasteriorum eiusdem ordinis gestari solitum suscipere, et elapso probationis tempore professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, ac puellas saeculares ab eodem Ioanne comite et successoribus suis praedictis nominandas septem annis non minores, nec viginti quinque maiores recipere et certo tunc expresso modo retinere deberent ac tenerentur, auctoritate nostra praedicta etiam perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, erigeres et institueres, nec non pro monialium in eodem monasterio pro tempore introducendarum felici directione, ac in ritu, moribus et regularibus institutis, instructione duas aut tres ex aliquibus monasteriis monialium eiusdem vel alterius ordinis approbati moniales, illum expresse professas, vitaeque integritate et regularis disciplinae peritia laudatas, ad idque voluntarias, ex earum monasteriis de superiorum suorum licentia educeres, et in dictum monasterium transferres aliaque faceres, prout in dictis nostris litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut eiusdem Ioannis comitis nomine nobis nuper expositum fuit, ex tribus monialibus sicut praefertur educendis, duae ad minus pro educatione et instructione ipsarum puellarum necessariae sint, et quae supererit ex numero trium huiusmodi ad reliqua onera circa ipsam fundationem, sub hoc illius exordio, passim occursura sufficere nullo modo possit, nobis propterea dictus Ioannes comes, quo monasterium huiusmodi felicibus proficere valeat incrementis, humiliter supplicari fecit, praemissis et aliis infrascriptis annuere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos piis dicti Ioannis comitis desideriis in praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excom. etc. censentes, huius-

modi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, tibi ultra tres praedictas, alias tres praedicti seu alterius ordinis moniales, qualitatibus in litteris nostris praedictis expressis praeditas, e suis monasteriis educere, et ad monasterium, ut praefertur, erigendum pro monialium in illo pro tempore introducendarum reformatione, ac puellarum inibi educandarum instructione transferre, dummodo tamen non solum moniales ipsae transferendae, sed et earum superiores translationi huiusmodi consentiant, eademque translatio fiat consanguineis gravibusque matronis eas comitantibus, ab uno ad aliud monasterium [et] absque diverticulo recta tendatur ac nullibi divertatur aut pernoctetur, nisi causa hospitii, idque nonnisi apud honestas personas libere et licite possis et valeas, auctoritate praedicta tenore praesentium plenam, liberam et amplam facultatem tribuimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXX. Ianuarii pontificatus nostri anno XIII.

CLIII.

Concedit fratribus recollectis coenobium Lugdunense minorum de observantia. Ex regest. secret. Brev. in mense Augusto pag. 491.

Venerabili fratri Dionysio archiepiscopo, Lugdunen.

Piis catholicorum principum votis, quae ex fervore devotionis prodire et divini cultus augmentum concernere dignoscuntur libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum regis christianissimi, accepimus, quaedam domus regularis s. Mariae Angelorum *parva observantia* vulgo nuncupata, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, prope et extra muros civitatis Lugdunen. reperiatur, et dictus Ludovicus rex pro eo, quem erga fratres reformatos eiusdem ordinis gerit devotionis affectu, illis domum praedictam per nos concedi summopere desideret, nos pio eiusdem Ludovici regis desiderio quantum cum Domino possumus annuere volentes, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut fratres minores s. Francisci de observantia huiusmodi e dicta domo regulari s. Mariae Angelorum educi, illosque ad praedictae civitatis seu aliam vel alias eiusdem ordinis tibi benevisam seu benevisas regulares domos transferri auctoritate nostra cures et facias, ac eandem s. Mariae Angelorum regularem domum cum ecclesia ac iuribus et pertinentiis suis universis fratribus reformatis praedictis, custodiae s. Antonii Delphinatus, ad nostrum et sedis apostolicae beneplacitum eadem auctoritate concedas, et consignes, contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum

tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes illis, alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscuque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVII. Augusti pontificatus nostri anno XIV.

CLIV.

Ut fratres reformati possint aedificare coenobium in Urbe. Ex regest. secret. Brev. in mense Ianuar. pag. 346.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Baptista Dongus, procurator generalis ordinis fratrum minorum s. Francisci reformatorum nuncupatorum, quod numerus fratrum huiusmodi, praesertim in domo s. Francisci Transtyberis de Urbe ordinis praedicti, benedicente Domino ita auctus est, ut eorum domus extraneos ipsius ordinis fratres reformatos ad Urbem pro negotiis pertractandis accedentes commode excipere non possit, quare ut eorumdem fratrum commoditatibus, pacique et quieti opportune provideatur, dictus Ioannes Baptista aliam eiusdem ordinis domum cum ecclesia sub invocatione s. Bernardini in via Longara nuncupata de eadem Urbe ac situ ad id apto et congruo construi facere posse summopere desiderat, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuna ad id licentia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos piis eiusdem Ioannis Baptistae desideriis in praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem Ioanni Baptistae, quod in via praedicta ac loco ad id commodo et decenti unam praedicti ordinis regularem domum cum ecclesia, sacristia, dormitorio hortis, hortalitiis, infirmaria ac universis aliis officinis membrisque necessariis et opportunis pro usu et habitatione, quamdiu tamen dilecto filio nostro Fabritio, tituli s. Augustini presbytero cardinali Verallo nuncupato, moderno et pro tempore existenti dicti ordinis apud nos et sedem apostolicam protectori, ita placuerit et videbitur, et non alias praedicti Ioannis Baptistae ac fratrum reformatorum dicti ordinis extraneorum, non tamen custodiae Romanae, qui ad Urbem pro negotiis pertractandis ut praefertur accesserint, ac alias ad instar aliarum dicti ordinis domorum regularium sine alicuius praeiudicio, et de consensu dilecti filii nostri in dicta Urbe vicarii in spiritualibus generalis construi et fabricari facere libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XIX. Ianuarii pontificatus nostri anno XIII.

CLV.

Antonius de Treio fit episcopus Carthaginensis. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 792.

Romae die IX. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Sanctissimus dominus noster ecclesiae Carthaginen. vacan. per translationem Alphonsi de Marquez ad ecclesiam Segobien..... providit de persona religiosi viri fr. Antonii de Treio ordinis s. Francisci de observantia etc.

CLVI.

Benedictus Bragadinus fit archiepiscopus Corcyrensis. Ex eisdem actibus pag. 814.

Romae die III. Decembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Priulo referente, sanctitas sua metropolitanae ecclesiae Corcyren. vacan. per obitum Vincentii Qnirini providit de persona r. p. fr. Benedicti Bragadeni, ordinis s. Francisci strictioris observantiae eiusdem religionis, a quindecim annis professi etc. cum reservatione 500 ducatorum illarum partium pro persona nominanda etc. salvis antiquis etc.

CLVII.

Aliqua statuit circa eleemosynam locis Terrae Sanctae largitam. Ex regest. secret. Brev. in mense Ianuarii pag. 91.

Ad perpetuam rei memoriam.

Caelestis regis, qui pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter graves officii nostri curas hanc prae ceteris in visceribus gerimus, ut tanti ac tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem sunt, conserventur, et ea qua decet honorificentia recolantur, ac christifidelium eleemosynae in hanc causam pie erogatae in alios usus non distrahantur. Quo circa dilectis filiis generali ac provincialibus ministris, commissariis tam de curia quam aliis quibuscunque, nec non custodibus seu guardianis aliisque officialibus, et praesertim dictae civitatis, nec non fratribus quibuslibet nunc et pro tempore existentibus, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatis, aliisque omnibus et singulis ubique locorum degentibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet

spectabit sub privationis vocis activae ac passivae, nec non officiorum, quae obtinent aut obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum consequenda, poenis ipso facto incurrendis tenore praesentium perpetuo praecipimus et mandamus, ne perpetuis futuris temporibus eleemosynas, seu aliquam earum partem sive in pecunia sive in quibusvis aliis rebus cuiuscunque generis consistant, quae tam pro conservatione, restauratione ac subsidio piorum locorum dictae civitatis divinique cultus in illis augmento, quam etiam pro fratrum dicti ordinis inibi degentium ac peregrinorum in eorumdem domibus hospitantium sustentatione ac necessitatibus, vel alias per quoscunque christifideles erogabuntur, quavis de causa, ratione aut occasione, vel sub quocunque praetextu, quaesito colore vel ingenio in alios usus etiam quantumvis pios et urgentes, ac etiam eiusdem ordinis convertere, vel quibusvis aliis personis cuiuscunque dignitatis, status gradus ordinis, vel conditionis existentibus, etiam per breve temporis spatium commodare, alienare, hypotecare vel alias quomodolibet distrahere audeant quoquomodo vel praesumant, sed eas pro dictis piis locis, et eorumdem ministrorum usu fideliter conservent, et eorumdem locorum agentibus nunc et pro tempore existentibus suis loco et tempore integre consignent et tradant, seu consignari curent et faciant; contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus autem quod praesentium transumptis etc. eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXII. Ianuarii pontificatus nostri anno XIII.

CLVIII.

Ne discalceati fratres molestia afficiantur ab observantibus in regnis Hispaniarum et Indiarum. Ex cod. regest. in mense Aprili pag. 1.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum a felic. rec. Gregorio XIII. praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc nos Deus, licet immeritos, militantis ecclesiae regimini praetulit, ut quid cuiquam conveniat necessariumque sit et opportunum provideamus, et praesertim dilectis filiis professoribus ordinis fratrum minorum discalceatorum nuncupatorum provinciae s. Iosephi in regnis Hispaniarum, quos tantum rerum studio allectos esse intelligimus, ut pro sempiterna earum fruitione quamlibet vitae austeritatem voluntarie libenterque amplectantur, ut ab externis curis et molestiis, quibus ab instituto et praescripto regulae suae distrahi possunt, liberati, illi soluti liberiorem bona caelestia et aeterna contemplandi et consequendi facultatem habeant.

§ 1. Ad aures itaque nostras fratres praedicti discalceati nuncupati nonnullas quaerimonias perduxerunt, quibus se quampluribus molestiis ac perturbationibus a dilectis filiis fratribus s. Francisci de observantia nuncupatis non parum, sub minime iustis praetextibus, vexari conquerebantur, ea propter nos illorum quieti et indemnitati consulere volentes, congregationi venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, super negotiis episcoporum et regularium deputatorum, negotium huiusmodi audiendum et cognoscendum commisimus, coram quibus re diu ac mature discussa, iis denique fratribus discalceatis ex una, et procuratore generali praedictorum fratrum de observantia ex altera, semel et pluries auditis, habita super hoc matura deliberatione, de eorumdem cardinalium consilio congregationem, sive ut vocant, provinciam s. Iosephi praedictam iam pridem in dictis regnis erectam et ordinatam, ac laudabilia instituta eorumdem fratrum discalceatorum cum omnibus et singulis eorum custodiis, domibus seu monasteriis et locis, quae nunc obtinent et in posterum obtinebunt praesentibus et futuris, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

§ 2. Praecipientes in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrio infrascriptorum iudicum infligendis censuris et poenis, generali et aliis ministris, commissariis, provincialibus, definitoribus, vicariis, custodibus et guardianis nunc et pro tempore existentibus, praedicti ordinis fratrum minorum de observantia nuncupatorum, ac illorum generali proximo et aliis in futurum celebrandis capitulis et personis in eo congregandis, nec non omnibus et singulis aliis, quacunque dignitate, auctoritate, et potestate fungentibus, ne provinciam, custodias, monasteria seu domos, aut loca praedicta ullatenus directe vel indirecte, seu quovis quaesito colore vel ingenio dismembrare aut separare, seu dismembrari vel separari, aut alias quomodolibet inquietare vel molestare audeant seu permittant; nec eorumdem fratrum discalceatorum vivendi modum aut rigorem strictae eorum observantiae, habitus vilitatem aut paupertatem contemnere, immutare seu retractare, aut in eis aliquid innovare seu attentare praesumant; quinimo generalis minister, commissarii et alii praedicti fratribus dictae provinciae s. Iosephi ac eorum custodiis, domibus, monasteriis seu locis, quibus poterunt modis, auxilium et favorem praestent.

§ 3. Praeterea nos fratribus dictae provinciae quaecunque loca tum in regnis Hispaniarum quam in omnibus Indiis et alibi existentia, ipsis pro tempore concedenda, interveniente sedis apostolicae auctoritate, seu servata forma concilii Tridentini, nec non fratres praedictos de observantia ad eos transeuntes recipiendi licentiam et facultatem impartimur.

§ 4. Insuper cum dicti fratres discalceati perpetuum aliquod onus missarum per ipsos celebrandarum ex instituto suscipere prohiberentur, ac ex officio et debito charitatis pro suis benefactoribus vivis ac

defunctis sacras missas celebrare et alia divina officia peragere habeant, seu saepius in illis celebrandis et peragendis plurimum occupentur, statuimus, ut nullus superiorum praedicti ordinis fratrum minorum de observantia ipsis fratribus discalceatis aliquod onus missarum perpetuum vel temporale iniungere, seu ad aliquas missas pro aliis particularibus personis, seu animabus aliquorum fidelium defunctorum, etiam si illi sint patroni vel fundatores quorumdam monasteriorum, aut domorum eorumdem fratrum de observantia, seu in quibus memorati fratres de observantia commorantur, celebrandas, vel alias ad satisfaciendum in missis huiusmodi pro eisdem fratribus de observantia cogere seu astringere possit.

§ 5. Praeterea quod nulli commissarii, fratrum de observantia praedictorum, nec ipse generalis minister pro tempore existens, possit aliquos ex dictis fratribus discalceatis de praedicta eorum provincia s. Iosephi seu de eorum domibus, vel locis extrahere vel transferre, aut illos mittere ad quascunque alias partes vel provincias etiam Indiarum et pro custodia s. Gregorii in Indiis Philippinis, et ubi domus seu monasteria huiusmodi ipsorum fratrum discalceatorum in posterum canonice recepta fuerint, nisi eos, qui a patribus in capitulo eiusdem provinciae s. Iosephi specialiter assignati fuerint, vel alias in eodem capitulo fuerit ordinatum; quodque custodia s. Gregorii praedicta eidem provinciae s. Iosephi subiecta et incorporata existat, prout nos illam harum serie subiicimus et incorporamus, donec ea in provinciam iuxta ordinis instituta, fuerit erecta, ac quod provincialis eiusdem provinciae ad custodiam praedictam transmittere ac commissarium ad illam visitandam ibique capitulum habendum iuxta ordinis institutum, ubi et quando opus fuerit et sibi videbitur, destinare.

§ 6. Volentes nihilominus, ut salvis supradictis, in reliquis dicti fratres discalceati subiecti remaneant iurisdictioni, visitationi et correctioni ministri eorumdem fratrum de observantia generalis, adeo, quod ipse minister per seipsum, vel alium, seu alios eiusdem ordinis discalceatorum tantum possit eosdem fratres discalceatos corrigere, visitare, ac in eos iurisdictionem exercere.

§ 7. Decernentes praesentes litteras etc.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus Toletano et Mexicano archiepiscopis, ac episcopo Abulensi etc.

§ 9. Contradictores etc.

§ 10. Non obstantibus etc. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XII. Novembris MDLXXVIII. anno VII.

§ 11. Cum autem firmiora sint ea, quae apostolica auctoritate saepius roborantur, nobis propterea dilectus filius Bernardinus a s. Ioseph, dicti ordinis minorum de observantia professor ac provinciae s. Didaci Mexicanae in Indiis Occidentalibus praedicti ordinis discalceatorum custos, uti procurator ab ipsa provincia ad hoc specialiter deputatus humiliter supplicari fecit, ut pro litterarum praedictarum subsistentia firmiori illas apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

§ 12. Nos igitur dictum Bernardinum ac fratres discalceatos provinciae s. Didaci huiusmodi, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. huiusmodi supplicationibus, litteras Gregorii praedecessoris praedictas cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, et derogationibus apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omniaque et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, ubicunque inviolabiliter observari, ac per archiepiscopos, episcopum, auditorem et decanum praedictos exequi volumus et ordinamus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die IX. Aprilis MDCXVIII. anno XIII.

CLIX.

Confirmat erectionem provinciae s. Didaci discalceatorum, et rata habet privilegia concessa provinciae s. Iosephi. Ex eodem regest. in mense Aprili pag. 30.

Ad futuram rei memoriam.

Alias a fel. rec. Clemente Papa VIII. praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Quae ad religionem etc. *Annal. tom. XXIII. in regest. pontific. num. CXI. pag.*

§ 7. Cum autem firmiora sint ea, quae apostolica auctoritate saepius roborantur, nobis propterea dilectus filius Bernardinus a s. Iosepho, dicti ordinis minorum de observantia professor et dictae provinciae s. Didaci custos, uti procurator ab ipsa provincia ad hoc specialiter deputatus humiliter supplicari fecit, ut pro litterarum praedictarum subsistentia firmiori, illas apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communire de benignitate apostolica dignaremur.

§ 8. Nos igitur dictum Bernardinum ac fratres discalceatos provinciae s. Didaci huiusmodi, specialibus favoribus et gratias prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras Clementis praedecessoris praedictas cum omnibus et singulis et eis contentis clausulis, decretis, et derogationibus apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omniaque et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, ubique inviolabiliter observari etc. per officialem praedictum exequi volumus et ordinamus.

§ 9. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die IX. Aprilis MDCXVIII. anno XIII.

CLX.

Ut in regno Galliae tanquam de praecepto servetur festivus dies s. Ludovici regis Galliarum. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 179.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini nostri Iesu Christi, qui servos et fideles suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito libenter procuramus, ut eorumdem servorum Christi honos et veneratio in terris promoveatur, ideoque fidelium praesertim catholicorum principum votis, quae peculiarem erga illos cultum recipiunt libenter etiam annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici, Francorum regis christianissimi, nobis nuper expositum fuit, quod ipse ex singulari quem erga s. Ludovicum confessorem olim corumdem Francorum regem, cuius de clara stirpe ipse est, gerit devotionis affectu, et alias ad augendam fidelium erga illum devotionem, festum diem eiusdem s. Ludovici tanquam de praecepto in regno Galliae servari, eiusque officium sub ritu duplici celebrari et recitari posse summopere desideret, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut piis eius votis in praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dicti Ludovici regis pium ac laudabile desiderium plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, sacris ritibus praepositorum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in regno Galliae festum s. Ludovici praedictum de praecepto servari, ac in eodem regno officium de eodem s. Ludovico, sub ritu duplici, iuxta rubricas breviarii Romani recitari libere et licite respective possit et debeat apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus, ac licentiam et facultatem perpetuo concedimus et impartimur. Mandantes propterea venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac aliis locorum ordinariis in praedicto regno existentibus, ut praesentes litteras et in eis contenta praedicta in suis dioecesibus et locis sibi subiectis ab omnibus et singulis inviolabiliter observari curent, et faciant; contradictores quoslibet etc. invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die V. Iulii pontificatus nostri anno XIV.

CLXI.

Partitur provincia s. Dionysii recollectorum, et erigitur altera titulo s. Mariae Magdalenae. Ex regest. secret. Brev. in mense Maio pag. 213.

Venerabili fratri archiepiscopo Lugdunen.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres, ordinis minorum s. Francisci de observantia reformati nuncupati provinciae s. Dionysii, quod ob nimiam dictae provinciae amplitudinem illius minister provincialis domos et alia ipsius regularia loca visitare non potest, neque fratres praedicti ad capitulum provinciale absque magnis incommodis, et extremo vitae periculo accedere valent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, si praedicta provincia in duas divideretur, sive ex domibus et locis regularibus ordinis et provinciae huiusmodi alia provincia erigeretur ex hoc felici eorumdem fratrum statui atque saluti consuleretur, dilecti autem filii ministri generalis eiusdem ordinis expressus ad hoc accedat assensus, nobis propterea fratres praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eorumdem fratrum votis quantum cum Domino possumus annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut stantibus praemissis, provinciam s. Dionysii praedictam in duas eiusdem ordinis provincias, quarum quaelibet per unum proprium ministrum provincialem regi et gubernari debeat, dividas, sive ex domibus et locis regularibus eiusdem provinciae s. Dionysii, alteram provinciam s. Mariae Magdalenae nuncupandam cum omnibus et singulis praeeminentiis, indultis et gratiis aliis eiusdem ordinis provinciis a sede apostolica concessis dicta auctoritate erigas, illique ministrum provincialem et alios officiales eligas, aliaque circa id necessaria et opportuna facias et exequaris, super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem dicta auctoritate tenore praesentium concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die X. Maii pontificatus nostri anno XIV.

CLXII.

Eximit fratres capucinos a dependentia ministri generalis conventualium.
Ex eodem regesto in mense Ianuario pag. 320.

Ad futuram rei memoriam.

Alias felicis recordationis Paulus papa III. praedecessor noster supplicationibus dilectorum fratrum ordinis s. Francisci, capucinorum nuncupatorum, sibi humiliter porrectis tunc inclinatus auctoritate apostolica et ex certa scientia sua, per suas sub plumbo expeditas litteras statuit et ordinavit, quod ex tunc deinceps iidem fratres electionem vicarii generalis dicti ordinis, si a maiori eligentium parte celebraretur, quamprimum fieri posset, ministro generali fratrum minorum conventualium nuncupatorum, sicut eatenus servatum fuerat, donec aliud desuper ordinatum a sede apostolica fuisset, praesentarent seu praesentari facerent, ipseque minister generalis intra triduum a praesentatione sibi facta ipsum electum vicarium confirmare teneretur; et triduo elapso, et electo non confirmato, idem electus pro confirmato sedis apostolicae auctoritate haberetur sub certis, modo et forma, tunc expressis, prout in dictis Pauli praedecessoris huiusmodi litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur. Nos ad uberes fructus, quos, sicut accepimus, iidem fratres capucini in agro dominico in dies, benedicente Domino, afferunt, nostrae considerationis dirigentes intuitum, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero futuris perpetuis temporibus fratres capucini praedicti electionem eorum vicarii generalis praedicti ministro generali praesentare et ab illo confirmationem electionis huiusmodi petere minime teneantur, nec ad id a quoquam quavis auctoritate cogi vel compelli possint, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, eosdemque fratres capucinos ab onere praesentandi electionem huiusmodi et illius confirmationem petendi, auctoritate et tenore praedictis omnino absolvimus et totaliter exemptos et liberatos fore et esse, praesentesque litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere, dictisque fratribus capucinis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, nec eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari posse vel debere; sicque et non aliter etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXVIII. Ianuarii MDCXIX. pontificatus nostri anno. XIV.

CLXIII.

Eligit episcopum Syrenensem Gerardum de insula Paros. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 824.

Romae die VII. Ianuarii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium, in quo

Rmo domiuo cardinali Aldobrandino referente, sanctissimus dominus noster ecclesiae Syrensi in mari Aegeo vacanti per obitum fr. Andreae Curzuae providit de persona fr. Gerardi de insula Paros, fratrum minorum de observantia, theologi, cum condonatione iurium.

CLXIV.

Ioannes Pellegrini fit episcopus Scardicensis. Ex eisdem actibus pag. 849.

Romae die XVI. Decembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium, in quo

Rmo domino cardinali Burghesio referente, sanctitas sua ecclesiae Scardicen. in partibus infidelium certo modo vacanti providit de persona r. p. fr. Ioannis Pellegrini, ordinis minorum conventualium s. Francisci, sacrae theologiae doctoris, eumdem suffraganeum constituit ad pontificalia exercenda in ecclesiis Paderbornen. et Heldsimen. [quae] inter se finitimae sunt; ita petente reverendissimo d. Ferdinando, archiepiscopo Colonien. earumdem ecclesiarum administratore, cum assignatione trecentorum ducatorum auri de camera supradictis ecclesiis monetae annuae perpetuae pensionis pro dicto Ioanne.

CLXV.

Ne fratres observantes ambiant dignitates. Ex regest. secret. Brevium in mense Aprili pag. 17.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admonemur pastorali officii nostri debito diligentius prospicere, ne religiosis, qui regularem vitam professi saeculo renunciarunt, ad dignitates et officia [per] emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus. Quocirca motu proprio, et ex certa scientia nostra ac de apostolicae potestatis plenitudine, dilectis filiis ministro generali ac provincialibus et religiosis, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum, praelatis nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda praecipimus et mandamus, ne ad instantiam et re-

quisitionem quarumcunque personarum, tam laicorum quam ecclesiasticorum extra dictum ordinem, etiam cardinalatus honore et quacunque saeculari dignitate et excellentia, etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis praedicti ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere seu gradus, honores, dignitates, officia et administrationes, functiones et praelaturas eiusdem ordinis concedere audeant; quinimo dicti ordinis et religiosos, qui contra decreta hac via et his mediis per conquisitos favores et suffragia aliquid sibi procuraverint ad talia, similia ac etiam maiora in eodem ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus. Insuper dictis religiosis et fratribus eiusdem ordinis quibuscunque sub eisdem poenis praecipimus et expresse interdicimus, ut non solum in praemissis omnibus favores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos aut ab eis minime procuratos recipere, et similiter ac ad hunc effectum munera aliqua praedictis personis exhibere audeant seu praesumant. Non obstantibus...

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub anulo piscatoris die XVIII. Aprilis MDCXIX. pontificatus nostri anno XIV.

CLXVI.

Ne episcopi in Indiis Occiduis praesumant recipere quartam partem funerum defunctorum, qui tumulantur in ecclesiis mendicantium. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 291.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, venerabilis frater archiepiscopus Liman. ac alii locorum ordinarii, in partibus Indiarum Occidentalium constituti, eorum, quae vel a christifidelibus defunctis relicta fuerunt, vel ab ipsorum haeredibus fratribus mendicantibus praestari iubentur, ut pro eorumdem defunctorum animabus missae celebrentur, quartam partem, quam canonicam vocant, ad se pertinere praetendant; nos ad omnem litis materiam submovendam in praemissis opportune providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, archiepiscopo et aliis locorum ordinariis praedictis per praesentes committimus et mandamus, ut a perceptione praedictae quartae canonicae eorum omnium, quae quibuscunque fratribus mendicantibus cum obligatione missas celebrandi vel alia similia suffragia praestandi a christifidelibus persolvuntur, in posterum prorsus abstineant, atque, ut hoc idem a suis suffraganeis fiat, opportune provideant, decernentes irritum et inane quidquid secus super his ab archiepiscopo et aliis locorum ordinariis praedictis ac quibusvis aliis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac

vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XV. Iulii, pontificatus nostri anno XV.

CLXVII.

Iubet ne fratres aliarum provinciarum accedant in provinciam Carthaginensem. Ex eisdem regest. in mense Augusto pag. 32.

Ad futuram rei memoriam.

Ut ea, quae pro religiosorum bono et quiete per ipsorum superiores provide statuta et decreta fuisse dicuntur, firma et illibata persistant, libenter cum a nobis petitur apostolicae confirmationis robore communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Benignus de Genua, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia minister generalis, quod cum in provinciam Carthaginensem eiusdem ordinis fratres aliarum provinciarum dicti ordinis, ut eleemosynas quaererent ingredi ac verbum Dei praedicare, nec non christifidelium confessiones audire animadvertisset contra ipsius ordinis statuta, ac in grave damnum fratrum ordinis et provinciae Carthaginen., ipse Benignus, minister generalis, praemissis pro muneris sui debito obviare cupiens, fratribus vicinarum provinciarum huiusmodi sub certis tunc expressis poenis prohibuit, ne quis eorum in posterum praedictam provinciam Carthaginen. sine illius expressa licentia ingredi auderet, et alias prout in patentibus desuper confectis litteris plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Benignus, minister generalis, plurimum cupiat prohibitionem huiusmodi pro illius firmiori subsistentia et observantia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis praeterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.. Nos igitur dictum Benignum, ministrum generalem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prohibitionem huiusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus et declaramus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVII. Augusti pontificatus nostri anno XV.

CLXVIII.

Erigit provinciam s. Didaci Hispalensis fratrum discalceatorum. Ex eodem regesto in mense Iulio pag. 16.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris illam curam libenter amplectimur, per quam religiosorum omnium ordines, multiplicatis cultoribus, quorum assiduis precibus et fructuosis operibus omnipotens Deus propitiatur, etiam nostris temporibus suscipiant incrementum, et ubique locorum propagentur. Ut vero id optatum consequatur effectum, officii nostri partes pii patris more favorabiliter interponimus, prout fidelium vota atque devotio expostulant, et nos conspicimus in Domino expedire.

§ 1. Sano pro parte dilectorum filiorum ministri generalis ac fratrum minorum s. Francisci de observantia discalceatorum, provinciae s. Gabrielis, nobis nuper expositum fuit, quod ob nimiam dictae provinciae amplitudinem, illius minister provincialis, domus et alia eiusdem provinciae regularia loca in Baetica et Extramadura partibus non sine notabili incommodo visitare potest, ita ut propriae domus et regularia loca praedicta non levia in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur. Quare si dicta provincia in duas divideretur, sive ex domibus et locis regularibus praedictis alia provincia erigeretur, ex hoc felici illorum statui atque saluti consuleretur. Nobis propterea minister generalis et fratres praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur ministri et fratrum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, s. Didaci Hispalensis ac quascumque alias in [partibus dictae provinciae Baeticae tam erectas [et] institutas, quam de cetero erigendas et instituendas domus et alia loca regularia ordinis huiusmodi ab ipsa s. Gabrielis et quacumque alia provincia illiusque ministri provincialis iurisdictione et superioritate, ita quod illi amplius minime subsit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, omnino perpetuo dividimus et separamus, ipsamque s. Didaci ac alias quascumque dicti ordinis in eadem provincia Baetica hactenus erectas et pro tempore erigendas, ut praefertur, domos, ex nunc prout ex tunc, postquam erectae et institutae fuerint, in provinciam s. Didaci nuncupatam dicti ordinis, ab ipsa provincia s. Gabrielis et alia quacumque separatam, cuiusque caput sit domus s. Didaci, ac novae huiusmodi provinciae minister provincialis et alii provinciales iuxta ipsius ordinis regularia instituta eligi debeant, eisdem auctoritate et tenore [praesentium] perpetuo erigimus et instituimus.

§ 3. Ac sic noviter erectae provinciae illiusque domibus et locis regularibus, ministro provinciali, guardianis, superioribus, fratribus et singulis illorum personis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis et exceptionibus, facultatibus, libertatibus praerogativis, praeeminentiis, gratiis, concessionibus, quibus dicta provincia s. Gabrielis illiusque minister provincialis ac singulae domus, nec non fratres et personae quaecunque utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum similiter ad eorum instar et aeque principaliter, ac si provinciae per praesentes erectae eiusque ministro provinciali, domibus, eorumque guardianis, fratribus et personis quibuscunque concessa fuissent, uti, potiri et gaudere libere et secure possint.

§ 4. Decernentes litteras semper validas et efficaces etc.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri... aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac provinciae s. Gabrielis et ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis provinciali s. Gabrielis et aliis quibusvis personis, sub quibuscunque tenoribus et formis etiam motu proprio ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

§ 6. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XVI. Iulii MDCXIX. [pontificatus nostri] anno XV.

CLXIX.

Pro celebratione officii et missae de Corona Domini. Ex reget. secret. Brev. in mense Septemb. pag. 523.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXPONI nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus Coronae Domini Valentin. ordinis fratrum minorum s. Francisci discalceatorum nuncupatorum, quod ipsi pio devotionis desiderio ducti officium et missam de Corona Domini alias a venerabilibus fratribus nostris s. r. e. cardinalibus sacris ritibus praepositis sub die VIII. Ianuarii MDCVIII. pro ecclesia Montisregalis regni Siciliae approbatum, ut infra, recitare et celebrare posse summopere desiderant, tenoris videlicet subsequentis

IN FESTO CORONAE DOMINI.

Ad vesperas, antiphona.

Milites praesidis. *cum reliquis de laudibus, ut infra.*

Psalm. Dixit. *cum reliquis de dom. et loco ultimi psal.* Laudate Dominum omnes gentes.

Cap. Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius.

Hymnus. Vexilla regis prodeunt.

℣. Tuam coronam adoramus Domine, alleluia.

℟. Tuum gloriosum recolimus triumphum, alleluia.

Ad Magnificat, antiph. Apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit, et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum, alleluia, alleluia.

Oratio. Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi Coronam eius spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in caelis. Qui tecum vivit etc.

Ad matutinum, invitatorium.

Christum regem pro nobis spinis coronatum: venite adoremus, alleluia.

Psalm. Venite exultemus. *Hymnus.* Pange lingua gloriosi.

In 1. noct. antiph. Maledicta terra in opere tuo; spinas et tribulos germinabit tibi, alleluia.

Psalmi ut in festo Inventionis s. Crucis.

℣. Tuam coronam adoramus Domine, alleluia.

℟. Tuum gloriosum recolimus triumphum, alleluia.

De Isaia propheta (cap. 53).

I. Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est, et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti; non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, aspectus eius in eo non est; hic peccata nostra portavit et pro nobis dolet, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: cuius livore sanati sumus, alleluia. ℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cuius.

II. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, et nos reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me, alleluia. ℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi. Et dicet.

De Zacharia propheta (cap. 12).

III. Et erit in die illa, quaeram conterere omnes gentes, quae veniunt contra Hierusalem. Et effundam super domum David et super habitatores Hierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, et dicetur ei, quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum, percute pastorem et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos.

℞. Tuam coronam spineam veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: miserere nobis, qui passus es pro nobis, alleluia. ℣. Salva praesentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere. Gloria Patri. Miserere.

In II. noct. antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus, et pro hordeo spina, alleluia.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine, alleluia.

℞. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, alleluia.

Ex tractatu s. Athanasii in passionem Domini.

IV. Cum exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de diabolo trophaeum; et quo illud manifestum fieret, narratur a Ioanne indutus fuisse purpura, a Matthaeo vero et Marco chlamyde coccinea, coronamque illi ex spinis super caput esse positam, et calamum in manus datum, et ita eum cum produxissent genibus flexis adorasse. Miraculum novum et incredibile, et magnae sine dubio victoriae insigne, quem enim ut hominem condemnaverant, eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt, et quem aspernabantur ut vilem et contemptibilem, eum confitebantur regem, cui tunicam et vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt; et quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum prophetam etiam nolentes appellaverunt, et quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem et coronam spineam et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur.

℞. Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis et gloria honoris et opus fortitudinis, alleluia. ℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Expressa.

Sermo s. Ambrosii episcopi (LXXII. qui est II. de s. Cypriano).

V. Videamus diligenter, ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva sed fellis, ne dicatur nobis, quod Iudaeis dictum est

per prophetam, sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas et non institiam sed clamorem. Quam dura conditio, ut possessio, quae domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit, hoc est cum Iudaei Salvatorem debuerint tota fidei devotione suscipere, spinarum eum coronaverunt passione. Quae corona quidem, quantum in Iudaeis est, erat iniuriarum contumelia, quantum in Domino erat, corona virtutum. Compungunt ergo Iudaei Dominum, dum coronant, compungunt, dum crucifigunt, unde ait Scriptura sancta: videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me et prevaluerunt insidiantes mihi, tradidit me, quem diligebam: Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes subsannabant mihi, alleluia. ℣. Inter iniquos proiecerunt me, et non pepercerunt animae meae. Et terribilibus.

VI. Igitur, fratres, videte, ne et nobis dicatur, sustinui ut faceret uvam fecit autem spinas, hoc est, ne spinas, quas Domino Iudaei cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sentium sed operum pravitate. Sunt enim spinae cordis, quae verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in evangelio Salvator dicens, seminantis semen cecidisse inter spinas, et crevisse [inter] eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo fratres, videte ne vinea vestra non uvas sed spinas faciat, ne vindemia vestra non vinum afferat sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit et pauperibus non largitur, ille acetum colligit non vinum. Quisquis messes recondit et indigentibus non ministrat, iste non alimoniae fructus reposuit, sed tribulos avaritiae congregavit. Nam propterea ait scriptura de terra nostra, spinas et tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa ego te plantavi: quomodo conversa es in amaritudinem, ut me spinis coronares, alleluia. ℣. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim. Quomodo. Gloria Patri. Quomodo.

In III. noct. antiph. Gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina, alleluia.

℣. Eris corona gloriae in manu Domini, alleluia.

℟. Et diadema regni in manu Dei tui, alleluia.

Lectio s. Evangelii secundum Ioannem (cap. 19).

VII. In illo tempore apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit, et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius. Et reliqua.

Homilia s. Augustini episcopi. (Tract. 116. in Ioannem.).

Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut eius iniuriis Iudaei satiati sufficere sibi existimarent, et usque ad eius mortem saevire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem praeses cohortem suam etiam permisit facere, quae sequuntur, aut fortassis et iussit,

quamvis hoc evangelista tacuerit, dixit enim, quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id iussisse non dixit.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius, alleluia. v. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. Qui peccatum.

VIII. Et milites, inquit, plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum, et veniebant ad eum et dicebant: ave rex Iudaeorum, et dabant ei alapas; sic implebantur, quae de se praedixerat Christus, sic martyres informabantur ad omnia, quae persecutori libuisset facere perferenda; sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia, sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

℟. Milites praesidis suscipientes Iesum in praetorium congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum coccineam chlamydem circumdederunt ei: et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, alleluia, alleluia. ℣. Genuflexo ante eum illudebant ei dicentes, ave rex Iudaeorum. Et plectentes. Gloria Patri. Et plectentes.

IX. *Lectio dicitur de homilia dominicae infra octavam ascensionis. Ad laudes, et per horas, antiphonae.*

Milites praesidis suscipientes Iesum in praetorium congregaverunt ad eum universam cohortem, alleluia.

Et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, alleluia.

Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, et arundinem in dextra eius, alleluia.

Et genuflexo ante eum illudebant ei dicentes ave rex Iudaeorum, alleluia.

Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius, alleluia.

Cap. Egredimini *ut supra. Hymnus.* Lustris sex qui iam peractis.

℣. Dominus regnavit decorem induit, alleluia.

℟. Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute, alleluia.

Ad Benedictus, antiph. Milites induunt Iesum purpura et imponunt ei plectentes spineam coronam, et coeperunt salutare eum, ave rex Iudaeorum, alleluia.

Oratio ut supra et comm. dominicae.

Ad tertiam, antiph. Et exuentes eum.

Cap. Egredimini *ut supra.*

℟. b. Tuam coronam adoramus Domine: alleluia, alleluia. Tuam coronam. ℣. Tuum gloriosum recolimus triumphum, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Tuam coronam.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine, alleluia.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, alleluia.

Ad sextam, antiph. Et plectentes coronam.

Cap. Apoc. 6. 2. Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona et exivit vincens, ut vinceret.

℟. B. Gloria et honore coronasti eum Domine: alleluia alleluia. Gloria et honore. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum alleluia, alleluia. Gloria Patri. Gloria et honore.

℣. Eris corona gloriae in manu Domini, alleluia.

℟. Et diadema regni in manu Doi tui, alleluia.

Ad nonam, antiph. Et exspuentes in eum.

Cap. Is. 28. 5. In illa die erit Dominus exercituum corona gloriae et sertum exultationis residuo populi sui.

℟. B. Eris corona gloriae in manu Domini, alleluia, alleluia. Eris corona. ℣. Et diadema regni in manu Dei tui, alleluia, alleluia. Gloria Patri. Eris corona.

℣. Dominus regnavit decorem induit, alleluia.

℟. Induit Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute, alleluia.

In secundis vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat, antiph. O coronae miranda dignitas, mortis poenas debitas repellis. Tu spes lapsis, firmitas infirmis, tu restauras coronas perditas, alleluia, alleluia, alleluia.

Missa in festo coronae domini.

Introitus. Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore coronae Domini, de cuius solemnitate gaudent angeli et collaudant Filium Dei, alleluia, alleluia. *Psalm. 46.* Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Gloria Patri. Gaudeamus.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi coronam eius spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in caelis. Qui tecum vivit etc.

Oratio dominicae infra octavam ascensionis Domini.

Lectio libri Sapientiae. (Cant. 3. 7.).

Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit propter

filias Hierusalem. Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius.

Alleluia, alleluia. ℣. Corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis, gloria honoris et opus fortitudinis, alleluia.

℣. Tibi gloria hosanna, tibi triumphus et victoria, tibi summae laudis et honoris corona, alleluia.

Sequentia sancti Evangelii secundum Ioannem.

In illo tempore, apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum et dicebant ave rex Iudaeorum, et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras et dixit eis: ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Iesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum. *Credo.*

Offertorium. Lauda Ierusalem Dominum, quia dabit tibi coronam pro cinere, et eris corona gloriae in manu Dei tui, alleluia.

Secreta. Tuorum militum, rex omnipotens, virtutem corrobora, ut quos in huius mortalitatis stadio unigeniti Filii tui corona laetificat, consummato cursu certaminis, immortalitatis per haec, quae offerimus, bravium apprehendat. Per eumdem Dominum etc.

Praefatio. Qui salutem humani generis.

Communio. Laetare mater nostra, quia dabit Dominus capitl tuo augmenta gratiarum, et corona inclita proteget te, alleluia.

Postcom. Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut haec sacramenta, quae sumpsimus, per sacrosanctam Filii tui coronam, cuius solemnia recensemus, ad virtutem nobis proficiant et salutem. Per eumdem Dominum etc.

Finita missa et finitis vesperis cum spina super altari.

Processio solemnis in paramentis rubeis cum sacra spina.

Hymni Vexilla — Pange — Lustris.

Psalm. 21. Deus Deus meus.

Antiphona. Egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis eius, alleluia.

℣. Tuam coronam adoramus Domine, alleluia.

℟. Tuum gloriosum recolimus triumphum, alleluia.

Oratio. Praesta quaesumus. *ut supra.*

Nobis propterea guardianus et fratres praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut officium et missa huiusmodi a guardiano et fratribus praedictis in

eorum ecclesia ipsa die illius dedicationis, quae celebratur dominica infra octavam ascensionis Domini, libere et licite recitari et celebrari valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XIII. Septembris, pontificatus nostri anno XV.

I. A. Card. S. Susannae.

CLXX.

Confirmat capitulum provinciale fratrum discalceatorum, et alia statuit pro felici illius provinciae regimine. Ex regest. secret. Brev. in mense Februario pag. 83.

Ad futurum rei memoriam.

Romanus Pontifex etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Alphonsus de Iesu domus regularis, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, oppidi de Talavera Toletan. dioecesis, provinciae s. Iosephi eiusdem ordinis, guardianus et prior, nec non Alphonsus de s. Bernardino et Martinus de Arteaga, dicti ordinis professores, uti procuratores aliquorum eiusdem provinciae fratrum, qui se in capitulo provinciali, ordinis et provinciae huiusmodi, in oppido de Paracuellos Toletanae dioecesis, die XXIII. Aprilis MDCXVII. celebrato, certis de causis gravatos existimant, quod mota per eosdem fratres super nullitate eiusdem capituli lite et causa, illaque indecisa pendente, uterque Alphonsus et Martinus praedicti ad obviandum litibus huiusmodi, ac alias pro bono pacis et quiete totius provinciae illiusque fratrum huiusmodi ad infrascriptam devenerunt concordiam tenoris subsequentis videlicet:

Romae in hoc Aracaelitano conventu die XXX. Ianuarii MDCXX. ante a. r. p. fr. Iosephum Vasquez lect. iub. provinciae s. Iacobi patrem et in hac alma urbe curiae commissarium generalem repraesentarunt p. fr. Alphonsus de Iesu, praedicator apostolicus et generalis, guardianus conventus de Talavera provinciae s. Iosephi eiusque procurator ex una, et p. fr. Alphonsus de s. Bernardino praedicator, et p. fr. Martinus de Arteaga confessarius eiusdem provinciae ex alia, prout procuratores aliquorum eiusdem provinciae patrum, qui se in capitulo provinciali in oppido de Paracuellos, Toletanae dioecesis, die XXIII. Aprilis MDCXVII. celebrato, propter aliqua in eodem acta gravatos existimant, qui quidem procuratores nomine suarum partium respective ad hanc romanam curiam in gradu appellationis a quodam actu interlocutorio, quem illmus dominus Franciscus Ceninus, patriarcha Hierosolymitanus et in Hispaniarum regnis nuntius apostolicus, in lite inter eos in eius tribunali agitata pronunciavit, per-

venerant, et mature considerantes incommoda, quae a tempore dictae celebrationis capituli sequuta sunt, immo et ex persecutione praedictae litis subsequutura praevidentur, nec non paci et quieti ac fraternali charitati eiusdem provinciae attendentes, in capitulis sequentibus concordarunt, et quod ss. d. n. proponantur, et pro illorum confirmatione humiliter supplicetur consenserunt.

In primis quod ad tollenda aliquorum dubia seu scrupula supplicetur a ss. d. n. quod pro sua benignitate et elementia praedictum capitulum et omnia in eodem acta, auctoritate apostolica confirmare dignetur, supplendo omnes et singulos defectus etiam substantiales (si qui forte in eius celebratione interfuerunt) et circa controversias erga dictum capitulum ortas perpetuum silentium imponatur, sicque ad celebrationem futuri capituli tempore convenienti procedatur.

2.° Quod pro bono pacis et concordiae in electionibus ministri provincialis et definitorum in sequenti capitulo, ut praefertur, eligendorum talis modus pro hac vice dumtaxat omnino observetur, videlicet, quod rr. patres fr. Ioannes de s. Maria et fr. Didacus del Escurial praedicatores et patres antiquiores et benemeriti eiusdem provinciae insimul convenientes, per se solos, si voluerint, vel si eis placuerit, cum toto definitorio nominent quatuor religiosos ex tota provincia benemeritos, bonae famae, et quales secundum Deum viderint expedire, quos toti capitulo praesentent, ut ex eis unus in provincialem ministrum eligatur. Quod si dicti duo patres per se solos, vel totum definitorium inter se in nominatione quatuor praedictorum non consenserint (quod non creditur), tunc unusquisque eorum per seipsum, vel cum sua parte definitorii respective, duos nominet, ut ex nominatis ab una et alia parte nominentur omnino quatuor, ex quibus unus, ut dictum est, in ministrum provincialem eligatur.

3.° Item quoad electionem definitorum provinciae, totum definitorium pro hac vice dumtaxat ex patribus vocalibus, qui sunt capaces secundum constitutiones provinciae, eligat octo, quos capitulo etiam proponat, ut ex eis quatuor in definitores ab eodem capitulo eligantur, ita tamen, quod duo definitores ex nominatis ab una parte definitorii, et alii duo ex nominatis ab alia, omnino eligi debeant.

4.° Demum pro pace totius provinciae deinceps servanda, supplicetur a ss. d. n. quod nec in hoc capitulo, nec in aliquo alio in futurum, ullus fratrum dictae provinciae, qui non sit vel vocalis vel officialis capituli, in eo intervenire possit, exceptis fratribus, qui sunt de familia conventus, ubi capitulum celebratur. In quorum fidem propriis nominibus subscripserunt die ut supra.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, uterque Alphonsus et Martinus praedicti plurimum cupiant conventiones, nec non capitulum provinciale celebratum huiusmodi, et in eo acta quaecunque apostolicae confirmationis robore communiri, ac alias ut infra opportune provideri. Nos illorum votis quantum cum Domino possumus annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi

supplicationibus inclinati, capitulum provinciale celebratum huiusmodi, ac omnia in eodem acta licita tamen et honesta, nec non concordiam desuper initam scripturasque desuper confectas, cum omnibus et singulis in eis contentis apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, eamque et eas quaslibet de et super nullitate eiusdem capituli provincialis celebrati motas, institutas et pendentes ad nos harum serie avocantes, illas penitus et omnino exstinguimus, ac omnibus et singulis eiusdem provinciae fratribus perpetuum desuper silentium imponimus. Quocirca in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis dictae provinciae fratribus per praesentes committimus et mandamus, ut praemissa omnia et singula firmiter observent, et ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari curent et faciant, decernentes nihilominus irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus etc. Quibus omnibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die VIII. Februarii, pontificatus nostri anno XV.

CLXXI.

Erigitur provincia s. Francisci fratrum recollectorum. Ex regesto secret. Brevium in mense Februario pag. 58.

Ad perpetuam rei memoriam.

1 Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Daniel d'Ancy le Franc, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum, regni Franciae, professor suo et superiorum ac fratrum eiusdem ordinis, custodiae s. Antonii in provincia Delphinatus, nominibus, quod dilectus etiam filius Benignus a Genua, eiusdem ordinis minister generalis, in vim facultatis illi per nos desuper concessae, custodiam praedictam in provinciam eiusdem ordinis erexit, prout plenius dicitur contineri in patentibus litteris, desuper confectis, tenoris subsequentis, videlicet:

Fr. Benignus a Genua etc. vid. pag. 393.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Daniel plurimum cupiat erectionem provinciae huiusmodi apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Danielem ac superiores et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem dictae custodiae in provinciam, ut praefertur, factam, litterasque patentes desuper confe-

ctas, ac omnia et singula in eis contenta apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecunque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XX. Februarii, pontificatus nostri anno XV.

S. Card. S. Susannae.

CLXXII.

Quaedam statuit pro fratribus capucinis et fratribus de tertio ordine congregationis Gallicanae. Ex regest. secret. Brev. in mense Aprili pag. 89.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis etc. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres, ordinis minorum s. Francisci capucinorum nuncupatorum, ac fratres [tertiarii] ordinis eiusdem s. Francisci de poenitentia similiter nuncupatorum strictioris observantiae congregationis regni Franciae, quod introducta alias in congregatione venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum causa inter capucinos ex una, et tertiarios fratres praedictos ex altera partibus, de et super delatione habitus ad effectum, ut iidem fratres capucini a fratribus tertiariis huiusmodi dignoscantur, praedictae congregationis cardinales fratres tertiarios huiusmodi non sandalia sive calopodia ad eorum arbitrium, prout alias eis concessum fuerat, sed calopodia dumtaxat portare, corda autem crinea tamen, non autem canabea, in futurum cingi, habitu vero, capucio, mantello et reliquo vestitu ex panno, qui ex quatuor lanae naturaliter et absque tinctura, nigrae et ex una partibus lanae etiam naturaliter albae, et alias iuxta eorum constitutiones, in civitate Lugdunensi de anno MDCXIV. impressas, confecta sint, uti debere censuerunt, prout in decreto desuper sub die XXVIII. Decembris MDCXIX. confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capucini et tertiarii fratres praedicti plurimum cupiant decretum huiusmodi pro maiori illius validitate et subsistentia apostolicae confirmationis robore communiri, ac alias eorum quieti et paci per nos ut infra opportune provideri. Nos piis et laudabilibus illorum

desideriis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus capucinorum et tertiariorum fratrum eorumdem nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum et in eo contenta huiusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Insuper causam praedictam inter capucinos et tertiarios fratres praedictos super praemissis tam in dicta congregatione quam forsan coram aliis iudicibus instructos et pendentes, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, a congregatione et iudicibus huiusmodi ad nos harum serie avocamus, illamque cassamus et extinguimus, nec non capucinis et tertiariis fratribus praedictis perpetuum super praemissis silentium imponimus. Decernentes praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque per quoscunque iudices etc. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in dicto regno Franciae existentibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi etc. solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, non permittentes etc. contradictores quoslibet etc. Non obstantibus etc.

Volumus autem quod praesentium transumptis etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XIV. Aprilis, pontificatus nostri anno XV.

CLXXIII.

Instituit collegium fratrum minorum conventualium in insula Milevitana.

Ex eodem regest. in mense Iulio pag. 109.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti apostolicae sedis specula, meritis licet imparibus disponente Domino, et intra mentis nostrae arcana revolventes quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur ac iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur libenter intendimus, et in his sollicitudinibus nostrae partes propensius impartimur, prout, locorum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Cum itaque sicut dilectus filius minister generalis, ordinis fratrum minorum s. Francisci conventualium nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, in domo regulari eiusdem ordinis, in insula Milevitana, quamplures dictae domus fratres uberes in [vinea] Domini

fructus producere noscantur, ac in eadem domo, cum ob insulae huiusmodi celebritatem mansionemque satis perspicuam, tum propter Turcarum et infidelium vicinitatem, unius collegii studii pro eiusdem ordinis in praedicta domo professoribus, qui litteris et praesertim sacrae theologiae operam navent, erectio et institutio perutilis futura sit, [nobisque] propterea tam minister praedictus, quam dilectus filius Alphonsus de Uiquacourt, hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani magnus magister, humiliter supplicari fecerunt, quatenus collegium huiusmodi cum facultate aliquot professores eiusdem ordinis idoneos gradu magisterii in sacra theologia decorandos et alios, ut infra, erigere et instituere, ac desuper opportune providere de apostolica benignitate dignaremur.

§ 2. Nos piis et laudabilibus ministri et Alphonsi, magni magistri praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium propositorum consilio, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, nec non militantis ecclesiae exaltationem, divinique cultus et orthodoxae fidei augmentum ac religiosorum praedictorum commoditatem et profectum, in praedicta domo unum collegium sub invocatione s. Antonii de Padua, eiusdem ordinis minorum conventualium, ad Instar collegii s. Bonaventurae de Urbe per felicis recordationis Sixtum papam V., praedecessorem nostrum, in domo regulari sanctorum XII. apostolorum de Urbe, sub datum Romae anno incarnationis dominicae MDLXXXVII. calendis Ianuarii, pontificatus sui anno III. erecti et instituti, ita tamen, ut sex dumtaxat primo dictae domus religiosi a praedicto ministro eligendi ad magisterii huiusmodi gradum, nisi postquam per debitum tempus philosophiae et sacrae theológiae collegio, per praesentes erecto, operam dederint et praevio rigoroso examine ad id idonei reperti fuerint, ac aliquo disputationum publicarum solemni actu, reliquisque muniis solitis et ex instituto dicti ordinis adimpletis, servatis [que] aliis [servandis] et non alias, ad magisterii in eadem sacra theologia gradum promoveri valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas etc.

§ 4. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die X. Iulii, pontificatus nostri anno XVI.

CLXXIV.

Carolus Weinberger fit episcopus Nazianzenus. Ex actis consistorialibus huius anni pag. 860.

Romae die XXVII. Ianuarii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Aldobrandino referente, sanctissimus dominus noster ecclesiae Nazianzensi, in partibus infidelium vacanti, providit

de persona r. p. fr. Caroli Suniberger (sic) ordinis reformatae observantiae s. Francisci, a multis annis sacerdotis et verbi Dei concionatoris, eumdemque suffraganeum deputavit ad pontificalia exercenda in ecclesia et dioecesi Vratislavien. tamen cum assignatione eidem r. p. Carolo annuae perpetuae pensionis duorum millium tallerorum, summam mille ducatorum de camera et ultra constituentium super fructibus mensae episcopalis dictae ecclesiae Vratislaviensis.

CLXXV.

Ludovicus Hieronymus de Ore fit episcopus civitatis imperialis in regione Chiliensi. Ex eisdem actibus p. 875.

Romae die XVII. Augusti in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali de Aquino pro rmo d. cardinali Borgia referente, sanctissimus dominus noster ecclesiae de la Imperial in Indiis Occidentalibus vacanti per obitum Reginaldi de Liseraza, ad praesentationem maiestatis catholicae providit de persona p. fr. Ludovici Hieronymi de Ore, ordinis s. Francisci de observantia, a pluribus annis sacerdotis et theologi.

CLXXVI.

Gregorius Petrocho fit episcopus Aquensis. Ex eisdem actibus pag. 883.

Romae die XV. Novembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Varallo referente sanctitas sua ecclesiae Aquen. vacanti per obitum r. d. Camilli Decii providit de persona r. p. fr. Gregorii Petrocha, fratrum minorum de observantia professi, a multis annis sacerdotis, in sacra theologia versati.

CLXXVII.

Ferdinandus de Campo fit episcopus Ussellensis. Ex eisdem actibus pag. 987.

Romae die XIV. Decembris in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. cardinali Madrutio referente, sanctitas sua ecclesiae Ussellen. in partibus infidelium certo modo vacanti, providit de persona r. p. fr. Ferdinandi de Campo, ordinis s. Francisci de observantia, eumdemque coadiutorem cum futura successione dedit r. d. Ananio

Calderon, moderno episcopo de la Baranca in Indiis Occidentalibus del Peru cum assignatione ducatorum mille auri de camera pro congrua sustentatione eiusdem fr. Ferdinandi ex fructibus dictae ecclesiae de la Baranca, cum decreto, quod dictus coadiutor pontificalia exercere non possit, nisi in civitate et dioecesi de la Barauca.

CLXXVIII.

Iubet superioribus regularium dioecesis s. Fidei, ne mittant suos subditos, ex defectu scientiae reprobatos, ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis. Ex regest. secret. Brev. in mense Iulio pag. 402.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut venerabilis frater archiepiscopus Sanctae Fidei in partibus Indiarum Occidentalium nobis nuper exponi fecit, superiores ordinum regularium in civitate et dioecesi Sanctae Fidei frequenter suos subditos ab eodem archiepiscopo ex defectu sufficientiae reprobatos, ad alios ordinarios, per quos ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveantur, mittant, non sine magno ecclesiasticae disciplinae detrimento et notorio dicti archiepiscopi eiusque dioecesis praeiudicio; nos praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, supplicationibus dicti archiepiscopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium concilii Tridentini interpretum consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus regulares a dicto archiepiscopo, ut praefertur, reprobatos mitti non possint a suis superioribus regularibus ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, quin immo episcopum sic eos ordinantem a collatione ordinum per annum, et ordinatos a susceptorum ordinum executione, quamdiu eidem archiepiscopo videbitur, esse suspensos; ceterum non hinc censeri sublatam regularibus facultatem appellandi a reprobatione archiepiscopi secundum iuris dispositionem, praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecunque ab omnibus et singulis, quos illae concernunt et concernent, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari apostolica auctoritate tenore praesentium decernimus et declaramus. Non obstantibus etc. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XVII. Iulii, pontificatus nostri anno XVI.

CLXXIX.

Instituit confraternitatem immaculatae conceptionis b. v. Mariae in conventu Waterfordiensi, in Hibernia, ordinis fr. minorum. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 225.

Ad perpetuam rei memoriam. Ex supernae dispositionis arbitrio gregi Dominico praesidentes inter curas multiplices, quae ex pastoralis officii ministerio nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam omnium Christi fidelium, praesertim inter haereticos et sedis apostolicae inimicos degentium, animarum salus cum divini cultus incremento proveniat, ipsosque Christi fideles, ut eorum vota ad id facilius concurrant spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus invitamus et confovemus...... prout ad eorumdem Christi fidelium spiritualem devotionem conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum conventus et fratrum et domus s. Francisci de observantia nuncupatorum Waterfordiensis in Hibernia nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi pio devotionis zelo ducti, et ad proemium caelestis vitae piis operibus feliciter intendentes, et ut Christi fidelium devotio, quae in illis partibus ob hereticorum multitudinem satis minuta est, magis augeatur, et in dies suscipiat incrementum assidue studentes, in ecclesia domus praedictae unam...... confraternitatem, ut infra, per nos erigi et institui et sibi concedi et indulgeri summopere desiderent; ideo nobis humiliter supplicari fecerunt conventus et fratres praedicti, quatenus eorum votis in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur dictae ecclesiae venustati divinique cultus incremento, ac pro conventus et fratrum desiderio huiusmodi in premissis attendentes, ipsosque fratres ac singulares personas dicti conventus, a quibusvis excommunicationis etc... censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, conventui et fratribus praelatis in praedicta ecclesia unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem sub invocatione seu denominatione *conceptionis beatae Mariae virginis*, cuius confratres pro tempore existentes processionaliter incedere, et vestes seu saccos coloris sibi benevisi, ab ordinario tamen approbandi, ad instar aliorum confratrum similium confraternitatum gestare et deferre, divinaque officia in dicta ecclesia more confratrum decantare, ac sese pro quibuscunque piis operibus exercendis negotiisque et rebus ipsius confraternitatis tractandis congregare, ceteraque omnia et singula, quae per confratres aliarum similium confraternitatum legitime fieri solent et possunt, similiter facere libere et licite valeant apostolica auctoritate perpetuo sine alicuius praeiudicio erigimus et instituimus, illique sic erectae et institutae pro eius dote omnia et singula ei per quoscunque christifideles danda, leganda et relinquenda, ac forsan eidem ecclesiae ad hunc effectum data, legata et relicta bona, proprietates et iura quaecunque in quibusvis rebus consistentia, ac cuiusvis qualitatis, quantitatis et speciei existentia etiam perpetuo

applicamus et appropriamus. Praeterea confratribus dictae confraternitatis pro tempore existentibus et ecclesiae dictae confraternitatis per quemcunque presbyterum alias idoneum, et a loci ordinario approbandum in divinis deserviri facere, et pro felici regimine et administratione confraternitatis huiusmodi quaecunque statuta, ordinationes et capitula, licita tamen honesta ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis, constitutionibus [que] apostolicis minime contraria, et per ordinarium loci examinanda et approbanda, facere ac edere, illaque pro rerum [et] temporum qualitate, praeviis tamen illorum examine et approbatione ab eodem ordinario faciendis, cassare, mutare, innovare, reformare ac illorum loco alia de novo edere et facere libere et licite valeant, licentiam et facultatem tribuimus et impartimur; et insuper ut dictae confraternitatis confratres pro tempore existentes ad pia opera huiusmodi exercenda eo magis invitentur, et dicta confraternitas maiori in dies confratrum numero decoretur, ac illius altare et ecclesia praedicta in debita veneratione habeatur, ipsique christifideles ad ecclesiam huiusmodi eo libentius devotionis causa confluant, quo ex hoc dono caelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam confraternitatem de cetero ingredientur die prima illorum ingressus huiusmodi si sacratissimae eucharistiae sacramentum sumpserint eisdemque etiam vere poenitentibus et confessis ac sacra communione, si id commode fieri poterit, refectis, in eorum mortis articulo nomen Iesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, nec non ipsis confratribus similiter vere poenitentibus ac dicta sacra communione, si id commode fieri poterit, refectis, qui ecclesiam huiusmodi in festivitate conceptionis eiusdem b. Mariae virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei festivitatis huiusmodi annis singulis devote visitaverint, et inibi pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione, et inter principes christianos conservanda pace pias preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem dicta auctoritate concedimus et elargimur. Deinde ipsis confratribus, qui vere poenitentes et confessi ac dicta sacra communione refecti dictam ecclesiam in nativitatis et purificationis eiusdem beatae Mariae virginis ac s. Iosephi, nec non sanctae Catharinae festivitatibus, etiam devote visitaverint et, ut praedicit, oraverint, quo die festivitatum huiusmodi id fecerint, septem annos et totidem quadragenas; ulterius ipsis confratribus, quoties divinis officiis in ecclesia huiusmodi more confratrum celebrandis, aut congregationibus publicis vel secretis pro quocunque pio opere exercendo interfuerint aut ipsum ss. sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint, vel qui hoc facere impediti, campanae ad id signo dato, genibus flexis semel orationem dominicam et salutationem angelicam pro eodem infirmo recitaverint, aut processionibus ordinariis et extraordinariis tam dictae confraternitatis, quam aliis quibuscunque de licentia eiusdem

ordinarii celebrandis, et sepeliendis mortuis officiose interfuerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel quinquies orationem et toties salutationem praedictas pro animabus confratrum dictae confraternitatis in Christi caritate defunctorum recitaverint, et ignorantes Dei praecepta, et quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis, charitatis et misericordiae opus exercuerint, toties pro quolibet praemissorum piorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus; postremo eisdem confratribus, ut ex nunc, postquam tamen dicta confraternitas rite et canonice instituta fuerit, interim more confratrum in dicta ecclesia seu aliquo alio decenti loco, per eos ad id eligendo, quamprimum sese in simul congregare et convenire, ibique eleemosynas a praefatis et quibusvis aliis christifidelibus, illas sponte erogantibus et erogari volentibus, per ad id ab eis specialiter deputandos de licentia tamen ipsius ordinarii, et si ita ei videbitur, et non alias, colligere, exigere, levare, ac in necessaria fabricae ecclesiae huiusmodi reparationem et alios pios usus convertere et erogare libere et licite possint et valeant, concedimus et indulgemus, eisque licentiam et facultatem praemissa, ut praefertur, faciendi desuper impartimur; non obstantibus apostolicis, nec non in universalibus provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod si dicta confraternitas in posterum alicui archiconfraternitati pro illius indulgentiis consequendis, aut de illis participandis in posterum aggregetur, indulgentiae praefatis confratribus per praesentes concessae nullius sint roboris vel momenti, quodque dicti confratres ordinario, cuius visitationi et correctioni omnino subsint, rationem de receptis et administratis singulis annis vel quoties eidem ordinario videbitur, iuxta concilii Tridentini decreta reddere omnino teneantur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, tributionis, elargitionis, concessionis, indulti, impartitionum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem, anno incarnationis Dominicae MDCXX, calendas Iulii pontificatus nostri anno XVI.

CLXXX.

Regem Congi ob fidei zelum laudat; eidemque fratres capucinos se illuc missurum promittit. Ex archiv. secret. vatican. Brev. eiusd. pontificis ann. XV et XVI vol. XIV fol. 185.

Charissimo in Christo filio nostro Alvaro, regi Congi illustri.

Charissime in Christo fili, noster, salutem. In proximis maiestatis tuae litteris XX die Octobris anno praesenti datis, et nobis red-

ditis a dilecto filio magistro Ioanne Bapt. Vives, utriusque signaturae nostrae referendario, oratore tuo, invenimus ad vivum expressam imaginem piissimi regis et sanctae Christi ecclesiae, atque huius apostolicae beati Petri sedis generosissimi filii, qualem nimirum semper te nobis exhibere solent litterae tuae; quo fit, ut quoties illas legimus, spirituali gaudio repleamur, et ex toto corde nostro laudemus eum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, cuius immensae gratiae summo beneficio efficitur, ut stabilis in eius famulatu maiestas tua perseveret, quin etiam in dies magis ac magis in te divinae gloriae et catholicae religionis in istis partibus propagandae zelus accendatur; cuius quidem zeli certum testimonium ex tuis litteris, et ex verbis ipsius oratoris tui accepimus, dum videlicet tam grata atque salutaria fuisse tibi significas ea, quae ad pietatem et cultum Dei augendum in tuo regno libentissime concessimus, et dum tanto affectu et efficacia nobis instas de religiosis ex ordine capucinorum, ad excolendum amplissimum istum Domini agrum, mittendis, in quo messis multa, operarii vero admodum pauci existunt. Quos quidem religiosos ad te quam primum venire curabimus, nec dubitamus, quin vitae sanctimonia, verbo doctrinae et assiduo labore magnum fructum Domino et animarum saluti in istis regionibus referant. Ceterum quod attinet ad dilectum filium Bras, confessarium tuum, de quo nobis gratias agis, illud persuasum habeas volumus nos, quod ei contulimus, magna nostra voluntate cum maiestatis tuae intuitu, tum etiam ipsius merito fecisse, nec deerimus, oblata occasione, nostrae in ipsum benevolentiae aliaque signa pari affectu demonstrare; ut enim maiestatem tuam in intimo corde in visceribus Iesu Christi gerimus, tibique gratificari, quantum cum Domino possumus, maxime cupidi sumus. Quod vero maiestas tua diligentiam venerabilis fratris episcopi Forosempronіensis, collectoris nostri in regno Portugalliae, commendat in transmittendis ad te nostris litteris gratum sane id fuit nobis intelligere; confidimus autem, quem illi in eo munere successorem dedimus, venerabilem fratrem episcopum Albiganensem, pari diligentia maiestati [tuae] satisfacturum. Nolumus autem praesenti oblata occasione debita vicissim laude fraudare Vives, oratorem tuum, cuius fidem, prudentiam [et] sollicitudinem in maiestatis tuae negotiis pertractandis perspectam habemus, [qui] etiam [eo nomine] valde nobis gratus existit, ipsum [que] de iis rebus agentem, quae in mandatis a te habebat nobis exponenda, libenter attenteque audivimus idemque semper cum usus venerit praestabimus. Quod reliquum est, charissime fili, si quidem te praesentem, ut vellemus, non possumus, absentem sincerae paternaeque caritatis affectu complectimur, ac nostra apostolica benedictione toto ex animo benedicimus, Deum enixe precantes, ut regni tui finibus longe lateque propagatis, omnique molestia sublata, quae ad sui gloriam, catholicae religionis exaltationem atque animarum aeternam salutem pertinent, facile pro desiderio, ut exequaris, tibi concedat.

Datum Romae apud s. Mariam die XXXI. Augusti MDCXX. pontificatus nostri anno XVI.

CLXXXI.

Confirmat monasterium monialium s. Clarae oppidi de Castellione de la Plana sub obedientia praelatorum ordinis s. Francisci. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 227.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioseph Vasquez, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, in romana curia commissarius generalis, quod erecto alias ex pecuniis a quodam Antonio de Valentia, tunc in humanis agente, ad hunc effectum legatis, monasterio monialium s. Clarae, ordinis s. Francisci, in oppido de Castellione Dertusen. dioecesis, hac adiecta conditione, ut moniales huiusmodi curae et iurisdictioni ordinarii loci subiicerentur, earumque bona temporalia a iuratis pro tempore existentibus dicti oppidi administrarentur, felicis recordationis Paulus papa III., praedecessor noster, certis quibusdam causis tunc animum suum moventibus adductus, moniales huiusmodi a iurisdictione ordinarii praedicti eximi ac iurisdictioni dictorum fratrum subiici mandavit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, postmodum in congregatione venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, negotiis regularium praepositorum, de exemptionis ac subiectionis praedictarum validitate cognitum fuerit, cupiatque propterea dictus Iosephus exemptionem ac subiectionem easdem pro illarum firmiori subsistentia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri. Nos Iosephi praedicti votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eius in hac parte supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, exemptionem et subiectionem praedictas apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, decernentes irritum et inane, si secus [dc] super a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XXVI. Septembris MDCXX. pontificatus nostri anno XVI.

S. Cardinalis s. Susannae.

CLXXXII.

Adprobat translationem conventus. Ex regest. secret. Brevium in mense Decembri pag. 32.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus s. Mariae de Iesu, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, terrae Milillae Siracusanae dioecesis, quod alias ipsi animad-

vertentes situm domus etiam regularis huiusmodi extra dictam terram existentem in dies dehiscere ac ruinam minari, quo se ab imminenti periculo eximerent ecclesiam confraternitatis sub invocatione s. Antonii, in dicta terra existentem, a dilectis filiis iuratis ac universitate et hominibus dictae terrae ad effectum novam domum regularem inibi construendi de consensu ordinarii loci et superiorum fratrum praedictorum, sub certis modo et forma tunc expressis sibi concedi obtinuerunt, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, guardianus et fratres praedicti plurimum cupiant concessionem huiusmodi pro illius validitate ac subsistentia apostolicae confirmationis patrocinio communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati concessionem dictae ecclesiae guardiano et fratribus praedictis, ut praefertur, factam, dummodo tamen dicta confraternitas eidem ordinario subiecta remaneat, apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die IX. Decembris pontificatus nostri anno XVI.

CLXXXIII.

Frater Ioannes Maria Gallus cum decreto s. congregationis de propaganda fide, habitae coram sanctissimo die XXV. Martii huius anni MDCXXI. fit episcopus s. Orini in insula Therassia. Ex regest. familiae cismontanae vol. VI. fol. 205.

Referente illustrissimo dom. cardinali Bandino, informationes, quae [ad mandatum] sacr. congregationis ex diversis locis, et personis fide dignis, etiam in ecclesiastica dignitate constitutis, sumtae fuerunt de idoneitate quoad mores, doctrinam et cognitionem linguae grecae communis, fratris Ioannis Mariae Galli Veneti, ordinis minorum de observantia, eadem sacra congregatio censuit eundem fratrem Ioannem Mariam promovendum esse ad ecclesiam episcopalem s. Orini (sic) in insula maris Tegu, olim Therassia nunc vero Sanctorini nuncupata, vacantem per translationem fratris Petri de Marchis, ultimi illius ecclesiae episcopi ad archiepiscopalem ecclesiam Smyrnensem, servato tamen sylo romanae curiae in provisione ecclesiarum cathedralium servari solito etc.

Cardinalis Ludovisius Ref.

Franciscus Ingolus Secretarius.

LXXXIV.

Firmat concordiam quoad fratres observantes provinciae Mexicanae. Ex cod. regest. in mense Maio pag. 213.

Ad futuram rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio votis illis, per quae paci et quieti inter christifideles quoslibet, praesertim sub suavi religionis iugo altissimo famulantes, consulitur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis.

Cum itaque alias dilectis filiis ministro provinciali, definitoribus ac guardianis reliquisque ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum professoribus, provinciae Mexicanae s. Evangelii etiam nuncupatorum in Indiis instantibus, a fel. rec. Paulo papa V. praedecessore nostro litterae apostolicae in huiusmodi forma brevis sub dat. die XVIII. Aprilis pontificatus sui anno decimotertio, ac die XVIII. Iulii MDCXV. pontificatus eiusdem anno XI. pro confirmatione certae praetensae concordiae antea inter eosdem religiosos partim ex Indiis Criollos partim vero in Hispaniis natos, quorum pars in ipsis Hispaniarum provinciis, reliqui vero licet in Hispaniis nati, in Indiis tamen habitum susceperant, initae emanassent, per quam inter cetera concordatum asserebatur, quod deinceps dictae provinciae gubernium religiosis in Hispaniis ortis, qui dictum habitum in praedicta provincia susceperant, inibique professionem emiserant, et religiosis, Criollis nuncupatis, alternative dumtaxat aliis in Hispaniis natis, ibique professis ab illo penitus exclusis, committeretur, quodque religiosi praedicti Criolli nuncupati primo et deinde Hispani, qui in Indiis habitum suscepissent, ad officia praedicti ordinis alternis vicibus assumerentur et eligerentur; et quia super praemissis diversae controversiae exortae fuerant maioresque exoriri formidabantur, ven. fratres nostri s. r. e. card. negotiis regularium praepositi, ad quos dictus Paulus praedecessor negotium huiusmodi remiserat, litteras apostolicas supradictas subreptitias et obreptitias, capitulumque dictorum religiosorum ultimo loco in provincia huiusmodi celebratum nullum esse declararunt; et nihilominus officiales tam maiores quam minores in eodem capitulo licet nulliter, ut praefertur, habito electos per modum provisionis, et ne provincia huiusmodi gubernatoribus et rectoribus careret usque ad proximum futurum capitulum provinciale in dicta provincia celebrandum probandos et confirmandos, regulares autem omnes dictae provinciae hac de causa excommunicatos, ad cautelas a ven. fr. archiepiscopo Mexicano absolvendos, ac cum primum per locorum distantiam licuerit per unamquamque partem religiosum gravem, prudentem et pium eligens eumque ad romanam curiam transmittens, cum mandato speciali ac libera facultate iura suorum principalium, et quidquid opus erit in capitulo generali in Urbe cele-

brando, vel in congregatione eorumdem cardinalium super praemissis deducens ad effectum, ut iidem cardinales, partibus auditis, earumque iuribus perpensis, quid aequum fuerit et pro bono pacis, ac felici dictae provinciae gubernio esse cognoverint, decernere et constituere valeant, prout in decreto desuper sub die X. Novembris MDCXX. facto plenius dicitur contineri.

Cum autem, sicut dilectus filius procurator generalis dicti ordinis nobis nuper exponi fecit, ipse plurimum cupiat decretum huiusmodi pro firmiori illius validitate et subsistentia apost. nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem procuratoris generalis desideriis in praemissis annuere, illumque specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio decretum eiusmodi et in eo contenta quaecunque apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper forsan quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes decretum et in eo contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, ac irritum etc.

Quocirca ven. fratribus archiep. et episc. in dicta provincia constitutis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi per se aut alium vel alios praesentes litteras et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, faciant auctoritate nostra ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet ac in praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etc. saecularis.

Non obstantibus litteris Pauli praedecessoris eiusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quatenus opus sit dicti ordinis etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XIV. Maii MDCXXI. anno I.

S. Card. S. Susannae.

LXXXV.

Confirmat Franciscum Negron obs. rectorem collegii de Manapaser in provincia s. Thomae in Indiis Occidentalibus. Ex cod. regest. in mense Maio pag. 94.

Dilecto filio Francisco Negron ord. fratrum minor. s. Francisci de obs. professori.

Religionis zelus etc. opportuna. Tuo siquidem nomine nobis nuper expositum fuit, quod alias fel. rec. Paulus papa V. praedecessor

noster ob aliquas iustas et rationabiles causas, a te illi expositas, supplicationibus tuis ea in parte sibi humiliter porrectis inclinatus, te de mandato ministri generalis tui ordinis huiusmodi ad provinciam s. Thomae in Indiis Occidentalibus, ex qua ad roman. curiam de superiorum tuorum licentia accesseras, rediturum cuiusdam collegii de Manapaser nuncupati, illiusque ecclesiae parochialis in insula Salsetae illarum partium rectorem vocalem ad sexennium tunc proximum, servata tamen forma quarumdam litterarum rec. mem. Pii papae V., etiam praedecessoris nostri, in simili forma brevis sub die XXIII. Martii MDLXVII. ad instantiam cl. mem. Philippi II, Hispaniarum regis catholici, expeditarum, quae incipiunt: *Exponi nobis nuper fecit tua maiestas regia* etc. vivae vocis oraculo coram dilecto filio nostro Fabricio, tit. s. Augustini presbytero cardinali Verallo nuncupato, dicti ordinis apud nos et apostolicam sedem protectorem fecit, constituit et deputavit. Nunc vero nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te in collegii et parochialis ecclesiae praedictorum rectorem vocalem modo et forma praemissis, ad aliud sexennium a fine promordii sexennii computan. similem facimus, constituimus et deputamus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis ministro provinciali et aliis superioribus et fratribus tam praedictae quam aliarum provinciarum dicti ordinis, ceterisque, ad quos spectat, ut tibi in praemissis faveant et assistant, nec te desuper molestari, perturbari vel inquietari permittant. Non obstantibus.

Datum Romae apud s. Petrum die XXIX. Maii MDCXXI. anno I.

LXXXVI.

Ut fratres de observantia recipiant conventum derelictum a conventualibus.
Ex regest. secret. Brev. in mense Iunio pag. 460.

Venerabili fr. Ioanni Suycardo archiep. Moguntin. sacri romani imperii principi electori.

Cum, sicut ven. frater Leopoldus, episcopus Argentinen., nobis nuper exponi fecit a sexaginta annis circiter fratres minores s. Francisci, conventuales nuncupati, domum eorum regularem oppidi Selestadii, Argentinensis dioecesis, dirutam dereliquerint, et nullus ab eodem tempore dicti ordinis professor in praefata domo commoratus, et in ea divina officia minime celebrata, bonaque eiusdem domus ab iismet, qui illam fundaverant et dotaverant, a fide catholica deficientibus usurpata et occupata respective fuerint, minusque fratres praefati eandem domum restaurare, illamque inhabitare curaverint, nos supplicationibus dicti Leopoldi episcopi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ut fratribus conventualibus praefatis aliquem terminum ad domum

regularem huiusmodi instaurandam, illamque cum competenti numero fratrum habitandam auctoritate nostra praefigas, quo elapso et fratribus conventualibus praefatis eandem domum instaurare et inhabitare recusantibus, illam fratribus minoribus eiusdem ordinis s. Francisci, de observantia nuncupatis, eadem auctoritate nostra concedas. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVI. Iunii MDCXXI. anno I.

LXXXVII.

Caesar Nardi praeficitur ecclesiae Ansaren. Ex actib. consistor. huius anni pag. 21.

Romae apud s. Petrum fer. II. die XXI. Iulii fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. card. Ludovisio referente pro rev.mo d. card. Diectristheim ss. d. n. ecclesiae Ansaren. in regno Dalmatiae certo modo vacan. ad praesentationem caesareae maiestatis providit de persona r. p. Caesaris Nardi, ord. min. conv. sacrae theologiae professoris, cui ab imperatore assignari debebit congrua portio doneo aliter ei previdеatur etc. cum condonatione iurium etc.

LXXXVIII.

Benedictus Ursini fit episcopus Alixien. in Albania. Ex eisdem actib. pag. 21.

Romae apud s. Petrum fer. II. die XXI. Iunii fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. card. Verallo referente, ss. d. n. ecclesiae Alixien. in partibus infidelium vacan. per obitum q. d. Innocentii Stoicini providit de persona r. p. fr. Benedicti Ursini a Pápuas, ord. s. Francisci minor. de observ. sacrae theologiae professoris, et a multis annis sacerdotis cum condonatione iurium etc.

LXXXIX.

Prohibet, ne qui praelatorum aliquem tertii ordinis congregationis Gallicanae fratrem, absque licentia superiorum recipere audeant. Ex eodem regest. in mense Iulio pag. 62.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet pontificem, universo gregi dominico divina dispensatione praepositum, pastorali solicitudine providere, ut personarum

regularium ordines in militanti ecclesia ad divini nominis laudem et gloriam pie et provide instituti, felicibus in dies proficiant incrementis. Cum itaque, sicut dilectus filius Franciscus de Crespy, minister provincialis Franciae fratrum reformatorum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati, congregationis Galliae, pro negotiis eiusdem congregationis in romana curia deputatus, nobis nuper exponi fecit, [quod] congregatio praefata sub strictis reformat. regulis in omnibus fere Galliae provinciis benedicente Domino effloreat, nos prospere eiusdem congregationis statui, quantum cum Domino possumus benigne consulere, dictumque Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne qui praelatorum aut superiorum seu fratrum aliorum ordinum mendicantium quemquam dictae congregationis professum, sub quovis praetextu et colore, absque eiusdem congregationis ministrorum provincialium licentia in scriptis, recipere audeat, sub poena excommunicationis ac aliis censuris et poenis ecclesiasticis arbitrio nostro infligendis, apostolica auctoritate tenore praesentium interdicimus et prohibemus. Decernentes irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die ultima Iulii MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

CXC.

Eligit episcopum Alexiensem. Ex eod. reg. lib. III. Bullarii pag. 67.
Dilecto filio Benedicto Ursini a Papua electo Alexien. salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et solliciter gubernare; dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Postmodum vero ecclesia Alexien. in provincia Albaniae, regni Macedonum, sub iugo impiissimi Turcarum tyranni, cui bo. me. Innocentius episcopus Alexien., dum viveret, praesidebat, per obitum d. Innocentii episcopi, qui extra rom. curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos

vocatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem, de qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longae vocationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentens, post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te fratrem ord. min. s. Francisci de observ. ex legitimo matrimonio et honestis et catholicis parentibus procreatum ac supra trigesimum tuae aetatis annum constitutum, cui apud nos de religionis zelo, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia ac temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis excommunicationis, etc. censentes, praedictae ecclesiae de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, apost. auctorit. providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praedicta ecclesia per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tuae per apost. scripta mandamus, quatenus iugum Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gandeat se commissam, sicque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et sedis apost. benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri, nec non ven. fratri nostro archiep. Antibaren. cui dicta ecclesia metropolitico iure subesse dignoscitur, ac dilectis filiis vassallis eiusdem ecclesiae cleroque et populo civitatis et dioec. Alexien. per eadem scripta mandamus, quatenus archiep. habens te et ecclesiam praedictam suffraganeam suam pro nostra et dictae sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus tuis sic te favoris praesidio prosequatur, quod tu per suae auxilium gratiae te possis in commisso tibi eiusdem ecclesiae regimine utilius exercere, ipseque archiep. divinam misericordiam ac nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam valeat exinde uberius promereri; clerus vero te pro nostra et dictae sedis reverentia benigne recipientes et honorifice prosequentes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, populus autem te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia pertractantes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in illis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeant, vassalli vero praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam

ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere studeant, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae MDCXXI. XI. calendas Augusti pontificatus nostri anno I.

CXCI.

Componit dissidia inter fratres conventuales et reformatos eiusdem instituti. Ex regesto secret. Brev. in mense Augusto pag. 389.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut nobis innotuit multae discordiae multaque dissidia inter fratres conventuales ex una, ac reformatos etiam conventuales nuncupatos ordinis s. Francisci ex altera partibus, vigeant, nos ne maiora in dies scandala exoriantur, providere, pacemque et tranquillitatem inter eosdem fratres confovere, ac statum eorumdem fratrum reformatorum, quantum cum Domino possumus, in melius dirigere cupientes, dilectum filium Ferdinandum de Iesu Maria, ordinis fratrum carmelitarum discalceatorum nuncupatorum professorem, in visitatorem generalem et specialem congregationis reformatorum huiusmodi cum facultate eandem congregatiotionem ac illius religiosos quoscunque, etiam quaevis praedictae congregationi officia obtinentes moderandi, corrigendi et reformandi, et contra eos etiam summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta procedendi et inquirendi ac ad sententias definitivas deveniendi, reos seu culpabiles, quos repererit puniendi, et castigandi, necnon sub censuris et poenis ecclesiasticis omnibus et singulis provincialibus, commissariis aliisque superioribus et personis conventualium non reformatorum inhibendi ne circa correctionem, moderationem, reformationem aut visitationem fratrum reformatorum huiusmodi, per ipsum Ferdinandum faciendam, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio ingerere seu intromittere vel ipsum Ferdinandum circa praemissorum executionem quoquomodo molestare seu inquietare vel impedire audeant seu praesumant, apostolica auctoritate tenore praesentium deputamus et constituimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dictae congregationis etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XVIII. Augusti MDCXXI. anno I.

CXCII.

Approbat quaedam pacta inita inter fratres tertii ordinis s. Francisci Bogardorum in Belgio et fratres in Italia. Ex eod. regest. secret. Brev. in mense Augusto pag. 687.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus pontifex, ex demandata sibi pastoralis sollicitudinis cura, ad prosperam et salubrem personarum omnium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium directionem et fidelium regimen sedulo invigilans, ea, quae propterea provide facta fuisse dicuntur, libenter approbat et confirmat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum filiorum fratrum tertii ordinis s. Francisci de poenitentia, Bogardorum nuncupatorum, congregationis Zepperensis in Belgio, nobis nuper expositum fuit, quod ipsi in eorum capitulo provinciali, pio zelo moti, fratribus eiusdem ordinis Italiae se unire statuerunt et decreverunt infrascriptis sub conditionibus videlicet.

1. Quod fratres praedictae congregationis gaudeant et utantur omnibus et singulis privilegiis, indultis, gratiis, statutis ac ordinationibus, quibus gaudent et utuntur dicti fratres Italiae, necnon voce activa et passiva in capitulis generalibus et in electione generalis ad instar provinciarum et fratrum Italiae eiusdem ordinis, atque communem cum praedictis Italiae fratribus s. r. e. cardinalem protectorem habeant.

2. Praedictae congregationi licitum sit eligere duos conservatores, nempe officialem reverendissimi d. episc. Antuerpiensis necnon abbatem s. Gertrudis, canonicorum regularium ordinis s. Augustini oppidi Lovanien. Mechlinien. dioec.

3. Liceat eidem congregationi celebrare capitula sua iuxta dispositionem constitutionis fel. rec. Nicolai papae V. quae incipit *Apostolicae sedis benignitas* etc. quibus capitulis interesse et praesidere possit generalis Italiae vel eius commissarius illo impedito, quodque, qui in praedictis capitulis celebrandis minister principalis fuerit electus, nuncupetur deinceps minister provincialis.

4. Generalis Italiae semel dumtaxat, durante sui generalatus officio, dictam congregationem visitare possit, idque per se ipsum, nisi forsan legitime impeditus, quia tunc ei licebit per aliquem dicti ordinis patrem praeclarum visitare, quam visitationem ipsemet una cum p. provinciali et scriba dictae congregationis perficiat.

5. Generali autem personaliter visitanti, dicta congregatio ducentos florenos Brabantiae, commissario vero centum florenos solummodo solvere teneatur.

6. Neque fratres aliarum provinciarum fratribus dictae congregationis, nec fratres dictae congregationis fratribus aliarum provincia-

rum sine concessu expresso praedicti ministri provincialis congregationi praedictae incorporari aut per obedientiam transmitti possint.

7. Supradictae congregationis fratres mutato habitu coloris nigri, quo hactenus uti soliti sunt, deferant deinceps habitum eiusdem formae et coloris a fratribus Italiae deferri solitum. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, primordii fratres plurimum cupiant unionem huiusmodi pro illius subsistentia et validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur, piis eorumdem primordiorum fratrum votis huiusmodi annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de ven. fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, unionem huiusmodi, modo et forma praemissis, factam apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, eisdemque primordiis fratribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, irritumque etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVIII. Augusti MDCXXI. anno I.

CXCIII.

Unit duo monasteria clarissarum Neapoli in uno virginum collegio. Ex eod. regest. in mense Septembri pag. 409.

Dilecto filio nostro Decio tit. ss. Ioannis et Pauli presbytero card. Carafae nuncupato ecclesiae Neapolitan. praesuli.

Cum sicut nobis super exponi fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissae et moniales monasteriorum s. Antonii de Padua et de Consolatione nuncupat. Neapolitan. ordinis s. Clarae, ipsae ut asserunt in quolibet dictorum monasteriorum adeo paucae numero existant, ut divina officia recitare, aliasque functiones necessarias obire vix possint, et cum in vim decretorum in visitatione monasteriorum huiusmodi apostolica auctoritate facta emanatorum in altero ex dictis monasteriis uniri debeant, maxime dubitent se in nullo ex eisdem monasteriis commode stare posse; nobis propterea abbatissae et moniales praedictae humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur abbatissas et moniales praedictas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et earum singulares personas a quibusvis etc.

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de ven. fratrum nostrorum s. r. e. card. negotiis regularium praepositorum consilio, circumspectioni tuae monasteria huiusmodi illorumque abbatissas et moniales praedictas arbitrio tuo insimul uniendi et incorporandi, ac unius monasterii abbatissam et moniales ad aliud monasterium, dummodo tamen dictae moniales in monasterio, situs opportunitate et caeli clementia aptiori collocantur, transferendi, seu si tibi videbitur moniales praedictas in nullo ex dictis duobus monasteriis commode stare posse, alium situm in dicta civitate ac loco ad fabricam magis apto et commodo, nec non salubrioris aeris emendi, ac in eo novum monasterium eiusdem ordinis cum ecclesia, campanili, campanis ac aliis membris necessariis et opportunis construi faciendi, et ad illud postquam constructum ac debita clausura munitum rebusque omnibus necessariis instructum fuerit, utriusque monasterii huiusmodi moniales pariter transferendi, dummodo tamen translatio huiusmodi consanguineis gravibusque matronis easdem moniales comitantibus, et ab uno ad alterum monasterium rheda clausa, vel saltem earumdem monialium transferendarum oris parte velata fiat, et ea modestia, qua sponsas Christi decet, tendatur nec alio divertatur. Insuper alterum ex dictis duobus monasteriis, ex quo, ut praefertur, moniales transferri contigerit, sive in eventum constructionis novi monasterii huiusmodi, ambo monasteria praedicta, postquam ex eis moniales ipsae translatae fuerint, cum illorum ecclesiis erecta inibi cruce, ac prius monumentis, cadaveribus, ossibus et cineribus mortuorum una cum superficie terrae, ad novi sive illius ad quod moniales ipsae traosferentur monasterii, aut aliam seu alias ecclesias vel coemeteria aut loca sacra translatis ac servatis alias servandis, auctoritate nostra profanandi et ad profanos non tamen sordidos usus reducendi. Necnon syndico seu procuratori earumdem monialium, quod monasterium, ex quo, ut praefertur, moniales transferri contigerit, et in eventum constructionis novi monasterii huiusmodi, ambo antiqua monasteria praedicta cum illorum profanatis ecclesiis, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus vendere ac instrumenta desuper necessaria et opportuna celebrare licite valeant cum hoc tamen, ut pretium exinde proveniens penes aliquam personam fide et facultatibus idoneam deponatur, ad effectum, ut in benemeritum monasterii, ad quod moniales ipsae transferentur, exponatur, concedendi et indulgendi auctoritate praedicta tenore praesentium plenam et amplam facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum et ordinis huiusmodi etiam etc. roboratis, statutis et consuetudinibus etc. ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die X. Septembris MDCXXI. anno I.

CXCIV.

Rata habet statuta et constitutiones concessas fratribus tertii ordinis congregationis Gallicanae. Ex eod. regest. in mense Septembri pag. 63.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum in militanti ecclesia suaves Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, ea, quae a romanis pontificibus praedecessoribus nostris pro illarum felici statu et directione concessa et approbata sunt, quo validius perpetuo subsistant, etiam nostrae confirmationis robore libenter communiamus. Hinc est, quod nos volentes dilectos filios fratres reformatos, tertii ordinis s. Francisci congregationis Galliae, specialibus favoribus et gratiis prosequi, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes supplicationibus dilecti filii Francisci de Crespy, provinciae Franciae eiusdem congregationis ministri provincialis et pro negotiis eiusdem congregationis in romana curia deputati, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula decreta, constitutiones et statuta eiusdem congregationis per fel. rec. Paulum papam V. praedecessorem nostrum, per suas sub plumbo sub datum decimo sexto calendas Maii anni MDCXIII. expeditas litteras approbata et confirmata, dummodo non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa sacrisque canonibus et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis et regularibus dicti ordinis institutis non repugnent, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in illis quomodolibet intervenerint, supplemus. Quo circa ven. fratribus archiepisc. et episc. in regno Franciae existentibus, ac dilecto filio nostro et dictae sedis in dicto regno nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium sive alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum praedictorum fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecunque solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra fratres praedictos praemissorum omnium effectu pacifico frui et gaudere. Non permittentes quemcunque illorum desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna etc. compescendo, invocato etc. saecularis. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die X. Septembris MDCXXI. anno I.

CXCV.

Quaedam privilegia concedit Antonio, episcopo Scardonensi et administratori Bosnensi. Ex eod. regest. in mense Septembri pag. 178.

Vener. fr. Antonio episc. Scardonen. et administratori Bosnen.

Cupientes pro nostro pastorali officio et charitate tam personas tuae curae commissas, quam alias regionum, terrarum et locorum tuae dioec. Scardonen. finitimorum, dominatui Turcarum subiectorum, proprio pastore aut alia persona similes ab apostolica sede facultates habente carentes et a recto catholicae religionis et ecclesiasticae disciplinae tramite deviantes ad gremium sanctae matris ecclesiae reducere posse, fraternitati tuae, de qua in his plurimum in Domino confidimus, ut quotiescunque a fidelibus et populis regionum, terrarum et locorum praedictorum, in quibus tamen episcopus aut alii infrascriptas facultates habentes non adsunt, ut praefertur, requisitus fueris ad illas et illa accedere, et tam clericos et presbyteros saeculares et regulares quam plebes et populos illorumque personas in eisdem regionibus, terris et locis commorantes visitare, et iuxta sacras et canonicas sanctiones corrigere et [conferre], confirmationis sacramentum infantibus et aliis petentibus confirmare, clericos, quos ad id idoneos esse repereris, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam extra tempora ad id a iure statuta in aliquo festo eadem die promovere, et cum male promotis, dummodo in contemptum clavium non celebraverint, ipsis ad aliquod tempus ab executione suorum ordinum arbitrio tuo prorsus suspensis, ut in dictis ordinibus ac etiam in altaris ministerio tempore suspensionis huiusmodi elapso ministrare valeant ac super quacunque irregularitate, praeterquam ex homicidio voluntario et bigamia ac simonia reali proveniente, dispensare nec non idoneos sacerdotes ad curae animarum administrationem in locis, in quibus tibi opportunum esse videbitur, deputare, ac eos, qui tertio vel quarto simplici ac tertio et quarto mixtis consanguinitatis seu affinitatis gradibus coniuncti vel si attinentes scienter vel ignoranter hactenus sive de praeterito tamen matrimonium contraxerunt, ab excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, nec non incestus reatu et excessibus huiusmodi in utroque foro, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, absolvere ac cum eisdem ut impedimentis graduum consanguinitatis seu affinitatis huiusmodi non obstantibus, in matrimoniis huiusmodi remanere, vel ea de novo in facie ecclesiae contrahere valeant, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, gratis dispensare, proles susceptas, si quae sint, et suscipiendas exinde legitimas decernendo, nec non personas quascunque, a quibusvis criminibus, excessibus et delictis quantumcunque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolicae reservatis, et in litteris die Caenae Domini legi solitis, contentis, aliisque ecclesiasticis sententiis, quoad casus reservatos videlicet in praeteri-

tum usque ad diem dat. praesentium tamen incursis, si hoc a te humiliter petierint, iniunctis eis poenitentiis salutaribus atque aliis iniungendis in foro conscientiae dumtaxat absolvere. Postremo ut in domibus christianorum et aliis honestis locis quotiescunque fidelium devotio et necessitas ita exposcere videbitur, et ecclesiarum commoditas facile haberi non poterit, super altari portatili missam per te ipsum celebrare, ac aliis idoneis et approbatis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, tibi benevisis, ut super altari huiusmodi in domibus ac locis piis praedictis celebrare valeant, licentiam impartiri libere et licite valeas, plenam, amplam, liberam et omnimodam facultatem concedimus et potestatem ad biennium dumtaxat duraturam. Mandantes universis personis provinciarum et locorum praedictorum, ut tibi in visitatione et correctione ac reformatione huiusmodi, iuxta praesentium litterarum continentiam et tenorem, in omnibus et per omnia pareant, faveant et assistant, contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo invocato etc. saecularis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis privilegiis, et indultis quibuslibet personis, etiam regularibus provinciarum et locorum huiusmodi per quoscunque romanos pontifices, praedecessores nostros, in contrarium praemissorum concessis et confirmatis, ceterisque contrariis quibuscunque. Praesentibus post dictum biennium minime valituris.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XVIII. Septembris MDCXXI. anno I.

CXCVI.

Instituit commissarium apostolicum, decernit, ut vicarius generalis et definitores generales eligantur et alia pro bono regiminis fratrum observantium discalceator. Hispaniarum et Indiarum. Ex regesto famil. ultramontan. vol. II. fol. 254.

Gregorius Papa XV.

Ad futurum rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio ad ea, per quae christifideles sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regulis Altissimo famulantes in laudabili eorum instituto, sublatis impedimentis quibuslibet, feliciter et quiete perseverare valeant, libenter intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Hinc est, quod nos prospero fratrum ordinis minor. s. Francisci de observ. discalceator. nuncupat. provinciarum Pietatis, s. Gabrielis, s. Iosephi, s. Ioannis Baptistae Rabidae, s. Antonii, s. Pauli, s. Gregorii Philippinarum, s. Didaci in Nova Hispania et s. Didaci in Bethica

statui atque directioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, dilectum filium Ioannem de s. Maria, eiusdem ordinis professorem, in commissarium apostolicum apostolica auctoritate tenore praesentium constituimus et deputamus. Insuper auctoritate et tenore similibus statuimus et ordinamus, quod si eumdem Ioannem ante electionem vicarii generalis, ut infra, eligendi, obire contigerit, eius loco maneat subrogatus ille, in quem consenserit maior pars definitorii illius provinciae, in qua e vita discesserit, qui apostolica auctoritate cum praecepto adstrictus convocet omnes ministros provinciales et custodes dictarum provinciarum Hispaniarum, et procuratorem romanae curiae, necnon (pro hac vice tantum) alios fratres, qui alias in praefatis provinciis ministri provinciales exstiterunt, vel huiusmodi privilegio gaudent, ad festum pentecostes proxime venturum anni MDCXXII. conventuros in loco, per dictum commissarium deputando, in quo eodem commissario praefata auctoritate praesidente cum voce tam activa quam passiva, omnes sic vocati capitulum generale celebrantes eligant unum ex eisdemmet fratribus eiusdem instituti et arctioris observantiae discalceatis in suum vicarium generalem. Interim vero et donec dictus generalis vicarius eligetur, praedictus commissarius in dictas provincias et omnes fratres discalceatos huiusmodi habeat et exerceat eamdemmet auctoritatem et potestatem, quam habiturus est dictus vicarius generalis. Electus tamen ille censeatur, in quem maior pars votorum concurrerit, et ex nunc apostolica auctoritate confirmatus maneat ad sexennium duraturus cum facultate et auctoritate provincias praedictas tam Hispaniarum quam Indiarum (et quae in posterum multiplicabuntur) eorumque ministros, custodes, guardianos et ceteros fratres regendi, gubernandi, visitandi, reformandi et corrigendi et alia omnia et singula ad officium vicarii generalis huiusmodi spectantia et pertinentia, et quae minister generalis ordinis ex consuetudinibus vel constitutionibus apostolicis, et ordinis statutis quomodolibet (non tamen quatenus discalceatorum statui reperiantur adversantia) respectu totius ordinis potest, faciendi, ordinandi, utendi et exequendi. Praeterea, ut vicarius generalis electus teneatur petere confirmationem suae electionis a ministro generali dicti ordinis intra mensem, si in Hispania fuerit, si vero extra, citra tamen montes, intra duos menses, si tamen ultra montes intra tres menses; generalis autem minister infra tres dies a die petitionis dictam electionem confirmare teneatur, alioquin si confirmationem huiusmodi diutius concedere distulerit, lapsis dictis tribus diebus, dictus electus in vicarium generalem apostolica auctoritate confirmatus maneat et censeatur; interim tamen a die electionis usque ad diem confirmationis idem electus officium vicarii generalis aeque ac si confirmatus esset, exercere libere valeat et debeat, quod semper in electione et confirmatione vicarii generalis huiusmodi suis temporibus facienda observandum erit.

Quodque in eodem capitulo et in postmodum celebrandis eligan-

tur quatuor definitores generales, ac vicarius generalis cum definitorio eligat sibi in socium et secretarium virum religione, zelo, scientia, prudentia, integritate atque experientia praeditum, cuius etiam consilio pro casuum exigentia valeat uti et utatur. Provinciales vero et custodes convocandi ad hoc primum capitulum generale secum afferant statuta et ordinationes suarum provinciarum, quae delectis aliquibus fratribus ad id idoneis committantur inspicienda, et ex omnibus illis statutis seligentur, quae ad communem modum vitae et regiminis provinciarum et fratrum praedictorum aptiora et convenientiora iudicabuntur; quae statuta maneant pro cunctis generalia, ita ut quanto fieri potuerit uniformitas in exteriori vita, et venustas mentium etiam per charitatem unitatis internae dulcedinem praeseferens, ipsos sibimet efficiat chariores, ceterisque reddat commendabiles atque imitabiles; quae sic selecta ex antiquis statutis vel noviter in praefato capitulo ordinato proponantur omnibus electoribus, et quae maior pars approbaverit, admiserit et acceptaverit, ac sacris canonibus et concilii Tridentini decretis contraria non sint, maneant ab omnibus observanda. Cetera vero, quae pro differentia et qualitate locorum et nationum inveterati usus et consuetudinis unicuique provinciae reservanda censebuntur, eisdem respective maneant particularia. De cetero autem ordinationibus generalibus ordinis non ligentur, quae inter seligendas et condendas per ipsos non fuerint insertae et incorporatae; ad haec in dicto primo capitulo generali proponatur, an expediens sit, ut quando vicarius generalis electus fuerit ex aliqua provinciarum coronae Castellae vel Aragonae, eligatur unus commissarius provinciarum Portugalliae, et e converso, quando vicarius generalis fuerit ex dictis Portugalliae provinciis constitutus, similiter sit commissarius provinciarum dictae coronae Castellae et Aragoniae, quod si in huiusmodi commissarii deputatione et ordinatione maior pars consenserit, ad illius electionem procedatur per vicarium generalem et vocales illarum provinciarum tantummodo, quibus praeficiendus erit electusque quoad dictas suas provincias habeat eam auctoritatem, quam in dicto capitulo per statutum et ordinationem fuerit ordinatum, ut habeat. Insuper pro Indiarum provinciarum meliori regimine, quoad commissarium in illis partibus vel in curia charissimi in Christo filii nostri Philippi, Hispaniarum regis catholici, aut utrobique constituendum, conferatur et disponatur in dicto capitulo, prout maior convenientia sive necessitas exegerit. Necnon in posterum in singulo triennio celebrentur capitula generalia in festo pentecostes secundum regulam eiusdem ordinis, ubi per dictum vicarium generalem, vel praecedens capitulum fuerit ordinatum, vocatis ad id et convenientibus omnibus ministris provincialibus, definitoribus generalibus, procuratore romanae curiae ac custodibus, et vicarius generalis semper in capitulis praesideat et in eis quatuor definitores eligantur per triennium duraturi; et pro bono ipsorum fratrum discalceatorum regimine quaecunque statuta et ordinationes tam de novo statuendo quam statuta iam declarando, innovando, modificando, superaddendo, revo-

cando, regularibus tamen statutis, sacris canonibus et concilio Tridentino, ut supra, non adversantia, liceat facere, ordinare, disponere et statuere. Vicarius autem generalis, expleto sexennio et successore electo, officio iam functus, habeat nihilominus in capitulis vocem et praecedentiam, quam ministri generales habent, neque possint reelegi ad idem munus, nisi gemino sexennio transcurso. Quodque procurator in romana curia nuper institutus ab eisdem vicario et definitoribus generalibus deinceps in singulis capitulis eligatur et in vicarii generalis et definitorum electione votum similiter habeat, sicuti ministri provinciales, non tamen possit ad idem promoveri officium, nisi post sexennium; et in primo celebrando praescribetur per ordinationem et statutum procuratoris huiusmodi auctoritas, facultas et ministerium, praeter non tamen contra id, quod in eiusdem institutione stat dispositum. Ac vicarii generalis curae sit familiam fratrum, qui commoraturi sunt in domo ab eisdem discalceatis in Urbe nuper accepta seu accipienda seu capta sive erigi concessa instituere et collocare, ad ipsumque dumtaxat spectat quemlibet illorum amovere vel mutare pro libito, habita conscientiae sive necessitatis ratione necnon per se vel per alium ex sibi subditis dictam domum visitare; illud tamen sibi iniunctum dictus vicarius agnoscat, quod in Urbe collocandi fratres vitae sint prae ceteris exemplaris atque illorum aliqui scientia simul et consilio ornati. Minister vero generalis respectu praefatae domus poterit, quod respectu reliquorum discalceatorum eorumdem, ut inferius disponetur. Quod si vicarius generalis infra sui officii tempus obierit, seu alias ab officio amotus fuerit, minister provincialis, in cuius provincia mori vel amoveri contingerit, nuntiare tenetur definitori generali antiquiori, qui statim de hoc certiorem faciat sanctam sedem apostolicam, ad quam spectat in huiusmodi casu providere de superiore generali usque ad tempus capituli generalis. Hoc intermedio tempore definitor ipse antiquior vicarii generalis vices habeat. Quod deinceps vicarius generalis, ministri et custodes discalceati praenominati (cum suffragio et voto solummodo activo) possint et teneantur convenire in capitulis generalibus dicti ordinis fratrum de observantia, si ultra montes celebrentur; quando vero citra nec debeant nec possint convenire pro generalis ministri electione facienda, sed vicarius generalis et vocales reformatorum eiusdem ordinis in cismontana familia tunc convenire teneantur; ita ut alteri in alteros in ferendis suffragiis pro debita electione compromisisse censeatur, ne in peregrinatione ad loca longinqua praedicti fratres reformatam vitam ducentes inevitabilia graviaque incommoda sustinere, vel relaxationis discrimini subiici cogantur; et in huiusmodi capitulis vicarius generalis primum locum habeat post ministrum et commissarium generales; quodque nullus dictorum fratrum discalceatorum possit habere officia aut dignitates inter fratres de observantia. Praeterea quod professus inter discalceatos vel qui ad ipsos ex observantibus dictis transierunt et permanserunt per annum, nullatenus possint transire vel redire ad dictos fratres de observantia, nisi ob causam infirmitatis

existimatae prolixius duraturae vel aliam in capitulis vel congregationibus provincialibus, et non extra, per definitorium examinandam et admittendam. In cuius rei arbitrio definitorum interessentium onerentur conscientiae, et ii, qui de licentia praefata transierint, cum fuerint inter discalceatos professi, si intra annum transitus redierint, recipiantur, si vero post annum interdicta censeatur receptio; qui autem ad observantes, a quibus iam semel discesserant, revertentur, prohibitam omnino habeant iteratam admissionem inter discalceatos; iis vero, qui post professionem inter discalceatos transierunt hactenus, currat annus praedictus a die electionis primi vicarii generalis, nisi in aliis iam provinciis incorporati existant, et qui ex observantibus voluerint venire inter discalceatos, non recipiantur, nisi in capitulo vel congregatione, et per annum commorentur in probationis domo, in quo bis recipientur suffragia, et si maiorem partem habuerint admittantur. Et quoad iurisdictionem ministri generalis in fratres discalceatos ac eorum loca, servetur constitutio fel. rec. Gregorii papae XIII. praedec. nostri, quae incipit. *Cum illius vicem* etc. fratribus reformatis concessa die III. Iunii MDLXXIX. pontificatus sui anno VIII. dummodo per seipsum personaliter tantum et non alias nec per alios etiam discalceatos (cum sit concessus eisdem fratribus discalceatis vicarius generalis fratrum discalceatorum) exerceat facultatem et auctoritatem sibi concessam in dicta constitutione, iuxta cuius tenorem nullus alius praelatus ex fratribus de familia ullam habeat auctoritatem in dictos fratres discalceatos. Quod si vicarius generalis pro tempore sententiam aliquam contra quemlibet sui ordinis religiosum tulerit, per quam illum ad triremes aut privationem habitus condemnet, ipse condemnatus ad praefatum ministrum generalem provocare et appellare possit. De regimine vero et cura praedictorum fratrum discalceatorum se aliter aut in aliis quam in his litteris expressis intromittere nullatenus possit. Decernentes propter praemissa, fratres discalceatos praefatos a vero ordine fratrum minor. regularis observantiae, neque ab illius legitimo ministro generali et capite nullatenus separari aut dividi; et contra aliter praesumentes asserere et dicere vel affirmare verbo vel scripto, excommunicationis poenam, a qua nonnisi a nobis et romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, ipso facto incurrere. Postremo super iis omnibus et singulis respective plenam, liberam et amplam facultatem dictis commissariis apostolico, vicario ac capitulo generalibus auctoritate et tenore similibus concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XXIV. Septembris MDCXXI. pontificatus nostri anno I.

CXCVII.

Quaedam statuit pro fratribus observantiae in Italia. Ex reg. secret. Brev. in mense Septembri pag. 17.

Ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii sollicitudo, meritis licet insufficientibus nobis ex alto commissa, crebro nos admonet ac inducit, ut ad statum christifidelium quorumlibet praesertim regularem vitam profitentium salubriter dirigen. operosis studiis intendentes, ea, quae felici eorum gubernio prosperaeque directioni profutura noscuntur, provide statuamus et ordinemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

1. Ut igitur ordo fratrum minor. s. Francisci de observ. reformat. nuncupatorum per totam Italiam felicioribus in dies augeatur progressibus, motu proprio, non ad ipsorum fratrum reformatorum instantiam, sed de mera nostra matura deliberatione volumus et mandamus, ut ultra ea, quae disponuntur in constitutionibus fel. rec. Gregorii XIII. et Clementis VIII. romanorum pontificum praedecessorum nostrorum circa modum vivendi reformat. fratres observ. reformati amplius ad capitulum provinciale non accedant, nisi solum ipsorum custos, qui etiam solus vocem activam tantum habeat.

2. Non habeant in futurum praefati reformati inter observ. seu de familia aliquam dignitatem seu officium, et si aliqui de familia ob aliquam causam et ob quodcunque privilegium seu facultatem transierint ad reformationem, nullum officium et dignitatem habere possint, nisi per sex annos inter eos permanserint, et laudabiliter cum eis vixerint, et illi, qui transire voluerint de familia ad reformatos debeant hoc obtinere in congregatione seu capitulo; prout modo observatur. Et illi, qui talem licentiam obtinebunt, debeant facere annum novitiatus integrum, prout alii reformati faciunt. Intimetur omnibus reformatis in congregatione seu capitulo provinciali ad deducendas causas, propter quas velint ad familiam transire, quibus assignetur annus ad deliberandum, quo elapso, nullus postea reformatus ob quamcunque causam a reformatis ad familiam transire possit.

3. Quoad iurisdictionem ministri generalis in reformatos servetur constitutio eiusdem Gregorii praedecessoris.

4. Procurator reformatorum eligatur a cardinali protectore pro tempore existenti, qui debeat etiam deputare quatuor visitatores per totam Italiam de triennio in triennium, qui curent observari litteras piae memoriae Nicolai III. et Clementis V. romanorum pontificum etiam praedecessorum nostrorum, concernentes observantiam regularem et delinquentes corrigant et puniant, prout eis magis expedire videbitur, certioresque faciant cardinalem protectorem et procuratorem generalem reformatorum, ut et ipsi quod necessarium fuerit ad animarum salutem, procurent observari.

5. Ministri provinciales fratrum de familia nullam habeant iurisdictionem, potestatem et superioritatem in reformatos.

6. Decernentes praemissa omnia et singula perpetua, valida, firma et efficacia esse et fore, et per praefatos fratres reformatos perpetuo observari debere.

7. Praesentes quoque litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae defectu notari, argui seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri. Sicque per quoscunque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores et s. r. e. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et iterpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere ac irritum et inane etc.

8. Quocirca ven. fratribus archiep. et episc. aliisque locorum ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus quicunque illorum per se vel per alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque fratribus reformatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assisten. faciant auctoritate nostra illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas aliaque opportuna remedia iuris et facti appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die I. Septembris MDCXXI. pont. nostri anno I.

CXCVIII.

Procuratori generali discalceatorum Hispaniarum et Indiarum in romana curia hospitium concedit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 253.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii fratres, ord. minor. s. Francisci de observ. discalceati nuncupati Hispaniarum et Indiarum, in militanti ecclesia, quibus regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, quid pro laudabilis eorum instituti felici directione atque progressu conferat, diligenter prospicimus, ac desuper providentiae nostrae partes propensis studiis interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Volentes itaque fratres praedictos specialis gratiae

favore prosequi, et eorum singulares personas a quibusvis etc. ut unum hospitium in romana curia et unum procuratorem generalem ex ipsis fratribus semper eligendum, habere libere et licite possint et valeant ita videlicet, ut dictus procurator in eodem hospitio assistat et sit praelatus omnium fratrum discalceatorum Hispaniarum et Indiarum ad eandem curiam pro quocunque negotio aut quocunque modo accedentium. Fratres vero omnes praedicti dictum hospitium adire et se dicto procuratori generali praesentare, dictus autem procurator illos expedire eisque patentes litteras ad repetendum suas provincias concedere respective teneantur, et dictus procurator eligendus votum nullo modo habeat, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus; dictumque hospitium ministro generali immediate, qui per seipsum quando sibi videbitur aut per unum commissarium ex dictis fratribus discalceatis assumptum, una vice intra tempus trium annorum et non alias, nec alio modo, visitare valeat, auctoritate et tenore praedictis subiicimus et supponimus. Insuper pro hac prima vice dilectum filium Balthasarem de Pliego, dicti ordinis et infrascriptae provinciae s. Ioseph professorem; qui ut accepimus in eadem provincia guardiani, ac in aliis praecipuis dicti ordinis domibus regularibus praedicatoris respective muneribus functus est, et in dicta curia praesens existit, in procuratorem generalem huiusmodi, usque ad capitulum generale proxime futurum dumtaxat, constituimus et deputamus. In praefato autem capitulo generali, quod minister generalis eiusdem ordinis cum omnibus aliis vocandis fratribus discalceatis provinciarum Pietatis, s. Gabrielis, s. Ioseph, s. Pauli, et s. Ioannis Baptistae Rabidae, s. Antonii, s. Didaci in regnis Hispaniarum, s. Gregorii in Insulis Philippinis, et s. Didaci in Nova Hispania, aut eorum aliquibus, qui praesentes adfuerint, huiusmodi procuratorem ex una provinciarum huiusmodi eligant, qui pariter etiam tanquam praelatus ad dictum hospitium ut inibi resideat, accedere teneatur; electio autem huiusmodi sic facta usque ad aliam congregationem generalem duret, quae si in regnis Hispaniarum celebrabitur, minister generalis et alii supradicti alium procuratorem eligant, et si forsan non fieret vel in Italia celebraretur, electio huiusmodi per ministrum generalem ac provinciales et custodes trium praedictarum provinciarum magis vicinarum curiae praedictae, videlicet s. Gabrielis, s. Iosephi et s. Pauli fiat, et sic semper et perpetuo de triennio in triennium continuetur, de capitulo ad congregationem generalem, et de congregatione ad capitulum; et si forte dictus procurator generalis ob aliquam causam a dicta curia discesserit, tunc unum substitutum ad munus obeundum in sui locum, qui eamdem quam ipse auctoritatem habeat, usquequo de novo electus veniat, deputare possit. Praesentes vero litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque fratribus discalceatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die X. Septembris MDCXXI. pont. nostri anno I.

CXCIX.

Constituit apostolicum concionatorem Lupum Paez minoritam de observantia. Ex regest. secret. Brev. in mense Septembri pag. 451.

Dilecto filio Lupo Paez ord. fratr. minor. s. Francisci de observ. professori.

Religionis zelus etc. prosequamur. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, qui ut asseris, habitum perferens ordinis minorum s. Francisci de observantia gestari solitum triginta et uno abhinc annis suscepisti, ac professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti regulares, verbum Dei tam in aula carissimi in Christo filii nostri Philippi, Hispaniarum regis catholici, quam in aliis civitatibus et locis ad omnipotentis Dei gloriam eiusque catholicae fidei exaltationem viginti trium annorum spatio praedicaveris: nos te, ut verbum Dei praedicatum honorificentius et fructuosius praedicare possis, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi verbum Dei praedicatum cum apostolici concionatoris titulo, de ordinariorum locorum licentia, et cum ipsorum benedictione respective et alias iuxta concilii Tridentini decreta praedicandi apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus etc.

Datum Tusculi die XXVII. Septembris MDCXXI. anno I.

CC.

Pro fratribus conventualibus oppidi Gretii. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 52.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii guardianus et fratres domus ordinis fratrum minorum s. Francisci, conventualium nuncupatorum, oppidi Gretii Salisburgensis dioecesis, quod ipsi tribus abhinc circiter annis parochialem ecclesiam s. Viti, loci eiusdem s. Viti Aquileiensis dioecesis, quae, ut asseritur, de iure patronatus carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi, romanorum regis illustris in imperatorem electi, existit, certo tunc ex praemisso modo vacantem ecclesiae eorum domus regularis de ipsius Ferdinandi regis consensu et auctoritate venerabilis fratris patriarchae Aquileien. sub certis modo, et forma tunc expressis uniri, annecti et incorporari obtinuerunt, prout in patentibus litteris seu instrumentis aut documentis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, guardianus et fratres praedicti unionis huiusmodi praetextu possessionem eiusdem parochialis ecclesiae apprehenderint illiusque fructus, redditus et proventus perceperint, a nonnullis autem de unionis, annexionis et incorporationis praedictarum validitate du-

bitari possit, nobis propterea pro parte eorundem guardiani et fratrum fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolisa dignaremur. Nos igitur guardianum et fratres praedictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut stantibus praemissis parochialem ecclesiam praedictam dummodo tempore dat. prasentium non sit in ea alioni speoialiter ius quaesitum, cum annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis ecclesiae domus huiusmodi, ita quod liceat guardiano et fratribus praediotis per se vel alium seu alios eorum, ac diotae domus regularis nominibns corporalem, realem et actualem possessionem eiusdem parochialis ecolesiae ac annexorum iuriumque et pertinentiarum praedictorum propria auotoritate libere apprehendere, et apprehensam retinere, illorumque fruotus, redditus, proventus, iura obveniontes, et emolumenta quaecunque percipere, erigere et levare, ac in eorum usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate nostra de novo unias, annectes et incorpores, fructusque, redditus et proventus per guardianum et fratres praedictos perceptos, illis eadem auctoritate remittas et condones, non obstantibns Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentibus aliisque constitionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas diota parochialis ecclesia debitis non fraudetur obsequiis et animarum oura illi imminens nullatenus negligatur, sed eius congrue supportentur onera consueta; per praesentes vero non intendimus ius patronatus huiusmodi in aliquo approbare.

Datum Tusculi die II. Octobris MDCXXI. anno I.

CCI.

Emmanuel de Angelis Elboren. fit episcopus ecclesiae Fessen. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 34.

Romae fer. II. die XV. Novembris apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. card. Farnesio referente, s. d. n. ecclesiae Fessen. in partibus infidelium certo modo vacan. providit de persona r. p. fr. Emmanuelis presbyteri Elboren. dioecesis, theologi, ord. s. Francisci de observ. expresse professi, eumdemque suffraganeum deputavit archiepisc. Elboren. oum assignatione pensionis annuae 300 oruciat. monetae Portugalliae super mensae archiepiscopalis Elboren. fructibus etc., quae transeat ad successores etc. cum condonatione iurium etc.

CCII.

Simon Mascharenus fit episcopus Congen. et Angolen. Ex eisdem actibus pag. 35.

Romae fer. II. die XV. Novembris apud s. Petrum in aula paramentorum fuit consistorium secretum, in quo

Eodem referente s. d. n. ecclesiae Congen. et Angolen. vacan. per obitum Emmanuelis Baptistae providit de persona r. fr. Simonis Mascharení, ord. s. Francisci de observ. presbyteri Elboren. etc. cum condonatione iurium etc.

CCIII.

Eligit Antonium Strozzi vicarium generalem fratrum reformatorum familiae cismontanae et quaedam pro bono eorum regimine statuit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 250.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, ad ea, per quae christifideles sub suavi religionis iugo et strictioris observantiae regularis Altissimo famulantes in laudabili eorum instituto, sublatis impedimentis quibuslibet, feliciter et quiete perseverare valeant, libenter intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Hinc est quod nos prospero fratrum ordinis minorum s. Francisci strictioris observantiae reformatorum nuncupatorum citra montes commorantium et existentium statui atque directioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, dilectum filium Antonium Strozzium, dicti ordininis professorem et provinciae s. Francisci eiusdem ordinis visitatorem apostolicum alias deputatum, in vicarium generalem omnium fratrum reformatorum citra montes commorantium et existentium huiusmodi usque ad festum pentecostes anno MDCXXIV. in quo celebrabitur primum capitulum generale, iuxta formam inferius praescribendam, apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus. Insuper auctoritate et tenore praedictis statuimus et ordinamus, ut huiusmodi vicarius generalis habeat in omnes sibi subditos fratres reformatos citra montes tam praesentes quam futuros inter ipsos professos, vel qui aliquando ex fratribus observantibus reformate vivere instituerint, facultatem et auctoritatem sibi alias traditam per constitutionem fel. rec. Eugenii papae IV. praedecessoris nostri anno MCDXLVI. et pontificatus sui XVI. editam, et a fel. rec. Nicolao V. ac Pio II. aliisque romanis pontificibus praedecessoribus nostris, confirmatam, iuxta cuius tenorem se rexerunt

in omnibus et per omnia fratres ipsi reformati (qui et observantes vocati sunt) usque ad tempora similis mem. Leonis papae X. similiter praedecessoris nostri, qui anno MDXVII. totius ordinis s. Francisci sigillum et gradum ministri generalis a conventualibus transtulit in ipsos observantes, et quoad iurisdictionem ministri generalis in fratres reformatos ac eorum loca, servetur constitutio similis mem. Gregorii papae XIII. etiam praedecessoris nostri, quae incipit *Cum illius vicem* etc., dummodo per seipsum personaliter tantum, et non alii, neque per alios etiam reformatos (cum iam ad hoc deputatus sit vicarius generalis reformatorum) exerceat facultatem et auctoritatem sibi concessam in dicta constitutione, iuxta cuius tenorem nullus alius praelatus ex fratribus de familia ullam habeat auctoritatem in dictos fratres reformatos, necnon circa modum vivendi reformatorum, ultra ea, quae disponuntur in constitutionibus dictorum Eugenii et Gregorii ac rec. etiam mem. Clementis VIII. praedecessoris nostri huiusmodi; serventur etiam infrascripta videlicet.

Quod vicarius generalis cismontanus fratrum reformatorum circa finem triennii, ex quo ad officium vicariatus electus fuerit, possit et debeat procuratorem generalem curiae, visitatores (qui et definitorum generalium munere funguntur, et fungentur usque ad primum capitulum generale) custodes seu vicarios provinciales, atque discretos quarumlibet custodiarum seu provinciarum sibi subiectarum habentes vocem in capitulo, convocare et capitulariter congregare in loco ab ipso vicario generali deputando pro capitulo generali, ab eisdem reformatis in festo pentecostes celebrando, in quo prius ex ipsismet reformatis eligentur quatuor definitores generales cum auctoritate sibi per statuta generalia assignata. Hinc eligentur quatuor visitatores reformatorum citra montes existentium, quorum antiquior praesideat electioni vicarii generalis proximi futuri, approbandi ab eiusdem ordinis apud nos et sedem apostolicam protectore pro tempore existenti. Deinde eligetur vicarius generalis ad triennium duraturus, qua temporis duratione gaudebunt et definitores seu vicarii provinciales, nemo autem praedictorum possit reeligi ad dictum munus iam a se administratum, nisi sexennio transacto, et ille censeatur in vicarium generalem electus, in quem maior pars votorum concurrerit, qui postea teneatur petere confirmationem suae electionis a ministro generali intra mensem si in Italia fuerit minister generalis, si vero fuerit extra Italiam intra tres menses. Generalis autem minister infra tres dies a die petitionis dictam electionem confirmare teneatur, alioquin si confirmationem huiusmodi diutius concedere distulerit, lapsis tribus diebus, dictus electus in vicarium generalem apostolica auctoritate confirmatus maneat et censeatur. Interim tamen a die electionis usque ad diem confirmationis idem electus officium vicarii generalis exercere licite valeat ac debeat, aeque ac si confirmatus esset. Quodque in posterum singulo triennio in festo pentecostes celebretur capitulum generale ab ipsis reformatis in loco, ut dictum est, per vicarium generalem sive per generale capitulum praecedens deputando. In

quibus generalibus capitulis pro bono ipsorum fratrum reformatorum regimine quaecunque statuta et ordinationes, quae de iure, consuetudine et privilegiis fratres de familia possunt (regularibus tamen institutis suae strictioris observantiae, sacris canonibus et concilii Tridentini decretis non adversantia) liceat facere, ordinare, disponere et statuere. Insuper quod vicarius generalis, triennio expleto et electo successore, gaudeat nihilominus in capitulis celebrandis ab eisdem reformatis et in aliis functionibus eisdem praerogativis, quibus gaudet minister generalis in capitulis generalibus totius ordinis et in aliis functionibus. Ad electionem vero ministri generalis, quando citra montes celebrabitur conveniat et vocem activam tantum habeat vicarius generalis reformatorum, qui si tempore sui vicariatus in aliquo deliquerit, servetur circa illius correctionem et punitionem ultra id, quod ordinis regula disponit, idem, quod ad correctionem et punitionem ministri generalis invenitur statutum et ordinatum, nisi aliter in capitulo generali dictorum reformatorum aliquando fuerit dispositum. Et si aliquando contingerit aliquem dictorum visitatorum praepediri ad obeundum suum munus iuxta regulam impedimento diuturniori, quam officii ratio valeat tolerare, arbitrio vicarii generalis iudicando, possit et debeat ipse vicarius generalis alium visitatorem subrogare pro tempore saltem impedimenti, si cessare posse speretur. Si autem vicarius generalis infra sui officii tempus obierit, seu alias ab officio amotus fuerit, custos seu vicarius provincialis, in cuius districtu mori vel amoveri contingerit, nuntiare teneatur visitatori illius reformationis, qui statim de hoc certiorem faciat sanctam sedem apostolicam, ad quam spectat in hoc casu providere de superiore generali usque ad tempus capituli generalis, et intermedio tempore visitator praedictus subeat vices vicarii generalis. Postremo si obierit aliquis visitatorum ante capitulum generale, vicarius generalis etc. plenam, liberam et amplam facultatem vicario et capitulo generalibus auctoritate et tenore praedictis concedimus et impartimur.

Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, irritumque et inane etc. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XXIV. Novembris MDCXXI. pontificatus nostri anno I.

CIV.

Adprobat erectionem congregationis hospitalaris utriusque sexus, subiicitque ministro generali ordinis. Ex reg. secret. Brev. in mense Decembri pag. 369.

Venerabili fr. episc. Ebroicen.

Superna dispositione, a cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, sacrosanctae militantis ecclesiae regimini, nullo

licet merito nostro, praesidentes, pia christifidelium quorumlibet vota, praesertim ad divini nominis laudem et gloriam, catholicae religionis propagationem et pauperum peregrinorum et personarum pestiferis et aliis gravibus infirmitatibus laborantium curam et consolationem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac favoribus et gratiis prosequimur opportunis, ac alias in his pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout personarum, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Exponi siquidem nuper fecerunt dilecti filii Petrus David et Andreas du Saussay, ac Renatus Boroutesauge et Philippus Bilainc, Maturimus le Picart, Ioannes de Feullon et Marinus le Leurier Ebroicen. seu alterius dioecesis, necnon dilectae in Christo filiae Catharina le Bis ac Francisca de la Croux et Claudia le Caron, Ioanna le Bis, Maria le Caron, Ioanna de Santay, Carolotta le Pigeon, et Maria Bouvier mulieres illarum partium, quod ipsi cupientes et alias non sine animi dolore perpendentes multos christifideles, qui ex devotione aut votis emissis ad id adscripti, ecclesiarum, in quibus sanctorum et sanctarum intercessionibus divina maiestas miracula operari, et gratias suas pie invocantibus impartiri dignatur, visitandarum gratia etiam a longinquis partibus peregrinantur, facultatibus destitutos, propter modicas hisce calamitosis et in exercenda charitate tepidis temporibus eleemosynas erogari solitas, ac hospitalium sufficientibus redditibus suffultorum penuriam, ventis et pluviis, frigori aliisque caeli iniuriis etiam fami expositos, et quod magis dolendum est, sine praevia sacramentorum perceptione misere interdum emori, hisque salubre et salutare aliquod remedium afferre cogitantes, sese in oppido Locovariensi vulgo de Louviois dictae tuae Ebroicen. dioecesis, de tua licentia nonnullis aliis utriusque sexus personis in eorum societatem adductis eo adunaverunt, ac ad publicam hospitalitatem ergo pauperes peregrinos, nec non opera misericordiae corporalia et spiritualia erga peste affectos et laborantes in opportunis locis expresse sepositos exercendum sese et facultates suas Deo dicaverunt,. magnamque pecuniarum summam in emptionem domorum et aliorum bonorum stabilium pro dote duorum monasteriorum unius videlicet virorum, et alterius mulierum, totidemque hospitalium pro viris et mulieribus ad professionem admittendis et egenis ac infirmis hospitio excipiendis, respective converterunt et erogaverunt, ac in congregatione, ut infra, erigenda cum animi quiete Deo inservire cupiunt, et ad hunc effectum nobis praesentem vivendi formulam uti ad propositum sibi finem conducentem praesentari fecerunt, videlicet.

§ 2. Ut quicunque fideles huiusmodi congregationem ingredi et in illo Altissimo famulari cupient, quo purius et expeditius observare possint etiam consilia sancti Iesu Christi Dei et Domini nostri evangelii praeter castitatis, obedientiae et vitae sine proprio degendae vota per eos emittenda, etiam peculiare votum emittant ad hospitalitatem erga pauperes peregrinos exercendam, curamque suscipiendam epide-

demia seu peste laborantium, ac necessaria illis tam corporalia quam spiritualia etiam sacramentorum administrationem procurandam seu respective suppeditandam, idque in locis opportunis et ad id deputatis, citra tamen ab iurisdictione ordinariorum locorumexemptionem, quinimo tibi ac ordinario loci, in cuius dioecesi eos pro tempore degere contigerit, ac pro tempore existenti ministro generali, ord. fratrum minor. s. Francisci de observ. nuncupat., aliisque suis superioribus, [ex] dicto ordine electis et eligendis, se in perpetuum submittent; et quod clericos, ipsi nocturnis et diurnis horis in choro convenientes officium divinum, secundum ritum s. r. e. et concilii Trid. unanimiter persolvent, ita tamen, ut illi ex dictis clericis, qui hospitalitatis vel aliorum misericordiae operum gratia aliisve iustis de causis a choro aberunt, pro temporis et loci opportunitate devote et attente privatim dictum officium, laici vero non cantantes vel absentes a choro pro nocturno quater et vigesies pater noster, sive orationem dominicam et salutationem angelicam recitare teneantur; matutinis autem et completoriis horis recitatis in choro, orationi mentali per dimidiam horam aut alias, prout eorum superiori benevisum fuerit, vacabunt, et quotidie hora serotina examen conscientiae exacte et fideliter facient. Et quia ieiunium mentem ad Deum elevat, quarta feria cuiuslibet hebdomadae, nisi debilitas manifesta aut infirmitas vel periculum pestis contrarium suaserit, ab esu carnium abstinebunt, et qualibet sexta feria totius anni ieiunabunt, nisi festo nativitatis Domini nostri Iesu Christi aliove legitimo impedimento adveniente; itemque a die festo s. Martini usque ad nativitatem eiusdem Domini, et a dominica quinquagesimae usque ad festivitatem paschatis resurrectionis dominicae, singulis tamen diebus dominicis exceptis, ac cessante infirmitate et pestis evidenti periculo, ieiunium observabunt, prout etiam a nativitate eiusdem Domini usque ad dictam dominicam quinquagesimae singulis quarta et sexta feriis observantes inter ea omnia alia ieiunia, ab ecclesia et ordinariis locorum indicta. Item ne orationi et ieiunio frequentatio desit sacramentorum, singulis saltem mensibus peccata sua confitebuntur tam religiosi quam moniales congregationis huiusmodi, ac propterea solemnioribus totius anni et eiusdem congregationis patronorum festivitatibus, etiam sacra communione reficientur. Praeterea unaquaeque domus hospitalis praeposito suo pro tempore existenti suberit, qui legitime ab eisdem religiosis ex eadem congregatione eligetur, et a pro tempore existente ordinario loci approbabitur. Universi vero religiosi hospitalarii et hospitalariae huiusce congregationis supradicto ministro generali submittentur, cui et suis aliis superioribus ex suo ordine praedicto electis et eligendis, eidem ministro generali subalternatis, firmiter obedire tenebuntur, ita tamen, ut praedictus minister generalis per se vel aliquem fratrum reformatorum de observantia sive recollectorum, non autem tertiariorum seu tertii ordinis s. Francisci de poenitentia nuncupati, a se deputatum de triennio in triennium ad minus semel, quoad votorum implementum et exactam vitae regularis observantiam; ordinarius vero

loci ratione hospitalitatis et curae laborantium peste, quoties libuerit, dictos hospitalarios et hospitalarias, modo et forma dicti concilii Trid. servatis, visitare possint et debeant. Insuper religiosi hospitalarii in superiores ministros ab ipsa congregatione electi alios sibi subditos visitantes humiliter ac in charitate et cum moderatione corrigent, nihil contra conscientiam suam et regulam, quam professi fuerint, praecipientes; subditi autem patienter in omnibus, quae Domino promiserunt, suis superioribus, etiam quoad curam erga peste laborantes et hospitalitatem obedient. Quantum vero ad moniales huiusce congregationis, regulam sibi praescriptam et clausurarum iuxta concilii Trid. decreta exacte observabunt, et ab ordinario loci ac suis superioribus, pro tempore existentibus, de iis, quae ad legitimam electionem spectant et pertinent, fideliter edoceri procurabunt, et sic edoctae matrem sibi ex earum gremio et societate praeficiendam canonice et iuxta dicti concilii decreta eligere possint. Porro, ne quis ad religionem huiusmodi leviter et inconsiderate admittatur, neminem ad illius institutum prius recipient, quam pro tempore existentes superiores ingressum ad illam postulantis fidem, religionem, officium, statum et conditionem exploraverint, eique congregationis et regulae onera proposuerint, monuerintque alienorum bonorum restitutionem faciendam, qua satisfactione vel satisfaciendi cautione praestita et quatenus opus sit, reconciliatione cum proximo facta, per quindecim plus minusve dies instando pro qualitate personae ter quaterve, si ita libuerit, de consilio tamen religiosorum magis idoneorum ad id deputatorum, priusquam recipiatur, reiicient; in monialibus tamen forma concilii Trid. servetur quoad voluntatis explorationem, antequam profiteantur, et post annum professurus tam religiosus quam monialis, si idoneus vel idonea videbitur, facto prius testamento et bonorum suorum dispositione ad praescriptum sacri concilii Trid., prout illis Spiritus sanctus suggesserit, praedicta huiusce religionis vota emittent. Quae quidem professio in scriptis redacta et manu publica signata non aliter nec alio modo recipietur, nisi conditione et instantia personae attenta consideratione discussis. Huius autem congregationis pro habitu duas tunicas ex panno, vel ex alia materia contra epidemiam seu pestem aptiore, superiorum suae congregationis arbitrio, pro temporis et locorum varietate, terrestris sive cinericii aut grisei coloris, ut vocant, tam novitii quam professi vestient; quarum tunicarum altera desuper maior erit, et in superiori parte insimul assutum habebit caputium cum corda ex crine equino desuper lumbos cingente, et eiusdem materiae coloris castanei vulgo *tanei* mantellettum humeris calceatis pedibus ferent: novitiorum habitui distinctione superiorum arbitrio adhibita.

§ 3. Et insuper insignia sibi peculiaria haec desument, quae ad sinistram gestabunt, ut a ceteris quibuscunque internoscantur: videlicet in superiori tunica coloris cinericii sive grisei huiusmodi crucem oblongam castanei coloris quem *taneum* vocant effigient, quampridem in traversali spina corona viridis amplectetur, tribus apicibus cacu-

minis nimirum et brachii utrinsque singula lilia gallici stemmatis flava, in una vero stirpe tres clavos ceruleos in acuminibus deorsum coalitos et ab utraque parte crucis iuxta arrectarium priores nominis s. Ludovici litteras hieroglificas appingent; moniales vero similiter duas tunicas decenter longas et talares vestient cum alia tunicella et corda crinea desuper, necnon mantellum ex materia et colore praedictis, velumque album tempore novitiatus et post emissam professionem nigrum desuper gerent. Denique hospitalarii huiusmodi habitum semel susceptum post emissam professionem, nisi arctioris instituti aut religionis professionem, servata tamen quoad hoc sacrorum canonum et sacri concilii Trid. forma, dimittere non poterunt, nullique religiosorum eorumdem fas erit, sine sui superioris licentia de loco regulari sive hospitali, in quo eos pro tempore transmitti seu commorari contingerit, discedere aut discedentem recipere absque litterarum societatis cautione; et haec omnia et singula praeter tria vota ceteris ordinibus essentialia, et quartum suprascriptum in huiusmodi regula contenta, erunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum et nulla obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino iure aliquis alias fuerit obligatus.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, instituti huiusmodi ratio nihil quod pium non sit et salutare amplectatur, sitque quippe, quod ad omnium fidelium perutile et necessarium dignoscatur, omnibus illius notitiam habentibus ita gratum et acceptum, ut diversi utriusque sexus christifideles summo affectu in illud profitentium congregationem recipi et admitti exoptent, ob idque cupiant exponentes praedicti, ex domibus et aliis bonis stabilibus in oppido Locovariensi ad effectum praemissorum, ut praefertur, donatis seu acquisitis, duo monasteria sub instituto praedicto militantia, unum videlicet hominum et alterum mulierum, ut praefertur, totidemque hospitalia erigi sive illa erigendi sibi a nobis et sede apostolica licentiam concedi.

§ 5. Et quia tempore pontificatus fel. rec. Pauli papae V. praedecessoris nostri ei pro parte eorumdem exponentium exposito, quod ipsi etiam medio iuramento se velle profiteri sub regula tertii ordinis eiusdem s. Francisci de poenitentia intendebant, et mulieres praedictae ac aliquae earum sociae a superioribus dicti tertii ordinis habitum per moniales dicti tertii ordinis gestari solitum susceperant; subinde vero votis controversiis inter superiores et fratres dicti tertii ordinis ex una, et exponentes praedictos ex altera partibus professionem dicti tertii ordinis, nec alterius cuiuscunque religionis non emiserant, super quo per dictum Paulum praedecessorem a voto et iuramento praedictis absolvi et superioribus ac fratibus tertii ordinis huiusmodi, etiam de consilio et voto congregationis ven. fratrum nostrorum s. r. e. card. negotiis regularium praepositorum, silentium perpetuum imponi obtinuerunt, impositionem perpetui silentii huiusmodi per nos et sedem apostolicam approbari et confirmari. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt iidem expositores, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 6. Nos qui pia et in subventionem proximi tendentia instituta, ut suum debitum sortiantur effectum, quantum cum Domino possumus adiuvamus, exponentes praedictos eorumque sanctum propositum huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon eos et eorum quemlibet a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de voto eorumdem fratrum nostrorum s. r. e. card. negotiis regularium praepositorum, per praesentes committimus et mandamus, quatenus praeinsertam formulam seu institutum vivendi, necnon habitus et insignium huiusmodi delationem et gestationem auctoritate nostra perpetuo approbes et confirmes, eisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem suppleas necnon unam congregationem hospitalariorum s. Ludovici regis Franciae et s. Elisabeth olim reginae Ungariae, sub regula s. Francisci per pro tempore existentes dictorum fratrum minorum de observantia ministrum generalem et eiusdem congregationis praesules ac alios illius ministros, eidem ministro generali subditos, electos, et pro tempore eligendos, regendam et gubernandam ac uno eodemque tempore in dicto oppido Locovariensi dicta duo monasteria una cum hospitali pro quolibet ac ecclesiis, campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, refectoriis, coemeteriis, areis, hortis, hortalitiis, cellis, aliisque officinis necessariis et opportunis, dummodo tamen ita constructa et aedificata fuerint, ut via publica vel atrio saltem intermedio pro spatio, arbitrio tuo et ordinariorum locorum pro tempore existentium statuendo, necnon muris altis et inaccessibilibus ab invicem separentur et distincta sint, et in muris huiusmodi nullae omnino adsint ianuae, neque fenestrae nec collocutoria aut alia foramina, minusque ab uno ad alterum pateat aditus vel prospectus in monasteria et hospitalia dictae congregationis, quorum unum ad virorum et alterum mulierum, ad numerum certum iuxta formam et praescriptum sacri concilii Tridentini, et cum dote pro qualibet moniali, et arbitrio tuo quoad quantitatem, formam in illis respective recipiendorum et recipiendarum usum inservire debeat, sine alicuius praeiudicio, dicta nostra auctoritate etiam perpetuo erigas et instituas, illisque et eorum cuilibet ex nunc, prout postquam sic erecta et instituta fuerint, pro eorum dote ac illorum religiosorum et monialium in ipsis monasteriis per te pro hac prima vice ac eorum superiores postea pro tempore introducendorum et introducendarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione tam redditus et proventus per dictos exponentes, ut praefertur, donatos et assignatos, dummodo tamen pro quolibet eorumdem monasteriorum saltem quadraginta scuta monetae illarum partium annuatim proveniant, quae omnia et singula alia, proprietates, bona, census, redditus. iura, obventiones, et emolumenta quaecunque dictis duobus monasteriis, ut praefertur, erigendis per quoscunque christifideles et dictae congregationis seu hospitalarios seu hospitalarias aut alicuius eorum intuitu per viam codicillorum, donationis etiam inter vivos et causa mortis, seu alterius

cuiuscunque dispositionis ac etiam in eleemosynam vel alias pro tempore quomodocunque et qualitercunque relinquenda et eroganda ex tunc, prout postquam donati et assignati ac relicta fuerint, ita tamen quod liceat eorundem monasteriorum praeposito seu ministro, superiori et abbatissae seu priorissae, necnon eorundem conventibus pro tempore existentibus corporalem, realem et actualem illorum omnium ac iurium et pertinentiarum suorum quorumcunque possessionem per se vel alium seu alios eorum vel earum ac monasteriorum, ut praefertur, erigendorum nominibus propria auctoritate apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta ex his provenientia quaecunque, necnon oblationes et eleemosynas eisdem monasteriis, illorumque superioribus pro tempore elargitas et elargiendas percipere, exigere, levare, recipere, recuperare, arrendare, locare, regere et administrare ac in eorum et earum necnon ipsorum monasteriorum et hospitalium huiusmodi communes usus et necessitates ac utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita; similiter perpetuo eadem auctoritate applices et appropries, dictisque monasteriis una cum eorum hospitalibus et pertinentiis, sic, ut praefertur, constructis, aedificatis, distinctis, dotatis, erectis et institutis, Petrum et Andream necnon Renatum et Philippum ac Maturinum et Ioannem, necnon Marinum, prout et Catharinam ac Franciscam, necnon Claudiam ac Ioannam le Bis et Mariam le Caron ac Ioannam de Sausay, necnon Carolottam ac Mariam Bouvier exponentes praefatos, et si quos alios vel alias tempore primaevae huiusce erectionis sese obtulerint, ad habitum, ut supra specificatum, portandum, pro hac prima vice dumtaxat, admittas, illosque et illas in Domino induas ac sic vestitos et vestitas in monasteria sic, ut praefertur, erecta et instituta viros quidem in unum ad hospitaliorum, moniales vero in alterum ad hospitaliarum usum respective constructa, introducas, et pro hospitalitate exercenda ancillas et famulas honestae vitae et famae, quae dictarum monialium superiori subsint, et nullatenus earum clausuram ingrediantur, eisdem monialibus concedas; et anno probationis elapso illos et illas ac illorum et illarum quamlibet et quemlibet ad professionem, iuxta formulam et vivendi modum supra praescriptos, emittendam pro prima vice dumtaxat similiter admittas, illumque et illam, quem et quam magis idoneos repereris, in eorumdem monasteriorum superiores constituas, omnesque et singulos exponentes praedictos ac alios, quos per se ad habitum et professonem huiusmodi admitti contigerit, ut institutum praedictum iuxta eorum professionem servent, divinisque laudibus et officiis in choro insistant, nec non sub perpetua obedientia nostra ac pro tempore existentium romanorum pontificum necnon ministri generalis et aliorum suorum superiorum ex dicta congregatione, ut supra, eligendorum directione et correctione, necnon pro tempore existentis ordinarii loci, quoad curam infirmorum et hospitalitatis visitationem vivant, ac hospitalitatem et curam peste laborantium, religiosi videlicet erga masculos in virorum, moniales vero

erga sui sexus peregrinas in mulierum hospitalibus, ut supra, distinctis et separatis, perpetuam tamen clausuram semper servando, exerceant, iniungas, ac pro monasteriorum et hospitalium huiusmodi prospero et felici regimine et administratione, dictaeque congregationis ampliatione et propagatione, superioribus et religiosis illorum quaecunque statuta, ordinationes et capitula etiam virorum et monialium receptionem, aetatem, qualitates, directiones, et alia necessaria ac hospitalium illorum et monasteriorum praedictorum, bonorum et redditnum administrationem concernentia, licita tamen et honesta ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, dictique concilii Trid. decretis et praemissis huiusce instituti regulis aut formulis minime contraria, per nos tamen et sedem apostolicam sive locorum ordinarios, pro tempore existentes de nostra et dictae sedis auctoritate, examinanda et approbanda, ac per ipsos hospitalarios et hospitalarias firmiter et inviolabiliter observanda et adimplenda faciendi, condendi, ac quoties pro rerum et temporum qualitate vel alias ipsis expediens videbitur, immutandi, corrigendi, emendandi ac in melius reformandi aliaque ex integro praeviis examine et approbatione praedictis, condendi, necnon quaecunque loca seu domus ad habitandum donata seu acquisita vel ab illis quomodolibet habita in ecclesias et domus regulares seu conventus et monasteria seu hospitalia et oratoria ordinis et congregationis huiusmodi, dummodo tamen pro quorumcunque monasteriorum praedictorum dote ac religiosorum seu monialium in illa introducendorum et introducendarum manutentione eorumque onerum supportatione quadraginta scuta, ut supra, annuatim assigneutur absque nova dictae sedis desuper obtinenda facultate et approbatione, erigendi seu erigi procurandi, dummodo in novorum monasteriorum et hospitalium virorum huiusmodi erectionibus ordinariorum locorum accedat assensus, duodecim saltem religiosorum numerus in quolibet illorum manuteneatur serveturque in reliquis forma decreti fel. rec. Clementis papae VIII. praedecessoris nostri iam pridem et card. praedictorum auctoritate super novorum conventuum erectione novissime editi. In monialium vero monasteriis, ut praefertur, erigendis, certus monialium numerus, qui ex eorundem redditibus commode valeat sustentari, ordinariorum locorum, in quibus pro tempore erigentur, arbitrio praefigatur. Puellae monasteria huiusmodi ingressurae qualitatibus necessariis sint praeditae, ac unaquaeque earum certam dotalem eleemosynam, ordinarii arbitrio similiter taxandam, monasterio realiter et cum effectu pendat, quae autem supra numerum huiusmodi, ut supra, praefigendum ingredi voluerint, duplicatam dotem persolvant, solitamque licentiam a sede apostolica impetrare teneantur; ac quoscunque saeculares clericos seu laicos, quavis dignitate fungentes, qui Deo inspirante, se ad huiusmodi vitae institutum conformare intenderint, recipiendi et ad professionem admittendi, et si quid pro hospitalitatis oneribus supportandis defuerit, eleemosynas pro peregrinorum sustentatione quaeritandi, et insuper habita ratione, quod institutum huiusmodi charitatem urget, eidem pro tempore existentibus praela-

tis seu superioribus huiusmodi congregationis per se vel alium seu alios ad id per eos deputandum vel deputandos omnes et singulos eiusdem congregationis religiosos et moniales, personasque sub eodem instituto, regula, disciplina et religione pro tempore degentes ab omnibus et singulis eorum peccatis, ante et post ingressum in dictam religionem per eos commissis, in foro conscientiae tantum absolvendi, ac generaliter superioribus et religiosis eiusdem congregationis, omnibus quibuscunque privilegiis, exemptionibus, indulgentiis, facultatibus, libertatibus, auctoritatibus, favoribus, praerogativis, concessionibus et gratiis quorumvis etiam cistercen. cluniacen. ac s. Benedicti monachis, necnon clericis regularibus ac presbyteris et collegialibus societatis Iesu, ac canonicis congregationis Lateranen. necnon quibuscunque aliis clericis regularibus et aliorum tam mendicantium quam non mendicantium ordinum et congregationum fratribus, et personis tam spiritualibus in specie vel in genere etiam communicative per quoscunque romanos pontifices praedecessores nostros ac sedem praedictam quomodolibet concessis, dummodo tamen sint in usu nec sub ullis revocationibus comprehensa sint, neque sacris canonibus, constitutionibus apostolicis aut concilii Trid. decretis vel ipsius congregationis regularibus institutis adversentur, et quibus illi tam in vita quam in mortis articulo etiam circa peccatorum remissiones aut alias quomodolibet uti, potiri frui et gaudere possunt aut poterunt quomodolibet in futurum, perpetuis futuris temporibus utendi, fruendi, potiendi et gaudendi, ac de illis omnibus participandi pariformiter, non ad instar tantum, sed aeque principaliter absque ulla prorsus differentia perinde ac si pro religiosis et monialibus hospitalariis huiusmodi et eorum congregationi, domibus, ecclesiis, oratoriis nominatim et specialiter ac generaliter aut expresse concessa fuissent. Ac demum, ut omnium animarum profectui et saluti iuxta pia eorum desideria providere possint et valeant in suis ecclesiis constructis et construendis, dummodo prius ab ordinariis locorum fuerint approbati, mercatorum, peregrinorum ac transeuntium et aliarum quarumcunque personarum confessiones audiendi, illisque sanctissimum eucharistiae sacramentum quoties opus fuerit, non tamen in festo paschatis resurrectionis dominicae, et de licentia pro tempore existentis ordinarii loci, nec alio modo ministrandi, ac ministrari faciendi, licentiam et facultatem dicta auctoritate nostra etiam perpetuo concedas et elargiaris. Necnon tibi ac pro tempore existentibus ordinariis locorum, ubi monasteria dictae congregationis erigi et institui contigerit, pro monialium in illis pro tempore recipiendarum felici directione ac in vita, moribus et regularibus institutis instructione, duas vel plures moniales, quae ad id voluntarie repertae fuerint, earum superiorum consensu requisito, ex suis monasteriis dicti ordinis s. Francisci hac prima vice deducendi et in monasterium monialium hospitalariarum huiusmodi erigendum, ita ut illae eodem se transferre ac prorsus vel ad tempus tibi seu ipsis ordinariis pro tempore existentibus benevisum permanere possint et debeant, transferendi, ac dummodo moniales sic transfe-

rendae a consanguineis gravibus et honestis matronis associentur, ab uno monasterio ad aliud, et modesto et quantum occultius fieri poterit rheda clausa vel saltem earumdem monialium oris parte velata, necnon recte tendatur, nec alio divertatur et nullibi pernoctetur nisi causa hospitii, idque nonnisi apud honestas personas, plenam, liberam et omnimodam facultatem et protestatem auctoritate et tenore praemissis concedimus.

§ 7. Decernentes etc.

§ 8. Non obstantibus etc.

§ 9. Volumus etc.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die VI. Decembris MDCXXI. pontificatus nostri anno I.

CCV.

Supprimit provinciam Sardiniae minor. observantium eamque uti custodiam subiicit provinciae Cathaloniae. Ex eod. regest. in mense Decembri pag. 604.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut carissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex catholicus, nobis nuper exponi fecit, dilecti filii minister generalis et alii superiores, ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, ut ecclesiastica regularisque disciplina in domibus et locis regularibus dicti ordinis insulae Sardiniae, in quibus collapsa erat, restitueretur ac domorum et locorum regularium huiusmodi fratres ad meliorem ac sacris canonibus et regularibus dicti ordinis institutis apostolica auctoritate confirmatis, conformem vivendi modum revocarentur, provinciam Sardiniae ordinis huiusmodi supprimendam illamque sic suppressam in custodiam alicuius ex provinciis eiusdem ordinis regni Aragoniae reducendam in capitulo generali intermedio nuncupato, de communi consensu decreverint, prout in decreto desuper facto dicitur contineri: nos felici eorumdem fratrum statui ac prosperae directioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, dictamque provinciam Sardiniae praedictam in custodiam provinciae Cathaloniae eiusdem ordinis auctoritate et tenore praedictis reducimus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, irritumque etc. attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus, apostolicis necnon ordinis et pro-

vinciae huiusmodi etiam iuramento et roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eidem ordini illius superioribus et fratribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie ac aliter in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium et singulorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XX. Decembris MDCXXI. anno I.

CCVI.

Pro fratribus discalceatis seu recollectis. Ex eod. regest. in mense Decembri pag. 387.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias felicis recordationis Paulus papa V. praedecess. noster per suas in simili forma brevis *Ad ecclesiae militantis* sub die V. Septembris MDCVI. expeditas litteras motu proprio et ex certa scientia ac mera deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, ordinis fratrum minor. s. Francisci de observ. discalceat. seu recollector. nuncupat. superioribus, ut ubique locorum domos et monasteria, servata forma sacrorum canonum et concilii Trident. de sola licentia ordinariorum, nullo aliarum personarum cuiusvis ordinis regularium requisito consensu, recipere, fundare et erigere valere licentiam et facultatem concessit et indulsit, prout in dictis litteris quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc nos ad uberes et suaves fructus, quos citra montes commorantes in militanti ecclesia, cuius regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes ad ea, quae eorumdem fratrum citra montes commorantium et locorum regularium augmento conducere possunt, libenter intendimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Itaque ultimo dictos fratres reformatos citra montes huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras Pauli praedecessoris huiusmodi cum omnibus in eis contentis clausulis, decretis ac derogationibus ad praedictos fratres reformatos citra montes commorantes, ut praefertur, tenore praesentium extendimus eorumdemque fratrum citra montes commorantium superioribus, ut ubique locorum citra montes domos et monasteria, servata forma sacrorum canonum et concilii Trident. de sola ordinariorum licentia, nullo aliarum

personarum cuiusvis ordinis regularium requisito consensu, condere, fundare et erigere libere et licite valeant, auctoritate apostolica earumdem tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus omnibus illis, quae idem Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XXIII. Decembris MDCXXI. pont. nostri anno I.

CCVII.

Pro Margarita ab Austria clarissa. Ex eod. regest. in mense Decembri pag. 43.

Dilectae in Christo filiae Margaritae ab Austria, moniali monasterii monialium discalceat. ord. s. Francisci oppidi Madriti Toletan. dioecesis.

Religionis zelo et aliis eximiis meritis tuis ac nostro in te praecipuo paterno charitatis affectu inducimur, ut ea, per quae non solum conscientiae tuae quieti, sed etiam commoditatibus tuis consuli possit, tibi libenter concedamus. Alias siquidem fel. rec. Gregorius papa XIII. praedecessor noster per suas in simili forma brevis expeditas litteras concessit, ut tu, si quae tibi legata aut eleemosynae a cl. mem. Philippo II., Hispaniarum rege catholico, et imperatrice, genitrice tua, traderentur aut etiam relinquerentur, sub certis modo et forma tunc expressis, recipere et illis uti libere posses, prout in dicti Gregorii praedecessoris litteris huiusmodi, quarum tenore praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, nulla tibi praedictus Philippus rex legata aut eleemosynas reliquerit, certos vero reditus tibi a clarae similiter mem. Philippo III. etiam Hispaniarum rege catholico, ac bon. mem. Alberto, archiduce Austriae, Belgii principe, relictos et a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum, similiter rege catholico, et dilecta in Christo filia nobili muliere Isabella Clara Eugenia, infanti Hispaniarum, nunc assignatos hactenus perceperis et ad praesens percipias, et propterea tibi per nos, ut infra indulgeri summopere desideres: nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc etc. inclinati, te ab excommunicationis et quibusvis aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis per te, ob perceptionem redituum praedictorum, quomodolibet incursis, quatenus opus sit, apostolica auctoritate tenore praesentium absolvimus et totaliter liberamus, dictasque poenas, necnon quascunque pecunias ex dictis reditibus quomodolibet perceptos, tibi gratiose remittimus et condonamus, teque in pristinum et eum, in quo antequam redditus huiusmodi perciperes, quomodolibet eras, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegramus. Insuper tibi, ut quoad limites omnes et singulos redditus

praedictos percipere, exigere et levare et de illis prout conscientia tibi dictaverit, disponere libere et licite valeas, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XXIV. Decembris MDCXXI. anno I.

CCVIII.

Permittuntur fratres conventus Alverniae etiam extra dioecesim Aretinen. s. eleemosynam quaerere. Ex archiv. vatican. secret. minut. Gregor. XV. tom. 27. fol. 117.

Ad futuram etc. Cum sicut dilecti filii guardianus et fratres domus ordinis minorum s. Francisci de observantia, monasterii Alverniae, Aretinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsorum domus regularis huiusmodi, in qua praeter quinquaginta circiter fratres, qui sunt de illius familia, saepe alii plures tam regulares quam saeculares devotionis causa ad eam invisendam conveniunt, ob loci sterilitatem non habeat unde se sustentare, et illuc accedentibus aliquod charitatis subsidium ministrare valeat, et longe extra locum dictae domus pro eiusmodi necessaria sustentatione mendicare cogatur. Nos domus et guardiani et fratrum praedictorum necessitatibus, quantum cum Domino possumus, consulere, ac guardianum et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicibus eorum nomine nobis porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium, concilii Tridentini interpretum, consilio, dictos fratres tanquam mendicantes nequaquam posse ab episcopis prohiberi, quominus per se ipsos in dioecesibus, ubi sunt, conventibus eleemosynas quaerant; sed tamen si extra loca, ubi monasteria existunt, quaerere voluerint teneri suorum superiorum licentiam ordinario ostendere, ita tamen, ut pro domo sua ac in loco, ubi quaerunt, quaerere possint apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus. Decernentes praesentes has validas, firmas et efficaces epistolas [esse et] fore, ac guardiano et fratribus praedictis in omnibus et per omnia suffragari debere, nec non irritum etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae........

CCIX.

Prohibet ne quis sacra supellectilia ecclesiae s. Mariae dioec. Tiburtinen. extrahere possit. Ex archiv. secret. vatican. minut. Gregorii XV. tom. 27. fol. 137.

Ad futuram etc. Conservationi et manutentioni paramentorum [et] ornamentorum ecclesiae, domus sanctae Mariae Maioris nuncu-

patae Triburtiu. ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, quantum cum Domino possumus prospicere, dictaeque domus guardianum et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, paramenta et ornamenta quaecunque ex auro vel argento confecta, et cuiusvis alterius generis supellectilis sacrae dictae ecclesiae per quoscunque christifideles tam donata et assignata, quam in posterum donanda et assignanda, aliis ecclesiis, monasteriis et locis piis seu alias quomodolibet commodare, aut quovis quaesito colore, ingenio, causa, ratione seu occasione extra dictam ecclesiam portare, aut alias concedere audeat vel praesumat sub excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae ac privationis officiorum per eos obtentorum poenis apostolica auctoritate, tenore praesentium interdicimus. Non obstantibus constitutionibus etc. ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod praesentis prohibitionis copia in valvis... dictae ecclesiae aut aliquo alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit continuo affixa remaneat.

Datum Romae.........

CCX.

Rata habet coenobia erecta et erigenda pro fratribus recollectis provinciae Cathalauniae. Ex regest. secret. Brevium in mense Ianuario pag. 399.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii fratres ordinis minorum s. Francisci de observ. reformati recollecti nuncupati, provinciae Cathaloniae, in militanti ecclesia, cuius regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, ad ea libenter intendimus, per quae fratres praedicti, et landabilis eorum instituti observantia felicioribus in dies proficiant incrementis, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Felici itaque et prospero eorumdem fratrum regimini atque gubernio, necnon paci et quieti quantum cum Domino possumus consulere, ipsosque fratres reformatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, domos seu conventus et alia loca regularia eorumdem fratrum reformatorum in dicta provincia Cathaloniae tam hactenus erecta et instituta, quam deinceps erigenda et instituenda in provinciam, a provincia fratrum minorum eiusdem ordinis de observantia nuncupatorum separatam cum omnibus et singulis pertinentiis, praerogativis, privilegiis, indultis et gratiis aliis fratrum reformatorum dicti ordinis provinciis a sede apostolica concessis, apostolica auctoritate tenore praesentium

erigimus et instituimus, eamdemque provinciam per praesentes erectam, illiusque religiosos quoscunque congregationi fratrum discalceatorum eiusdem ordinis Hispaniarum auctoritate et tenore praedictis aggregamus, ac obedientiae vicarii generalis congregationis huiusmodi submittimus et supponimus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis praedicti etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis illi eiusque ministro generali et quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel iu specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariisque quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die II. Ianuarii MDCXXII. anno I.

CCXI.

Confirmat quaedam statuta pro bono regimine fratrum recollectorum provinciae Brittaniae. Ex eod. regest. in mense Ianuario pag. 218.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolici muneris debito religiosorum omnium reformationem ac prosperum statum sincero desiderantes affectu, ea, quae pro huiusmodi reformatione ac disciplinae regularis conservatione provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo remaneant libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus. Sane nomine dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum s. Francisci de observ. reformatorum nuncupatorum provinciae Brittaniae, nobis nuper expositum fuit, quod alias pro conservanda in dicta provincia reformatione infrascripta capitula, quae a dilectis filiis Iosepho Vasquez, dicti ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia, in romana curia commissario generali, ac Guillelmo Brehauld, ordinis eiusdem professore reformato, ad praedictam curiam a dictis fratribus reformatis ad hunc effectum destinato, edita fuerunt tenoris subsequentis videlicet.

In primis quod confirmentur auctoritate apostolica litterae ill. d.

d. card. Veralli protectoris prius super dicta reformatione expeditae et directae ad rev. d. nuntium apostolicum apud regem christianissimum sub die XXX. Octobris anni millesimi sexcentesimi decimi octavi.

Denuo idem pater Ioannes Lowet reformatus seu recollectus, provinciae s. Dionysii in Gallia, instituatur commissarius, qui secundum tenorem dictarum litterarum conventum Caesambriensem iam reformatum gubernet ac regat, et quod minister provincialis non possit nec conventum nec talem commissarium nec alios fratres ibi commorantes molestare, perturbare aut in eorum gubernio se intromittere quoadusque reverendissimus pater minister generalis de alio commissario ex provinciis reformatis Galliae provideat, qui provinciam illam visitando dictam reformam introducat et promoveat, ad ipsam admittendo tam novitios a saeculo venientes, quam alios fratres dictae provinciae, qui se voluntarie et non coacte reformare voluerint; iuxta quorum numerum assignare possit ac teneatur idem commissarius cum definitorio conventus necessarios praedictis fratribus reformatis, praecipiaturque in virtute sanctae obedientiae et sub poena privationis suorum officiorum, ipso facto incurrenda, patribus ministro et ceteris definitoril vocalibus, ut praeter conventum Caesambriensem iam reformatum alios duos huiusmodi reformae observandae commodos una cum dicto commissario assignent, ut illa provincia iuxta constitutiones generales habeat ad minus tria recollectorum monasteria.

Denique dictus commissarius restituere faciat omnia supellectilia, quae [ut] iure fertur, fuerunt sublata a dicto conventu Caesambrii. Ad ipsaque restituenda omnes et singulos eorum detentores per censuras ecclesiasticas et alia iuris et facti opportuna remedia compellat.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres praedicti plurimum cupiant capitula huiusmodi pro firmiori illorum subsistentia et validitate apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de ven. fratr. nostrorum s. r. e. card. negotiis episcop. et regularium praepositorum consilio capitula praeinserta huiusmodi apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ipsaque capitula ab omnibus ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit inviolabiliter observari debere, ac irritum etc. attentari decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit ordinis et provinciae huiusmodi etiam iuramento etc. roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis,

confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die III. Ianuarii MDCXXII. anno I.

CCXII.

Erigit provinciam Matris Dei discalceatorum seiunctam a provincia s. Thomae Indiarum Orientalium. Ex cod. regest. in mense Ianuario pag. 371.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacri apostolatus ministerio divina disponente clementia praepositi quid pro christifidelium quorumlibet, praesertim sub arctioris disciplinae regulis Altissimo famulantium, felici progressu pacique et quieti conferat, diligenter prospicimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes propensius impartimur, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Hinc est, quod nos prospero dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum s. Francisci, de observantia reformatorum nuncupatorum, custodiae Matris Dei provinciae s. Thomae fratrum minorum eiusdem ordinis de observ. etiam nuncupatorum in partibus Indiarum Orietalium regimini atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, custodiam praedictam illiusque domos seu conventus et alia loca regularia tam hactenus erecta et instituta, quam deinceps erigenda et instituenda in provinciam, a provincia dictorum fratrum minorum de observ. separatam, cum omnibus et singulis pertinentiis, praerogativis, privilegiis, indultis et gratiis aliis fratrum reformat. dicti ordinis provinciis a sede apostolica concessis, apostolica auctoritate tenore praesentium erigimus et instituimus, eamdemque provinciam per praesentes erectam illiusque religiosos quoscunque congregationi fratrum discalceatorum eiusdem ordinis Hispaniarum auctoritate et tenore praedictis aggregamus, ac obedientiae vicarii generalis congregationis huiusmodi submittimus et supponimus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere ac irritum etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ordinis praedicti etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis illi eiusque ministro generali et quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscunque tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibns et singulis etiam si pro illorum

sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die XI. Ianuarii MDCXXII. anno. I.

CCXIII.

Aliqua statuit circa confessarios tum saeculares tum regulares. Ex eod. regest. in mense Februario pag. 69.

Ad futuram rei memoriam.

Inscrutabilis Dei providentia universalis ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidentes pastoralis nostrae solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancte administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

§ 1. Sane Tridentinae synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum etiam regularem posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

§ 2. Necnon ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares cuiusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iudisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita. Itemque ut episcopi universi sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacunque appellatione postposita, compescentes.

§ 3. Atque ut regulares in ecclesiis suorum ordinum praedicare volentes se coram episcopis praesentare et ab eis benedictionem petere teneantur; in ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine episcopi licentia: contradicente autem episcopo, nulli, etiam in suorum ordinum ecclesiis, praedicare praesumant.

§ 4. Verum quia experientia compertum est, ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione nostra et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac generali hac perpetuo valitura constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant; sive alias ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent, praevia episcopi licentia et approbatione, sive quoquomodo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem sacramentorum administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant in his, quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi, tanquam sedis apostolicae delegati plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam regulares quam saeculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes aut circa clausuram vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter tanquam ad hoc sedis apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.

§ 5. Confessores vero regulares sive saeculares quomodocunque exempti tam ordinarii quam extraordinarii ad confessiones monialium etiam regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eiusdem monasteria sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum pertinentia, sive regulares exstiterint sive saeculares quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant. Liceatque episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores atque administratores amoveant, iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi quoties et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit episcopus una cum superioribus regularibus, quarumcunque abbatissarum, priorissarum, praefectarum vel praepositarum eorumdem monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere, absque ulla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

§ 6. Ac demum habeat episcopus tanquam dictae sedis delegatus auctoritatem coercendi ac puniendi quoscunque exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis aut quae suorum ordinum non sunt, absque episcopi licentia et in ecclesiis suis aut suorum ordinum non petita illius benedictione aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Ita ut episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, in praemissis omnibus et singulis, aut circa

ea quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas aliasque poenas uti eiusdem sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant.

§ 7. Decernentes etc.

§ 8. Non obstantibus etc.

§ 9. Ceterum etc.

§ 10. Ac volumus etc.

§ 11. Nulli etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis dominicae MDCXXII. nonis Februarii pontificatus nostri anno II.

CCXIV.

Erigit tres custodias reformatorum in provincia Siciliae. Ex eod. regesto in mense Februario p. 384.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii fratres, ordinis minorum s. Francisci de observantia reformati nuncupati, in militanti, ecclesia, cuius regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies afferunt mentis nostrae aciem convertentes, quid pro laudabilis eorum instituti felici directione atque progressu conferat, diligenter prospicimus ac desuper providentiae nostrae partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Innocentius a Clusa, eiusdem ordinis professor, quod omnes ordinis et reformationis huiusmodi regulares domus in universo Siciliae regno consistentes unam tantum provinciam constituunt; experientia vero compertum est, unum dumtaxat custodem totam huiusmodi provinciam, quae circuitus octingentorum milliarum existit, nisi eques incedat, visitare non posse, id vero regularibus dicti ordinis institutis apostolica auctoritate confirmatis repugnare, ac praeterea gravissima inter fratres ipsius provinciae inconvenientia et perturbationes oriri, cum occurrentes eorum necessitates suo superiori manifestari nequeunt. Quae idem Innocentius suo ac moderni custodis et maioris partis aliorum fratrum dictae provinciae nominibus nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur felici ac prospeero fratrum reformatorum huiusmodi regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, prospicere, necnon Innocentium, ac custodem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate tenore praesentium praecipimus et mandamus, quod in proxima futura congregatione fratrum reformatorum provinciae huiusmodi per eumque modernum custodem habenda, eadem provincia in tres provincias iuxta tresValles nempe de

Mazzara, Demone et Noto, ita ut unusquisque dictorum fratrum reformatorum ipsius provinciae in propriis domibus regularibus cuiusque ex tribus Vallibus huiusmodi ex qua oriundus est, degere debeat, prout desuper ab eiusdem provinciae visitatore et custode decretum fuerit, auctoritate praedicta dividatur ac separetur, dividique et separari omnino debeat. Decernentes irritum etc. attentari. Non obstant. constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ordinis et provinciae huiusmodi etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem ordini et provinciae illorumque superioribus et fratribus sub quibuscunque tenore et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum die XIV. Februarii MDCXXII. anno II.

CCXV.

Laudat eximium spiritum seraphicum apud observantes Poloniae vigentem.

Ex archiv. vatican. secret. Gregorii XV. epistolae ad principes viros an. II. fol. 2.

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Guesnensi.

Venerabilis frater salutem etc. Ea multorum sermone de fraternitatis tuae ingenio atque pietate ad nos quotidie perferuntur, ut qui in claustris commorantes benevolentiam tuam promeriti sunt, illos omnino ad caelum pietatis via grassari existimemus. Neque enim praesul, cuius virtutem ecclesiastici ordinis ornamentum esse Polonia testatur, id unquam committemus, ut aliena peccata tibi exprobrari possent. Quare gaudemus tantum in Polonia Bernardinorum fratrum sanctitatem efflorescere, ut in iis omnino vivere testeris seraphicum illum Franciscum, Italiae decus et christianae reipublicae praesidium. Sanctum patronum illi te nacti sunt, cuius suffragatio apud nos semper erit et potens et gratiosa. Te enim non solum diligimus apostolicae dignitati diligenter inservientem, sed magni etiam facimus insigni eruditionis laude ac pietatis studio commendatum. Quid autem in ea franciscanae familiae causa faciendum censeamus, cognoscet fraternitas tua ex nuncio apostolico, cui sententiam nostram uberius explicavimus. Ceterum scito tum nos gaudio maximo cumulari cum religiosorum hominium conventus in istis regnis christianae poenitentiae gymnasia et catholicae religioni arces esse accipimus; cuius solatii, ut pastorali nostrae sollicitudini copiam Polonia diu praebere possit, vehementer optamus, et fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XIX febr. MDCXXII. pont. nostri anno II.

CCXVI.

Gaudet de testimoniis super sanctitate vitae fratrum regularis observantiae in Polonia. Ex cod. archiv. etc. fol. 3.

Venerabili fratri Martino episcopo Cracoviensi.

Venerabilis frater salutem etc. Tot nobis laetitiae causas praebuit fraternitas tua, quot nuperis litteris suis franciscanae familiae virtutes commemoravit. Gaudemus enim eum ordinem iis sanctimoniae laudibus in Polonia florere, ut totius regni consentientes voces ei honorificentissimum pietatis ac modestiae testimonium dent. Id sane nos mirifice recreavit, cum perspexerimus religiosorum virorum laudibus in Polonia accuratissime inservire ecclesiae antistites et regni senatores, quibus provinciarum animarumque salus commendata est. Fraternitatis tuae testimonium magni apud nos ponderis esse, fratres isti e re ipsa cognoscent. Quid autem hoc in negotio faciendum decreverimus nuncio nostro apostolico declaravimus. Ceterum litteras tuas accepimus legimusque perlibenter. Est enim quod non mediocriter gaudeamus, cum eas a te in religiosis viris virtutes coli videamus, quibus animum suum iam pridem exornasse dicitur fraternitas tua, cui apostolicam benedictionem impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XIX. febr. MDCXXII.

CCXVII.

Perpetuorum patrum in ordine discalceatorum privilegia abrogat. Ex regest. secret. Brev. in mense Februario pag. 799.

Ad perpetuam rei memoriam.

Militantis ecclesiae regimini meritis licet imparibus divina dispositione praesidentes in his, per quae christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium prospero felicique statui consulitur, pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, multi ordinis fratrum minorum s. Francisci de observ. ac etiam Hispaniarum et Indiarum discalceatorum respective nuncupatorum professores, in numerum patrum perpetuorum suarum provinciarum relati fuerint, et varia exinde inconvenientia atque gravissima incommoda evenerint, nos inconvenientibus et incommodis huiusmodi, quantum nobis ex alto conceditur, obviare, prosperoque eorumdem fratrum regimini et directioni consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, concessiones patrum perpetuorum fratribus praedictis hactenus quomodolibet factas apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo abrogamus, eisdemque fratribus in numerum patrum perpetuorum, ut praefertur, relatis om-

nem vocem activam in definitorio ac provincialibus capitulis adimimus; permittimus tamen ministris provincialibus officio functis in recognitione laborum suorum, ut in definitorio solius capituli, in quo tunc eorum munus expleverint, tantummodo vocem habeant, reliqui vero fratres praedicti, qui olim ministri provinciales exstiterunt, locum solummodo ac praecedentiam consequantur nulloque alio privilegio vel favore gaudeant, prout in Italiae provinciis servatur. Insuperque fratres praedicti, qui officio ministri provincialis, custodis ac definitoris functi sunt, nullo modo possint reelegi, nisi sexennio transacto, irritumque etc. attentari decernimus et declaramus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis et privationis officii poenis ipso facto incurrendis dilectis filiis eorumdem fratrum ministro et vicario generalibus respective, ut statim receptis praesentibus litteris, illis pareant et obediant, deque illis ministros provinciales et fratres in numerum patrum perpetuorum, ut praefertur, relatos certiores faciant, ac ministri provinciales et patres perpetui huiusmodi omnia et singula in eisdem litteris contenta sub eisdem poenis, ut praefertur, incurren. adimpleant. Non obstantibus praemissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenor. praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datae Romae apud s. Petrum die XXII. Februarii MDCXXII. anno II.

CCXVIII.

Iubet fratribus Indiarum Occidentalium ut in eventu mortis vel promotionis maiorum ministrorum suis superioribus obediant. Ex eod. regest. in mense Februario pag. 17.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut chariss. in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex catholicus, nobis nuper exponi fecit, religiosi Indiarum Occidentalium habito per eos obitus seu promotionis ad episcopatum vel aliam dignitatem eorum generalium nuntio, sub praetextu, quod cessante dictorum generalium auctoritate et iurisdictione, etiam illorum immediate praelatorum et superiorum auctoritas et iurisdictio cesset, superioribus, vicariis et visitatoribus suis obedire recusent, et exinde magni tumultus et dissentiones inter eosdem religiosos cum notabili populi scandalo oriantur, nos praemissis quantum cum Domino possumus obviare volentes, supplicationibus dicti Philippi re-

gis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, religiosis praedictis in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis, necnon privationis vocis activae et passivae ac officiorum per eos obtentorum poenis ipso facto incurrendis per praesentes praecipimus et mandamus, ut non obstantibus, quod in partibus praedictis obitus aut promotio generalium huiusmodi audiatur, omnibus eorum immediatis superioribus, vicariis, vel visitatoribus toto tempore, quo eorum officium esset duraturum seu donec ab eorumdem generalium in generalatus huiusmodi officio successoribus novum mandatum sive revocatio veniat, omnino obediant. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum etc. attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum die XVIII. Februarii MDCXXII. anno II.

CCXIX.

Aliqua iubet Innocentio a Clusa pro bono regimine trium custodiarum Siciliae. Ex cod. regest. in mense Martio pag. 229.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Innocentii a Clusa ordinis fratrum minorum s. Francisci de observ. reformat. nuncupat. professoris nobis exposito, quod omnes ordinis et reformationis huiusmodi regulares domus in universo Siciliae regno consistentes unam tantum provinciam constituebant; experientia vero compertum erat unum dumtaxat custodem totam huiusmodi provinciam, quae circuitus octingentorum milliarium existit, nisi eques incederet, visitare non posse, id vero regularibus dicti ordinis institutis apost. auctorit. confirmatis repugnare, ac propterea gravissima inter fratres ipsius provinciae inconvenientia et perturbationes exoriri, cum occurrentes eorum necessitates suo superiori manifestare nequibant; nos supplicationibus dicti Innocentii suo ac tum existentis custodis et maioris partis aliorum fratrum dictae provinciae nominibus nobis tunc humiliter porrectis inclinati, voluimus et apost. auctorit. praecepimus et mandavimus, quod in proxima tunc futura congregatione fratrum reformat. provinciae huiusmodi, per eumdem tunc existentem custodem habenda, eadem provincia in tres provincias iuxta tres valles, nempe de Mazzara, Demone et Nato, ita ut unusquisque dictorum fratrum reformat. ipsius provinciae in propriis domibus regularibus cuiusque ex tribus vallibus huiusmodi, ex qua oriundus esset, degerre deberet, prout desuper ab eiusdem provinciae visitatore et custode decretum fuisset auctorit. praedicta divideretur ac separaretur, dividique et separari omnino deberet, prout in nostris in simili forma brevis sub die XIV.

Februarii proximi praeteriti desuper expeditis litteris, quarum ten. praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem felici eorumdem fratrum gubernio atque directioni, quantum nobis ex alto conceditur, peramplius consulere volentes, supplicationibus etiam dicti Innocentii nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio visitatori eorumdem fratrum iam destinato per praesentes committimus et mandamus, ut capitulum quamprimum celebret, in eoque provinciam praedictam iuxta litterarum huiusmodi formam et tenorem separet et dividat. Insuper quod in eodem capitulo tres custodes modo infrascripto eligantur videlicet, ut a vocalibus domorum regularium cuiuslibet vallis et custodiae unus dicti ordinis professor, in eadem valle et custodia oriundus, in custodem, necnon tres discreti custodiales eiusdem vallis eligantur, a quibus ea custodia regatur et gubernetur, prout a fratribus minoribus dicti ordinis capuccinis nuncupat. in eodem regno existentibus fieri asseritur, ac iisdem modo et forma et non aliter divisiones et electiones fiant. Et quia in eodem regno nonnulli dicti ordinis professores exteri et diversarum nationum reperiuntur, ad tollendam omnem difficultatem, iis tempus sex mensium concedatur ad deliberandum in quam custodiam et vallem se velint recipere, et facta deliberatione huiusmodi nec illi nec ex eodem regno oriundi fratres huiusmodi de una ad aliam vallem, absque licentia vicarii generalis fratrum reformat. dicti ordinis ac unanimi consensu custodum et discretorum custodialium utriusque vallis et custodiae, transire possint, et si eos ad aliam custodiam transire contigerit in illa per decennium votum passivum habere nequeant. Propterea ad obviandum perturbationibus, quae ex controversia oriri possint quis sigilla habere debeat, iisdem sigillis, qui cum imagine s. Michaelis Archangeli ad praesens reperiuntur, cum etiam ab aliis fratribus reformat. Italiae habeantur, amplius custodes praedicti non utentur, sed pro valle et custodia de Mazzara cum beati Matthaei de Agrigento, et pro valle et custodia de Nato cum sanctae Luciae, ac pro valle et custodia de Mena cum sancti Martini Placidi et sociorum imaginibus sigilla respective fiant; custodes autem pro negotiis in dictis vallibus et custodiis pro tempore occurrentibus socium, qui eos in scribendo coadiuvet habere possint cum titulo et nomine scriptoris, non autem secretarii, qui propterea nullo privilegio nullaque exemptione gaudeat, sed praecedentiam sibi ratione antianitatis in religione competentem dumtaxat habeat, quodque praemissis omnibus et singulis non parentes seu rebelles excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenas ipso facto incurrant apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium statuimus et ordinamus. Decernentes nihilominus irritum etc. attentari. Non obstant. omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceteris contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die ultima Martii MDCXXII. pontificatus sui anno II.

CCXX.

Indulget ut moniales clarissae de Urbe profiteantur regulam fratrum de de tertio ordine. Ex eod. regest. in mense Aprilis pag. 428.

Gregorius Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa seu priorissa et moniales monasterii monialium s. Clarae de Urbe ordinis eiusdem s. Clarae, quod ipsae regulam s. Clarae a fel. rec. Urbano papa IV. praedecessore nostro de anno MCCLX. moderatam expresse professae sunt, qua inter alia dicti ordinis monialibus praecipitur, ut vestitae supra saccum straminis dormiant et indusia non deferant nec unquam carne vescantur, ac ut ab octava die mensis Septembris usque ad festum paschatis resurrectionis dominicae ieiunent. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praemisso in dicto monasterio nunquam observata fuerint, nec ad praesens sine magna perturbatione observari possint, et propterea abbatissa seu priorissa et moniales praedictae pro suarum conscientiarum securitate sibi per nos, ut infra, indulgere summopere desiderent: nos dictarum abbatissae seu priorissae et monialium votis, quantum cum Domino possumus, annuere, isposque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et earum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus earum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. card. negotiis regularium praepositorum consilio, cum abbatissa seu priorissa et monialibus praedictis huiusque professis, ut in futurum regulam tertiii ordinis s. Francisci observ. cum aliis vero monialibus in posterum in dictum monasterium recipiendis, ut eamdem tertii ordinis s. Francisci regulam expresse profiteantur, apostolica auctoritate tenore praesentium dispensamus. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque abbatissae seu priorissae et monialibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon irritum etc. attentari. Non obstantibus ets.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XIII. Aprilis MDCXXII. anno II.

CCXXI.

Deputat Paulum de Madrid in discalceatorum familia collectorem eleemosynarum pro cultu Terrae Sanctae. Ex eod. regesto in mense Aprili pag. 5.

Dilecto filio Paulo de Madrid ord. fratr. minorum s. Francisci de obs. refor. nuncupat. provinciae s. Iosephi professori.

Religionis zelus, fides, integritas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus te praeditum esse accepimus, sperare nos

faciunt te ea, quae tibi commiserimus recte et fideliter iuxta animi nostri desiderium administraturum; motu itaque proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione te in utriusque Siciliae regno commissarium ad eleemosynas pro conservatione et usu locorum piorum civitatis Hierusalem a quibuscunque status, gradus, ordinis et conditionis existentibus per te seu syndicos ad hunc effectum apostolica auctoritate deputatos etiam in regnis Hispaniarum peten. et procuran. apost. auctorit. ten. praesentium facimus, constituimus et deputamus, tibique ad praemissa facilius peragenda, ut ad civitatem Hierusalem et loca pia huiusmodi cum socio tibi grato accedere et inde redire ac etiam unum dicti ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia professorem, et aliorum ex reformatis eiusdem ordinis socios tibi gratos et acceptos, qui tibi in praemissis subiecti sint, in iisque in tua ab eorum regno absentia eamdem quam tu ipse habes auctoritatem habeant, et cum hoc, ut nullus tam ex reformatis quam non reformatis dicti ordinis praelatus eosdem socios tuos, sub poenis arbitrio nostro irrogandis, super eisdem praemissis peragendis impedire valeat et in eventum missionis eleemosynarum huiusmodi ad eadem loca pia duos similiter dicti ordinis ex praedictis reformatis professores, qui huiusmodi eleemosynas cum tuis patentibus litteris ferant, eligere respective, tuque quavis occasione sese offerente e praedicto regno Romam redire absque eo, quod aliquam propterea licentiam petere tenearis, et e domibus regularibus, ad quas praemissorum occasione accesseris, vel in quibus te commorari contigerit, toties quoties opportunum esse iudicaveris cum quocunque tuorum sociorum exire vel illos foras mittere libere et licite possis et valeas, apost. auctorit. tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstant. litteris nostris, quibus inter alia cavetur expresse, ne ullus ex reformatis dicti ordinis aliquod officium inter fratres minores de observ. praedictos obtinere possit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die XVI. Aprilis MDCXXII. anno II.

CCXXII.

Revocat disiunctionem recollectorum Hispaniae ab observantibus. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 270.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico.

Charissime in Christo fili noster salutem.

Religiosorum virorum familias mutuamque earum charitatem tantae curae esse maiestati tuae non mediocriter gaudemus, regnum enim Dei quaeris, dum sacris sodalitiis consulis, eorumque sanctorum tibi

singularem benevolentiam concilias, quorum asseclas clientesque regali patrocinio protegis, et ex hisce litteris maiestatis tuae et ex sermone dilecti filii nobilis oratoris ducis Alburquerque cognovimus quantopere cupias fratres, quos vocant recollectos s. Francisci, ab his in praesentia non segregari, quibus ab observantia nomen est. Nos quidem recollectorum precibus rationibusque impulsi, gravissimasque curas in consilium adhibentes, eam disiunctionem faciendam esse censuimus. Tamen cum uberem inde dissidiorum ac scandalorum proventum colligi posse in Hispania testeris, regiasque litteras maximum semper apud nos pondus habere velimus, nuntio nostro praecipimus, ne quid in ea innovari patiatur usque dum aliud pontificia auctoritate decernamus, quod uberius ex eodem nuntio nostro cognoscere poterit maiestas tua, cui apostolicam benedictionem nostram peramanter impartimur.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XXII. Septembris MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

CCXXIII.

Indulget ut fratres discalceati penes eorum hospitium in Urbe positum valeant aedificare ecclesiam. Ex cod. regesto in mense Maio pag. 72.

Ad futuram rei memoriam.

Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii debitum coadiuvante Domino exequi cupientes, votis christifidelium quorumlibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, quae eorum saluti animarum profutura noscuntur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Alias siquidem per nostras in simili forma brevis expeditas litteras, ut dilecti filii fratres ordinis minorum s. Francisci de observ. discalceati nuncupati Hispaniarum et Indiarum unum hospitium in romana curia habere libere et licite possent et valerent apostolica auctoritate concessimus et indulsimus, prout in dictis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem fratres praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequii volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, motu proprio et ex certa scientia ac mera deliberatione nostris, eisdem fratribus, quod in situ hospitii huiusmodi unam ecclesiam cum sacristia, campanili, campanis, aliisque membris necessariis et opportunis construere ac inibi postquam constructa sacraque supellectili et aliis ad divinum cultum necessarii et opportunis instructa fuerit, sanctissimum eucharistiae sacramentum debitis cum honore et reverentia asservare ac missas et alia divina officia iuxta regularia dicti ordinis instituta celebrare et recitare libere et licite valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem impartimur, quodque hospitium huiusmodi semper

et perpetuo hospitii nomine nuncupari debeat, auctoritate et tenore praedictis declaramus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et fratribus praedictis in omnibus et per omia plensssime suffragari, eosque desuper a quoquam quovis praetextu impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse, sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari etc. attentari. Non obstant. quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dicti ordinis etiam etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXV. Maii MDCXXII. anno II.

CCXXIV.

Dominicus Adriasius fit episcopus Scutaren. in Macedonia. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 58.

Romae fer. II. die II. Maii post prandium in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. car. Barberino referente, pro reverendissimo d. card. Millino ss. d. n. ecclesiae Scutaren. in Macedonia vacan. per obitum Andreae etc. providit de persona r. p. fr. Dominici Adriasii Illyrici, ord. s. Francisci minor. de observ. professi, presbyteri, theologi etc. absolvens etc.

CCXXV.

Chrisostomus a Capranica fit episcopus Firminien. in arcipelago maris Aegei. Ex eisdem actibus pag. 60.

Romae fer. II. die XXIII. Maii post prandium hora videlicet XX. in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo

Rmo Polladino referente, sanctitas sua ecclesiae Firminiae in arcipelago ..... vacan. per obitum fr. Petri Pitargui providit de persona fr. Chrisostomi a Capranica ord. minor. de observ. s. Francisci etc. cum retentione iurium etc.

CCXXVI.

Eligit episcopum Firminiae ecclesiae. Ex bullario secret. Brev. libr. 3. pag. 662.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei.

Dilecto filio Chrisostomo electo Firminiae salutem et apost. ben.

Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare; dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium tunc vacantium et imposterum vacaturarum ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero ecclesia Firminiae, quae in Arcipelago et Mari Aegeo sub Turcarum tyrannide consistit, et cui bon. mem. Petrus episc. Firminiae, dum viveret praesidebat, per obitum d. Petri episc. qui extra rom. curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsisten. supradictis, ne ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem, quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te fratrum min. s. Francisci de observ. nuncupat. professorem, ex legitimo matrimonio catholicisque parentibus procreatum, ac in presbyteratus ordine constitutum, magistrum in theologia, qui fidem catholicam iuxta articulos quidem a sede apost. propositas expresse professus et cuique apud nos de religionis zelo, litterarum scientia, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis te a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ecclesiae praedictae de persona tua nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de fratrum eorumdem consilio apost. auctoritate providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias et largi-

tur praemia, confidentes quod dirigente Domino actus tuos ecclesia praedicta per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem praedictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam sicque praeter aeternae retributionis praemium, nostram et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca dilectis filiis capitulo et vassallis dictae ecclesiae ac clero et populo civitatis et dioec. Firminiae per apost. scripta mandamus, quatenus capitulum tibi tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam congruentes, ac clerus te pro nostra et dictae sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tanquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere studeant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Rogamus quoque ven. fratrem nostrum archiep. Narien. et Parien. ipsi archiep. per eadem scripta mandantes, quatenus te et praedictam ecclesiam suffraganeam suam habens pro nostra et sedis praedictae reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus vestris, sic nos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu eius fultus praesidio in commisso tibi dictae ecclesiae regimine possis Deo propitiu prosperari, ipseque archiep. proinde divinam misericordiam ac nostram et sedis praedictae benedictionem et gratiam uberius consequi mereatur.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem anno incarnationis dominicae MDCXXII. X. calen. Iunii pont. nostri anno II.

CCXXVII.

Erigit provinciam s. Thomae apostoli in regno Pedemontano. Ex cod. regest. in mense Iunio pag. 469.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacri apostolatus ministerio per abundantiam divinae gratiae nullo licet meritorum suffragio praesidentes, ad ea, per quae christifideles sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes in pii et lauda-

bilis eorum instituti observantia felicioribus in dies proficiant incrementis, solicitis studiis intendimus ac in his officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Felici itaque et prospero dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia infrascriptarum domorum regularium statui et regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, s. Thomae Taurinen. s. Bernardini Asten. annuntiationis beatae Mariae Tessanen. ac s. Bernardini Salutiar. ac beatae Mariae de Platea Montisregalis civitatum, necnon s. Bernardini Civassi, beatae Mariae de Belmonte Valpergae, s. Francisci Crescentini, s. Pauli Villaenovae, s. Georgii Chierii, annuntiationis b. Mariae virginis Carmagnolae, b. Mariae de Laureto Sanfri, s. Ioannis de Brà, s. Francisci Chirasci, s. Francisci de Bene, b. Mariae de Angelis Cunei, eiusdem b. Mariae de Angelis de Busca, s. Francisci Savigliani, s. Francisci Vigoni, et b. Mariae de Angelis Pinerolii a s. Didaci ac Hipporegien. et Vercellen. civitat. necnon de Santia et Gattimara a Mediolanen. ac de Sospello et de Murro a Iaunen; necnon civitatis Nicien. et sancti Stephani oppidorum seu locorum Taurinen. et Vercellen. seu aliarum dioecesum dicti ordinis domos regulares a sancti Ludovici eiusdem ordinis provinciis respective tenore praesentium perpetuo separamus, seiungimus et dismembramus, dictasque domos regulares sic separatas, seiunctas et dismembratas in novam dicti ordinis provinciam sancti Thomae nuncupandam cum omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, gratiis et indultis aliis dicti ordinis provinciis a sede apostolica concessis apost. auctorit. earumdem tenore praesentium erigimus et instituimus. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac irritum etc. attentari.

Quocirca ven. fratri Petro Francisco episcopo Saonen. et per imperium existenti nostro et sedis apostolica apud dilectum filium nobilem virum Carolum Emanuelem Sabaudiae ducem nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se vel aliam seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, faciat illas ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari, contradictores etc. saecularis. Non obstant. fel. rec. Bonifacii papae VIII. similiter praedecessoris nostri de una etc. trahatur ac aliis constitutionibus et ordinationibus apost. ac ordinis praedicti etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis illi eiusque ministro generali et quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de

illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per singulas clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis etc. permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVIII. Iunii MDCXXII. anno II.

CCXXVIII.

Indulgentias Portiunculae ad omnes ecclesias fratrum minorum de observantia extendit. Ex regest. famil. cismontan. vol. VI. fol. 112.

Ad perpetuam rei memoriam.

SPLENDOR paternae gloriae, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima eius maiestate sperantium tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia etiam reformatorum ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis in secunda die mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die III. Iulii MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

S. Card. S. SUSANNAE.

CCXXIX.

Deputat commissarium apostolicum discalceatorum fratrum Ioannem a s. Maria et loco eius, si obierit, Hieronymum de Planis eiusdem instituti. Ex reg. secr. Brevium in mense Iulio pag. 254.

Ad futuram rei memoriam.

ALIAS volentes nos prospero fratrum ordinis minorum s. Francisci de observ. discalceatorum nuncupat. provinciarum Pietatis s. Gabrielis, s. Iosephi, s. Ioannis Baptistae, Ramdae, s. Antonii, s. Pauli, s. Georgii Philippinarum, s. Didaci in nova Hispania, et s. Didaci in Bethica statui et directioni consulere, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris dilectum filium Ioannem de s. Maria, eiusdem ordinis professorem, in commissarium apostolicum apost. auctorit. constituimus et deputavimus. Insuper auctor. et ten. praedictis statuimus et ordinavimus, quod si eumdem Ioannem ante electionem vicarii generalis eligendi obire contigisset, eius loco maneat subrogatus ille, in quem consensisset maior pars definitorii illius provinciae, in qua e vita decessisset, qui apost. auctorit. cum praecepto adstrictus convocaret omnes ministros provinciales et custodes dictarum provinciarum Hispaniarum et procuratorem romanae curiae, necnon pro ea vice tantum alios fratres, qui alias in praedictis provinciis ministri provinciales extitissent, vel huiusmodi privilegio gauderent ad festum pentecostes proxime praeteritum conventuros in loco per dictum commissarium deputan. in quo eodem commissario praesidente praedicta auctorit. cum voce tam activa quam passiva omnes sic vocati capitulum generale celebrantes eligerent unum ex eisdemmet fratribus eiusdem instituti et arctioris observantiae discalceatis in suum vicarium generalem. Interim vero et donec dictus generalis vicarius eligeretur praedictus commissarius in dictas provincias et omnes fratres discalceatos huiusmodi haberet et exerceret eamdem auctorit. et potestatem, quam habiturus esset dictus vicarius generalis, quodque in eodem capitulo et in postmodum celebran. eligerentur quatuor definitores generales, et postea dilectum filium Hieronymum Planis ordinis et provinciae s. Ioannis Baptistae professorem in vicarium generalem huiusmodi pro ex vicario dumtaxat fecimus, constituimus et deputavimus, et alias prout in aliis nostris in simili forma brevis sub die XXIV. Novembris MDCXXI. et XXII. Februarii MDCXXII. expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Nunc autem eorumdem fratrum discalceat. quieti et prospero regimini per amplius consulere volentes ac de dilectorum filiorum Didaci de Scurial s. Iosephi, Gasparis a Conceptione s. Antonii, Francisci a s. Laurentio s. Didaci, Francisci a Borgia eiusdem ordinis discalceat. professorum, s. Ioannis respective provinciarum prudentia, fide, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu, scientia et deliberatione similibus, Didacum

ac Gasparem et utrumque Franciscum praedictos in definitores generales eorumdem fratrum discalceat. pro currenti triennio usque ad festum pentecostes anni futuri MDCXXV., ea tamen conditione, quod si quando praesentes nostrae litterae ad manus vicarii generalis fratrum discalceat. huiusmodi pervenerint capitulum generale iam celebratum et in eo definitores electi sint vel tempore iam congregati capituli sed nondum definitorum facta electione, si nullum timeatur ad illam impedimentum arbitrio dicti vicarii generalis indicandum, tunc idem vicarius, eisdem praesentibus minime uti debeat, auctorit. praedicta ten. praesentium facimus constituimus et deputamus. Quocirca tam vicario generali quam ceteris fratribus discalceatis illi subiectis praedictis sub censuris et poenis nobis et apost. sedi reservatis praecipimus et mandamus, quatenus quatuor definitores per praesentes duputatos huiusmodi acceptent ac illorum in definitorio legitime congregato decretis et ordinationibus stent et pareant. Non obstant. omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XIV. Iulii MDCXXII. anno II.

CCXXX.

Ut fratres tertii ordinis recipiant conventum in districtu civitatis Viglevani. Ex reg. secret. Brevium in mense Iulio pag. 346.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii minister generalis et fratres tertii ordinis s. Francisci, quod ipsi ecclesiam s. Mariae de Laureto nuncupat. in districtu civitatis Viglevanen. sitam, in qua antea dilecti etiam filii fratres ordinis minorum s. Francisci capucini nuncupati degebant, cum omnibus illius aedificiis et pertinentiis universis, ad effectum inibi unum hospitium sive domum regularem construendi a vener. fratre moderno episcopo Viglevanen. cum onere ut ipsi unam unius librae episcopo Viglevanen, et alteram unius mediae librae candelam sive cereum illius vicario in spiritualibus generali pro tempore existentibus in festo purificationis beatae Mariae virginis singulis annis solvere teneantur ac sub aliis pactis et conditionibus licitis tamen et honestis sibi concedi obtinuerunt, prout in instrumento seu scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, minister generalis et fratres primodicti plurimum cupiant concessionem huiusmodi pro illius validitate et subsistentia apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ministrum generalem et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc.

censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem dictae ecclesiae eisdem ministro generali et fratribus per dictum episcopum ut praedicitur factam apost. auctorit. tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apost. firmitatis robur adiicimus ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet interveuerint supplemus. Decernentes praesentes litteras validas firmas et efficacies existere et fore, ac ministro generali et fratribus primodictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, necnon irritum etc. attentari. Non obstant. etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXX. Iulii MDCXXII. anno II.

CCXXXI.

Fr. Dominico, episcopo Scutarensi, ut assumat fratres minores de observantia pro suae ecclesiae solatio. Ex eod. regesto in mense Iulio pag. 277.

Ut necessitatibus ecclesiarum civitatis et dioecesis tuarum Scutaren. circa ministrorum idoneorum defectum seu penuriam pro commissi tibi dominici gregis munere melius prospicere valeas, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi ut ad triennium proximum tantum quoscunque diocesanos tuos idoneos et in aetate legitima constitutos ac alias a sacris canonibus et concilio Trid. requisita habentes et sacerdotali militiae adscribi volentes ad sufficientem beneficiorum vel patrimonii titulum cum ecclesiarum praedictarum necessitas postulaverit, servata forma canonum et concilii praedictorum, ad quatuor minores quatenus illos nondum susceperint quatuor feriatis nel non feriatis seu unica et subinde ad sacros subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis diebus continuis vel interpolatis, etiam extra tempora ad id a iure statuta ac interstitiis a sacro concilio Trid. designatis minime servatis, annique curriculo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus antequam ad alium promoveantur se non exercuerint, promovere; et similiter cum eisdem dioecesanis tuis sacerdotali militiae adscribi volentibus ut praedicitur qui in aetate legitima constituti non fuerint, ut postquam unus annus de aetate ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiens requisita eis deficiet, ex tunc super unius anni aetatis huiusmodi defectu, ita ut illo non obstante ad dictum sacrum presbyteratus ordinem cum ecclesiarum praedictarum necessitas similiter postulaverit, dummodo nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, ipsique ad id idonei reperiantur ac servatis alias servandis promoveri et promoti in illo etiam et in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, dispensare; ac insuper quoscunque pauperes tamen, qui tertio et quarto simplicibus aut mixtis consanguinatis vel affinitatis gradibus coniuncti seu se attinentes matrimonium inter se scienter vel ignoranter contraxerint,

et carnali copula consummaverint, ab incestus reatu et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eos propterea incursis, iniuncta eis arbitrio tuo aliqua publica vel salutari poenitentia in utroque foro absolvere ac cum eisdem, ut impedimentis huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis non obstant., matrimonium inter se servata forma concilii Trid. publice contrahere, illudque in facie ecclesiae solemnizare ac in eo postmodum remanere valeant, dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint, gratis tamen auctorit. apost. dispensare, prolesque susceptas et suscipiendas exinde legitimas decernere atque nunciare.

Praeterea tibi ut quinque ordinis minorum s. Francisci de observ. professores in sacris et presbyteratus ordinibus constitutos de suorum tamen licentia superiorum in socios assumere et tecum adducere, quibus tu tanquam illorum superior quamdiu in istis partibus vos commorari contigerit, praeesse debeas, qui quidem socii huiusmodi pro religiosis suis necessitatibus pecunias habendi facultatem habeant.

Ac demum quod sacrum chrisma et oleum cathecumenorum et infirmorum cum eo maiori sacerdotum numero, qui inibi haberi potuerit, in tempore tam solito et servatis alias servandis, consecrare et benedicere libere et licite valeas apost. auctorit. tenore praesentium concedimus et indulgemus ac licentiam et facultatem impartimur. Non obstant. apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXX. Iulii MDCXXII. anno II.

CCXXXII.

P. Franciscum Glavinic provinciae nominat concionatorem apostolicum.

Ex monument. Bosnae Seraphicae a fr. Mauro Faidiga collectis pag. 163.

Gregorius Papa XV.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecisti, quod tu. qui, ut asseris, habitum per fratres ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia gestari solitum suscepisti, et professionem per eosdem emitti consuetam expresse emisisti regulares, ter ministri provincialis ordinis tui munere in Hungariae et Croatiae partibus functus fuisti, necnon verbum Dei illarum partium populis, plures haeretica labe infectos ad ecclesiae catholicae gremium reducendo praedicasti. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tu, ut concionatoris huiusmodi munere honorificentius ac fructuosius fungi possis, tibi per nos, ut infra, indulgeri summopere desideras. Nos se specialibus favoribus

et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi verbum Dei praedictum cum apostolici concionatoris titulo, de ordinariorum locorum licentia, ac cum ipsorum benedictione respective, ac alias iuxta sacri concilii Tridentini decreta praedicandi, apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus, et impertimur, teque apostolicum concionatorem in partibus huiusmodi, sine cuiusquam praeiudicio, auctoritate et tenore praefatis, constituimus et deputamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XI. Augusti MDCXXII. potificatus nostri anno II.

CCXXXIII.

Quaedam mandat quoad conventuum erectionem. Ex cod. regest. in mense Augusto pag. 260.

Cum alias fel. rec. Clemens papa VIII. decreverit ordinarios locorum licentiam ad novos conventus cuiuscunque, praesertim mendicantium, ordinis, in civitatibus et locis eorum ordinariae iurisdictioni subiectis erigendos, impartiri non posse, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prioribus seu procuratoribus et aliis interesse habentibus, et causa servatis servandis cognita, in eisdem civitatibus et locis novos huiusmodi erigendos conventus, sine aliorum detrimento, commode sustentari posse constiterit. Si vero ab eorum sententiis ad sedem apostolicam provocari et appellari contigerit, ipsos ordinarios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere debere, quamdiu a dicta sede in ea causa pronunciatum exstiterit, nec alias prout in decreto huiusmodi plenius continetur.

§ 1. Verum per piae memoriae Paulum papam V. accepto plerosque ex ordinariis praedictis favore vel nimia exposcentium importunitate ad novos conventus seu domus praeter et contra tenorem praedicti decreti erigendos, plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum seu redditnum cuiuscunque monasterii conventus seu domus ratione, monachi seu fratres aut religiosi ibi degentes manutenori nequeant, et ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat; sacra congregatio illustrissimorum dd. card. negotiis regularium praepositorum, ad quos idem Paulus papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores ac totos tenores praesentibus ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene et sufficienter expressis habens vivae vocis oraculo a sanctiss. d. n. Gregorio papa XV. habito decretum praedictum, quatenus opus sit, innovat et in usum reducit.

§ 3. Volens quod de cetero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium cuiuscunque etiam mendicantium ordinis, societatis et instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa et specifica mentio habenda esset, in quacunque civitate vel oppido seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres aut monachi seu religiosi inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac priores seu procuratores aliorum monasteriorum, conventuum seu domorum aliarum religionum vel congregationum aut societatum seu institutorum huiusmodi non solum in praedictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alias ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, conventus, seu domus regularis sic erigendi seu erigendae absque detrimento religiosorum in monasteriis seu domibus antea in civitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse. Si vero novi conventus, domus, congregatio vel societas huiusmodi instituendae erant, nullique alii regulares inibi reperiantur, ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant ac locorum incolae et habitatores, quorum et consensum requirant ac adhibeant, huiusmodi duodecim religiosos in conventibus, ut praemittitur, instituendis commode alere et manutenere valeant.

§ 4. Si vero a decreto seu decretis per ordinarios praedictos in causis huiusmodi ferendis legitime appellari contigerit ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eamdem sacram congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque huiusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernens, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus.

Romae XVIII. Augusti MDCXXII.

A. Card. Saulius.

CCXXXIV.

Indulget missam et officium de b. Ioanne Capistrano ab omnibus fratribus et monialibus ordinis recitari. Ex regest. famil. cismont. vol. VI. pag. 127.

Ad perpetuam rei memoriam.

Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis desuper pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur et laudetur Dominus in sanctis suis. Quamobrem fidelium

quorumlibet praesertim vero sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium votis, quae peculiarem servorum huiusmodi cultum respiciunt libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire; sane pro parte dilectorum filiorum ministri generalis et fratrum reformatorum ordinis s. Francisci nobis nuper expositum fuit, quod alias a fel. rec. Leone papa X. praedecessore nostro anno MDXIV. indultum fuit, ut die XXIII. Octobris festum b. Ioannis de Capistrano in dioecesi et in territorio ipsius Capestrani ab omnibus celebrari posset. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, fratres praedicti, pro eo, quem erga ipsum beatum Ioannem gerunt devotionis affectu, ac ad augendam Christi fidelium erga illum devotionem, concessionem Leonis praedecessoris huiusmodi per nos, ut infra, extendi summopere desiderent: nos eorundem patrum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, illosque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc. censentes etc. supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum s. r. e. cardinalium sacris ritibus praepositorum, a quibus concessio Leonis, praedecessoris huiusmodi, de mandato nostro visa fuit, consilio concessionem eandem ad omnes tam fratres quam moniales totius ordinis s. Francisci, quoad officium de communi confessoris non pontificis in praedicta die recitandum, quoad missam vero etiam ad saeculares quoscunque in ecclesiis fratrum ordinis s. Francisci celebrantes, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo extendimus et ampliamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die X. Septembris MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

S. Card. S. Susannae.

CCXXXV.

Quaedam statuit pro definitoribus generalibus tertii ordinis. Ex regest. secret. Brev. in mense Septembri pag. 269.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apost. servitutis officio christifidelium quorumlibet praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium felici statui et quieti libenter consulimus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Supplicationibus itaque dilecti filii ministri generalis fratrum tertii ordinis s. Francisci nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus definitores generales dicti ordinis per turnum provinciarum eligi, quodque electiones huiusmodi primo ex iis provinciis

quae numquam definitores habuerunt, et ex illis successive, quae definitoribus diutius caruerunt, fieri debeant; praesentes vero litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, irritumque etc. attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apost. ac dicti ordinis etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum ten. praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis etc. permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XX. Septembris MDCXXII. anno II.

CCXXXVI.

Adprobat constitutiones et statuta fratrum recolllectorum Galliae lata a suis praedecessoribus. Ex eod. reg. in mense Septembri pag. 37.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apost. servitutis officio, votis per quae christifidelium quorumlibet praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium felici statui atque directioni consulere libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Nuper siquidem nos circa regimen dilectorum filiorum fratrum minorum ord. s. Francisci recollectorum nuncupat. regni Franciae vivae vocis oraculo declaravimus dilecto filio nostro Fabritio, tit. s. Augustini presbyt. card. Verallo nuncupato, eorumdem fratrum apud nos et apost. sedem protectori, omnes observare debere constitutiones et decreta fel. rec. Clementis VII. Gregorii XIII. et Clementis VIII. rom. pont. praedec. nostr. a rec. mem. Paulo papa V. similiter praedec. nostro per suas in forma brevis sub die XI. Martii MDCXI. expeditas litteras confirmata; non obstante decreto seu concordia a fratribus et superioribus eiusdem ordinis in capitulo generali in alma Urbe nostra de anno MDCXII. celebrato, facto seu inita, et aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Cum autem sicut dicti fratres recollecti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi plurimum cupiant declarationem huiusmodi apost. confirmationis robore communiri, nos eorum votis quantum cum Domino possumus annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de vener. frat. nostrorum s. r. c. card. negotiis regularium praepositorum consilio, declarationem per nos eidem Fabritio card. vivae vocis oraculo, ut praedicitur, factam apost. auctor. tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis

etc. adiicimus. Decernentes declarationem et in ea contenta huiusmodi a fratribus praedictis et aliis ad quos spectat inviolabiliter observari debere, irritumque etc. attentari. Non obstant. constitutionibus apost. ac dicti ordinis etiam iuramento etc. roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apost. in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, necnon omnibus illis, quae in praedicta declaratione voluimus non obstare. Quibus omnibus etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulares tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIII. Septembris MDCXXII. anno II.

CCXXXVII.

Ut munus visitandi ordinis provincias possit generalis minister etiam committere patribus sui instituti. Ex eod. regest. secret. Brevium in mense Septembri pag. 48.

Dilectio filio Benigno a Genua, ord. fratr. minor s. Francisci de obs. ministro generali.

Pastoralis nostri muneris ratio postulat, ut monasteriorum et regularium locorum, praelatos et superiores ad debitas eorum excubias faciendas, quantum cum Domino possumus, excitemus. Itaque ut visitationem tui ordinis nostra etiam auctor. suffultus feliciter peragere valeas, ac de tuis fide, prudentia, pietate ut religionis zelo plurimum in Domino confisi, ordinariam iurisdictionem et auctoritatem tuam auctor. praedicta excitantes, te in Domino requirimus et monemus, tibique per praesentes mandamus, ut per teipsum si commode potueris, vel te impedito per alium seu alios eiusdem ordinis professos morum gravitate, doctrina, prudentia, integritate ac religionis zelo praestantes, a te arbitrio tuo deputandos, omnia et singula tam virorum quam mulierum dicti ordinis monasteria, domos, conventus et regularia loca quaecunque [et] ubicunque existentia, eorumque superiores et regulares personas quascunque auctor. nostra praedicta visites, ac tam in capite quam in membris iuxta regularia eiusdem ordinis instituta ac declarationes fel. rec. Nicolai III. et Clementis V. rom. pont. praedecess. nostrorum corrigas et reformes, atque in illorum universorum et singulorum statum, formam, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus et disciplinam tam coniunctim quam divisim inquiras, ac evangelicae et apostolicae doctri-

nae, sacrorumque canonum et generalium conciliorum decretis, regularibusque institutis praedictis et sanctorum patrum traditionibus inhaerendo, quaecunque mutatione, correctione, emendatione, renovatione aut etiam ex integro editione indigere cognoveris, mutes, corrigas, emendes, renoves aut etiam ex integro condas; condita sacris canonibus et concilii Trid. decretis regularibusque institutis praedictis non repugnantia confirmes. Abusus quoscunque tollas, bonas et laudabiles consuetudines imprimis divinum cultum et disciplinam regularem, sicubi excidisse compereris, modis congruis restituas, ipsasque regulares personas ad debitum et honestum vitae modum revoces et quidquid statueris et ordinaveris etiam sub censuris et poenis eccleriasticis observari cures et facias; contradictores quoscunque per censuras et poenas ecclesiasticas easdem, ac privationis officiorum et dignitatum vocis activae et passivae et perpetuae ad illa et alia imposterum obtiuenda inhabilitatis invocato etiam etc. saecularis, cogas, et compellas; ac denique omnia et singula, quae ad visitationem correctionem et reformationem prosperamque dicti ordinis directionem pertinere cognoveris, facias, dicas, geras et exequaris; super quibus omnibus et singulis plenam et liberam facultatem de auctorit. ten. praesentium tibi concedimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis praedictorum monasteriorum, domorum et regularium locorum provincialibus, ministris, abbatissis, conventibus et regularibus personis praedictis, ut te huiusmodi visitationis munus apud eos obeuntem debitis honore et reverentia ac submissione prout decet prosequantur, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, contrariis non obst. quibuscunque.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXVII. Septembris MDCXXII. anno II.

CCXXXVIII.

Franciscus de Arriva fit episcopus Civitaten. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 58.

Romae fer. II. die V. Septembris in aula palatii Quirinalis hora solita fuit consistorium secretum, in quo

Rmo d. card. Borgia referente ss. d. n. ecclesiae Civitaten. vacan. per translationem r. Hieronymi de Camauro ad ecclesiam Caurien. providit de persona r. p. fr. Francisci de Arriva, ord. s. Francisci de observ. presbyteri theologi, olim a confessionibus christianissimae Francorum reginae etc. cum reservatione pensionis annuae 400. ducat. pro Ioanne de Errera Vallisoletan. dioecesis, et salvis antiquis et retentione pensionis 100. super fructibus mensae episcopalis Grenen. etc.

CCXXXIX.

Partitur provinciam observantium Siciliae. Ex eod. regest. secret. Brevium in mense Octobri pag. 52.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad uberes et suaves fructus quos dilecti filii fratres ordinis minorum s. Francisci de observ. in militanti ecclesia, cuius regimini divina disponente clementia praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes quid pro laudabilis eorum instituti felici directione atque progressu conferat, diligenter prospicimus ac desuper providentiae nostrae partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, omnes praedicti ordinis regulares domus in universo Siciliae regno consistentes unam tantum provinciam constituant; experientia vero compertum sit, unum dumtaxat custodem totam huiusmodi provinciam, nisi eques incedat, visitare non posse, id autem regularibus dicti ordinis institutis apost. auctor. confirmatis repugnare, nos felici ac prospero eorumdem fratrum regimini et gubernio quantum cum Domino possumus prospicere volentes, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris dilecto filio ministro generali eiusdem ordinis provinciam praedictam in tres provincias iuxta tres valles nempe de Mazzara, Demone et Noto, ita ut unusquisque dictorum fratrum ipsius provinciae in propriis domibus regularibus cuiusque ex tribus vallibus huiusmodi ex qua oriundus est, degere debeat, prout desuper a dicto ministro generali seu eiusdem provinciae visitatore commissario decretum fuerit dividendi et separandi auctor. praedicta ten. praesentium facultatem tribuimus et impartimur. Non obstant. constitutionibus et ordinationibus apost. necnon ordinis et provinciae huiusmodi etiam iuramento etc. roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apost. eisdem ordini et provinciae illorumque superioribus et personis sub quibuscunque ten. et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium ten. praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis etc. permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Tusculi die VII. Octobris MDCXXII. anno II.

CCXL.

Iubet ut bona relicta a christifidelibus pro locis Terrae Sanctae nullus praesumat retinere. Ex eod. reg. in mense Novembri pag. 79.

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias a fel. rec. Sixto V. et Paulo etiam V. romanis pontificibus praedecessoribus nostris emanarunt litterae tenoris subsequentis

videlicet: Sixtus papa V. ad futuram rei memoriam. *Nostri pastoralis officii* etc. sub die XIII. Decembris MDLXXXIX. Aliac Paulus papa V. ad perpetuam rei memoriam. *Caelestis regis* etc. die XXII. Ianuarii MDCXVIII. Cum autem sicut dilectus filius Martinus de Arratia, fratrum ordinis minorum s. Francisci discalceatorum nuncupatorum professor ac Terrae sanctae commissarius, nobis nuper exponi fecit, in diversis christiani orbis partibus nonnullae personae varia bona ad dicta loca sancta spectantia, non sine gravi animarum suarum periculo ac eorumdem locorum maximo detrimento, indebite detineant, nos praemissis quantum cum Domino possumus obviare, ac dictorum locorum indemnitati consulere volentes, supplicationibus eiusdem Martini nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, litteras praeinsertas ac in eis contenta quaecunque apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apost. firmitatis robur adiicimus. Et nihilominus omnibus et singulis utriusque sexus personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis maioris latae sententiae poena, a qua nonnisi a nobisipsis vel romano pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, districte praecipimus et mandamus, ne de cetero cuiusvis generis bona ad loca huiusmodi spectantia quovis praetextu, causa vel occasione, apud se retinere audeant seu praesumant, sed illa eisdem locis seu illorum agentibus realiter et cum effectu restituant. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis ubivis locorum existentibus, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecunque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Martini moderni et pro tempore existentis Terrae sanctae huiusmodi commissarii fuerint requisiti solemniter publican. eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etc. saecularis. Non obstant. fel. rec. Bonifacii papae VIII. praedec. nostri de una etc. trahatur necnon omnibus illis, quae dicti praedecess. in praeinsertis eorum litteris voluerunt non obstare ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Petrum die XVIII. Novembris MDCXXII. anno II.

CCXLI.

Annuit ut parochia s. Viti dioecesis Aquileiensis conventui patrum conventualium Graecensium addicatur et imperatoris pietatem laudat.

Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariae et Bohemie Regi illustri Romanorum Imperatorem Electo.

GREGORIUS PAPA XV.

Charissime in Christo fili noster salutem etc.

Non patiemur caesareae pietatis cursum pontificiis impedimentis retardari, ne unquam religiosi conventus conquaerentur eripi sibi a nobis beneficia, quae a maiestate tua acceperunt. Quare cum e catholica religione esse imperatoria fide testeris, parochiam sancti Viti sub dioecesi Aquileiensi addici Graecensi sodalitio conventualium ad sanctam Mariam Succurse (sic) nuncupato, hanc et tibi gratam, et illi coenobio opportunam piae liberalitatis tuae donationem apostolica auctoritate confirmamus, pontificiumque diploma conscribi iussimus. Non autem maiestati tuae hac in re morem tantummodo gessisse sat est, sed eximiis etiam laudibus imperatoriam religionem ornare debemus, quae armatis legionibus haereticorum latrocinia in acie compescens, religiosorum etiam sacerdotum patrocinio ecclesiarum dignitatem amplificat. Maiestati tuae apostolicam benedictionem amantissime impartimur, nihil ob Dei gloriam et afflictae religionis solatium optantes impensius, quam singulari felicitate florere tanti imperatoris electi pietatem caeli benevolentia et hominum obsequiis dignissimam.

Datum Romae apud s. Petrum die XIX. Novembris MDCXXII. pontificatus nostri anno II.

CCXLII.

Erigit collegium Cracoviae pro fratribus conventualibus. Ex eod. regest. in mense Novembri pag. 479.

Ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti sedis apostolicae specula, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur et iustitia colatur his, quae pro litterarum studiis huiusmodi excitandis provide facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo remaneant, libenter cum a nobis petitur apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane nomine ven. fratris Martini episcopi. Cracovien. nobis nuper expositum fuit, quod ipse

provide considerans, quantum incrementi et utilitatis ex divinarum rerum scientia, quae theologiae studio comparatur, catholica ecclesia perceperit et quotidie percipiat, unum collegium passionis Christi nuncupat. in domo regulari ordinis fratrum minorum s. Francisci conventualium nuncupat. Cracovien. propinque dicti ord. professoribus, qui ibidem sacrae theologiae studio incumbant, fundavit et instituit, prout in scripturis desuper confectis dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Martinus episcopus plurimum cupiat fundationem et institutionem collegii huiusmodi pro firmiori illarum subsistentia apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, ac alias ut infra per nos indulgeri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Martini episcopi votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eius nomine etc. inclinati, fundationem et institutionem collegii huiusmodi per dictum Martinum episcopum, ut praedicitur, factas, ac prout illos concernunt, omnia et singula in scripturis huiusmodi contenta, licita tamen et honesta, apost. auctorit. ten. praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Ac insuper eidem collegio illiusque rectori ac collegialibus aliisque personis nunc et pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quibus collegium s. Bonaventurae per fel. rec. Sixtum papam V. praedecess. nostrum in domo regulari ss. duodecim Apostolorum de Urbe eiusdem ordinis erectum et institutum, illiusque rector, collegiales et personae utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant auctorit. et ten. praedictis concedimus et indulgemus. Postremo ministro generali dicti ordinis pro tempore existenti collegiales praedictos post emensum quinquennale in eadem sacra theologia curriculum, laurea doctorali more et solemnitate in praedicto collegio s. Bonaventurae receptis insigniendi auctorit. et facultatem, quam et subdelegare possit eisdem auct. et ten. tribuimus et impartimur. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscunque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apost. auditores iudicari etc. attentari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem die XXIV. Octobris MDCXXII. anno II.

CCXLIII.

Eligit vicarium generalem reformatorum Aloysium de Cruce. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 234.

Dilecto filio Aloisio de Cruce, ord. fratr. minor. s. Francisci de obs. reform. nuncupat. provinciae Terrae Laboris professori.

Alias prospero dilectorum filiorum fratrum ord. min. s. Francisci strictioris observ. reformat. nuncupat. citra montes commorantium et existentium statui et directioni consulere volentes, inter alia per nos tunc statuta, concesa et ordinata, motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, dilectum filium Antonium Strozium dicti ord. professorem in vicarium generalem omnium fratrum reformat. citra montes commorantium et existentium huiusmodi usque ad festum pentecostes anni MDCXXIV. apost. auctor. fecimus, constituimus et deputavimus, prout in nostris in simili forma brevis sub die XXIV. Novembris MDCXXI. expeditis litteris, quarum ten. praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem nuper fratres praedicti per dimissionem seu absolutionem a munere huiusmodi eiusdem Antonii de mandato nostro factam vicario generali destituti remanerent, tu, sicut accepimus in vicarium, generalem fratrum praedictorum in domo regulari s. Francisci eiusdem ordinis regionis Transtyberim de Urbe sub die XVIII. mensis Octobris proxime praeteriti electus fuisti; quare nos electionem de persona tua in huiusmodi vicarium generalem, ut praedicitur, factam eorumdem fratrum felici regimini atque statui profuturam in Domino sperantes, motu, scientia et deliberatione similibus, electionem de persona tua in vicarium generalem fratrum praedictorum, ut praedicitur, factam apost. auctor. ten. praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apost. firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Teque eorumdem fratrum vicarium generalem usque ad festum pentecostes anni MDCXXV. cum omnibus et singulis facultatibus auctor. iurisdictione et indultis in dictis litteris contentis et alias iuxta earumdem litterarum continentiam auctor. et ten. praedictis facimus, constituimus et deputamus. Insuper tibi, ut fratribus reformatis praedictis ad fratres minores eiusdem ordinis de observ. non reformatos, ac fratribus non reformatis ad reformatos praedictos legitimis ex causis transeundi licentiam concedere possis, facultatem impartimur; necnon facultatem alias per fel. rec. Paulum papam V. praedecess. nostrum custodibus dicti ord. attributam, ut similiter illi in capitulis seu congregationibus custodialibus cum maiori parte vocalium licentiam huiusmodi fratribus reformatis ad non reformatos ex causis praedictis transeundi concedere possint, auctorit. et ten. praedictis approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apost. firmitatis robur adiicimus Mandantes propterea in virtute san-

etae obedientiae omnibus et singulis fratribus reformatis praedictis, ut te in eorum vicarium generalem huiusmodi iuxta ten. praesentiam habeant et recognoscant ac tibi in omnibus, quae eis ordinanda, mandan. et per eos exequenda duxeris, humiliter pareant et obediant, tuaque monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctorit. etc. contradictores usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud s. Petrum etc. die VII. Decembris MDCXXII. anno II.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

NOTAE ARABICAE PAGINAM
ROMANAE PARAGRAPHUM DENOTANT.

C

F

H

K

L

M

N

O

P

R

U

V

Z

REGESTUM PONTIFICIUM

ANNO CHRISTI 1612. PAULI V. ANNO. 7. ET 8.

XCI.

Confirmat erectionem provinciae s. Thomae in India Orientali. Ex reg. secret. brev. in mense Octobri pag. 113.
Ex iuncto etc.

XCII.

Catharinae de Sandoval eximiam in sanctam sedem pietatem laudat. Ex archiv. vatican. secret. Pauli V. Brev. tom. XVI. fol. 28.
Accepimus litteras nobilitatis tuae.

XCIII.

Praecipit ut conventus Pischo Indiarum Occidentalium perpetuo maneat penes fratres recollectos. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 133.
Exponi nobis.

XCIV.

Ratam habet possessionem coenobii penes oppidam Antroduci. Ex reg. secret. brev. in mense Septembri pag. 59.
Venerabili fr. episcopo Reatin. Exponi nobis etc.

XCV.

Archangelus a Messana fit archiepiscopus Montisregalis in Sicilia. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 484.
Romae die XVIII. Iunii in aula palatii Quirinalis fuit consistorium secretum, in quo.
Rmo etc.

XCVI.

Iacobus Suarev episcopus Sagiensis eligitur. Ex eisdem actibus pag. 460.
Romae die IX. Ianuarii in hortis Quirinalibus etc.
Sanctissimus etc.

XCVII.

XCVIII.

XCIX.

C.

CI.

CII.

CIII.

CIV.

CV.

Pro fratribus reformatis conventus Neritonensis. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 450.
Venerabili fratri etc. Pro fidelium etc.

CVI.

Confirmat conventum s. Mariae civitatis Carthaginen. in Indiis Occidentalibus. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 134.
Ex commisso nobis.

CVII.

Ut studiorum emittendorum causa se conferat in Portugalliae regnum. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 147.
Dilecto filio etc. Exponi nobis etc.

Anno Christi 1613. Pauli V. Anno 8. et 9.

CVIII.

Fit episcopus Scardonensis. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 551.
Romae die XVII. Iunii in palatio Quirinali fuit etc.
Rmo etc.

CIX.

Fit episcopus Usellensis. Ex eisdem actibus pag. 562.
Romae die XXVI. Augusti in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CX.

Fit episcopus Acernensis. Ex eisdem actibus pag. 570.
Romae die XX. Novembris apud s. Petrum etc.
Rmo etc.

CXI.

Iubet usum ritualis romani in administratione sacramentorum aliisque ecclesiasticis functionibus. Ex bull. Cherubini tom. 3. pag. 318.
Apostolicae etc.

CXII.

Interdicit eremiticis Galliarum deferendi habitum fratrum tertii ordinis congregationis Gallicanae. De Gubernatis tom. 2. pag. 886.
Ex pastoralis etc.

CXIII.

Adprobat constitutiones fratrum tertii ordinis congregationis Gallicanae. Idem ibid. pag. 860.
Gratos etc.

CXIV.

Ut apud Indos concionatoris apostolici munus peragat. Ex regest. secret. brev. in mense Iulio pag. 525.
Dilecto filio Hieronymo etc. Exponi nobis etc.

CXV.

Quaedam concedit monialibus urbis Aquensis a malis spiritibus exagitatis. Ex cod. reg. in mense Maio pag. 138.
Exponi nobis etc.

CXVI.

Petrum Bellot ministrum provincialem Franciae confirmat licet sexennio non vacaverit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 168.
Nomine dilectorum.

Anno Christi 1614. Pauli V. Anno 9 et 10.

CXVII.

Didacus de Arce fit episcopus Cassanensis. Ex actib. consistorialibus huius anni pag. 582.
Romae die XVII. Februarii etc.
Referente etc.

CXVIII.

Didacus de Ordonez episcopus Iacensis. Ex eisdem actibus pag. 598.
Romae die XXII. Septembris etc.
Rmo etc.

CXIX.

Hirenaeus Brassavola confirmatur in munere commissarii curiae romanae. De Gubernatis tom. 1. pag. 391.
Dilecto filio Hirenaeo etc. Tuo nomine etc.

CXX.

Quaedam indulget pro peragendo sacro in altare s. Didaci. Ex regest. secret. brev. libr. X. divers. pag. 494.
Alias etc.

CXXI.

Eligit Evangelistam a Gabiano commissarium generalem cismontanae familiae. Ex regest. secret. brev. in mense Iulio pag. 221.
Dilecto filio etc. Cupientes etc.

CXXII.

Ut alio transferat fratres de observantia in oppido de Praa. Ex eod. reg. in mense Martio pag. 38.
Venerabili fr. episcopo Angren. Exponi nobis etc.

CXXIII.

Macarensis ecclesiae episcopus deligitur. Ex actib. consistor. huius anni pag. 628.
Romae die XV. Iunii in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CXXIV.

Fit episcopus Albanensis. Ex eisdem actibus pag. 634.
Romae die ultima Augusti in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CXXV.

Firmat concordiam inter fratres Indos et Hispanos provinciae s. Evangelii. Ex regest. secret. brev. in mense Iulio pag. 507.
Ex incumbentis etc.

CXXVI.

Committit episcopo Adurensi causam electionis abbatissae monasterii de Montech. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 515.
Venerabili fr. episcopo Aduren. Expositum nobis etc.

CXXVII.

Pro fratribus de observantia conventus Ragusii. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 493.
Romanus pontifex etc.

CXXVIII.

Pro Marco Antonio Capello minorita conventuali. Ex. bull. lib. XIV. eiusdem reg. pag. 98.
Dilecto filio Marco etc. Religionis zelus etc.

CXXIX.

CXXX.

Anno Christi 1616. Pauli V. Anno 11. et 12.

CXXXI.

CXXXII.

CXXXIII.

CXXXIV.

CXXXV.

CXXXVI.

CXXXVII.

Adprobat emptionem domus positae in urbe Assisii in qua lucem aspexit seraphius Pater pro incolatu fratrum observantium. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 165.
Exponi nobis etc.

CXXXVIII.

Quaedam concedit fratribus reformatis conventus Corigliani. Ex eod. reg. in mense Ianuario pag. 127.
Venerabili fr. archiepiscopo Rossanen. Exponi nobis etc.

CXXXIX.

Innovat mandata suorum praedecessorem circa mysterium immaculatae conceptionis b. Mariae virginis. Ex eod. reg. tom. 12. divers. pag. 163.
Regis pacifici etc.

CXL.

Ut inducat moniales clarissas ad reformandum monasterium Ulyssiponense. Ex eod. reg. in mense Ianuario pag. 129.
Venerablli fr. Octavio etc. Inter caetera etc.

Anno Christi 1617. Pauli V. Anno 12 et 13.

CXLI.

Adprobat fundationem monasterii sororum tertii ordinis congregationis Gallicanae. Ex regest. secret. brev. in mense Februario pag. 3.
Venerabili fr. episcopo Aduren. Alias etc.

CXLII.

Dirimit controversiam super colore et forma habitus inter nostros fratres Hispan. Indiarumque et inter fratres congregationis s. Ioannis de Deo agitatam. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 188.
Ex iniuncto nobis.

CXLIII.

Concedit monialibus clarissis conventum observantium Farnesii. Ex Casimiro a Roma in chronica provinciae romanae pag. 140.
Ad ea etc.

CXLIV.

Ratam habet fundationem conventus discalceatorum fratum. Ex regest. secret. brev. in mense Decembri pag. 350.
Venerabili fr. Antonio etc. Ex pastorali etc.

CXLV.

Indulget erectionem conventus in urbe Calliensi. Ex eod regest. in mense Octobri pag. 173.
Exponi nobis etc.

CXLVI.

Michael Bensus fit episcopus Ravellensis et Scalensis. Ex actib. consist. huius anni pag. 746.
Romae die XIII. Martii in aula etc.
Rmo etc.

CXLVII.

Petrus Pitarque episcopalem Firmiensis ecclesiae sedem obtinet. Ex eisdem actibus pag. 747.
Romae die XXVI. Iunii in aula palatii Quirinali etc.
Rmo etc.

CXLVIII.

Didacus Altamiranus deligitur episcopus Novae Carthaginis. Ex eisdem actibus pag. 747.
Bomae die XXVI. Iunii in aula palatii etc.
Rmo etc.

CXLIX.

Laurentius de Tavora episcopus Funcalensis transfertur ad ecclesiam Elvensem. Ex eisdem actibus pag. 755.
Romae die XVIII. Septembris in aula palatii etc.
Rmo ete.

CL.

Ut capucini in publicis supplicationibus sub propria cruce incedant. De Gubernatis tom. 2. pag. 592.
Pastoralis officii etc.

CLI.

Ut fratres conventuales recitare valeant semel in mense officium seraphici Patris. Ex bull. Cherubini tom. 4. pag. 7.
Domini nostri etc.

Anno Christi 1618. Pauli V. Anno 13. et 14.

CLII.

Adprobat erectionem monasterii et collegii pro virginibus instruendis. Ex regest. secret. brev. in mense Ianuario pag. 293.
Alias etc.

CLIII.

Concedit fratribus recollectis coenobium Lugdunense minorum de observantia. Ex eod. reg. in mense Augusto pag. 491.
Venerabili fr. Dionysio etc. Piis catholicorum etc.

CLIV.

Ut fratres reformati possint aedificare coenobium in Urbe. Ex eod. reg. in mense Ianuario pag. 346.
Exponi nobis etc.

CLV.

Antonius de Treio episcopus Carthaginensis. Ex actibus confessor. ad hunc unum pag. 792.
Romae die IX. Iulii in aula palatii Quirinalis etc.
Sanctissimus etc.

CLVI.

Benedictus Bragadinus fit archiepiscopus Corcyrensis. Ex eisdem actibus pag. 814.
Romae die III. Decembris in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLVII.

Aliqua iubet circa elemosynam locis Terrae Sanctae largitam. Ex regest. secret. brev. in mense Ianuario pag. 91.
Coelestis regis etc.

CLVIII.

Ne discalceati fratres molestia afficiantur ab observantibus in regnis Hispaniarum et Indiarum. Ex eod. reg. in mense Aprili pag. 1.
Dudum etc.

CLIX.

Confirmat erectionem provinciae s. Didaci discalceatorum et rata habet privilegia concessa provinciae s. Iosephi. Ex eod. reg. in mense Aprili pag. 30.
Alias etc.

CLX.

Ut in regno Galliae tanquam de praecepto servetur festivus dies s. Ludovici regis. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 179.
Domini nostri etc.

CLXI.

Partitur provincia s. Dionysii recollectorum et erigitur altera titulo s. Mariae Magdalenae. Ex regest. secret. brev. in mense Maio pag. 213.
Venerabili fr. archiepiscopo Lugdunen. Exponi nobis etc.

CLXII.

Eximit fratres capucinos a dependentia ministri generalis conventualium. Ex eod. regest. in mense Ianuario pag. 320.
Alias etc.

CLXIII.

Eligit episcopum Syrenensem Gerardum de Insula Paros. Ex actib. consistorialibus ad hunc annum pag. 824.
Romae die VII. Ianuarii in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXIV.

Ioannes Pellegrini fit episcopus Scardicensis. Ex eisdem actib. pag. 849.
Romae die XVI. Decembris in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXV.

Ne fratres observantes ambiant dignitates. Ex regest. secret. brev. in mense Aprili pag. 17.
Admonemur etc.

CLXVI.

Ne episcopi in Indiis Occiduis praesumant recipere quartam partem funerum defunctorum, qui tumulantur in ecclesiis mendicantium. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 291.
Cum sicut etc.

CLXVII.

Iubet ne fratres aliarum provinciarum accedant in provinciam Carthaginensem. Ex eod. reg. in mense Augusto pag. 32.
Ut ea etc.

CLXVIII.

Erigit provinciam s. Didaci Hispalensis fratrum discalceatorum. Ex eod. reg. in mense Iulio pag. 16.
Salvatoris etc.

CLXIX.

Pro celebratione officii et missae de corona Domini. Ex eod. reg. in mense Septembri pag. 523.
Exponi nobis etc.

Anno Christi 1620. Pauli V. Anno 15. et 16.

CLXX.

Confirmat capitulum provinciale fratrum discalceatorum et alia statuit pro felici illius regimine. Ex eod. reg. in mense Februario pag. 83.
Romanus pontifex etc.

CLXXI.

Erigit provinciam s. Francisci fratrum recollectorum. Ex regest. secret. brev. in mense Februario pag. 58.
Exponi nobis etc.

CLXXII.

Quaedam statuit pro fratribus capucinis et fratribus de tertio ordine congregationis Gallicanae. Ex eod. reg. in mense Aprili pag. 89.
Ex iniuncto etc.

CLXXIII.

Instituit collegium fratrum conventualium in Insula Melevitana. Ex eod reg. in mense Iulio pag. 109.
In supereminenti etc.

CLXXIV.

Fit episcopus Nazianzenus. Ex actibus consistorialibus huius anni pag. 860.
Romae die XXVII. Ianuarii in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXXV.

Fit episcopus civitatis Imperialis in regione Chiliensi. Ex eisdem actibus pag. 875.
Romae die XVII. Augusti in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXXVI.

Fit episcopus Aquensis. Ex eisdem actibus pag. 883.
Romae die XV. Novembris in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXXVII.

Fit episcopus Ussellensis. Ex eisdem actibus pag. 987.
Romae die XIV. Decembris in aula palatii Quirinalis etc.
Rmo etc.

CLXXVIII.

Iubet superioribus regularibus dioecesis s. Fidei ne mittant subditos suos ex defectu scientiae reprobatos ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis. Ex regest. secret. brev. in mense Iulio pag. 402.
Cum sicut etc.

CLXXIX.

Instituit confraternitatem immaculatae conceptionis b. v. Mariae in conventu Waterfordiensi in Hibernia ordinis fr. minorum. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 225.
Ex supernae dispositionis.

CLXXX.

Regem Congi ob fidei zelum laudat eidemque fratres capucinos se illuc missurum promittit. Ex archiv. secret. vatican. brev. eiusd. pontificis ann. XV. et XVI. vol. XIV. fol. 185.
In proximis maiestatis tuae.

CLXXXI.

Confirmat monasterium monialium s. Clarae oppidi de Castellione de la Plana sub obedientia praelatorum ordinis s. Francisci. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 227.
Exponi nobis.

CLXXXII.

Adprobat translationem conventus. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 32.
Exponi nobis etc.

CLXXXIII.

Frater Ioannes Maria Gallus cum decreto s. congregationis de propaganda fide habitae coram sanctissimo die XXV. Martii huius anni MDCXXI. fit episcopus s. Orini in insula Therassia. Ex regest. familiae ultramontanae vol. VI. fol. 205.
Referente.

CLXXXIV.

Firmat concordiam quoad fratres observantes provinciae Mexicanae. Ex cod. reg. in mense Maio pag. 213.
Ex iniuncto etc.

CLXXXV.

Confirmat Franciscum Nigron observ. rectorem collegii de Manapaser in provincia s. Thomae in Indiis Occidentalibus. Ex cod. reg. in mense Maio pag. 94.
Dilecto filio Francisco Negron etc. Religionis zelus etc.

CLXXXVI.

Ut fratres de observantia recipiant conventum derelictum a conventualibus. Ex regest. secret. brev. in mense Iunio pag. 460.
Venerabili fr. Ioanni Suycardo etc. Cum sicut etc.

CLXXXVII.

Caesar Nardi praeficitur ecclesiae Ansaren. Ex actibus consist. huius anni pag. 21.
Romae apud s. Petrum fer. II. die XXI. Iunii fuit etc.
Rmo etc.

CLXXXVIII.

Benedictus Ursini fit episcopus Alixien. in Albania. Ex eisdem actibus pag. 21.
Romae apud s. Petrum fer. II. die XXI. Iunii fuit etc.
Rmo etc.

CLXXXIX.

Prohibet, ne qui praelatorum aliquem tertii Ordinis etc. recipere audeant. In mense Iulio pag. 62.
Romanum decet Pontificem.

CXC.

Eligit Episcopum Alexcensem Benedictum Orsini a Papua Ballarium pag. 67.
Apostolatus officium.

CXCI.

Componit dissidium inter fratres conventuales et reformatos eiusdem instituti. Ex cod. reg. in mense Augusto pag. 389.
Cum sicut etc.

CXCII.

Adprobat quaedam pacta inita inter fratres tertii ordinis in Italia et congregationis Bogardorum vulgo Zepperensis in Belgio. Ex eod. reg. in mense Augusto pag. 687.
Romanus pontifex etc.

CXCIII.

Unit duo monasteria clarissarum Neapolis in uno virginum collegio. Ex eod. reg. in mense Septembri pag. 409.
Dilecto filio nostro Decio etc. Cum sicut etc.

CXCIV.

Rata habet statuta et constitutiones concessas fratribus tertii ordinis congregationis Gallicanae. Ex eod. reg. in mense Septembris pag. 63.
Iniuncti nobis etc.

CXCV.

Quaedam privilegia concedit Antonio episcopo Scardonen. et administratori Bornen. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 178.
Venerabili fr. Antonio episcopo Scardonen. etc. Cupientes etc.

CXCVI.

Instituit commissarium apostolicum, decernit ut vicarius generalis et definitores generales eligantur, et alia pro bono regiminis fratrum observantium discalceatorum Hispaniarum et Indiarum. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 254.
Ex iniuncto nobis.

CXCVII.

Quaedam statuit pro fratrum observantia in Italia pag. 17.
Onerosa pastoralis.

CXCVIII.

Procuratori generali discalceatorum Hispaniarum et Indiarum in romana curia hospitium concedit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 253.
Ad uberes.

CXCIX.

Constituit apostolicum concionatorem aulae catholici regis Hispaniarum Lupum Paez minoritam de observantia. Ex eod. regest. in mense Septembri pag. 451.
Dilecto filio Lupo Paez etc. Religionis zelus etc.

CC.

Pro fratribus conventualibus oppidi Gretii. Ex eod. reg. in mense Octobri pag. 52.
Exponi nobis etc.

CCI.

Emmanuel de Angelis Elboren. fit episcopus ecclesiae Fessen. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 34.
Romae fer. II. die XV. Novembris apud s. Petrum etc.
Rmo etc.

CCII.

Simon Mascharenus fit episcopus Congen. et Angolen. Ex eisdem actibus pag. 35.
Romae fer. II. die XV. Novembris apud s. Petrum etc.
Eodem referente etc.

CCIII.

Eligit Antonium Strozzi vicarium generalem fratrum reformatorum familiae cismontanae et quaedam pro bono eorum regiminis statuit. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 250.
Ex iniuncto nobis.

CCIV.

Adprobat erectionem congregationis hospitalaris utriusque sexus, subiectique ministro generali ordinis. Ex regest. secret. brev. in mense Decembri pag. 369.
Venerabili fr. episcopo Ebroicen. Superna dispositione etc.

CCV.

Supprimit provinciam Sardiniae minor. observ. eamque uti custodiam subiicit provinciae Cathalauniae. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 604.
Cum sicut etc.

ANNO CHRISTI 1622. GREGORII XV. 1. ET 2.

CCVI.

Pro fratribus discalceatis seu recollectis. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 387.
Alias etc.

CCVII.

Pro Margarita ab Austria clarissa. Ex eod. reg. in mense Decembri pag. 43.
Dilectae in Christo filiae Margaritae etc. Religionis zelo etc.

CCVIII.

Permittuntur fratres conventus Alverniae etiam extra dioecesim Aretinen. sibi eleemosynam quaerere. Ex archiv. vatican. secret. minut. Gregor. XV. tom. 27. fol. 117.
Cum sicut dilecti.

CCIX.

Prohibet nequis sacra supellectilia ecclesiae s. Mariae dioeces. Tiburtinen. extrahere possit. Ex archiv. vatican. secret. minut. Gregor XV. tom. 27. fol. 137.
Conservationi.

CCX.

Rata habet coenobia erecta et erigenda pro fratribus recollectis provincia Cathalanniae. Mense Ianuario pag. 399.
Ad uberes et suares.

CCXI.

Confirmat quaedam statuta pro bono regimine fratrum recollectorum provinciae Britanniae. Mense Ianuario pag. 218.
Ex iniuncti nobis.

CCXII.

Erigit provinciam Matris Dei discalceatorum seiunctam a provincia s. Thomae Indiarum Occidentalium. Ex eod. reg. in mense Ianuario pag. 371.
Sacri apostolatus etc.

CCXIII.

Aliqua statuit circa confessarios tam saeculares quam regulares. Mense Februario pag. 69.
Inscrutabilis Dei.

CCXIV.

Erigit tres custodias reformatorum in provincia Siciliae. Ex eod. reg. in mense Februario pag. 384.
Ad uberes etc.

CCXV.

Laudat eximium spiritum seraphicum apud observantes Poloniae vigentem. Ex archiv. Vatican. secret. Gregorii XV. epistolae ad principes viros an. II. fol. 2.
Ea multorum sermone.

CCXVI.

Gaudet de testimoniis super sanctitate vitae fratrum regularis observantiae in Polonia. Ex cod. archiv. etc. fol. 3.
Tot nobis laetitiae.

CCXVII.

Perpetuorum patrum in ordine discalceatorum privilegia abrogat. Ex regesto secret. Brev. in mense Februario pag. 799.
Militantis ecclesiae.

CCXVIII.

Iubet fratribus Indiarum occidentalium, ut in eventu mortis vel promotionis maiorum ministrorum suis superioribus obediant. Ex eodem regesto in mense Februario pag. 17.
Cum sicut.

CCXIX.

Aliqua iubet Innocentio a Clusa pro bono regimine illarum trium custodiarum. Ex eod. reg. in mense Martio pag. 229.
Nuper etc.

CCXX.

Indulget ut moniales Clarissae de Urbe profiteantur regulam fratrum de tertio ordine. Ex eodem regesto in mense Aprilis pag. 428.
Exponi nobis.

CCXXI.

Deputat Paulum de Madrid in discalceatorum familia collectorem eleemosynarum pro cultu Terrae Sanctae. Ex eodem regesto in mense Aprilis pag. 5.
Religionis zelus.

CCXXII.

Revocat disiunctionem recollectorum Hispaniae ab observantibus. Ex regest. famil. ultramont. vol. II. fol. 270.
Religiosorum virorum.

CCXXXI.

Fr. Dominico, episcopo Scutarensi, concedit, ut assumat fratres minores de observantia pro suae ecclesiae solatio. Ex eod. regest. in mense Iulio.
Ut necessitatibus.

CCXXXII.

P. Franciscum Glavinic provinciae... nominat concionatorem apostolicum. Ex monumentis Bosnae seraphicae a Fr. Mauro Faidiga collectis pag. 163.
Exponi nobis.

CCXXXIII.

Quaedam mandat quoad conventuum erectionem. Ex eod. regest. in mense Augusto pag. 260.
Cum alias.

CCXXXIV.

Indulget, missam et officium de b. Ioanne Capistrano ab omnibus fratribus et monialibus ordinis recitari. Ex regest. famil. cismont. vol. VI. pag. 127.
Domini nostri.

CCXXXV.

Quaedam statuit pro definitoribus generalibus tertii ordinis. Ex regest. secret. Brev. in mense Septembri pag. 269.
Ex iniuncto nobis.

CCXXXVI.

Adprobat constitutiones et statuta fratrum recollectorum Galliae lata a suis praedecessoribus. Ex eod. regest. in mense Septembri pag. 37.
Ex iniuncto nobis.

CCXXXVII.

Ut munus visitandi ordinis provincias possit generalis minister etiam committere patribus sui instituti. Ex eod. regest. secret. Brevium in mense Septembri pag. 48.
Pastoralis nostri.

CCXXXVIII.

Franciscus de Arriva fit episcopus Civitaten. Ex actibus consistorialibus ad hunc annum pag. 58.
Rmo.

CCXXXIX.

Partitur provinciam observantium Siciliae. Ex eodem regest. secret. Brevium in mense Octobri pag. 52.
Ad uberes etc.

CCXL.

Iubet ut bona relicta a christifidelibus pro locis Terrae Sanctae nullus praesumat retinere. Ex eod. regest. in mense Novembri pag. 79.
Alias a felici.

CCXLI.

Annuit ut parochia s. Viti dioecesis Aquileiensis conventus patrum conventualium Graecensium addicatur et imperatoris pietatem laudat.
Non patiemur.

CCXLII.

Erigit collegium Cracoviae pro fratribus conventualibus. Ex eod. reg. in mense Novembri pag. 479.
In supereminenti etc.

CCXLIII.

Eligit vicarium generalem reformatorum Aloysium de Cruce. Ex eod. regest. in mense Decembri pag. 234.
Dilecto filio etc.

INDEX REGESTI

FINIS TOMI VIGESIMI QUINTI.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, ex Curia Archiep. die 30 Iunii 1886.

Can. FRANCISCUS LORENZI V. G.